XIV.
F.
8.
BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XIV
F
8
NAPOLI

Digitized by Google





DE LIBERTATE
ECCLESIÆ
IN CONFERENDO ECCLESIASTICA BENEFICIA
NON MODO CLERICIS INDIGENIS, VERUM ETIAM EXTRANEIS,

AC

DE IMMUNITATE
BENEFICIARIORUM MERE SIMPLICIUM A PERSONALIS DEBITO RESIDENTIÆ.

OPUS

Nùnc primò editum, in quatuor Tomos diſtinctum, & Sacrâ Eruditione
plenè refertum; in quo adverſùs modernos Impugnatores

IPSARUM

LIBERTATIS, ET IMMUNITATIS
Rationibus Scripturalibus, Theologicis, Petitis ex SS. Patribus, & ex Sac. Conciliis,
Legalibus tandem, Hiſtoricis, & Politicis, claro, & eleganti eloquio, probatur,

Quod liberum, & licitum eſt Eccleſię, illiuſq; Miniſtris, atquè in primis Romano Pontifici ejuſdem Eccleſię Capiti, necnon Epiſcopis, aliiſque omnibus, tùm Ordinariis, tùm Delegatis Beneficiorum Collatoribus, atquè ad ea Nominatoribus, ipſa Beneficia, non modò Clericis Indigenis, verùm etiàm Extraneis impertiri.
Et quòd Beneficiarii merè ſimplices à Reſidentiæ perſonalis debito ſunt immunes.

UNIVERSIS EPISCOPIS, ET ORDINARIIS LOCORUM,

Eorumque Vicariis, Præſulibus, Abbatibus, Miniſtris, & Conſiliariis Principum, Senatoribus, Judicibus,
Theologis, Juriſconſultis, Cauſidicis, Politicis, Hiſtoricis, & Eruditis, cunctis demum
Beneficiorum Collatoribus, & Patronis, tam Eccleſiaſticis, quàm Laicis,
valde utile, & reſpective neceſſarium.

AUCTORE ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO

JOANNE BAPTISTA BRASCHIO
CÆSENATEN. EPISCOPO SARSINÆ, COMITE BOBII.

TOMUS III.
CONTINENS RESPONSIONES CUNCTIS OBJECTIONIBUS,
Quas Impugnatores præfatæ Libertatis adverſùs ipſam proponunt. Seù enodationem Rationum,
quibus eandem diruere connituntur.

SACRO, ATQUE AMPLISSIMO EMINENTISS. AC REVERENDISS. DD. S. R. E.

CARDINALIUM
COLLEGIO.

Sedis Apoſtolicæ Ornamento, Splendori Urbis, & Orbis, ac totius Eccleſiæ Dei Senatui Præclariſſimo, Obſequioſiſſimè Dedicatus.

LUGDUNI, MDCCCXVIII.
Superiorum permiſſu, & privilegio.

NAPOLI

EMINENTISSIMI,
AC
REVERENDISSIMI DOMINI.

D*Iligens Dominus portas Sion ſupèr omnia tabernacula Jacob* (a) Romanam Eccleſiam tot, & tantis honoris ſignificationibus inſignivit, ut quæ in aliis particularitèr diſtributæ, ingenti præconio dignæ ſunt; in hac unâ eminentèr collectæ, generale obſequium totius Chriſtianitatis expoſcant. In eâ etenìm & religionis noſtræ vertex, & eccleſiaſtici officii culmen, & ſacræ dignitatis, ac poteſtatis integra reſidet plenitudo. Tàm ſublimis autem Eccleſiæ Vos, Patres Eminentiſſimi, eſtis portio præcelſior (b), qui Petri Sedi Collaterales aſſiſtitis (c), purpureis pileis in capite redimiti, velùt illi myſtici Seniores, quos vidit in Apocalypſi Joannes, propè ſedem Agni, cinctos coronis aureis aſſidere (d). Corpori quoquè ipſius glorioſiſſimi Apoſtoli, ibidem requieſcenti chorum componitis, veluti tot leones, throno Salomonis honorificentiſſimè circumpoſiti (e): vel ut illi præcelſi Athletæ, qui ejuſdem Regis ambiebant Ferculum, *omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi* (f). Coaſſidetis demùm Chriſti Vicario, ean-

(a) *Pſalm.* 86. *num* 1.

(b) *Tuſcus lit. C. concluſ.* 100. *n.* 1. *Barboſ. Jur. Eccl. univ. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 27.

(c) *S. Bernard. de conſid. lib.* 4.

(d) *Apocalypſ. cap.* 4. *n.* 4.

(e) 3. *Regum cap.* 10. *n.* 19.

(f) *Canticor. cap.* 3. *num* 7.

eandem Eccleſiam regenti, non ſecus ac Optimates illi, de quibus in veteri Teſtamento, *dixit Dominus ad Moyſen: congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes Iſrael ſunt, & magiſtri* (g). Sed & ſeptuaginta Palmæ, poſitæ circà fontes in Elim (h): & ſeptuaginta Equites, cuſtodientes Paulum in itinere Cæſareæ (i); Quid niſi Veſtri numeri emblemata fuerunt: Veſtri muneris non obſcurum ſchema figuralitèr præſignarunt? Porrò Veſtra Dignitas faſtigium eſt honorum, & ut de Conſulatu dictum fuit, eſt *omnium propè actionum in republicâ* eccleſiaſticâ *conſummatio* (l). Vos verò, Eminentiſſimi Proceres, ei redditis meritis, quod ex murice ſuſcipitis ornamentum: Veſtriſque Promotoribus, & gloriam refunditis, & magnificentiam augetis (m): talitèr ut, qui vos cernit, poſſit dicere cum Cineâ: *vidi quot Senatores, tot Reges* (n). Optabat quidam Rex, ut Album, cui eſtis adſcripti, non niſi viri replerent, cunctarum virtutum ſplendoribus decorati: nec mediocritèr tantùm, ſed & eminentèr in eiſdem egregii, ac omnibus titulis meritiſſimi (o). Talibus autèm viris hodiè Senatus Veſter affluentiſſimè abundat: Veſtriſque in vultibus, Veſtris in moribus quiſque facilitèr intuetur, quod in univerſis Cardinalibus ſuę ætatis fortè Rex ille obvium non habebat. Nàm trabea, quâ fulgetis, Deo dante, noſtris temporibus conceſſa reperitur ſolis provectis in ætate, veteranis in munere, emeritis in virtute: qui Sacrum Collegium, & mirâ majeſtate componunt, & mirabiliùs eſſe docent, prudentiæ Areopagum, Athenæum doctrinæ, ac probitatum omnium Seminarium. Quarè ſi nùnc viveret D. Bernardus, proculdubiò congauderet Eccleſiæ, quod in Vobis expreſſa reperiatur imago illius prototypi Cardinalium, quem ipſe hoc mellifluo eloquio, veluti penicillo, ad perfectionem omnia diſponente, facundiſſimè lineavit: *Qui pretèr Deum timeant nihil: nihil ſperent, niſi à Deo. Qui ſint compoſiti ad mores, probati ad ſanctimoniam, rigidi ad cenſuram, Catholici ad fidem, fideles ad diſpenſationem,*

con-

(g) *Numeri c. 11. num. 16*

(h) *Exodi c. 15. 27. Numeri cap. 33. 9.*

(i) *Actorum c. 23. n. 23.*

(l) *Vid. ſupr. tom. 1. c. 16. n. 13.*

(m) *B. Auguſt. Triumph. de poteſt. Eccl. qu. 102. art. 3.*

(n) *Plutarch. in Pyrrho.*

(o) *Henric. 2. Angl. Rex apud Petr. Bleſenſ. epi. 165.*

concordores ad pacem. Qui ſint in judicio recti, in conſilio providi, in jubendo diſcreti, in diſponendo induſtrii, in agendo ſtrenui, in loquendo modeſti. Qui Regibus Joannem exhibeant, Ægyptiis Moyſen, fornicantibus Phinees, Eliam Idololatris, Eliſeum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus Chriſtum (p). Cum tales ergò ſitis, & Eccleſiæ Romanæ aſſiduè famulantes, ad quam *univerſarum Eccleſiarum ordinatio pertinet* (q), toti Eccleſiæ Catholicæ deſerviatis (r); *Nèc privatæ unius patriæ præſideatis utilitati, ſed publicæ totius populi Chriſtiani* (s); juſtum equidèm, ac dignum eſt, ut in quâcumque orbis parte beneficiis Eccleſiaſticis munerati, victui Veſtro ſolatium; labori, quem impenditis, retributionem aliquam habeatis. Verùm infelix illa novitas, nupèr excitata, quæ cunctos Clericos non indigenas locorum, & ibi perſonalitèr non reſidentes, nititur à proventibus Eccleſiaſticis elongare, illùc evidentèr collimat, ut & Ordini Veſtro temerè ſit infeſta: Voſque à locorum, in quibus nati non eſtis, præbendis ſacris (& quod mirùm eſt, ab illarum quoque regionum beneficiis, quæ in temporalibus mediatè ſunt Romanæ Sedi ſubjectæ) procùl faciat extorres. Vos, inquam, qui alioquin, tamquàm membra nobiliora Capitis univerſalis Eccleſiæ (t): cujus territorium *non una pars, ſed totus eſt potius Orbis* terrarum (u); nullibi eſtis extranei: Et quos non originis diſtinguit ratio, ſed laticlavium Dignitatis: neque genus, vel genitura ſtipendiis Sanctuarii dignos efficit, ſed officium, quod ad omnium profectum in Eccleſiâ Dei utilitèr exercetis. *Ad altiſſimum* nempè *gradum evecti, cum ipſo Romano Pontifice communi patre, ac paſtore, onus populorum ſuſtinetis, & prò animarum ſalute, prò fide, prò juſtitiâ, prò unitate aſſiduè invigilatis, ac laboratis: qui circà ipſum univerſali Eccleſię ſerviendo, ſingularum Eccleſiarum* vos commoditatibus exhibetis (x). Hujus ergò novitatis, quæ dona Dei ad hæreditariæ ſucceſ-

(p) *S. Bernard. de Conſider. lib. 4.*

(q) *Petr. Bleſenſ epiſt. 165.*

(r) *Cap. per venerabilem qui fil. ſint legit. c. Fundamenta de elect. in 6.*

(s) *Eugen. 4. Conſtit. 15 §. 14.*

(t) *Jacobat. de Concil. lib 7. art. 55. Barboſa loco cit. n. 17. ad 21.*

(u) *Monachi Carthus in Concil. Remenſ. an. 1231. S. Bernard. ubi ſuprà.*

(x) *Sixtus V. Conſtitut. 50. in proœm.*

ſionis inſtituta gliſcit arctare, & dùm in Sacerdotis *ſubſtituit hæredem*, *Pontificis evacuat libertatem* (y); nùnc puſillitas mea pro viribus impugnatrix exurgit: Ac ego humillimus ſervus Veſter hunc Tomum, tertium in ordine, quem ſuper hoc argumento compegi, Ampliſſimo Veſtro Cœtui, ùt obſequioſiſſimè inclino, ſic & animo prorsùs reverenti devoveo. Dignentur EE. VV. munus iſtud, etſi exiguum, ac meritis Veſtris impar, grato animo ſuſcipere, atque ſuſceptum benigno proſequi patrocinio: ut dùm prò *Libertate*, prò *Immunitate* Eccleſiæ hâc qualicumque lucubratione decerto; ſit honor certaminis Vobis faventibus in ſtadium deſcendiſſe; ſit gloria victoriæ ſub Veſtris Auſpiciis Contradictores felicitèr expugnaſſe. Sarſinæ ex Epiſcopio v. Kalend. Septembris 1717.

(y) Hildebert. Turonen. ep. 55.

Humil.mus & Obſeq.mus Servus
Joannes Baptiſta Epiſcopus Sarſinæ.

SE-

Digitized by Google

SERIES CAPITUM,

Quæ in hoc Tertio Tomo continentur.

RESPONSIO OBJECTIONIBUS SCRIPTURALIBUS.

CAPUT PRIMUM. *IN quo reſpondetur Objectionibus* Scripturalibus, *ex Veteri Teſtamento propoſitis, adversùs Libertatem Eccleſiæ, in conferendo ſacras Præbendas, & Eccleſiaſtica Beneficia, etiàm Clericis Extraneis.* fol. 1.

CAPUT II. *In quo aliis Objectionibus* Scripturalibus *reſpondetur, ex Novo Teſtamento decerptis, adversùs Libertatem Eccleſiæ, in conferendo Sacras Præbendas, & Eccleſiaſtica beneficia, etiam Clericis extraneis.* f. 21.

RESPONSIO OBJECTIONIBUS THEOLOGICIS.

CAPUT III. *In quo reſpondetur Objectionibus* Theologicis, *propoſitis contrà libertatem Eccleſiæ in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.* f. 44.

CAPUT IV. *In quo aliis Objectionibus* Theologicis *reſpondetur, propoſitis adversùs libertatem Eccleſiæ, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, tàm Clericis extraneis, tàm indigenis.* f. 62.

RESPONSIO OBJECTIONIBUS EX SACRIS CONCILIIS.

CAPUT V. *In quo reſpondetur Objectionibus, propoſitis ex* Sacris Conciliis, *& præſertìm ex Conſtantinopolitano IV. atque ex aliis, per priora Sex Chriſti Sæcula celebratis, contrà libertatem Eccleſiæ, in conferendo ſacra Beneficia, tàm Clericis extraneis, tàm indigenis.* f. 85.

CAPUT VI. *In quo aliis Objectionibus reſpondetur, propoſitis ex* Sacris Conciliis, *à Sæculo Chriſti Sexto uſquè ad Nonum celebratis, contrà libertatem Eccleſiæ, conferendi Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.* f. 107.

CAPUT VII. *In quo rursùs aliis Objectionibus reſpondetur, propoſitis ex* Sacris Conciliis, *habitis à Sæculo Chriſti Nono, uſquè ad Concilium Tridentinum, contrà libertatem Eccleſiæ, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, tàm Clericis extraneis, tàm indigenis.* f. 129.

RESPONSIO OBJECTIONIBUS EX SANCTIS PATRIBUS.

CAPUT VIII. *In quo reſpondetur Objectionibus, petitis ex doctrinâ, & geſtis* Sanctorum Patrum, *contrà libertatem Eccleſiæ, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.* f. 151.

CAPUT IX. *In quo aliis Objectionibus reſpondetur, petitis ex doctrinâ, & geſtis* Sanctorum Patrum, *contrà libertatem Eccleſiæ, in conferendo etiàm Clericis extraneis Eccleſiaſtica Beneficia.* f. 166.

CA-

DE TITULO, ET POTESTATE EPISCOPI UNIVERSALIS, AN COMPETAT PAPÆ?

CAPUT X. *In quo notabili Objectioni reſpondetur, ex D. Gregorio propoſitæ contrà libertatem Eccleſiæ, in conferendo Beneficia Eccleſiaſtica, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis. Agiturquè dè titulo, & poteſtate* Epiſcopi Univerſalis, *Papæ, quà Papæ competenti.* f.181.

CAPUT XI. *In quo continuatur Materia Capitis præcedentis, & reſpondetur Objectioni ſupèr* Epiſcopi Univerſalis *titulo propoſitæ: Huncque Romano Pontifici competere demonſtratur.* f.202.

RESPONSIO OBJECTIONIBUS LEGALIBUS.

CAPUT XII. *In quo reſpondetur Objectionibus* Legalibus, *per Contradictores propoſitis adverſus libertatem Eccleſiæ, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.* f. 232.

DE ELECTIONE EX GREMIO ECCLESIÆ VACANTIS.

CAPUT XIII. *In quo notabili Objectioni reſpondetur, validè urgenti ſuper eo, quod Beneficiarii eligendi ſint de gremio Eccleſiæ vacantis: & ſic non ſubſiſtat libertas Eccleſiæ provehendi Clericos extraneos unà cum indigenis ad Eccleſiaſtica Beneficia.* f. 249.

CAPUT XIV. *In quo aliis Objectionibus* Legalibus *reſpondetur, propoſitis adverſus eandem libertatem Eccleſiæ, in conferendo tùm Clericis indigenis, tùm extraneis Eccleſiaſtica Beneficia.* f.268.

DE PLENITUDINE POTESTATIS PAPÆ.

CAPUT XV. *In quo proponitur alia Objectio notabilis adverſus libertatem Eccleſiæ, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, tùm Clericis indigenis, tùm extraneis. Et antequàm ad illam reſpondeatur, agitur de* Plenitudine poteſtatis, *quæ in Romano Pontifice reperitur.* fol. 286.

CAPUT XVI. *In quo reſpondetur Objectioni, ſive Argumento, initio Capituli antecedentis propoſito. Atquè oſtenditur, uſque ad quos limites ſe extendat Plenitudo poteſtatis, quæ in Summo Pontifice reperitur.* f.305.

RESPONSIO OBJECTIONIBUS HISTORICIS.

CAPT XVII. *In quo reſpondetur pluribus Objectionibus* Historicis, *allegatis adverſus libertatem, quâ pollet Eccleſia, conferendi ſacras præbendas, & Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.* f. 330.

CAPUT XVIII. *In quo aliis Objectionibus* Historicis *reſpondetur, allegatis adverſus libertatem, quâ pollet Eccleſia, dandi, tùm Clericis indigenis, tùm extraneis, acceſſum ad Eccleſiaſtica Beneficia.* f. 350.

CAPUT XIX. *In quo novæ Objectiones* Historicæ *diluuntur, à Contradictoribus propoſitæ adverſus libertatem Eccleſiæ, in conferendo, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis Eccleſiaſtica Beneficia.* f. 375.

CA-

CAPUT XX. *In quo enodantur cæteræ Objectiones* Historicæ, *productæ in præjudicium libertatis Eccleſiæ, munerandi etiam Clericos extraneos ſacris Præbendis, & Eccleſiaſticis Beneficiis.* f.394.

RESPONSIO OBJECTIONIBUS POLITICIS.

CAPUT XXI. *In quo ſatisfit Objectionibus* Politicis, *libertatem vellicantibus, quâ prædita eſt Eccleſia conferendi Beneficia ſacra, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.* f.415.

DE PRAGMATICA S. LUDOVICI.

DE ANNATIS APOSTOLICIS, ET DENARIO S. PETRI.

CAPUT XXII. *In quo notabili Objectioni* Politicæ *reſpondetur, propoſitę adverſus libertatem Eccleſię, in conferendo beneficia, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis. Agiturque de* Annatis Apoſtolicis, *& de* Denario S. Petri. f.438.

DE SPOLIIS CLERICORUM.

CAPUT XXIII. *In quo agitur de* Spoliis Clericorum, *& de fructibus vacantium Beneficiorum, quæ percipis Romana Eccleſia: eorumque juſtitia demonſtratur: ac dicteria in oppoſitum diluuntur.* f.457.

DE FABRICA S. PETRI.

CAPUT XXIV. *In quo diſſeritur de* Fabricâ Baſilicæ S. Petri *in Vaticano, ipſiuſque Tribunali: ac de proventibus, qui ex Legatis Piis, vagis, & incertis &c. atque ex Compoſitionibus ſuper iiſdem exiguntur, ad ipſiuſmet Baſilicæ magnificentiam, & ornatum conſervandum, atque augendum.* f.474.

DE ASSENSU REGIO.

CAPUT XXV. *In qua ultimæ Objectioni* Politicæ *reſpondetur, quâ libertas Eccleſię impetitur, promovendi, non modò Clericos indigenas, verùm etiam extraneos, ad Eccleſiaſtica Beneficia. Iterùmque opportunè fit ſermo de* Aſſenſu Regio. *An, & ubi à Beneficiorum conſecutionibus ſit poſtulandus.* f. 489.

DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

CAPUT XXVI. *In quo diruuntur dicteria quęcumque, pronuntiata adverſus poteſtatem, & rectitudinem Sedis Apoſtolicę, in cenſurandis, & inhibendis Libris, Prohibitione dignis.* fol. f. 516.

DIRVMPAMVS VINCVLA EORVM,

ET PROIICIAMVS A NOBIS JVGVM IPSORVM.

QVI HABITAT IN COELIS IRRIDEBIT EOS,

ET DOMINVS SVBSANNABIT EOS. *Pſalm.2.n.3.*

RES-

Digitized by Google

RESPONSIO
OBJECTIONIBUS SCRIPTURALIBUS
CAPUT I.

In quo reſpondetur Objectionibus SCRIPTURALIBUS, *ex Veteri Teſtamento propoſitis, adversùs Libertatem Eccleſiæ, in conferendo ſacras Præbendas, & Eccleſiaſtica Beneficia, etiàm Clericis Extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Quinam ordo in præſenſium Argumentorum diſſolutione ſit obſervandus? Contradictores verba Sacræ Scripturæ perperàm torquent.*

2 Prima obiectio, *eſt ex Deuteronomio, non poteris facere Regem alterius gentis hominem, qui textus locum habeat in ſacerdotio.*

3 *Non currit paritas à Regno ad Sacerdotium. Nàm aliâ viâ Reges Hebræorum Regnum, aliâ viâ Levitæ adepti ſunt ſacerdotium.*

4 *Pontificatus Hebraicus per hæreditariam ſucceſſionem debebatur. Deſcendentes Moyſis Levitę erant. Aaronis erant Sacerdotes.*

5 *Lex Vetus per adventum Chriſti ceſſavit, & præcepta ejus Cæremonialia, ac Judicialia abrogata ſunt: Moralia verò ſubſiſtunt.*

6 *Quænam cęremoniæ in provectione novi Regis obſervarentur. Et an in electione Regis extranei ſervari poſſent.*

7 *Non poterat alienigena Rex creari, quià non juraſſet ſervare legem Dei, vel illam jurando, adhùc non obſervaſſet, imò ad Idololatriam populum perduxiſſet.*

8 *Objectio loquitur de extraneis à fide. De Jure Divino eſt, ut Infidelis non poſſit ad Regnum populi Dei promoveri.*

9 *Et ſicùt olim deviis à fide non potuit tradi ſacerdotium, ſic etiàm nùnc ſacerdotia, & præbendæ non poſſunt infidelibus conferri.*

10 *Ex objectione ſolum probatur, excludendos eſt à beneficiis extraneos ratione fidei, prout & excludebantur à Regno Hebræorum: quod nos non negamus.*

11 *Si Alienigena fidem Hebraicam ſuſcepiſſet, potuiſſet provehi ad Regnum, ſicùt admittebatur ad Phaſe, atque ad Sacrificia celebranda.*

Digitized by Google

12 Non poterant Hebræi fœdus inire cum Gentilibus, tamèn ceſſante periculo perverſionis fidei, id poterant: ſimile quid erat de Matrimoniis.

13 Extranei ſuſcipientes fidem Hebricam, potuiſſent eligi in Reges, & argumentum probat potiùs provehendos etiam extraneos ad beneficia.

14 Secunda objectio, eſt ex eo, quod Dominus promittit ad felicitatem Hebræis Prophetam ſuſcitatum ex eis. Et ad infortunium, ſubjectionem extraneis.

15 Propheta promiſſus in Deuteronomio, eſt Chriſtus Meſſias, cujus promiſſionis negotium nihil afficit ad excludendos à beneficiis extraneos.

16 Subjugatio prænuntiata reſpicit tyrannidem, illatam Hebræis à Paganis. Hæc autèm nihil afficit contrà extraneos proptèr beneficia.

17 Scripturæ in objectione propoſitæ nil valent, niſi in ſenſu accommodatitio, cujus valdè infirma eſt vis, vel ſolùm probant contrà extraneos ratione fidei.

18 Si quid probat argumentum, probat contrà inſcios idiomatis loci beneficii Curati. Eſt juſtum etenim, ut rector populi ejuſdem linguam intelligat.

19 Peritia idiomatis populi in Curato non eſt de Jure Divino, niſi analogicè. Eccleſia in hoc defectu diſpenſat; & cur?

20 De ſolo jure eccleſiaſtica eſt, ut Curatus ſciat idioma populi, vel etiam dici poteſt de jure gentium: ſic enim ſolet ordinariè fieri.

21 In multis locis, Regnis, & Regionibus, excluduntur à beneficiis curatis inſcii idiomatis populi, quem regere debent.

22 In Regno Neapolis, non excluduntur ab Epiſcopatibus inſcii linguæ vernaculæ. Undè argumentum nihil probat contrà extraneos.

23 Etiam ſi textus, in objectione allegati, ſignificarent excluſionem extraneorum, non ideò hi excludendi eſſet de jure divino.

24 Exempla referuntur, ex legibus canonicis, & civilibus, & ex Patribus, ubi aliqua dicuntur de jure divino, quæ tamen propriè talia non ſunt.

25 Cum de aliquâ rè eſt exemplum, non verò præceptum in Scripturis, id non eſt de jure divino. Tale eſt, quod electio Antiſtitum coràm populo fiat.

26 Non eo ipſo, quod aliquid dicitur ab Auctoribus de jure divino exemplaritèr, ſtatìm inferendum eſt, id formalitèr, & theologicè eſſe tale.

27 Tertia objectio, eſt ex Oſea, ubi dicit, ipſi regnaverunt, & non ex mè, quod verificetur de beneficiis, quæ extraneis conferuntur.

28 Oſeas loquitur de populis, Regem eligentibus contrà Dei propoſitum. Permiſſio alicujus rei non illam juſtificat.

29 Vel Oſeas invehit contrà provectionem Jeroboam, à Deo non prælecti. Hoc autem nil afficit quoàd excluſionem extraneorum à beneficiis.

30 Propheta carpit Reges Hebræorum, non ut extraneos, ſed uti malis artibus promotos. Undè hìnc nil infertur contrà extraneos, quoàd beneficia.

31 Textus Oſeæ ab aliquibus adhibetur ad ſignificanda beneficia, ſed non in ſenſu, beneficiarios, origine extraneos, reprobante.

32 Ipſis verbis coarguuntur Clerici mali, quorum vitia eſſe poſſunt etiam in indigenis: & ſic verba illa non plectunt ſolos extraneos.

33 Ebbonis exprobratia nihil probat contrà extraneos, non implexos ejus defectibus notos, & non excommunicatos.

34 Senſus accommodatius Scripturæ, in ratione argumenti, nihil probat. Enunciantur quidam, excellentes, in uſu hujus ſenſus.

35 Referuntur notabiles quædam Scripturæ in ſenſu accommodatia elegantèr adhibitæ.

36 Aliæ paritèr Scripturæ, in ſenſu accommodatio lepidè, & feſtivè adhibitæ recenſentur.

37 Quarta objectio, eſt ex libro Sapientiæ, ubi dicitur, quod ſtabunt juſti adversùs eos, qui abſtulerunt labores eorum: hocque afficiat quoàd beneficia.

38 Sa-

38 *Sapiens loquitur de Juſtis, in Cœlo glorificatis, quod nihil habet negotii cum extraneis, adipiſcentibus beneficia.*

39 *In beneficiis non datur ratio mei, & tui, nec in eis habent jus indigenę ſoli, ſed etiam extranei, ſi Conferens eos admittat.*

40 *Sapientię auctoritas prædicta ad ſummum non niſi alluſivè ſe habet, ac in ſenſu accomm' datitio: adeòque nihil probat.*

41 *Variæ auctoritates Scripturæ dantur*, quę in ſenſu accommodatitio *favent extraneis, ut & ipſi obtineant eccleſiaſtica beneficia.*

42 *Ex quatuor Objectionibus præfatis, è veteri teſtamento ſumptis, non infertur, extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos.*

1\. Q*VI dicunt exinanite, exinanite, uſque ad fundamentum in ea* (*a*) Nos alliciunt, ut poſtquàm duobus præcedentibus Tomis libertatem Eccleſię in conferendo ſacras prębendas, & eccleſiaſtica beneficia, etiam Clericis extraneis inconcuſsè probavimus; Nùnc argumenta, eidem libertati obviantia; & quidquid in oppoſitum à Contradictoribus proponitur, efficacibus reſponſionibus evertamus. Quâ in rè ut methodicè procedamus; notum eſſe cenſemus, quod ordo in verbis adhibitus, opem dat intellectui rerum illarum, de quibus habetur ſermo (*b*). Quarè operæ pretium eſt, ut & nos hic ordinem aliquem ſtatuamus, in præſentium Objectionum diſſolutione ſervandum, ad hoc, ut ipſa methodus, quâ rem tractamus, & materiæ lucem præbeat, & ab illâ omnem confuſionem deordinationis avellat. In hoc autem deliberavimus morem gerere Contradictoribus, & talem tenere ordinem, qualem, quantum fieri potuit, obſervavimus fuiſſe ab ipſiſmet in eorum lucubrationibus cuſtoditum. Adeòque primo loco Argumenta, ſeù Objectiones proponemus, & diſſolvemus, ex *Sacrâ Scripturâ* depromptas. Secundo, *Theologicas*. Tertio, ſumptas ex *Sacris Conciliis*. Quarto, deductas ex *Sanctis Patribus*. Quinto, *Legales*. Sexto, *Hiſtoricas*. Et ſeptimo, *Politicas*. Porrò, quoad prioris ſpeciei Objectiones, hoc habent Contradictores, ut (dictum ſit; cum bonâ illorum pace) non ſemel utentes fragminibus Scripturarum, eas trans naturalem illarum ſenſum inflectant; nec graventur ſtylum torquere illarum, atque divinæ vocis adulterare ſermonem, ut in eorum ſententiam textus pertrahant reluctantes. Verùm hac fucatâ ſpecie rationis, veritati vim facientes, perperam de veritate ſibi favente blandiuntur; perperam quoquè de Scripturâ, tamquàm pro illis perorante, præſumunt: nec aliud faciunt, niſi ut dum per eos *Scripturæ bonæ intelliguntur non benè; & quod in eis non benè intelligitur, etiàm temerè, & audactèr aſſeratur* (*e*). Itàque promptuarium, ex quo Contradictores prima argumentâ prò libertate Eccleſiæ detrahenda in collatione beneficiorum, etiam Clericis extraneis, excerpunt; ſunt Biblici libri, & ſacra verba, in illis, Spiritu Sancto ſuggerente, perſcripta: quorum vim aliorſum à vero ſenſu diſtorquent, ſanamque intelligentiam captioſitate ingenti fatigant, ut ea in comprobationem ſui vaniloquii diſtendant. Illorum proindè nùnc ſuggeſtiones audire oportet, ac, Deo dante, diluere. Nos etenìm remur illas poſſe ab exiguitate noſtrâ, nedùm diſſolvi, ſed etiam uſque ad fundamentum exinaniri, & ut lutum platearum deleri, quinimò & in præſidium doctrinæ, ac opinionis noſtræ aſſumi, ut ſic tandèm ſpoliis Egyptiorum, Dei Tabernaculum exornetur.

(a) *Pſalm. 136. num. 7.*

(b) *Jo. Mar. Novar. quæſt. forenſ. l. 1. q. 113 nu. 3. Ric. dec. 275. n. 4. p. 2. Surd. de aliment. tit. 5. qu. 4. num. 17.*

(e) *S. Auguſt. tract. 18. in Joan.*

2\. Arguunt ergò *primo loco* Contradictores ex verbis Domini, in Deuteronomio per os Moyſis præcipientis, *non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus* (*d*). Per quæ verba, licèt divinâ juſſione interdictum fuerit Judæis, ne viros alienigenas ad eorum Regnum proveherent; tamèn ratio excluſionis extraneorum, quę militat prò Regno, urget etiàm pro Sacerdotio. Hinc

(d) *Deuter. cap. 17. num. 15.*

S. Thomas, quærens, an in diſpenſatione rerum ſpiritualium locum habeat perſonarum acceptio, tùnc maximè, cum ſecundùm ſtatuta Eccleſiæ eligendus eſt aliquis de græmio Eccleſiæ; reſpondet, quod non, *quià ille, qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, ut in pluribus conſuevit eſſe utilior, quantùm ad bonum commune, quià magis diligit Eccleſiam, in quâ eſt nutritus, & proptèr hoc etiàm mandatur Deuteron. 17. Non poteris alterius gentis hominem facere Regem* (a). Ubi cum S. Doctor adaptet hunc Deuteronomii textum diſtributioni præbendarum, textus autèm Divinus ibi interdicat admiſſionem alienigenarum ad Regnum: patet, quòd etiam excluſio extraneorum à Sacerdotiis in eodem divino jure fundatur: & ſic de jure divino eſt, ne beneficia eccleſiaſtica, ſeù ſacerdotia à viris extraneis, ſed ſolùm ab indigenis poſſideantur, & conſequentèr non eſt liberum Eccleſiæ, beneficia eccleſiaſtica Clericis extraneis elargiri.

3. Reſpondetur primò, hunc textum perperam à Contradictoribus allegari, quippè ad caſum neutiquam facit. Nàm ibi loquitur Moyſes de conſtitutione Regis, non verò de provectione Sacerdotis. Et ſicut ad Sacerdote ad Regem, atque à Rege ad Sacerdotem, nec valet paritas, neque tenet conſequentia, quippè à diverſis non ſit illatio (b); Ità à modo in promotione unius tenendo, non probatur neceſſitas methodi in electione alterius obſervandæ. Aliâ enim viâ in veteri Teſtamento Reges populi, à Deo electi, & per Moyſen ab Egypto ad Terram promiſſionis traducti, cui & legem dedit, in Exodo, Levitico, & Numeris deſcriptam, & poſt 38. annos in Deuteronomio repetitam, & explicatam (c); aliâ, inquam, viâ Reges populi Hebræorum Regnum iniere; & aliâ Pontifices adepti ſunt Sacerdotium. Reges ex diverſis Familiis, & Tribubus aſſumpti ſunt: Saul de Tribu Beniamin (d), David de Tribu Judâ (e), Jeroboam de Tribu Ephraim (f), & ſic de aliis. Itèm Reges aliquandò fuerunt à Prophetis Domini deſignati, uti Saul, & David à Samuele (g), Jeroboam ab Ahiâ (h), Jehu ab Eliâ (i). Aliquandò fuerunt ab extraneis Regibus conſtituti, uti Joachim à Pharaone Rege Egypti (l), & Sedecias à Nabucodonoſor Rege Babylonis (m). Aliquandò propriâ vi, ac tyrannidè ſic egerunt, ut Regnum ab initio unicum, & deindè in duo diſciſſum, quorum unum Regnum Juda dicebatur, & alterum Regnum Iſrael (n); & adepti ſint, ac tenuerint: abominante Deo per Oſeam illorum intruſionem, his verbis, *ipſi regnaverunt, & non ex mè* (o). Uti Athalia in Regno Juda (p), Zambri (q), Sellum (r), Manahem (s), Phacee (t), & Oſee in Regno Iſrael (u). Aliquandò verò, & regularitèr, Reges acclamationibus, & ſuffragiis populi provecti ſunt, uti de Salomone (x), Roboamo (y), Ochoziâ (z), Joſiâ (aa), Joachaz (bb), & Oziâ (cc), conſtat in Scripturis. Erat demùm in utroque Regno jus hæreditariæ ſucceſſionis, & hac ratione Salomon, Roboam, Abiam, Aſa, & alii in Regno Judâ: Nadab, Ela, Achab, Ochozias, Joram, Joachaz, Zacharias, & alii in Regno Iſrael, ſuis parentibus ſucceſſerunt. Diverſis itaque modis Reges Hebræorum ad thronum Regium ſibi paraverunt acceſſum.

4. At verò Pontifices antiquæ legis, non aliundè, nec aliâ viâ, quam hac unâ hæreditariæ ſucceſſionis, Primogenitis inhærentis, & ex ſolâ Tribu Levi, ac ex ſolâ familiâ Aaronis, ad Summum Sacerdotium pervenere. Ità ordine ſucceſſivo, de patre in filium, vel de fratre in fratrem, deſcendente; poſt Aaronem Pontificatum auſpicati ſunt Eleazar, Phinees, Abiſue, Bocci, Ozi, qui quatuor ex Eleazaro filio Aaron deſcenderunt. Deindè Heli, Achitob, Achias, Achimelec, & Abiathar, qui ex Ithamaro, altero filio Aaron, profluxerunt. Poſteà rediit Pontificatus ad familiam Eleazari in Sadoc, Achimaas, Azariâ, Amariâ, Jojadâ, & aliis uſque ad Sarajam, ductum captivum in Babylonem, cum Sedeciâ Rege. Poſt captivitatem Babylonicam, Pontificatum adeptus eſt Joſedec, ex eadem familiâ Eleazari, cui ſucceſſerunt Joacim, Eliaſib, Jojada, Jothan, Jaddo, & alii ſubſequentes, omnes ab Aarone deſcendentes, qui erat ex Tribu Levi, exceptis Menelao, & Lyſimacho fratribus, de Tribu Beniamin, qui poſt Jaſonem, fratrem Oniæ, Pon-

(a) S. Thomaſ. 2. 2. qu. 63. art. 2.
(b) L. ult. in fin. & ibi Bartol. ff. de calumniator. l. Papinianus ff. de minor. l. naturalem §. nihilominus ff. de acquir. poſſeſ.
(c) Vid. Cornel. à Lapid. in Deuteron. Argumen. §. Poſtea.
(d) 1. Reg. c. 9. num. 1. & c. 10. nu. 20.
(e) Ruth cap. 1. num. 2. & cap. 4. num. 22.
(f) Cornel. à Lapid. in 3. Regum 11. 26 & ibidem Mendoza Annot. 3. ſect. 7.
(g) 1. Regum c. 9. nu. 16. & c. 10 num. 1. & c. 13. nu. 13 & c. 16 num. 12.
(h) 3. Reg. cap. 11. num. 31.
(i) 3. Regum c. 19. num. 15. & 4. Regum c. 9 num 2.
(l) 4. Regum cap 23. num 34.
(m) 4 Regum cap. 24 num 15.
(n) 3. Regum cap. 12. num. 19. &c.
(o) Oſee cap. 8. num. 4.
(p) 4. Regum cap. 11 num. 1.
(q) 3. Regum cap. 16. num 9.
(r) 4. Regum cap. 15 num. 10.
(s) 4. Regum cap. 15 num. 14.
(t) 4. Regum cap. 15. num. 25.
(u) 4 Regum cap. 15 num. 30.
(x) 1. Paralip. cap. 29. num. 23.
(y) 3. Regum cap. 12 num. 1.
(z) 2. Paralip. cap. 22. num. 1.
(aa) 2. Paralip. cap. 33. num. 25.
(bb) 2. Paralip. cap. 36. num. 1.
(cc) 2. Paralip. cap. 26. num. 1.

Digitized by Google

Pontificatum malis artibus invaſerunt, & citò etiam illum amiſerunt, ſuffecto Alcymo, ex familiâ Aaronis, & aliis ex eâdem cognatione uſque ad adventum Chriſti. Sacerdotes pariter, & Levitę non niſi ex ſolâ Tribu Levi (*a*), & ex ipſius Levi poſteris, per Gerſon, Caath, & Merari, aſſumpti ſunt: Ex quorum ſecundò, nempè ex Caath per Aram nati ſunt Moyſes, & Aaron: ità ut, manantes à Gerſon, Merari, & Moyſe Levitatum; profluentes verò ab Aarone, Sacerdotium obtinerent (*b*). Si ergò talis, & tàm diverſa erat in veteri teſtamento ratio conſequendi Sacerdotii, & Regni; profectò lex ſervanda in provectione Regis, nihil afficit pro Sacerdotio in veteri fœdere conferendo, & multò minùs pro eodem in lege gratiæ adipiſcendo.

5. Hocque eo vel maximè, quod lex vetus cum Evangelio immutata eſt, primaque jàm prorsùs ceſſavit, nàm, ut ait Theodoretus, *ſupervacaneus eſt lychnus, ſi Sol apparuerit* (*c*), & D. Bernardus, *prodeunte fructu, flos decidit* (*d*). Decidit, inquam, propter adventum Chriſti, qui novam legem veteri ſubrogavit: undè dicitur in Evangelio: *Lex, & Prophetæ uſque ad Joannem* (*e*), & in epiſtolâ ad Hebræos: *Translatio Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat &c. Et dicendo novum, veteravit priùs: quod enim antiquatur, & ſeneſcit, propè interitum eſt* (*f*). Quarè ex præceptis legis Moſaycæ non poteſt legitimè ſubinferri ratio neceſſariò tenenda in lege gratiæ, quâ nùnc ducimur. Omnia ſiquidem præcepta cæremonialia, & judicialia, ſunt jàm penitùs abrogata, uti probant D. Thomas (*g*), Bellarminus (*h*), Bencanus (*i*), & alii, polemicè de his agentes. Præcepta verò Moralia, & doctrina fidei, in veteri lege tradita, nunc adhuc vigent (*l*). Itàque licèt in creatione Regis, fuerit in lege Moyſi definitum, nè quiſquam extraneus ad ſolium Regale provehi poſſet; hoc nihil omninò prævalet, ut legitimè concludatur, quod nec etiam ad Sacerdotium legis evangelicę, neque ad hujus præbendas, & beneficia, poſſint extranei promoveri.

6. Reſpondetur ſecundò, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, & paritatem, propter diſparitatem, & rationem, in pręcedenti reſponſione allegatas. Verùm dato etiam, ſed non conceſſo, quod propoſitus textus, *non poteris alterius gentis hominem Regem facere* (*m*), aliquid afficeret in negotio, de quo agimus; tamen cùm juxtà D. Hilarium, *intelligentia dictorum ex cauſis ſit ſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus* (*n*), tota vis objecti textus evacuatur, ſi ratio perpendatur, ob quam dictum præceptum, à Moyſe Deuteronomii libro fuit inſertum. Ratio, inquam, eſt hæc, quod ideò non erat licitum Judæis conſtituere ſibi Regem Alienigenam, quià Rex intèr alios ritus, in ſuâ inauguratione ſervandos, debebat jurare obſervantiam legis Moſaycę, juxtà id, quod profeſſus eſt David, Regum optimus, *juravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuę* (*o*). Dabatur etiam ei in manu liber Deuteronomii, in quo erat Lex Dei ſcripta, & ità Regi Joas, cum proveheretur ad Regnum, Jojada Sacerdos, & Levitæ *dederunt in manu ejus tenendam legem, & conſtituerunt eum Regem* (*p*). Litabantur demùm prò novo Rege pacifica ſacrificia: & hoc modo, cum Samuel, & Populus primùm Saulem ad Regnum Iſrael provexerunt, *fecerunt Regem Saul coram Domino in Galgalâ, & imolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino*(*q*).

7. Cæteri quidem ritus, in Regum provectione obſervandi, nempè quod futurus Rex in ſolio Regio collocaretur (*r*), quod ungeretur à ſummo Sacerdote (*s*), quod poneretur Diadema ſuper caput ejus (*t*), quod clamaretur à populo: Vivat Rex (*u*), quod ederentur varia lætitiæ ſigna (*x*); Hi quinque ritus, inquam, poſtremi, poterant in provectione viri alienigenę ad Regnum Iſraeliticum obſervari. At primi tres ritus, videlicèt ſacrificia prò extraneo celebrandi, ponendi in ejus manu epilogum Legis Dei, & illius obſervantiam jurandi, ab eo nec poterant rationabiliter exigi, nec valebant, ſalvâ dignitate divini honoris, redigi ad praxim. Vel etenìm hęc non feciſſet, neque juraſſet, vel probabilitèr non ea obſervaſſet Rex infidelis. Jubebat lex: *poſtquàm ſederit Rex in ſolio Regni ſui, deſcribet*

(a) *Num. cap. 3. nu. 12. & cap. 8. nu. 5.*

(b) *1. Paralip. cap. 13 num 14. Cornel. à Lap. in Exodi c. 29. 11.*

(c) *Theodoret. in epl. ad Philippenſ. 3.*

(d) *S. Bernard homil. 1. in Laud. Virginis to. 1. fol. 17.*

(e) *Luc. cap. 16. nu. 16.*

(f) *Hebræor. cap. 7. & 8.*

(g) *S. Thom. 1. 2. qu. 103. art. 3.*

(h) *Bellarm. tom. 4. de Juſtific. l. 4. c. 4. §. Eſt autem.*

(i) *Becan. Analog. vet. Teſtam. cap. 5. qu. 8*

(l) *Vaſquez. Opuſc. de benef. c. 1. dub. 1. n. 1*

(m) *Deuter. cap. 17. num. 15.*

(n) *S. Hilar. de Trinit. lib. 4. fol. 31 § nemini.*

(o) *Pſalm. 118. num. 106.*

(p) *2. Paralip. cap. 23 num. 11.*

(q) *1. Regum cap. 13. num. 15.*

(r) *3. Regum cap. 1. num. 24.*

(s) *3 Regum cap. 1. num. 39. & 2. Paralip. cap. 2 num. 12.*

(t) *4. Regum cap. 11 num. 12. & 2. Paralip cap. 23. num. 11.*

(u) *5. Regum c. 10. num. 24. & 3. Regum cap. 1. num. 39. & 4. Regum cap 11. num. 12.*

(x) *1. Regum cap. 11. num. 15. & 3. Regum cap. 1. num. 40.*

bet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticę Tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Deum Dominum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias ejus, quæ in lege pręcepta ſunt (*a*). Hęc autèm quis credat à Rege alienigenâ fidelitèr adimplenda? Denique ſi Rex fuiſſet Gentilis, quià *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, facillimè adduxiſſet ad Paganiſmum Judæos, proniſſimos ad Idololatriam: quam eis vix Jeroboam, primus Rex Iſrael, propoſuit, & eam avidè ſunt amplexi (*b*), illamque contumacitèr tenuerunt, & alicubi exercuerunt, per totum temporis intervallum, quo Reges Iſrael perdurarunt (*c*), decem Tribubus imperantes, quæ à Regno Judâ ſub Rege Roboam defecerunt (*d*). Proptèr has ergò cauſas, & quidèm urgentiſſimas, ac rationi valdè conſonas, prohibitum fuit Hebręis virum aliquem, à Judaiſmo extraneum, tęniis Regalibus adornare, quippè illas ſinè detrimento honoris Dei, & ſinè periculo perverſionis populi, nec poterat adipiſci, nec ſucceſſivo tempore retinere.

8. Quarè, admiſſo etiam toto ſimùl argumento, ex Deuteronomii textu deprompto, adhùc nihil omninò adversùs nos concluditur: quandoquidem textus loquitur de extraneis ratione fidei, talitèr ut prohiberet, nè qui fuerat uſque tunc Idololatra, vel ex Idololatris progenitus, aſſumi poſſet ad Regnum filiorum Iſrael: non verò loquitur de extraneis ratione originis, vel incolatus civilis. Certè fuit de jure divino inhibitum, nè Regnum Hebræorum daretur viro Idololatrę, Pagano, & de genere Gentium, extranearum ab illâ fide, quam dedit Dominus per Moyſen populo Iſrael: adeòque non niſi intruſus fuit Herodes Aſcalonita, Puerorum innocentium trucidator, Idumerus origine (*e*), uti filius Antipatri, qui in Aſcalone urbe Philiſtinorum, cujuſdam Idolorum Templi Edituus fuiſſe narratur (*f*). Herodes namque ipſe Regnum Judeę tenuit, ſed quemadmodùm fuit primus ex alienigenis, qui ſerto illo Regio inceſſerit redimitus; ità & in eâ rè fuit quoque poſtremus: quippè nullus ex deſcendentibus ejus integritate Regni paterni potitus eſt. Herode namquè Aſcalonitâ defuncto, cum Archelaus, & Herodes Antipas, filii ejus, de ſucceſſione in Regno patris contenderent; Octavianus Auguſtus litem decidendam commiſſit Cajo Cæſari, ejus ex Juliâ filiâ nepoti, qui neutri Regnum adjudicandum cenſuit, ſed in quatuor partes diſcindendum, ſivè in totidem Toparchias, dictas à quaternario numero, Tetrarchias; quatuor Aſcalonitæ filiis ſuperſtitibus concedendas, quarum unam, Judæam dictam, tradidit Archelao: alteram, Galilęam vocatam contulit Herodi Antipę: tertiam Trachonitidem, Philippo dedit: & quartam Abylynam, Lyſanię conceſſit (*g*). Ita Judeę dominium poſt Herodem Aſcalonitam adeptus eſt Archelaus, non ut Rex, ſed ut Toparcha: eoque novennio, ſivè decennio poſt amoto, & ad Viennam urbem Galliæ relegato (*h*); Judeæ deputati ſunt Præſides ab Auguſto. Herodi autèm Antipę, qui S. Joannem Baptiſtam decollavit, & Chriſtum albis veſtibus indutum illuſit (*i*), obtigit, ut innuimus, Tetrarchia Galileæ, in quâ ſucceſſivè titulum quoquè, ac inſignia Regalia ab Imperatore conſecutus eſt (*l*). Quem paritèr honorem cum dominio quoque Judeæ, deindè ſibi obtinuit à Claudio Cæſare Herodes Agrippa ſenior, qui S. Jacobum Apoſtolum interemit, ac S. Petrum carceri mancipavit (*m*), fuitque filius Ariſtoboli, filii Herodis Aſcalonitę (*n*), itidemquè fuit Pater Herodis Agrippæ Junioris, qui D. Pauli Auditor fuit, & Judex (*o*). Hinc Herodes Antipa præfatus Aſcalonitæ filius, & Herodis Agrippæ ſenioris Patruus, dictus fuit Rex ſylveſter, uti natus ex ſylvâ alienigenarum (*p*). *Non enim* (ait de illo S. Cyprianus, aut quiſquis eſt Auctor expoſitionis ſymboli, quæ intèr opera D. Hieronymi circumfertur) non inquam, *erat Herodes de domo Iſrael, nec de illâ vineâ Iſraeliticâ, quam eduxerat Dominus de Ægypto, & plantaverat in cornu olei, in loco uberi, ſed erat ſylveſter, ideſt ex ſylvâ alienigenarum, quaſi qui de Iſraeliticę vitis nequaquam palmitibus pullulaſſet* (*q*). Quemadmodùm autem fuit de jure divino, nè viri, alienigenæ à fide Judæorum, eſſent Reges populi Hebraici; ſic etiam nùnc eſt de jure

(a) *Deuter. cap. 17. num. 18.*

(b) *3. Regum cap. 18. num 26.*

(c) *Beran. Analog. vet. Teſtam. c. 16. qu 3. num. 2.*

(d) *Vid. Mendoz. in tom 1. lib. Regum Annot præm. ſect. 10. num 6 ſ 87.*

(e) *Joſeph. Antiq. Judaic l 14 cap. 2.*

(f) *Toſtat. in Matth. 14 qu. 3.*

(g) *Lucæ 3. 1. vid Cornel. à Lapi l in. Matth. 2. 22 Joſeph. antiq Judaic. l. 10. c. 10*

(h) *Toſtat. loc. cit. in Matth. 14 qu. 4. Cornel. à Lapi l. loc. cit.*

(i) *Lucæ cap. 23. num 11.*

(l) *Cornel. à Lape loc cit. §. Herodi.*

(m) *Actor. cap. 12. num. 11.*

(n) *Cornel. à Lap. in Matth. 2. 22. § Herodi.*

(o) *Actor. cap. 25. & ſequent.*

(p) *Franc. Mendoz. in lib. 1. Reg. Annot. 3. præm. ſect. 10. num 8. ſ. 86.*

(q) *S. Cyprian. in expoſit. Symboli.*

re divino, quod ad Regna catholica non poſſint viri Idololatræ, vel à fide extranei promoveri, ut proteſtatus eſt Innocentius Papa III. Duci Carinthiæ, de Principe in Imperatorem eligendo ſcribens, *nunquid ſi Principes, non ſolùm in diſcordiâ, ſed etiam in concordiâ, ſacrilegum quemcumque &c., vel Hæreticum eligerent, aut Paganum; nos inungere, conſecrare, ac coronare hominem hujuſmodi debemus? Abſit omninò* (a).

9. Paritèr eodem modo, quo ad Regnum eligi virum alienigenam, nempè infidelem, interdictum fuit in veteri lege; ità fuit & interdictum eligi ad Sacerdotium virum alienigenam, nempè infidelem: & ſi electus fuiſſet; electio carviſſet effectu: vel ſi poſt electionem, à fide defeciſſet; fuiſſet à Sacerdotio deponendus, quemadmodùm Alcimus, tametſi ex Tribu Levi, & ex familiâ Aaronis deſcenderet (intruſus alioquin à Rege Pagano) etiam ſi de facto non fuiſſet intruſus; tamèn quià poſt ſuſceptum Pontificatum, ad vitam alienigenarum pertranſiit, & Gentilium ritibus ſe commiſcuit; meritò nactam dignitatem amiſit (b). Subipſo themate, ac ex motivo integritatis fidei cuſtodiendæ, etiam nùnc de jure divino eſt, quod beneficia eccleſiaſtica dentur ſolis indigenis quo ad fidem, ſcilicèt ſolis Clericis Chriſtianis, & Catholicis, gratiam, & communionem Sanctæ Romanæ Eccleſię tenentibus: itàut nullus Collator, vel ad ea Nominator, poſſit beneficia Hæretico, vel Saraceno, aut Hebræo, ſivè Schiſmatico impertiri, & collata extraneo à fide, ipſo jure vacent (c), uti docet Pennafiel, de virtute fidei divinę, hoc modo: Hęretici privantur officiis, & beneficiis, *hujuſmodi enim privatio juſtè decernitur in cap. ut commiſſi §. privandi de hęret. in 6. cap. ſtatutum. Vndè Hæreticus privatur ritè acquiſitis, & redditur inhabilis ad futura: quarè ſi iſtis conferatur beneficium, collatio eſt irrita* (d).

10. Integrâ namque fide carentibus obſtat divinum præceptum, *non poteris alteriusgentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus* (e), quod licet literalitèr de ſolo Regno loquatur; tamen etiam verificatur, & congruè potuit à D. Thomâ applicari Sacerdotio (f), quià idem periculum, quod reſultat fidei à Rege infideli; advenit etiam illi à Sacerdote, falſam religionem ſequente: nec juſtum eſt, ut præbendis eccleſiaſticis augeatur, qui ab Eccleſiâ, ob defectum fidei, eſt extraneus. At hoc totum non excludit à Sacerdotio, & beneficiis eccleſiaſticis viros, ex ſolâ ratione originis, & incolatus extraneos: prout de facto Menelaus, & Lyſimachus Fratres Pontificatum Judaicum exercuerunt (quidquid fuerit de illorum introitu: ſatis eſt nobis enim, ad effectum, de quo agimus, quod illum exercuerint), quià erant ex genere Hebræorum, licet ratione originis, ex Tribu Beniamin ductæ, eſſent extranei à Tribu Levi, ex progenie Aaron, cui Pontificatus fuerat aſſignatus (g). Rurſus Phaſſur, filius Emmer, Pontificatum Hebręorum obtinuit, teſte D. Hieronymo (h), à tempore, quo Sarajas Pontifex apud Babylonios in captivitate degebat (i), quamvis Phaſſur ipſe ex ſtirpe eſſet, à ſtirpe Aaronis extraneâ (l). Quarè argumentum, à Contradictoribus ex Deuteronomio propoſitum, nihil prorsùs probat, excludendos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis Clericos extraneos ratione originis, vel incolatus; ſed ſolum tales, ratione fidei, quod nos, nedùm non impugnamus, ſed etiàm ultrò concedimus.

11. Reſpondetur tertiò pręceptum in allegato textu Deuteronomii contentum, non fuiſſe abſolutum, ſed conditionatum, & intelligendum eſſe in ſenſu compoſito, non verò in ſenſu diviſo: ideſt verum eſſe, quatenùs extraneus in Gentilium infidelitate maneret. Nam ſi, Paganiſmo abjurato, ad Circumciſionem, & legem Hebraicam pertranſiſſet; optimè illum potuiſſe in Regem eligi opinamur: hocque ſuademus inductione ad alias res Judæorum. Etenim Gentiles non poterant Phaſe Domini facere, neque comedere: ſed tamen ſi, infidelitate abjectâ, & Idolis conculcatis, Circumciſionem, & legem Moyſi amplecterentur, optimè ad Phaſe celebrandum admittebantur (m). Textus eſt clarus in Exodo, dicens. *Hæc eſt religio Phaſe. Omnis alienigena non comedet ex eo &c. Quod ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit*

tranſire

(a) *Cap. Venerabilem 34. §. Verùm de Elect.*

(b) 1. *Machab. cap.* 14. *nu.* 3.

(c) *Cap. quicumque* 2. *de hęret. in* 6. *Paul* 4 *conſtit.* 19. *S. Pius V. conſtit.* 19.

(d) *Leonard. Pennafiel tom.* 3. *diſp.* 13. *ſect.* 8 *num.* 348.

(e) *Deuter. cap.* 17. *num.* 15.

(f) *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 63. *art.* 2. *ad* 4.

(g) 2. *Machab. cap* 4 *nu* 24. & 41.

(h) *S. Hieron. in Jerem cap.* 20. *nu.* 1. & 3.

(i) 4 *Regum cap* 25. & *Jerem. cap.* 5. *nu.* 2. & 25.

(l) *Cornel. à Lap. in Jerem. cap.* 20. *nu.* 1.

(m) *Numeri cap.* 9. *num.* 14. & *cap.* 15. *nu.* 13. & *Levit. capit.* 17. *num.* 13.

tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum ejus, & tunc rite celebrabit, eritque ſicut indigena terræ. Si quis autem circumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ, & colono, qui peregrinatur apud vos (*a*). Non dicimus, quod potuiſſent Proſelyti ad Sacerdotium promoveri, & munera Sacerdotalia exercere: ſed arguendo à pari, à quo legitima deduci ſolet argumentatio (*b*) probamus, quod aliquę referant in lege Hebraicâ, ad quas non poterant admitti Pagani in ſtatu Paganiſmi, poterant vero admitti, ſi fuiſſent ad Judaiſmum converſi, quemadmodum erat celebratio Phaſe. Ex quâ rò ſubindè hanc deducimus paritatem: ſicut alienigenæ, ab infidelitate deſcedentes, ſtatim ac proſelyti fiebant in lege Domini, admittebantur ad Phaſe Hebraici populi, ſic & cur ad eorum Regnum non potuiſſent admitti? Nulla eſſe videtur major ratio, quę ab uno excluderet, quam ab alio, cum utrobique prohibitio concepta ſit ſub terminis negativis; adeòque una non videtur eſſe fortior, quam alia. Quapropter hìc recurrit vis prætéritę reſponſionis, nempè excluſionem extraneorum à Regno limitatam fuiſſe ad extraneitatem ratione fidei, non verò ad extraneitatem ratione originis: extraneitatem autem ratione fidei ideò ſub hoc pręcepto fuiſſe poſitam, quià periculum involuebat ſubverſionis ipſius fidei: quæ quoniam in proſelyto ceſſaſſet; propterea hìc potuiſſet ad thronum Regium elevari. Et ità textus eſt intelligendus in ſenſu compoſito, non verò in ſenſu diviſo.

12. Sic & Judæis non licebat fœdus inire cum infidelibus, ne ex tali fœdere, & ſocietate vergerent ad Idololatriam, & deſererent cultum Dei (*c*). Sed tamen, hoc periculo ceſſante, utique poterant cum Gentilibus fœderari; prout de facto fœdus inierunt Aſa Rex Juda cum Benadad Rege Syriæ (*d*): Judas Machabęus cum Romanis, tunc Gentilibus (*e*), & alii cum aliis, quià res eorum tunc erant in tali ſtatu poſitæ, & tales fuerant interpoſitæ præcautiones, ut nullum indè poſſet fidei Hebræorum periculum imminere. Pariter illicitum erat Judæis accipere Uxores alienigenas, ne illarum amore capti, ad cultum Idololatricum proſilirent (*f*); prout fecit Salomon, cujus, cum jàm eſſet ſenex, *depravatum eſt cor per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos* (*g*). Tamen ſi fœminæ, relictâ Gentilitate, ad cultum veri Dei pertranſibant; poterant filii Iſrael eaſdem ſibi matrimonio copulare (*h*), Et ità Moyſes duxit filiam Jethro Æthiopiſſam (*i*). David, filiam Regis Geſſur (*l*). Booz, Ruth Moabitidem (*m*). Salmon, Rahab Chananæam (*n*), & alii alias, de quibus in ſcripturis (*o*), quippè cum fœminæ illæ, Idololatriæ cultu abdicato, veram fidem Moyſi ſuſcepiſſent; nullum Judæis, illas ducentibus, diſcrimen perverſionis fidei, nullumque divino honori, periculum imminebat.

13. Eo itaquè jure, quo illicitum erat alienigenis admitti ad Phaſe, ad Sacrificia, & ad Matrimonia Hebræorum, illicitum etiàm erat ad thronum eorum Regium promoveri: ſi autem, non obſtante dicto interdicto admiſſionis ad Phaſe, ad Sacrificia, & ad Matrimonia; præceptum non afficiebat, quoties periculum perverſionis fidei deerat, vel diminutionis divini cultus; à pari etiàm præceptum excluſionis alienigenarum à Regno Iſrael nihil urgebat, quando idem periculum perverſionis fidei, & diminutionis divini cultus, deficiebat: ſicque extraneitas, arcens à Regno Hebræorum, & in Textu Deuteronomii ſancita, erat extraneitas ratione fidei, non verò extraneitas ratione originis, vel incolatus. Non quod Deus non poſſet prohibere, etiam extraneitatem ratione originis, & incolatus, ſed quod verba prohibitionis, ità congruè interpretari poſſe videntur, ut ſolam extraneitatem ratione fidei comprehendant. Et ità ſi ex dictâ extraneitate, ſecundùm Contradictores, facienda eſt illatio à Regno ad beneficia eccleſiaſtica; jàm patet, quod nedùm per eos non probatur, eſſe ablegandos ab ipſius beneficiis extraneos, ſed imò potiùs extraneos eſſe ad beneficia, & præbendas eccleſiaſticas admittendos, undecumque veniant, & ubicumque morentur, dummodò non ſint extranei ratione fidei. Cum autem Clerici extranei, de quorum excluſione à beneficiis nunc agitur, non ſint extranei ratione fidei, ſed ſolùm ratione originis, vel incolatus; liquet quod

argu-

(a) *Exod. c. 12. n. 43. & 45.*
(b) *Cap. inter corporalia c. ſicut ergò de transl. Epiſc. l. ſi ſocer. in fin. ff. ſoluto matrim.*
(c) *Exod. c. 34. n. 12 Joſue c. 23. n. 12 Judic. c. 2. n. 2.*
(d) *2. Paralip. c. 16. n. 2.*
(e) *1. Machabæor. c. 8. n. 1.*
(f) *Exod. c. 34. n. 16 Joſue c. 23. n. 12. Deuter. c. 7. n. 3.*
(g) *3. Regum c. 11. n. 4.*
(h) *Vid. Serarium in Joſue cap. 6. & Becan. Analog. Veter Teſtam. c. 20. qu. 6. n. 4.*
(i) *Exod. cap. 2. n. 21*
(l) *2. Regum cap. 3. n. 3.*
(m) *Ruth. c. 4. n. 10.*
(n) *Matth. c. 1. n. 5.*
(o) *Genes c. 30. n. 25 & c. 41. n. 45. Ruth c. 1 n. 14. Eſther. c. 2. n. 17.*

argumentum illos non percutit, & libertatem Eccleſiæ non infringit: ſicque ſtat Collatorum, & Nominatorum ad beneficia libertas, ut eadem valeant, etiam Clericis extraneis elargiri.

14. *Arguunt ſecundò* Contradictores ex eodem libro Deuteronomii, duplici in loco, primò ubi Dominus, per os Moyſis magnam conſolationem promittens in futurum populo Iſrael acceſſuram, dicit, quod Propheta, ſeù Sacerdos indigena, illis dabitur in rectorem, ab eis audiendum, & ſequendum: E contrà verò comminans ipſis mala ingentia, pollicetur futurum, ut aliquandò à viris extraneis, & alienigenis ſubjugentur, De primò ait Moyſes, *Prophetam de gente tuâ, & de fratribus tuis ſicut mè, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies, ut petiſti à Domino Deo tuo in Horeb* (a). De ſecundo verò pronuntiat: *Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedat populus, quem ignoras, ut ſis ſemper calumniam ſuſtinens, & oppreſſus cunctis diebus, & ſtupens ad terrorem eorum, quæ videbunt oculi tui* (b). Et infrà, *Adducet Dominus ſupèr tè gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non poſſis* (c). Ejuſdem maledictionis vim Jeremias ipſi populo Iſrael comminatur, divino nomine improperans, *Ecce ego adducam ſupèr vos gentem de longinquo Domus Iſrael, gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem, cujus ignorabit linguam, nec intelliges quid loquatur* (d). Pertinet ergò, inquiunt, ad felicitatem populorum ſacerdotia ab indigenis poſſideri, & divinæ maledictionis pars eſt Sacerdotibus extraneis ſubjugari: hujuſmodi ſiquidem textuum contenta per Doctores ad ſignificanda beneficia eccleſiaſtica pertrahuntur. Nàm Rebuffus in praxi beneficiorum intèr plures rationes, quas congerit, ad extraneos, à beneficiis eccleſiaſticis repellendos, hanc allegant, *Imò intèr Dei maledictiones reputatur habere hominem ex alienâ gente, qui non intelligatur. Deuter. cap. 28. Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo &c. ut ſuprà* (e). Et Schifordegheus in vindiciis pro Epiſcopatibus Sileſiæ, hæc de extraneis, nè beneficiis præficiantur adducit, *quod & juri divino conſentaneum eſſe certo certiùs eſt, ut Deuteron. cap. 18. ſcriptum eſt, Prophetam de gente tuâ, & de fratribus tuis &c. Quinimò intèr maledictiones recenſetur habere hominem ex aliâ gente cap. 28. Deuter.* (f). His conſentiunt Ludovicus Gomez de regulis Cancellariæ (g), Quintilianus Mandoſius in Conſiliis (h), Auguſtinus Barboſa in Votis Deciſivis (i), Spino in Speculo Teſtamentorum (l), Azevedus (m), Maſtrillus (n), & alii, ex præfatis Scripturæ textibus inferentes, eſſe de *jure divino*, quod extraneis reprobatis, beneficia eccleſiaſtica ſolis indigenis conferantur.

15. Reſpondetur primò, utrumque textum Deuteronomii, cum alio Jeremiæ, nec etiam per umbram percutere articulum excluſionis, vel admiſſionis extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia. Nàm primus Textus, habens: *Prophetam de gente tuâ, & de fratribus tuis, ſuſcitabit tibi Dominus &c.* loquitur de adventu Meſſiæ, & de perſonâ Chriſti, uti exponunt communitèr Interpretes (o), quem futurum eſſe Prophetam, & imò apicem Prophetarum, naſciturum ex populo Hæbræorum, vaticinatus eſt ibi Moyſes, & verificatum docuit Petrus in Actibus Apoſtolorum, quandò poſt impertitam Claudo, ſedenti ad portam Templi, ſanitatem; impletiſque ſtupore, & extaſi Hebræis, ob tam inſigne miraculum; Petrus ipſe profeſſus eſt, id totum factum eſſe virtute Chriſti, à Sacris Vatibus prophetati, & à Moyſe, præfatis vocibus prænuntiati, quem ipſi Hebræi, nupèr flagellis affectum, ſupplicio Crucis afflixerant: pœniterent igitùr, ut delerentur peccata eorum (p). At hoc quid habet commune, cum collatione beneficiorum factâ extraneis, vel indigenis? Nunquìd omnes prærogativæ, quæ in perſonâ Chriſti concurrerunt, ad implendum ſuæ Miſſionis, & humanæ Redemptionis opus, debent etiàm concurrere in omnibus, & ſingulis Clericis, qui ſunt in universâ Eccleſiâ ad beneficia eccleſiaſtica promovendi? Sanè ſi Clerici, ad beneficia eccleſiaſtica promovendi, debent eſſe indigenæ, quià talis fuit Propheta ille, quem Moyſes memoratis api-

(a) *Deuter. cap.* 18. *num.* 15.

(b) *Deuter. cap.* 28. *num.* 33.

(c) *Deuter. cap.* 28. *num.* 49.

(d) *Jerem. cap.* 5. *num.* 15.

(e) *Rebuff. prax. benef. regul. quod quis intelligat idioma gloſ.* 4

(f) *Schiford. q.* 4.

(g) *Gomez in reg.* 14 *Cancel. qu.* 1. *col.* 7.

(h) *Mandoſ. conſil.* 55 *num.* 4. 5. *&c.*

(i) *Barboſ. Vot.* 33. 34. *lib.* 2. *num.* 1.

(l) *Spino Spec. Teſtam.* 3 *gloſ. princ. n.* 32.

(m) *Azeved. leg.* 14. *lib.* 3. *nov. recopil. n.* 1.

(n) *Maſtril. deciſ.* 2. *num.* 14.

(o) *Nicol. de Lyra, Oleaſter, Abulenſis, Cornel. à Lapid. & alii in Deuteron.* 18. 15.

(p) *Actor. cap.* 3. *à num* 10. *ad* 23.

cibus prænuntiavit, ideſt Chriſtus; debebunt etiàm in præſepio naſci, circumcidi, non habere, ubi reclinent caput ſuum, à ſatellitibus capi, ad columnam flagellari, ſpineâ coronâ transfigi, ac in Cruce demùm ſuſpendi, quià hæc omnia Chriſto, Prophetę recenſito, acciderunt; quis autem ſic deſipiet, ut talia pronuntiet?

16. Secundus verò textus Deuteronomii, dicens, *fructus terræ tuæ &c. comedat populus, quem ignoras &c. Aducet Dominus ſuper te gentem de longinquo &c.* cum aliis conſimilibus minis, à Jeremiâ prænuntiatis, non loquitur nec de Sacerdotibus, nec de Sacerdotiis; ſed de Populis, Principibus, & Tyrannis, Gentilibus, atque Idololatris, infeſtaturis filios Iſrael. Notum eſt enim, quòd Iſraelitę fuerunt ſæpiùs à ſuis hoſtibus laceſſiti, nempè à Syris, Madianitis, Ammonitis, Amalecitis, Philiſtæis &c. tempore Judicum. Ab eiſdem Syris, Philiſtæis, Arabibus, Moabitis, & Idumæis, tempore Regum. Ab Antiocho, Apollonio, Nicanore, Lyſiâ, Gorgiâ, Bacchide, Tryphone &c. tempore Machabæorum: & ſignantèr à Regibus Aſſiriorum, ſivè Caldæorum, Belocho, qui dicitur in ſcripturis Phul, & anxiavit Manahen Regem Iſrael *(a)*: à Salmanaſar, qui Oſee Regem Iſrael captivum duxit in Aſſyriam, ac regnum ejus ferro vaſtavit *(b)*: à Merodach, qui Manaſſen Regem paritèr vinctum catenis, duxit in Babylonem *(c)*: tandèm à Nabuchodonoſor, qui & Joachim Regem Juda jugulavit *(d)*, & Jechoniam, ejuſdem filium, Aſſyrio carceri mancipavit *(e)*, & Sedeciam, huic in Regno ſuffectum, oculis orbavit, poſtquam ſub ejus intuitu, & filios, & ſervos ejuſdem, atque famulos trucidavit, & ipſum tandem tetri carceris ſqualore cruciavit, Templum, & Regalem ędem Hieroſolymitanam, cum totâ Urbe vaſtavit, populumque, ac Regem captivos in Babyloniam traduxit *(f)*. Hæcque eſt celebris illa captivitas Baylonica, quam & Moyſes in Libris Leviticis, atque Deuteronomii *(g)*, & Eſdras, ſivè quiſquis alius eſt auctor libri quarti Regum *(h)*, & Iſaias *(i)*, & Jeremias *(l)*, & Ezechiel *(m)*, & Michæas *(n)*, & Habacuc *(o)*, prænuntiarunt, & Judæi per ſeptuaginta annorum curriculum ſunt experti *(p)*. De aliquo ex his flagellis, & in ſententiâ Cornelii à Lapide, de prędictâ vaſtitate, per Nabuchodonoſor factâ, locuti ſunt in prænuntiatis vaticiniis, vel comminationibus Moyſes, & Jeremias, in oppoſitum allegati *(q)*. Sed hæc tantum diſtant à ratione promovendi Clericos ad beneficia, illaque conferendi ſolis indigenis, quantum diſtant, juxtà regulas aſtronomicas, Zenith à Nadir: Apogęus à Perigeo; & polus Arcticus ab Antartico.

17. Reſpondetur ſecundò, quod admiſſo, ſed non conceſſo, utrumque textum, in argumento propoſitum, poſſe analogari, vel alias alluſivè pertrahi ad regulanda eccleſiaſtica beneficia; adhùc tamèn nihil probant, ſivè probarent ad excluſionem extraneorum; primò, quià præfata analogia, ſivè alluſio, non poſſet verificari, niſi in *ſenſu accommodatitio*, cujus quàm infirma, & inefficax ſit vis, ad probandam aliquam concluſionem, paulò infrà lautè oſtendèmus. Secundò, quià ad ſummum verificarentur de extraneitate, non ratione originis, vel incolatus, ſed ratione fidei; ex rationibus paulò antè recenſitis: Et ſic recurreret reſponſio hìc ſuperiùs num. 12. allegata, nempè quod per utrumque textum excluduntur à beneficiis eccleſiaſticis extranei, non utcumque, nequè ſub ratione formali extraneitatis, ſed ſolùm quatenùs ſint à fide catholicâ deficientes: Solique indigenę admittuntur, non quà in loco beneficii nati, vel permanentes, ſed quà eamdem fidem catholicam cuſtodientes, quæ in loco beneficii ſervatur. In hoc ſenſu, ſignificationem utriuſque textus, nedùm non inpugnamus, ſed etiam ultrò admittimus, & tuemur, beneficia eccleſiaſtica nullis poſſe, niſi indigenis, quoad fidem conferri. Aſt hoc non concludit intentum Contradictorum, quià non percutit cardinem difficultatis intèr nos agitatæ. Non enim quærimus, an ſint excludendi à beneficiis viri extranei à fide, ſeù depravatam religionem ſectantes, ſed extranei à loco beneficii, ratione ortus, aut incolatus, quod valdè diverſum eſt: Secunda enim extraneitas nihil commune habet cum primâ, ſed hæ intèr ſe tantum diſtant, *quantum lenta ſolent intèr viburna, cupreſſi* *(r)*.

(a) *4. Reg. cap. 15. num. 19.*
(b) *4. Reg. cap. 17. num. 6.*
(c) *2. Paralip. cap. 33. num. 11.*
(d) *4. Reg. cap. 24. num. 2. Jerem. cap. 22. num. 19.*
(e) *4. Reg. cap. 24. num 12.*
(f) *4. Regum cap. 25. num. 1. 6. & 7. Jerem. cap. 39. num. 4. & cap. 52. num 3.*
(g) *Levit. cap. 26. num. 32. Deuter. cap. 4 num. 26. & cap. 28. num 36.*
(h) *4. Reg. cap. 20. nu. 17. Sixt. Senenſ. Biblioth. Sanct. lib. 1. to. 1. fol. 31.*
(i) *Iſai. cap. 5, num. 1.*
(l) *Jerem. cap. 13. num. 29.*
(m) *Ezech. cap. 1. nu. 12. & cap. 22. nu. 5.*
(n) *Miche. cap. 1, num. 12. & cap. 4 n. 10.*
(o) *Habac. cap. 1. num. 6.*
(p) *Jerem. cap. 29. num. 10. & ibi Cornel. à Lapid.*
(q) *Cornel à Lapid. in Jerem. cap. 5, n. 15.*
(r) *Virgil. Ecloga 1. verſ. 25.*

18. Re-

18. Reſpondetur tertiò, quod rurſus dato, ſed non concesſo, quod utriuſque textus verbis poſſet aliquis color, ſivè fucus talis infundi, qui excluſionem extraneorum à beneficiis eccleſiaſticis honeſtaret; adhùc tamèn Scripturæ ſenſus non omnibus extraneis poſſet aptari, ſed illis ſolis, qui loci beneficii *ignorant idioma*, prout de facto à Rebuffo, Gomezio, Barboſâ, & aliis Auctoribus, in oppoſitum allegatis, non niſi in hac ſignificatione, ſaltèm principalitèr uſurpatur. Quod nos non impugnamus, ſed ultrò concedimus, ac certò certiùs affirmamus, intelligentiam idiomatis prærequiri in ſuſcipientibus beneficia, non ratione textuum prædictorum, cum nos pigeat, ſivè potiùs pudeat Sacras Scripturas ad tam longinquam ſignificationem pertrahere, ſed ratione ipſius Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, ſic ſonantis: *Item voluit, quod ſi contingat, ipſum alicui perſonæ de parochiali Eccleſiâ providere, ſeù mandari provideri, vel gratiam expectativam concedere; niſi dicta perſona intelligat, & intelligibilitèr loqui ſciat idioma loci, ubi hujuſmodi Eccleſia conſiſtit, proviſio, ſeù mandatum, & gratia deſupèr quoàd parochialem Eccleſiam, nullius ſint roboris, vel momenti* (*a*). Et quidem juſtè, ac juſtiſſimè: nam de ratione curæ animarum eſt, quod rector illius doceat populum, prædicet, inſtruat fideles, eiſque Sacramenta miniſtret (*b*), & ut ait D. Hieronymus, *quià ſcriptum eſt, presbyteri duplici honore honorentur, maximè qui laborant in verbo Domini* (*c*) *prædicare eos decet, utile eſt benedicere, congruum confirmare, convenit reddere communionem, neceſſe eſt viſitare infirmos, orare pro invalidis, atque omnia Dei Sacramenta complere* (*d*): quoniam autèm hæc ſinè peritiâ idiomatis perſonalitèr exerceri non valent; evidens eſt, quod hujuſmodi beneficia non poſſunt extraneis, quâ inſciis idiomatis diſpenſari.

(a) *Regul. Cancel. de idiomat.*

(b) Cap. inter de Off. Ordin.

(c) *2. Timoth. cap. 5. num. 17.*

(d) S. Hier. ad Ruſtic. cap. Ecce 6. diſt. 93.

19. Verùm hujuſmodi denegatio beneficiorum, animarum curâ præditorum, Clericis idioma ignorantibus, non eſt de *jure divino*, innixo teſtibus, per Contradictores oppoſitis, ſed de ſolo jure eccleſiaſtico, & fortè etiam de jure gentium, quatenùs ità ubilibet ordinariè obſervatur: quamquàm, & quodammodò remotè, analogicè, & alluſivè, poſſet etiam dici de jure divino, ſumpto motivo ex Actibus Apoſtolorum, ubi ſupèr Apoſtolos, ad mundum ſuis prædicationibus convertendum, cælitùs deſtinatos, cælitùs etiam Spiritus Sanctus in linguis igneis emicavit, *& cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis &c. Et audiebat unuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes* (*e*). Quod cum Hebræi non cæleſti dono imputarent, ſed vino nimiùm compotato; *ſtans Petrus levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri Judæi &c. non ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt &c. Sed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Joel &c. Effundam ſuper omnem carnem, & prophetabunt &c.* (*f*). Si ergò defectum peritiæ idiomatis in Apoſtolis, tunc curam animarum ſuſcepturis, Deus tàm inſigni miraculo ſupplevit, ut orbem totum commodè poſſent ſuis prædicationibus permeare; analogicè, reductivè, & radicalitèr, ad quandam juris divini diſpoſitionem referri poteſt neceſſitas peritiæ idiomatis in Clericis, curas animarum recturis. Sed abſolutè loquendo, theologicè, & rigoroſè, hoc dici non poteſt de jure divino, quià rector curæ animarum, etſi linguæ ſui populi ignarus ſit, poteſt tamèn per ſubſtitutum omnia officia ſuæ dignitatis implere, clarumque eſt in utroque jure, quod qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur (*g*): hacque ratione aliquandò Eccleſia in hujuſmodi defectu diſpenſavit: uti patet exemplo Valerii Hipponenſis, qui licet natione Græcus, ac linguæ latinæ ignarus, attamèn fuit apud Hipponam Regium Africæ infulis Epiſcopalibus adornatus, ſupplente D. Auguſtino ſuis prædicationibus imperitiam idiomatis, quâ Valerius laborabat (*h*). Romanus quoque Pontifex in hoc defectu, pro locorum, temporum, & perſonarum opportunitate, præſertìm ad petitionem Regum, gravi causâ ſic exigente, diſpenſat, ut rerum harum peritis conſtat, & probant Gomez ad Regulas Cancellariæ (*i*), & Rebuffus in praxi beneficiorum (*l*): quod ſanè non Eccleſia, nequè Pontifex facere poſſent, ſi peritia idiomatis in beneficiariis Curatis eſſet de jure divino. Neque ſiquidem Pontifex,

(e) *Actor. cap. 2. num. 4.*

(f) *Actor. cap. 2. nu. 14. Joel. cap. 2. nu. 18.*

(g) *Cap. Qui per alium 72. de reg. jur. in 6. c. Mulieres, §. illæ de ſent. excomm. leg. 1. § dejeciſſe, ff. de vi, & l. ſi per alium, leg. non ideo, Cod. de accuſat.*

(h) *Poſſid. in Vit. S. Auguſt. cap. 5.*

(i) *Gomez ad Regul. de idiomat. qu. 7.*

(l) *Rebuff. ad regul. 20 de idiomat. gloſ. 2. num. 14. & 15.*

Google

neque Eccleſia, valent in iis, quæ divini juris ſunt, diſpenſare.

20. Igitur ex ſolo *jure eccleſiaſtico* eſt neceſſitas peritiæ idiomatis in beneficiariis, animarum curâ oneratis, de quâ in præfatâ Regulâ Cancellariæ ſatis cautum eſt, & in Concilio Turonenſi, ſeù Provinciæ Turonenſis, acto ad Caſtrum Guntherii, fuit decretum, *ne quis inſtituatur in aliquâ Eccleſiâ, cui ſit animarum cura annexa, niſi loci illius loquatur, & intelligat idioma. Si contrà præſumptum fuerit, & Inſtitutus privetur beneficio, & inſtituentes poteſtate inſtituendi careant illâ vice* (a). Contendi etiam poſſet, ſed perperàm, eſſe de jure Gentium, quod beneficia curata ſolis ſcientibus idioma loci ipſius beneficii conferantur, quandoquidèm apud Nationes, etſi non apud omnes, ſolet ut in pluribus obſervari, quod illi, qui ſunt inſcii idiomatis, ab Animarum Rectoratibus repellantur: cujus providæ praxis conſtans obſervantia faciat, ut ipſa poſſit aliquo modo de jure Gentium nuncupari (b). Hinc cum depoſito Dionyſio Epiſcopo Mediolanenſi in *Italiâ*, fuiſſet ei Auxentius Cappadox à Coſtantio Cæſare ſubſtitutus; adversùs hunc S. Athanaſius altiſſimè declamavit, quod ad illam ſedem *hominem, latinæ linguæ ignarum*, promoviſſet (c). In *Bohemiâ*, Æneas Sylvius Cardinalis Picolomineus obſtitit, ne Epiſcopalem apicem Eccleſiæ Pragenſis adipiſceretur, vir quidam, alioquin *bonus, ſed Cathelanus, & ſermonis Bohemici prorsùs ignarus* (d). *In Hiberniâ*, narrat Cardinalis Oſſatius, quod anno 1600. fuit validè reſtitum ab Hibernis Philippo Hiſpaniarum Regi; ſatagenti virum Hiſpanum Eccleſiæ Dublinenſi præficere, allegantes, sè non niſi hominem ſui idiomatis conſcium in Antiſtitem admiſſuros (e). In *Burgundiâ*, Cardinalis Hugo, ſolemniſſimus Scripturæ interpres, ſolebat dicere, *patronum debere præſentare Epiſcopo Clericum ejuſdem diæceſeôs, qui intelligat, & intelligatur* (f).

21. In *Germaniâ* quoque, Imperatore Othone optante Joannem Epiſcopum Cameracenſem ſedi Colonienſi præficere, irritum ejus conſilium evaſit, *cum ab electoribus reſponderetur, quod idiomu terræ ignoraret* (g). In *Galliâ*, vi Pragmaticæ Sanctionis inhibitum fuit, ne beneficia parochialia obtinerent, qui linguam Gallicam ignorarent (h). Et in inſtructione datâ Oratoribus Regiis, miſſis ad Concilium Tridentinum, hoc eſt illis, præ cæteris, commendatum, ut ſatagerent prò ſanctione, quâ vetaretur, ne beneficia curata idioma Gallicum ignorantibus præberentur (i): prætèr ea, quę numero præcedenti ex Concilio, ad Caſtrum Guntherii celebrato, retulimus. In *Angliâ* Eduardus III. Rex epiſtolâ ad Clementem Papam VI. conqueſtus eſt, quod parochiæ ſui Regni viris inſciis Anglicani idiomatis traderentur: & cum anteà Guillelmus Nothus Rex Epiſcopale munus in Regno Angliæ deſtinaret Guitmundo Monacho S. Leufredi, qui Berengarium hæreticum confutavit, & fuit poſteà S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Averſanus (l); Guitmundus oblatam dignitatem reſpuit, eo quod *extraneos mores, barbaramque locutionem* Anglicanæ Gentis penitùs ignoraret (m). In *Indiâ*, Concilii Mexicani ſtatuto, injunctum eſt Epiſcopis, ut beneficiarios impellant ad linguam Indicam ediſcendam (n): eodem modo, & apud Hiſpanos, Polonos, Scotos, Luſitanos, Græcos, Syros, Armenos, aliaſque fortè Orbis Chriſtiani Nationes, mos eſſe ſolet, ut earum beneficia, cura animarum prędita, ſolis Clericis linguam eorum vernaculam callentibus, conferantur.

22. Tantaque eſt in hoc Eccleſiæ ſollicitudo, ut in Concilio Lateranenſi IV. generalitèr congregata, decreverit. *Quoniam in pleriſque partibus intrà eandem civitatem, utque diæceſim permixti ſunt populi diverſarum linguarum &c. præcipimus, ut Pontifices hujuſmodi civitatum, ſive diæceſum, provideant viros idoneos, qui ſecundum diverſitates rituum, & linguarum, divina officia illis celebrent, & eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, inſtruendo eos* (o). E contrà tamèn in Regnis Neapolitano, & Siciliæ, hujuſmodi obſervantia deficit, in quibus Reges Hiſpaniarum ad Epiſcopatus ſuæ Regię nominationis interdùm præſentant etiam Clericos Hiſpanos, idioma Italicum, atque Siculum non habentes, rati fortè ſufficere, quod Antiſtites

illi

(a) *Concil Turon. ad Caſtr. Gunth. an. 1231. cap. 16.*

(b) *Cap. Jus gentium diſt. 1. Azor. Inſt. mor. par. 3. lib. 1. cap. 4. qu. 1*

(c) *S. Athanaſ. epiſt. ad Solitar.*

(d) *Æneas Sylvius epiſt. 147.*

(e) *Oſſat. tom. 2. ep. 55.*

(f) *Gregor. Toloſan. Syntagm. juris part. 2. lib. 17. cap. 40.*

(g) *Raynald. an. 1209 num 5.*

(h) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſciplin. p. 2. lib. 1. c. 103. num 7*

(i) *Memoir. du Conc. de Trent fol. 174.*

(l) *Vid. ant. oper. Guitmund. in Biblioth. Patrum to. 9. & Ital. Sac. in Epiſc. Averſ.*

(m) *Orderic. Vital. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. ad ann. 1070. fol. 524. & ſeq.*

(n) *Concil Mexic. an. 1585. in tom. 15. Conc. General.*

(o) *Conc. Later. IV. cap. 9.*

Digitized by Google

illi latinum callentes idioma, ſuppleant per ſubſtitutos in iis, in quibus linguâ vernaculâ Neapolitanâ, & Siculâ non utuntur. Igitùr de ſolo jure eccleſiaſtico eſt, non verò de jure Gentium, neque de jure Divino, ſaltem propriè, & formalitèr, quod beneficia curata viris, linguæ vernaculæ loci beneficii præditis, conferantur: & ſi quid probant textus Scripturales, in oppoſitum allegati; ad ſummum probant, excludendos eſſe à beneficiis extraneos, non quà ortu, vel incolatu tales, ſed qua localis idiomatis imperitos: neque hos eſſe ab omnibus beneficiis repellendos, ſed à ſolis illis, quibus ineſt cura animarum: cui ſenſui nos non contradicimus, dummodò ſalva ſit poteſtas Summi Pontificis ad diſpenſandum, juſtis cauſis concurrentibus, cum præfatis, idioma vernaculum ignorantibus, quoàd beneficia ipſa curata. Cumque vis Textuum Scripturalium, in objectione propoſitorum, ad ſummum ſola beneficia curata conſtringat; libera remanent beneficia merè ſimplicia, & cura animarum carentia: undè ſi non illa, ſaltem alia, & præſertìm ipſa merè ſimplicia poterunt extraneis conferri, tametſi ignorantiâ idiomatis loci beneficii laborantibus, quod ſufficit ad intentum noſtrum. Quæſtio namque noſtra, ſaltèm principalitèr, vertitur, quoàd beneficia merè ſimplicia, cæteris tamèn alterius ordinis non excluſis.

23. Reſpondetur quartò, dando tranſeat antecedenti, & negando conſequentiam; Nàm quamvis etiam Textus, in argumento allegati, ſignificarent eccleſiaſtica beneficia, & concluderent, ab illis eſſe arcendos extraneos; adhùc tamen non indè ritè infertur; Ergò extranei à beneficiis eccleſiaſticis ſunt arcendi *jure divino*. Et ſi Barboſa, Azevedus, Maſtrillus, aliique Doctores in oppoſitum producti, hanc concluſionem inferunt, & hoc eſſe de *jure divino* contendunt; certè vel per exceſſum loquuntur, vel errando deſipiunt, vel meliùs, non niſi de jure divino ſunt intelligendi, alluſivè ſumpto, lato modo, per quamdam ſimilitudinem, & veluti per ſpeculum in ænigmate. Nàm non quoties alicui rei, vel concluſioni, fragmen aliquod adaptatur Sacræ Scripturæ, vel accommodatiè, vel exemplaritèr; ſtatìm ritè, theologicè, ac veracitèr ſubinfertur; ergò talis res, taliſque concluſio, eſt de jure divino. Aliàs, & jugulare Innocentes, & liberare latrones, & ſerere diſcordias, & inhoneſtare puellas, & gulæ indulgere, & hypocriſi operam dare, & proximo detrahere, & alia facinora perpetrare; erunt omnia de jure divino, quià in Sacris Scripturis talia non deſunt, quæ non poſſint, ſimilia perpetrantibus, aliqualitèr adaptari. Tùnc ergò ſolùm aliquid eſt de jure divino, cum de illo præceptum legitur in Scripturis: cum verò in eis non præceptum, non juſſio, vel mandatum ponitur, ſed ſolùm exemplum, adaptabile rei, de quâ eſt quæſtio; tùnc illa res, nec eſt, nec dici poteſt de *jure divino*. Videatur Natalis ab Alexandro in ſuâ Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ (*a*).

24. Hinc non ſtatim ac in ſacris Canonibus, vel legibus civilibus, vel apud Patres, aut alios Scriptores, legitur, aliquid eſſe jure divino, vel divino nutu, vel inſtitutione divinâ, talitèr, ſivè talitèr conſtitutum; ſtatìm pronuntiandum eſt, illud eſſe de jure divino. Sit exemplum in textu Canonico (*b*), ubi Joannes Papa VIII. aſſerit, quod venerandæ Romanæ leges ſunt *divinitus, per ora piorum principum*, promulgatæ: & tamen certè leges Romanorum Principum non ſunt de jure divino. Sit aliud exemplum ex textu Civili (*c*), ubi Juſtinianus Imperator dicit, quod Majores ſui, ſubtiliſſimo animo, & *divino quodam motu*, ad actiones, & earum jura pervenerunt: Et tamen certè leges Imperatoriæ, nec prò divinis haberi debent, nec ſunt de jure divino. Demùm ſit exemplum ex Patribus, nempè ex D. Cypriano, in epiſtolâ ad Felicem Preſbyterum, & Paulum Diaconum (*d*), ubi affirmat, *de divinâ auctoritate deſcendere, ut Sacerdos plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur &c.* Et tamen certè non eſt de jure divino, quod Sacerdotes à populo, & coram populo deligantur. Cur ergò, inquies, hæc dicuntur *divinitus promulgata*, vel *divino motu* edita, vel de *divinâ auctoritate* deſcendentia, ſi non ſunt de jure divino? Dicuntur ità, remotè, radicalitèr, analogicè, ſimilitudinarie

(a) *Natal. ab Alexand. hiſt. ſæc. 1. diſſert. 8. concl. 3. poſt 6. Minor.*

(b) *Cap. nemo 36. qu. 3.*

(c) *Leg. ult. Cod. de præſcr. long. temp.*

(d) *S. Cyprian. lib. 1. ep. 4.*

riè, exemplaritèr; non verò realitêr, & theologicè. Nàm ſicuti Reges, & Imperatores à Deo habent ut regnent (*a*); ſic & ab eo habent ut leges condant, & hac ratione, remotè, & radicalitèr leges eorum *divinitùs*, vel *divino nutu* promulgatæ dicuntur, ſed non idcircò ſunt de *jure divino*.

25. Ità quià Sacerdotes novæ legis Sacerdotibus antiquæ ſuccedunt; & Sacerdotes noſtri temporis Sacerdotibus Biblicis ſubrogantur, Eleazar autem fuit mann Moyſi coram omni Synagogâ ſummo Sacerdotio decoratus (*b*); & Matthias in Actibus Apoſtolorum fuit ad Apoſtolatum, coram omni plebe provectus (*c*); ideò analogicè, ſimilitudinariè, & exemplaritèr, dicit D. Cyprianus, quod ex divinâ auctoritate Sacerdotes ſunt, & à populo, & coram populo deligendi: ſed non idicircò electio Sacerdotum de *jure divino* coram populo, & multò minus à populo eſt facienda, uti fusè probant Andreas Duvallius (*d*), Robertus Bellarminus (*e*), Joannes Azorius (*f*), Philibertus Marchinus (*g*), & alii. Nàm teſte Dianâ; *cum ait Cyprianus, id de divinâ auctoritate deſcendere, per auctoritatem divinam, non intelligit præceptum, ſed Jus divinum, ſeu exemplum ex Sacrâ Scripturâ depromptum, inſtàr cujus, inquit Cyprianus, debere fieri electionem noſtrorum Miniſtrorum coram populo, & ipſo conſentiense: dicit enim Epiſcopum eſſe eligendum coram populo, ſicut legimus Numeror. 20. electum fuiſſe Eleazar: Actorum 1. Matthiam: & ſeptèm Diaconos Actorum 7.* (*h*). *Et quod ità ſit, convincitur ex iiſdem D. Cypriani verbis, addentis: proptèr quod diligentèr de traditione Divinâ, & Apoſtolicâ obſervatione obſervandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoquè, & ferè per provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur, plebe præſente &c.* (*i*). Si mos iſte obſervabatur ferè per omnes Provincias, ergò per aliquas provincias non obſervabatur: & ſi non obſervabatur per omnes provincias, ergò non erat de *jure divino*, nec id Cyprianus de *jure divino* intelligit: quandoquidem ſi hoc fuiſſet de *jure divino*, non per aliquas tantùm, ſed per omnes provincias obſervari debuiſſet, quià jus divinum eſt invariabile, & ubilibet obſervandum. Neque Concilium Laodicenum decreviſſet, ordinationes Miniſtrorum Eccleſiæ non eſſe ſub conſpectu audientium, neque à turbis eſſe faciendas (*l*), ſi de *jure divino* contrarium eſſet agendum.

26. Igitur non ſtatìm ac aliquid ab Auctoribus, vel à Patribus dicitur eſſe de *jure divino*, exemplaritèr, & ſimilitudinariè, & multò minùs in ſenſu accommodatio, ſtatìm firmandum eſt, id re verâ, thologicè, & formalitèr eſſe de *jure divino*, uti expendit Zacharias Boverius contrà Rempublicam Marci Antonii de Dominis (*m*), & poſt eum Natalis ab Alexandro: niſi accedat præceptum divinum, rutilans, & dilucidum, in Scripturis expreſſum (*n*). Et ideò cum ad probandam excluſionem extraneorum à beneficiis eccleſiaſticis allegantur ex D. Thomâ (*o*), à Doctoribus ſuperiùs memoratis (*p*), textus in objectione propoſiti, & ex eis concluditur, excluſionem illam eſſe de *jure divino*; non ſtatìm inferendum eſt, re verâ, theologicè, & formalitèr excluſionem ipſam eſſe de *jure divino*, ſed ſolum analogicè, exemplaritèr, ſimilitudinariè, lato modo, & ut diximus, veluti per ſpeculum in ænigmate: ita ut indè quidem aliqua forte congruentia deducatur: at vere nullum præceptum, aut debitum concludatur. Quod ſanè confirmatur ex facto, & praxi totius Eccleſiæ: nàm cum millies Viri extranei, & ſanctitate pollentes, in cunctis Orbis Eccleſiis fuerint ad beneficia promoti; ſignum eſt, quod nunquàm Eccleſia in illo ſenſu verſata eſt, ut crederet, extraneos eſſe *jure divino* à beneficiis eccleſiaſticis protelandos: Aliàs tota Eccleſia erraſſet, atque totiès actualitèr erraret, quoties, operâ Collatorum, vel Nominatorum ad beneficia, hæc Viris extraneis clargitur, quod nullus, niſi inſipiens, & in veritatem contumax affirmabit. Stat igitur libertas Eccleſiæ in conferendo beneficia eccleſiaſtica, etiam clericis extraneis: nec per textus, in argumento oppoſitos, diminuitur. Hiſque per quadruplicem reſponſionem hucuſè datam multiformitèr exinanitis, jàm

fir-

(a) Prov. cap. 8. num. 15.
(b) Numer. cap. 20. num. 27.
(c) *Actor. cap. 1. num. 16.*
(d) *Duval de poteſt. Pontif. par. 3. qu. 8.*
(e) *Bellarmin. lib. 1. de Cleric. cap. 7.*
(f) *Azorius p. 2. l. 3. cap. 28. qu. 4.*
(g) *Marchin. de Sacram. Ordin. tract. 1. par. 2. cap. 4. num. 27.*
(h) *Diana par. 10. tr. 1. reſol. 8. in princ.*
(i) *S. Cypr. lib. 1 ep. 4 in med.*
(l) *Concil. Laodicen. cap. 8. & 13.*
(m) *Zach. Bover. l. 3 cap. 3.*
(n) *Natal. ab Alexand. ſæcul. 1. diſſert. 8. concl. 3. poſt 6. Minor.*
(o) *S. Thom. 2. 2. qu. 63. art. 2. ad 4.*
(p) *Vid. ſupr. in hoc cap. num. 14.*

firmum reſtat eſſe in plenâ, & liberâ poteſtate illorum, qui beneficia conferunt, vel ad illa præſentant, eadem tum clericis indigenis, tum etiam extraneis, dignis, & benemerentibus, prò eorum arbitrio, & integrâ libertate conferre.

27. *Arguunt tertiò*, Contradictores ex textu Oſeæ, ubi Dominus per Prophetam deteſtatur extraneos provectos ad Regnum, & de illis ità conqueritur, *ipſi regnaverunt, & non ex me; principes extiterunt, & non cognovi* (a). Quo in loco licèt ſit ſermo de invaſione Regni; tamèn quia eadem ratio, quæ prò Regno contrà exteros militat, militat etiam prò Sacerdotio; rectè demonſtratur hanc auctoritatem Oſeæ reſiſtere provectioni extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia. De facto Hincmarus Remenſis, perſtringens Ebbonem juniorem (nepotem alterius Ebbonis ſenioris Archiepiſcopi Remenſis) quod extrà nativam ſuam patriam, & provinciam, accepiſſet Epiſcopatum Gratianopolitanum, ſic illum increpavit: *Revertatur hic derogator noſter ad ſuam conſcientiam, qui contrà ſacras regulas, ab Eccleſiâ, in quâ fuit tonſus, & ordinatus, diſcedens, ad alias provincias convolavit.* Et infrà, *Ergò qui contrà Sacros Canones, Spiritu Dei, per organa ſua conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos, ad Eccleſiæ regimen provehitur, non intrat per Oſtium in Ovile, ſed aſcendit aliundè, ac per hoc fur eſt, & latro, de qualibus dicit Pſalmiſta, Domine dejeciſti eos, dùm allevarentur. Cum allevatur enim, deiicitur, qui honoribus proficit, & moribus deficit. De quibus Dominus per Prophetam queritur, dicens: ipſi regnaverunt, & non ex mè: Principes extiterunt, & non cognovi: ex ſe namque, & non ex arbitrio Summi Rectoris regnant, qui ſuâ cupiditate accenſi, culmen regiminis rapiunt potiùs, quàm adſequuntur: quos tamèn internus Judex, & provehit, & non cognoſcit, quia quos permittendo tolerat, profectò per judicium reprobationis ignorat, & in talium provectione non eſt, ut Leo dicit, Populis conſulere, ſed nocere, nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen* (b), Ex quibus clarè eniteſcit, vi præfati textus Oſeæ, viros extraneos à beneficiis adipiſcendis arceri.

(a) *Oſeæ cap. 8. nu. 4.*

(b) *Hincmar. Remenſ. de Prædeſt. c. 36*

28. Reſpondetur primò, negando ſuppoſitum, nempè quod Oſeas loquatur de Regibus aſſumentibus ſibi Regnum, & illud ultrò invadentibus. Nàm re verâ ſermonem habet, non dè Regibus ipſis, ſed de populo Hebræorum, qui ſuâ ſponte, inconſulto Deo, Reges ſibi præficiebat, à Domino non electos. Hocque patet ex ſenſu Origenis (c), ac S. Cypriani (d), qui hunc textum ſic legunt: *ſibimet Regem conſtituerunt, & non per mè; Principem, & non per conſilium meum*. S. Hieronymus opinatur, Oſeam hic invehere contrà provectionem Saulis ad Regnum Judæorum (e), qui, licet fuerit auctoritate Dei per Samuelem Regno donatus; tamèn hoc non ex propoſito, & propriâ electione, motuque ipſius Dei ſucceſſit, ſed ex ſolâ ejus permiſſione, quando audito murmure Judæorum, clamantium coràm Samuele, *conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent Nationes*, indoleſcens, ipſi Samueli reſpondit, *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abjecerunt, ſed mè, ne regnem ſuper eos* (f). Nàm permiſſio alicujus mali, ad evitanda mala majora, vel aliis juſtis de cauſis facta, malum ipſum non juſtificat, ſed nudè tolerat: non illud admittit, ſed patitur: nolendo patitur: ſuſtinendo patitur: animo vel invito patitur: reſque ſemper à reluctante provenit, quià non ex eligentis, ſed ex permittentis voto ſuccedit. Ob hoc in jure ſcientia ſuperioris, etiàm non contradicentis, merèque tolerantis actum prohibitum, non illud juſtificat, nec habetur prò aſſenſu, ſed prò merâ, & ſimplici permiſſione (g). Ideoque ait canon: *multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitiâ, non debent tolerari* (h).

(c) *Origen. homil. 4. in lib. Judic.*

(d) *S. Cyprian. ep. 55*

(e) *S. Hieron. in Oſeæ cap. 8.*

(f) *1. Reg. cap. 8. à num. 5.*

(g) *Marta de juriſd. par. 4. cent. 2. caſ. 101. num. 10.*

(h) *Cap. cum jamdudum 18. de præbend. & ibi Fagnan, Barboſ. & alii.*

29. Meliùs verò S. Cyrillus, Theodoretus, Hugo, Lyranus, & alii exiſtimant, Oſeam declamare adversùs Jeroboam, ad Regnum Iſrael exaltatum, qui licet Prophetico inſtinctu fuerit ab Ahiâ Silonite, uti futurus Rex ſuper decem Tribus Iſrael indicatus (i); tamèn hoc non ex motu proprio, neque ex ſpontaneâ electione Dei; ſed ex ejuſdem merâ permiſſione factum eſt, ut punirentur peccata Roboami Regis, filii Salomonis (l). Nàm Jeroboam de facto ſinè ullâ regali unctione,

(i) *3. Reg. cap. 11. num. 37.*

(l) *Toſtat. in 3. Reg. 12. qu. 8. & 9.*

ctione, aliâve Sacerdotali, & divinâ inauguratione, thronum Regium conſcendit, ſed ſolo impetu, ac motu, ſeu cupidine populi, Schiſma contrà Regem Roboam facientis, de quo legitur, *cum audiſſet omnis Iſrael, quia reverſus eſſet Jeroboam, miſerunt, & vocaverunt eum, congregato cœtu, & conſtituerunt eum ſuper omnem Iſrael, nec ſecutus eſt quiſquam domum David, prætèr Tribum Juda ſolam* (*a*). Porrò de jure nullus poterat conſtitui Rex à populo Hebræorum, niſi à Deo præelectus eſſet, juxtà illud, *eum conſtitues Regem, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum* (*b*). Verùm quià populus, potius ex propriâ temeritate, & pruritu, quàm ex rectâ ratione, judicio Dei inhærente, Jeroboamum provexit, & ſubinde alios ſibi Reges conſtituit; ideò eorum prurigenem improvidam, & inconſulto Deo, hæc operantem, Propheta increpavit illis verbis, *ipſi regnaverunt, & non ex mè*, ſeu ut habet verſio Caldaica, *Regem ſibi creaverunt, & non ex ſententiâ meâ: Conſtituerunt ſibi Principes, ſed non ex voluntate mea* (*c*). Hæc autèm quid probant prò excluſione extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, quæ non ipſi ſibi arripiunt, neque à populis tradita ſumunt, ſed à Superiore collata, juſtis modis, & formis canonicis conſequuntur!

30. Reſpondetur ſecundò, quod quatenùs etiam verba Oſeæ percuterent immediatè Jeroboamum, vel alios Reges, ex ſe ipſis, & ſibi ultrò Regnum ſumentes, iterùm negatur aliud ſuppoſitum, nempè quod Propheta loquatur de Regibus extraneis. Nàm ad ſummum Oſee improperat dictos Reges, non ut extraneos, ſed uti non legitimè Coronam Regiam conſecutos, quemadmodùm fecit Athalia in Regno Juda (*d*). Zamri, Sellum, Manahen, Phacee, & alii in Regno Iſrael, qui non juſto ſucceſſionis titulo, nequè alio legali modo, ſed per vim, ac tyrannidem Regale ſolium invaſerunt (*e*). Vel præfatus Vates carpſit Joachin (*f*), & Sedeciam Reges Juda (*g*), qui per potentiam Gentilium thronum Judaicum conſenderunt. Sed hoc nihil facit ad rem, quià nullus ex præfatis Regibus fuit à Regno Judæorum extraneus. Nàm Reges *Juda* cuncti ex eadem familiâ David, & ex eadem Tribu Juda prodierunt, excepto Saul, qui fuit ex Tribu Beniamin (*h*), quæ Regno Juda obtemperabat (*i*), & Athalia, quæ filia fuit Achab, filii Amri Regis Iſrael, ſed Maritum habuit Joram Regem Juda, ex progenie David de Tribu Juda (*l*). Reges verò *Iſrael*, ex diverſis quidem familiis nati ſunt (*m*), vel non ab Hebræorum populo extraneis. Quare omnes Reges, tum Juda, tum Iſrael, fuerunt origine indigenæ, & nullus extrancus, qua de re diximus ſuprà (*n*). Ideoque etiam ſi Oſee Propheta improbans Reges, qui ſine divino judicio, ſed malis artibus, ſe regalibus tæniis induerunt, de ipſis Regibus immediatè locutus fuiſſet, non verò de populo illos promovente; adhùc tamen, cum nullus ex illis fuerit extraneus, ſed cuncti indigenę, ſive ex Natione Judaicâ; neſcimus videre quomodo verba, adversùs eos ab Oſee prolata, poſſint viris extraneis adaptari; & quo equuleo valeat textus in objectione propoſitus, ad excludendos Clericos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, extendi.

31. Non negabimus hanc auctoritatem Oſeę à Sanctis Patribus, & præſertìm à S. Gregorio, Cypriano, & Bernardo, adhiberi ad ſermocinandum de ſacris Pręlaturis Chriſtianorum, & de eccleſiaſticis beneficiis, ſed nunquàm in ſenſu, ſolos extraneos à beneficiis eccleſiaſticis repellente. Audiatur D. Gregorius, *Dominus per Prophetam queritur dicens, ipſi regnaverunt, & non ex mè; Principes exſtiterunt, & ego ignoravi. Ex ſe namque, & non ex arbitrio ſummi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, ſed ſuâ cupidine accenſi, culmen regiminis recipiunt potiùs, quam aſſequuntur. Quos tamen internus judex, & provehit, & non cognoſcit, quià quos permittendo tolerat, profectò per judicium reprobationis ignorat.* (o). Similitèr S. Cyprianus ait, *ordinari nonunquam indignos, non ſecundum Dei voluntatem, ſed ſecundam humanam præſumptionem, & hæc Deo diſplicere, quæ non veniant ex legitimâ, & juſtâ ordinatione, Deus ipſe manifeſtat per Oſeam Prophetam dicens, ſibimetipſi Regem conſtituerunt, & non per*

mè

(a) 3. Reg. cap. 12. num. 19.
(b) Deuter. cap. 17. num. 15.
(c) Cornel. à Lapid. in Oſeæ cap. 8. num. 4. 5. Ipſe.
(d) 4. Reg. cap. 11. num. 1.
(e) 3. Reg. cap. 16. n. 9. 4. Reg cap. 5 n. 25. & cap. 19. num 10.
(f) 4. Reg. cap. 23. num. 34.
(g) 4. Reg. cap. 24. num 15.
(h) 1. Reg. cap. 9. num. 1. & 16.
(i) 3. Reg. c. 12. nu. 21.
(l) Becan. Analog. Vet. Teſtam. cap. 16. qu. 3. num. 3.
(m) Becan. loc. cit.
(n) Vid. ſupr. in hoc capit. num. 8.
(o) S. Greg. part. 1. paſtor. c. 3.

mè (*a*), Divus quoquè Bernardus ad Clericos loquens, ait, *tollitis, & non accipitis claves, de quibus Dominus queritur per Prophetam: ipſi regnaverunt, & non ex mè: Principes extiterunt, & ego non vocavi eos. Undè tantus prælationis ardor? Undè ambitionis impudentia tanta? Undè veſania tanta præſumptionis humanæ? Audeat ne aliquis veſtrum, terreni cujuſlibet reguli, non præcipiente, aut etiam prohibente eo, occupare miniſteria, præripere beneficia, negotia diſpenſare? Nec tu Deum putes, quę in magnâ domo ſuâ, à vaſis iræaptis in interitum ſuſtinet approbare. Multi quidèm veniunt, ſed conſidera quis vocetur* (*b*).

(a) *S. Cypr. lib. 1. ep. 4. in med.*

(b) *S. Bernard. de converſ. ad Clericos cap. 27.*

32. En in quo ſenſu Patres adhibent auctoritatem Oſeę ad carpendos indignos: ad coarguendos Clericos, virtutibus carentes: ad illos arguendos, qui ſinè divinâ vocatione, ſinè legitimâ Superiorum auctoritate, ad ordines currunt, beneficia eccleſiaſtica affectant, in Prælaturas ſpirituales sè introducunt, Claves Eccleſiæ ſibi uſurpant, præbendas arripiunt, & malis artibus ſatagunt in Cleris dominari, populis præeſſe, ac dignitates eccleſiaſticas obtinere: his quadrant prophetalia Oſeæ impropria, *ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi*, ſed cum hæc vitia æqualitèr in extraneis, ac in indigenis poſſint concurrere; non eſt cur verba prædicta extrà propriam orbitam pertrahantur, & ad excludendos viros extraneos à beneficiis eccleſiaſticis intrudantur. Proferant igitur Contradictores doctrinam Eccleſiæ, vel Patrum, in ſubjectâ materiâ loquentium, excluſionis extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, vi præfati textus Oſeę, & tùnc dabimus manus victas.

33. Reſpondetur tertiò, denuò negando aliud ſuppoſitum; nempè Hincmarum Remenſem uti verbis Oſeæ ad perſtringendum Ebbonem, ob acceptum beneficium in loco, ubi erat extraneus; Non enim eum carpſit ob hoc, ſed ex eo quià *canonicâ excommunicatione devinctus, irregularitèr uſurpavit regimen, & ſibi, ac Ordinatoribus ſuis, nec non & ſubditis, adauxit diſcrimen* (*c*). Peccaverat Ebbo, procurans eligi in Antiſtitem Eccleſiæ Gratianopolitanæ, extrà propriam diœceſim, & provinciam, ubi erat ignotus, ſeù ignotum erat, quod cannonicæ excommunicationis reperiretur laqueis irretitus: & ſic non quià extraneus, ſed quià ignotus, & cenſuris actualitèr involutus, beneficium ſuſcepit, & ideò & canones violaſſe dicitur, & irregularitèr Epiſcopale regimen aſſumpſiſſe, ac proindè contrà illum Oſeæ minas propheticè conclamare, *ipſi regnaverunt, & non ex mè &c.* Aſt uimiùm diſtat à quæſtione noſtrâ doctrina Hincmari, in oppoſitum allegata, qui non de Clericis ignotis, non de actualiter excommunicatis, ſed de notis, & de illis, qui communionis Eccleſiaſticæ ſunt participes, diſputamus, an ex eo ſolùm, quod ſunt origine extranei, poſſint licitè à beneficiis eccleſiaſticis diſtineri.

(c) *Hincm. Remenſ. de Prædeſtig. c. 36.*

(d) *Vide infra tom. 4 cap. 23. num. 4.*

34. Sed quatenùs etiam Hincmarus in eo pręciſo ſenſu locutus fuiſſet, ut ſolam extraneitatem Ebbonis Antiſtitis lancinaret; dicimus, Hincmarum adhibuiſſe textum Oſeæ in *ſenſu accomodatitio*, quo nulla datur ratio magis infirma, ad concluſionem aliquam comprobandam (*d*). Accomodatio Scripturæ licita eſt, laudabilis, & honeſta, uti docent, & exemplis confirmant, Serrarius (*e*), Scalante (*f*), Xavierre (*g*), Antonius à Matre Dei (*h*), & alii: *hicque modus*, inquit Vaſquez, *tractandi Scripturam, ſanctis Patribus frequens eſt in concionibus, & homiliis ad populum, idemque utiliſſimus. Verba enim Scripturæ miram quandam gravitatem, & energiam præſeferunt, ità ut ad perſuadendum ſint accommodatiſſima* (*i*). Hocque ſenſu pulcherrimè uſi ſunt S. Bernardus (*l*), Cardinalis Baronius (*m*), Ludovicus Rumetius (*n*), Nicolaus Abramus (*o*), ac eum adhiberi, impensè laudat Malvenda (*p*). Sed quià ſenſus accomodatitius non eſt ſenſus proprius Sacræ Scripturæ, neque à Spiritu Sancto Scripturæ Auctore intentus (*q*), & imò de ratione licitæ accommodationis eſt, ut fiat in ſenſu diverſo ab eo, quem textus reſonat in Scripturâ; hinc fit, ut fragmina Bibliorum, ab aliquo Doctore prò commodo ſuæ cauſæ conteſſellata, & in ſenſu accommodatitio uſurpata, indicent quidèm Auctoris peritiam in apicibus Scripturalibus, & in eis laterculandis ingenium; ſed in ra-

(e) *Serrarius in proleg. c. 21. qu. 14.*

(f) *Scalant. l. 7. c. 3 & 5.*

(g) *Xavierre in Tyrocin. tr. 1. ſect. 2. c. 5 dub. 2.*

(h) *Anton. à Matre Dei de præl. 3. dub. 22.*

(i) *Vaſqu. in 1. part. diſp. 14. c. 1.*

(l) *S. Bernard. paſſim in ſuis ſcriptis.*

(m) *Card. Baron paſſim in ſuis Annalibus.*

(n) *Rumetius in Sac. Script. viridar. paſſim.*

(o) *Nicol. Abram. tom. Sac. quæſt. in dedic.*

(p) *Malvend. l. 8. de Antichriſt. c. 22.*

(q) *Petrus Annati Meth. ad poſit. Theolog. l. 2. art. 7. § Obicies 3.*

tione argumenti doctrinalis, vel fundatæ probationis, nihil evincant.

35. Sit exemplum: frænum equi Conſtantini uno ex clavis Crucis Chriſti S. Helena conſtipavit, uti referunt S. Ambroſius (a), Nicephorus (b), Sozomenus (c), & alii. Huic fræno S. Gregorius Turonenſis (d), Theodoretus (e), aliique *accommodatitiè* hunc Zachariæ verſum adaptant: *In die illâ erit quod ſuper frænum equi eſt, Sanctum Domino* (f). Nunquid autèm de fræno Conſtantini locutus eſt Zacharias? Nunquid hoc textu probari poteſt S. Helenam ſacro illo clavo habenam Cæſaris decoraſſe? Rursùs Eudociæ Auguſtæ, uxori Theodoſii ſecundi Imperatoris, Hieroſolymis converſanti, ubi Lauras, & Monaſteria conſtruxit, uti memorant Nicephorus, & Evagrius (g), ac urbis quoque ipſius parietes reparavit; fuit accommodatitiè verſu illo Davidis conclamatum, *Benigne fac Domine in Eudociâ tuâ Sion, ut ædificentur muri Hieruſalem*(h), mutando nempè verba illa *bona voluntate*, in *Eudociâ*: Græcè ſiquidèm *Eudocia*, latinè reddit *bona voluntas*. Nunquid autèm David de Eudociâ Imperatrice eſt locutus? Nunquid hoc textu probari poteſt, Eudociam muros urbis Hieruſalem reparaſſe? Paritèr Gregorius Papa X. inopinatè in Papam electus, dùm Hieroſolymis verſaretur, interpellantes eum Chriſtianos, ut citò Terræ Sanctæ adversùs Saracenos ſubſidia mitteret opportuna; accommodatitiè his eſt Pſalmi verſiculis conſolatus (i), *ſi oblitus fuero tui Hieruſalem, oblivioni detur dextera mea: Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui: Si non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ* (l). Nunquid autèm Pſalmiſta de præfato Gregorio Papâ eſt locutus? Nunquid hoc textu probari poteſt, Gregorium opem petitam Terræ Sanctæ incolis contuliſſe?

(a) *S. Ambroſ. Orat. de obit. Theodoſ.*
(b) *Niceph. lib. 8. cap. 29.*
(c) *Sozom. l. 2. hiſt. cap. 1.*
(d) *S. Greg. Turon. de glor. Mart. cap. 6*
(e) *Theodor. hiſtor. lib. 1. cap. 18.*
(f) *Zachar. cap. 14 num 20.*
(g) *Evagr. lib. 1. cap. 21. Niceph. l. 14. cap 50.*
(h) *Pſal. 50. nu. 20. Evagr. & Niceph. loc. cit.*
(i) *Raynald. an. 1271 num. 20.*
(l) *Pſal. 136, num. 5*

36. Scomma ſuperaddamus, arrogans, ſed in ſuâ conditione præclarum. Princeps quidam, populum binis eodem tempore vectigalibus, chartæ, & tabacco appoſitis, oneravit; turba ſtatim dicax, hoc verſiculo, ex Job petito, accommodatitiè adversùs ipſum Principem ogannivit: *contrà folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris* (m). De urbe quâdam aeris inſalubris, nupèr ad alium locum aliquanto melioris auræ, translata, ſed adhùc in loco parum ſalubri ſita; fuit à viatore cordato, ſequenti paſſu ex pſalmis accommodatitiè, proluſum, urbs iſta declinavit *ex hoc in hoc*; *verumtamèn fex ejus non eſt exinanita* (n). Alia perplura Sacrę Scripturæ fragmenta, tùm ad graves, tùm ad feſtivas cauſas accommodatitiè adhibita, poſſent hìc affatim allegari, ſed jàm relata ſufficiant. Verùm eſt, ut innuimus, hæc oſtendere quidèm Auctoris eruditionem, & ingenium, ſed doctrinalitèr nihil omninò probant. Et idcircò quamquàm Hincmarus in ſenſu accommodatitio, Oſeę textum adhibuerit ad extraneos deterrendos, ne beneficia eccleſiaſtica extrà patriam aſſequantur; tamèn nec ſcriptualitèr, nec doctrinalitèr ipſo textu probatur beneficia eccleſiaſtica eſſe re verâ extraneis deneganda. Igitùr viget intèr oppoſitiones ſcripturales, & præſertìm in faciem argumenti, ex Oſeâ petiti, libertas Eccleſię in conferendo eccleſiaſtica beneficia pro ſuo arbitrio viris idoneis, totâque vi objectionis prorsùs evacuatâ, pateſcit, liberè poſſe beneficia ipſa etiam Clericis extraneis diſpenſari.

(m) *Job cap. 13. nu. 25.*
(n) *Pſal. 74. num. 7.*

37. *Arguunt quartò* Contradictores ex libro Sapientiæ, ubi Salomon ità affatur: *ſtabunt juſti in magnâ conſtantiâ adversùs eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum* (o). Quinam autèm ſunt illi, qui auferunt labores juſtorum, inquiunt, niſi extranei, qui beneficia eccleſiaſtica indigenis diſtribuenda corradunt? Adversùs hos ſi juſti coràm Deo ſtabunt, jàm de injuſtâ uſurpatione accuſantur; & ſi de injuſtâ uſurpatione accuſantur; ergò illa ſinè gravi culpâ obtinere non poſſunt. Et ſic ex doctrinâ Sapientis, extranei ſunt à beneficiis adipiſcendis arcendi. Huic textui opinatur Claudius Eſpencęus (p), alluſiſſe Nicolaum Papam I. cum promotionem Egilonis monachi ad Archiepiſcopatum Senonenſem, à quo erat extraneus, improbavit. Nàm poſtquàm Carolo Calvo Imperatori, & Regi Francorum de hac re ſcribens, Electi virtutes, ac merita egregiis laudibus celebra-

(o) *Sapient. cap. 5. num 1.*
(p) *Claud. Eſpenc. digreſſ. l. 2. cap. 13.*

lebra-

lebravit (*a*); In aliâ epiſtolâ poſtmodùm, ad ipſum Egilonem datâ, hęc expręſſit: *cujuſcumque itàque ſit ſanctitatis dono quilibet prædiuus, alienos non debet labores præripere: quippè cui jubetur nihil eorum, quę proximi ſunt, aliquo modo concupiſcere. Eo enim ipſo, quo quis alteri pertinentia jura ſubripit, ſanctitatis gratiam perdit. Nàm quæ ſanctitas vindicat mercedem alteri debitam? Quæ ſanctitas alterius ſibimet fructus uſurpat?* (*b*) Igitùr auctoritate Sapientis, ritè ad præbendas eccleſiaſticas adaptatâ, probatur viros extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos, ne indigenę contrà eos ſtent in juſto Dei judicio, dolentes, quod abſtulerint labores eorum.

(a) *Nicol.* PP. I. *epiſt.* 2.
(b) *Nicol.* PP. I. *epiſt.* 20.

38. Reſpondetur primò negando ſuppoſitum, nempè quod ſapiens loquatur de beneficiis eccleſiaſticis, vel de bonis ſacris, aut de Clericis, vel Miniſtris Eccleſiæ, quibus poſſit ſenſus textus propoſiti reſpondere. Si ritè namque verba Sapientis examinentur, invenietur illa loqui, non de beneficiariis, aut de Eccleſiæ miniſtris, ſed de omnibus juſtis, in Cœlo glorificatis poſt mortem, qui præmio bonorum ſuorum operum aſſecuto, adversùs impios invaleſcent, à quibus fuerunt in terra contempti, ſivè alitèr laceſſiti. Hoc clarè patet ex toto ſermonis contextu, ſub his terminis reſonante. *Tùnc ſtabunt juſti in magnâ conſtantiâ adversùs eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis: Dicentes intrà ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtiâ ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos habuimus aliquandò in deriſum, & in ſimilitudinem improperii: Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſinè honore. Ecce quomodò computati ſunt intèr filios Dei, & intèr Sanctos ſors illorum eſt* (*c*). Loquitur ergò ſapiens non de Clericis, neque de beneficiis, hìc, vel illìc acceptis, ſed de juſtis, in Cœlo glorificatis, qui impios accuſabunt, à quibus in vitâ fuerunt, & bonis ſpoliati, & vexationibus affecti, & improperiis, & deriſionibus parvipenſi: quæ quid habent commune cum Clericis, & præbendis; cum extraneis, vel indigenis? Ex clamore Juſtorum in tremendo Dei judicio adversùs latrones, & pauperum oppręſſores; quodnàm quæſo argumentum trahi poteſt, ad repellendum extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis?

(c) *Sapiens. cap.* 5. *num.* 1. *& ſeq.*

39. Reſpondetur ſecundò, quod quatenùs etiàm per allegatum fruſtulum Scripturalis lectionis, ex libro Sapientiæ decerptum, aliqua vis argumento dari poſſet, ad beneficia eccleſiaſtica, & Clericos, ac miniſtros Eccleſiæ ſignificandos; iterùm negamus aliud ſuppoſitum: nempè quod ubi ſapiens dicit, *& qui abſtulerunt labores eorum*, per ly *abſtulerunt* denotentur extranei, & per ly *labores eorum* intelligantur indigenę. Si enim beneficia eccleſiaſtica in vero ſuo ſenſu, & naturâ conſiderentur; nulla datur in eis ratio *mei*, & *tui*, reſpectu ſuſcipientium, ſed tota ratio hujuſce diſtinctionis eſt voluntas, & poteſtas conferentium ipſamet beneficia. Nàm ſivè beneficia concipiantur, uti conſiſtentia in ſportulis manualibus, quemadmodùm erant ab initio Eccleſiæ: ſivè uti conſiſtentia in uſufructu bonorum, in beneficium traditorum, uti ſunt nùnc; nec hic, nec ille Clericus, ſivè ſit indigena, ſivè extraneus, habet in illis jus, ut ſua ſint, ſed totum hoc jus, à conferentis auctoritate dependet: Quantumvis etiam ipſi Clerici, tàm indigenæ, quam extranei, habeant jus ad ipſamet beneficia, ratione capacitatis, quâ prædit ſunt ad illa conſequenda: ſed hoc eſt jus *ad rem*, differens à jure, quod à legiſtis dicitur, *in re*. Quarè nèc indigenæ percipiunt *proprios labores*, dùm in patriâ beneficia conſequuntur; nec extranei *auferunt* labores indigenarum, dùm extrà nativum ſolum prębendas ſacras adipiſcuntur: ſed par extraneorum, ac indigenarum eſt jus, quoàd hanc rem, quià tàm indigenæ, quam extranei æquales habent jus ad ipſamet beneficia; niſi quatenùs, cæteris paribus, ex honeſtate, & congruentiâ, indigenæ ſunt extraneis præferendi: Vel niſi quatenùs in aliquo loco adſit privilegium, arctans Collatores ad beneficia nativis Clericis elargienda: quo privilegio deficiente, ac cæterorum paritate ceſſante; de jure communi, & ex na-

turâ rei, nulla major ratio ad beneficia competit indigenæ, quam extraneo. Et ſic textus Scripturæ, ex adverſo allegatus, nec tangit indigenas, neque extraneos intercludit, & per conſequens excluſionem extraneorum à beneficiis eccleſiaſticis non concludit.

40. Reſpondetur tertiò, textum ſapientis, in objectione propoſitum, ad ſummum non niſi alluſivè, & in *ſenſu accommodatitio*, trahi poſſe, ſivè violentèr impelli, ad deſignandos occupatores beneficiorum, aliis debitorum. Sed primò hoc non minùs verum eſt de indigenis, injuſtè beneficia eccleſiaſtica conſequentibus, quam de extraneis, præbendas adipiſcentibus alibi, quàm in patriâ. Secundò quidquid ſit de hoc; certum eſt, quod ratio ex Scripturâ in *ſenſu accommodatitio* conferta, nullius eſt ponderis, ac momenti: quià Spiritus Sanctus Auctor Scripturæ, ſenſum illum nec promovet, nec intendit, adeoque nihil probat, uti nupèr ſuprà fuſiùs demonſtravimus (*a*). Et idcircò nullum gradum probationis conſtituit ad repellendos à beneficiis extraneos textus Sapientiæ præmemoratus. Quod ſi in ſententiâ Eſpencæi contendatur Nicolaum Papam I. ad hunc Sapientiæ paſſum perſpexiſſe, cum Egilonis electionem improbavit; in primis poteſt negari, quod hoc in facto ſubſiſtat, quippè Nicolaus textum ipſum, ſaltèm manifeſtè, non adhibet. Nec tàm immanitèr torquenda ſunt ſcripta Pontificum, & Doctorum, ut ab illis eliciatur ex fæculento ſucco, ſenſus intentus; neque cabaliſticè, ac divinatoriè coniiciendum eſt, quo proſpexerint, quandò locuti ſunt, ſed eſt obviè accipienda vis locutionis eorum ex manifeſtis eloquiis, quæ protulerunt. Secundariò, etiam ſi rè verâ Nicolaus præfato textu uſus eſſet ad objurgandum Egilonem, uti extraneum; dicimus objurgationem eò tetendiſſe, ut oſtenderet, non debitum, ſed honeſtatem fuiſſe læſam, provectione viri extranei; quatenùs de honeſtate viro indigenæ cæteris paribus præferri nuſquam debet extraneus. Et tertiò demùm concludimus, textum præfatum Sapientiæ à Nicolao in *ſenſu accommodatitio* adhiberi, ſicque nihil omninò probare, quià ſenſus accommodatitius non eſt verbis intimè innatus, ſed exteriùs appictus, fictitius, adoptivus, & à verâ intentione Auctoris verborum ptorsùs alienus. De Nicolao, & Egilone latiùs infrà tractabimus, undè hìc lectorem circa ejus cauſam ulteriùs non fatigabimus.

(a) *Vide ſupra in hoc cap. num.* 34.

41. Solum opportunum eſſe cenſemus adjungere, quod ſi prævalere debent motiva, ex ſenſu Scripturæ accommodatitio deſumpta; nos non ſuccumbemus in causâ, ſed de victis Contradictoribus triumphabimus. Nàm plures Scripturæ auctoritates hìc erit facilè congregare, quæ favent extraneis. In libro namque Joſuè legitur, *omnis autem populus, & majores natu, duceſque, ac judices, ſtabant ex utrâque parte Arcę in conſpectu Sacerdotum, qui portabant Arcam Fœderis Domini, ut advena; ità ex indigena* (*b*). In libro Tobiæ: *In tertio anno proſelytis, & advenis miniſtrabat omnem decimationem* (*c*). In Iſaiâ; *non dicat filius advenę, qui adhæret Domino, ſeparatione dividet me Dominus à populo ſuo* (*d*). In Levitico: *ſi habitaverit advena in terrâ veſtrâ, & moratus fuerit intèr vos, non exprobretis ei, ſed ſit intèr vos quaſi indigena, & diligetis eum quaſi voſmetipſos* (*e*). In Deuteronomio, *epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi, & domui tuæ, tu, & Levites, & advena, qui tecum eſt* (*f*). Hęc, & alia fragmenta Scripturarum, in ſenſu accommodatitio attrahi poſſunt ad ſignificanda eccleſiaſtica beneficia, & ſic, ſi locum habere debent rationes Scripturales, à ſenſu accommodatitio petitæ, cum nos, & numeroſiores habeamus, & magis fortè adaptatas, quàm ſint illę, quas allegant Contradictores; jam harum intuitu concludendum erit, extraneos nedùm non eſſe arcendos ab eccleſiaſticis beneficiis, ſed imò eſſe ad illa ſimùl cum indigenis admittendos.

(b) *Joſue cap.* 8. *nu.* 33.
(c) *Tobiæ cap.* 1. *nu.* 7.
(d) *Iſaiæ cap.* 56. *nu.* 3.
(e) *Levit. cap.* 19. *num.* 33.
(f) *Deuter. cap.* 26. *num.* 11.

42. Itaquè ſupputando totam ſummam, congeriem, & ſubſtantiam, non minus quartę hujus objectionis, quàm trium præcedentium, in hoc capitulo diſcuſſarum; tantum rationis non datur poſſe hinc eliquari, quantum verè ſufficiat ad probandum, clericos extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos. Quarè Ec-

clesia

cleſia coram Objectionibus Scripturalibus, per Contradictores ex veteri Teſtamento productis, à ſuâ libertate non cadit, ſed potiùs in ejus poſſeſſione invaleſcit: exinanitâque uſque ad fundamentum vì fragminum Sacræ Scripturæ, in oppoſitum productorum; ſartatecta validiſſimè remanet præfata libertas, nec Eccleſiæ ullo modo auctoritas, & poteſtas ingenita mutilatur, quin poſſit ſacras prębendas prò ſuo libito etiam viris extraneis impertiri. Rebuſque ità ſe habentibus, ex conſequenti conſurgit, Miniſtros Eccleſiæ, ad beneficia diſtribuenda deputatos, manibus perfectè ſolutis, poſſe eadem prò ſuo arbitrio diſpenſare: quod in idem reſonat, ac effari, liberum, & licitum eſſe Eccleſię, illiuſque Miniſtris, & in primis Romano Pontifici, ejuſdem Eccleſiæ capiti, nec non Epiſcopis, aliiſque omnibus, tàm Ordinariis, quàm Delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, eccleſiaſtica beneficia, non modo clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiri.

CAPUT II.

In quo aliis Objectionibus SCRIPTURALIBUS *reſpondetur, ex Novo Teſtamento decerptis, adversùs Libertatem Eccleſiæ, in conferendo Sacras Præbendas, & Eccleſiaſtica beneficia, etiam Clericis extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Si ex Sacrâ Scripturâ Veteris Taſtamenti non arcentur extranei à beneficiis; neque ab eis repellentur ex Evangelio.*

2 Prima Objectio, *eſt ex verbis S. Joannis Baptiſtæ ad Milites dicente,* contenti eſtote ſtipendiis veſtris: *per quæ arceantur extranei à beneficiis.*

3 *S. Joannes prò ſtipendiis veſtris intelligit ſtipendia juſta, ut ab injuſtis contradiſtincta, non vero ſua, tamquam alienis, oppoſita.*

4 *Poteſt Collator beneficiorum, non minùs ac Princeps largitor ſtipendiorum, ea tàm alienigenis, càm originariis, prò ſe militantibus impertiri.*

5 *Nicolaus I. contrà Egilonem loquitur non ut ex debito, ſed ut ex honeſtate, verbaque Joannis præfata allegat in ſenſu accommodatitio.*

6 Secunda Objectio, *eſt ex electione S. Matthiæ in Apoſtolum, cui S. Petrus prælocutus eſt, eligendum unum ex ibi congregatis, quo excludantur extranei.*

7 *Petrus non eſt ibi locutus de indigenis, ſed de ſolis Convenis in fide. In poteſtate Petri erat eligere virum Apoſtolatu donandum.*

8 *Electores S. Matthię non componebant Eccleſiam particularem, quæ facęret eos extraneos ab aliis Eccleſiis. Apoſtoli, & Diſcipuli undè eſſent?*

9 *Apoſtoli, & Diſcipuli electuri Matthiam, non componebant Eccleſiam particularem Hieroſolymitanam, ſed Eccleſiam Generalem.*

10 *Si electio Matthiæ attendenda eſt, beneficiarii eligendi erunt à populo, & per ſortes deſignandi, quod à ſacris Canonibus alienum eſt.*

11 *Argumentum ex facto Matthiæ, nimium probaret, ſi excludendi eſſent extranei a beneficiis, & per conſequens nihil probat.*

12 Tertia Objectio, *eſt ex electione ſeptem Diaconorum, quod ſit de* traditione divinâ, & Apoſtolicâ obſervatione, *ut eligantur ſoli indigenæ.*

13 *Intèr Diaconos erat Nicolaus extraneus. Diaconatus, Præsbyteratus, & Epiſcopatus, etiam tùnc erant ſimùl ordines, & beneficia.*

14 *Ni-*

14 Nicolaus Ordines Minores, vel eum Diaconatu ſuſcepit, vel in eo omiſſi ſunt, juxta uſum antiquum.

15 Etiàm Minores Ordines, erant ſimùl Ordines, & beneficia. Nicolaus cum primò Ordines ſuſcepit, erat extraneus.

16 In Electione Diaconorum non fuit conſideratus indigenatus eorum, ut illos diſtinguens ab extraneis.

17 Si electionis Diaconorum forma eſſet obſervanda; beneficia non à Superioribus, ſed à populo eſſent diſtribuenda.

18 Malè infertur ex S. Cypriano, quod ſit de Domini conſtitutione, vel de traditione Apoſtolicâ excluſio extraneorum à beneficiis.

19 Idem malè infertur ex S. Athanaſio, qui carpit in Gregorio Cappadoce non extraneitatem, ſed intruſionem in Sede Alexandrinâ.

20 Si excluſio extraneorum fuiſſet de Conſtitutione Domini, vel de traditione Apoſtolicâ; aliquis eam objeciſſet prævaricatoribus ejuſdem.

21 Potiùs dici poſſet de Conſtitutione divinâ, & traditione Apoſtolicâ, admiſſio extraneorum. Etiam Collectę, & Quadrageſima dicuntur de traditione Apoſtolicâ.

22 Ut aliquid ſit de Conſtitutione divinâ, vel de traditione Apoſtolicâ, debet eſſe præceptum in Scripturis, vel ab Apoſtolis traditum.

23 Quas decimas acciperent in Lege veteri Sacerdotes, Pontifex, & Levitæ. Tribus Levi erat ditior aliis Tribubus.

24 Tribui Leviticæ datæ ſunt 48. civitates. Levitæ extrà Judæam poterant poſſidere agros. Quomodò miniſtrarent in Hieruſalem?

25 Sacerdotes, & Levitæ erant diſtincti in 24. claſſes, quæ per ſuas vices deſerviebant in Templo. Quot eſſent Levitæ?

26 Poterat Levites etiam extra tempus ſuę vicis templo famulari, & tunc ei debebatur pars redituum ſanctuarii.

27 Stipendiis ſuis Sacerdotes, & Levitę potiebantur, etiam dùm in Templo non miniſtrabant.

28 Reditus Levitarum nedùm indigenis, ſed etiam extraneis debebantur. Levitæ diſperſi erant per omnes Tribus Filiorum Iſrael.

29 Moyſes cum poſſet ſibi morituro ſubrogare filios, aut nepotes; deputavit Joſue extraneum, & Extribulem.

30 Hebebat Moyſes filios, & conſanguineos non deſides, ſed egregios: tamèn eos omnes poſtpoſuit Joſue extraneo.

31 Moyſes erat ſimul Dux, & Sacerdos. Filii ejus erant ſolum Levitæ, filii verò Aaron erant Sacerdotes.

32 Manuum impoſitio à Sanctis Patribus pro ordinatione ſuſcipitur. An Joſue fuerit ſolum Dux, an etiam Sacerdos?

33 Plures ex facto Moyſis, ſubſtituentis ſibi Joſue, colligunt modum provectionis Clericorum ad beneficia:

34 Ex Scripturis hucuſque relatis patet, non eſſe de jure divino excluſionem extraneorum à beneficiis.

35 Quarta Objectio eſt ex dicto Chriſti, qui non intrat per oſtium fur eſt, & latro, quo carptus fuit Ebbo proptèr Epiſcopatum acceptum extra patriam.

36 Extranei, juſtis modis accipientes beneficia, non ſunt fures, & latrones: ſed legitimi eorum poſſeſſores.

37 Collatores beneficiorum, & Nominatores ad ea, non fruerunt latrones dando beneficia extraneis, ſed ſuam poteſtatem juſtè exercent.

38 Verba præfata Chriſti non ſignificant eccleſiaſtica beneficia. Et ad ſummum adhiberi poſſunt in ſenſu accommodatitio.

39 Hincmarus non perſtringit Ebbonem quià extraneum, ſed quia, cum eſſet excommunicatus, Epiſcopatum accepit.

40 Quin-

40 Quinta Objectio *eſt ex verbis Apoſtoli, oportet Epiſcopum teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt, quo carent extranei.*

41 *Verba ipſa Apoſtoli non præceptivè, ſed directivè ponuntur. S. Bernardus 34. conditiones exigit in Pontifice, non præceptivè, ſed directivè.*

42 *S. Paulus plures qualitates in Sacerdotibus, ſenibus, juvenibus, & matronis depoſcit, non tamèn præceptivè, ſed directivè.*

43 *De honeſtate, non de neceſſitate loquitur D. Paulus in præfatis verbis. Eſſe irrepræhenſibile excedit vim naturæ.*

44 *Teſtimonium habere bonum, ſpectat ad perfectionem, & honeſtatem, non verò ad neceſſitatem in Promovendo.*

45 *Si valeret Objectio, in promovendis neceſſarium eſſet teſtimonium Infidelium. Bonum teſtimonium habere poſſunt etiam extranei.*

46 *Apoſtolus hæc exegit in Chriſtianis, & Sacerdotibus, nè poſſent carpi ab Infidelibus. Irreprçhenſibilitèr vivere ſpectat ad perfectionem.*

47 *Etiam extranei bonum teſtimonium habere poſſunt, & ità plurimi Antiſtites ſolâ famâ noti Epiſcopatum obtinuerunt.*

48 *S. Auguſtinus ſolâ famâ notus, omnium voto Epiſcopus factus eſt; ſicut autèm notitia ex famâ tunc ſatis fuit; ſic & ſatis eſſe nunc poteſt.*

49 *Tùnc requirebatur in promovendis teſtimonium populi, quandò ad Clerum, & populum ſpectabat eum deſignare.*

50 *Quę tamèn forma non ubilibèt obſervabatur, nec erat de jure divino: ideò potuit Eccleſia illam mutare, ex juſtâ causâ.*

51 *Nùnc promovendi teſtimonium habent bonum ab illis, quibus hi hoc committunt, ut de eorum merito certiorentur.*

42 *Teſtimonium habere bonum, non magis reſpicit indigenas, quàm extraneos, nec ex eo infertur excluſio extraneorum.*

1. QUEMADMODUM in antecedenti Capitulo argumenta, & Objectiones Scripturales, ex veteri Teſtamento propoſitas, enodavimus, atque totaliter exinanivimus; ità & in preſenti Capitulo alias, ex Novo fœdere carptitatas, prorsùs evacuabimus, & felicitèr diſſoluemus. Idem namquè Deus, qui per Moyſen, & Prophetas priori tempore locutus eſt; poſteriori per Chriſtum, & Apoſtolos eſt effatus: Non diverſa prædicans, ſed eadem quæ priùs, innovata tamen, & perfectione veſtita: necnon tamquam revelatum expandens id, quod ſub umbris veteris legis, uſque ad pręfinitum ab eo tempus, contegendum eſſe diſpoſuit: Nàm ut inquit D. Auguſtinus, *quod Lex & Prophetæ futurum prænuntiaverunt, hoc redditum, & completum in Evangelio demonſtratur* (a). Igitùr non differunt quoàd ſubſtantiam Lex, & Evangelium, niſi ſub proportione, quâ diſtant, novum à veteri, atque ab imperfectiori perfectius. Et ità ſi eadem ſunt principia, eadem ſunt præcepta ſubſtantialia Evangelii, & Legis; cum jàm Objectiones, ex Lege productas; cauſæ extraneorum, prò beneficiis eccleſiaſticis aſſequendis, nihil officere probaverimus; profectò etiam argumenta, ex Evangelio petita, nullum eidem cauſæ vulnus infligent. Verumtamèn ut nos bonâ fide cum Contradictoribus procedamus, & omnem dolendi anſam, omnem querimoniæ titulum amputemus; hìc opportunum eſſe duximus, Objectiones ab illis ex novo Teſtamento collectas, formitèr examinare, ut earumdem vi, & priùs exploratâ, & ſucceſſivè diſpunctâ; de libertate tandèm Eccleſiæ, in contradictorio defensâ, felicitèr gaudeamus.

(a) *S. Auguſt. de conſenſu Evang. cap. 3*

2. *Arguunt* ergò primò Contradictores ex Evangelio Lucæ, ubi facto verbo Domini ſuper Joannem, Zachariæ filium in deſerto, vęnit ipſe in omnem Regionem Jordanis, prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum (b). Interrogantibus autem illum Turbis, Publicanis, & Militibus, ut diceret, quid fa-

(b) *Lucæ cap 3. nu. 3.*

Digitized by Google

faciendo vitam conſequerentur æternam; Joannes illis congrua reſponſa dedit, & Militibus præſertìm, hæc quæ ſequuntur ſalutaritèr intimavit, *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris* (*a*). Sermo eſt hic de militibus, arma tractantibus, ſed uti commonent S. Auguſtinus, *hæc divina ſententia, quę ad milites loquitur, poteſt etiam ad Clericos retorqueri, quià etiam ſi non militare videamur ſæculo; tamèn Domino, e Deo militamus* (*b*). *Sicut ait Apoſtolus, nemo militans Deo, intricat ſe negotiis ſęcularibus* (*c*). Cum autèm jubeat Joannes militibus ſæculi, *contenti eſtote ſtipendiis veſtris*, per ly *veſtris*, excluduntur *aliena*. Ergò etiam militibus Eccleſiæ aliena ſtipendia prohibentur. Hęc autèm aliena ſtipendia, inquiunt Contradictores, ſunt beneficia eccleſiaſtica, indigenis debita, ſed ab extraneis occupata. Quo ſenſu Egilonis electionem ad Archiepiſcopatum Senonenſem, à quo erat extraneus, in irritum mittens Nicolaus Papa I. eum hiſce literis objurgavit, *quià ſuper hac parte ad ſacras regulas Patrum, minùs, quàm opportuit eſt reſpectum; ſaltèm ad evangelicas fuiſſes paginas properatum, in quibus legitur, quià cum milites, quid facturi eſſent, Joannem Baptiſtam interrogarent; protinus ab eo intèr alia, ut contenti eſſent ſtipendiis ſuis, audiere præceptum. Ubi conſiderandum eſt, ſi militibus ſæculi, ut ſuis ſint ſtipendiis contenti à Joanne pluſquàm Propheta jubetur; quanta pœna puniendi ſunt milites Chriſti, qui quoquomodò in ſtipendia abrepunt aliena* (*d*). Ergò, inferunt Contradictores, extranei ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi.

3. Reſpondetur *primò* negando ſuppoſitum, nempè quod Joannes verba illa *ſtipendiis veſtris* ità protulerit, ut ea contraponat *ſtipendiis alienis*. Nàm hoc nunquam in mente habuit, neque id ullatenùs ipſa lectio textualis importat. Sed ideò dixit *ſtipendiis veſtris*, ut milites, contenti mercede ſibi juſtè debitâ, manus à latrociniis, fraudibus, & à quolibet emolumento, ſibi indebito cohiberent. Itaquè ſtipendii numine intelligit mercedem bellicam, quę militibus, caſtra ſequentibus, & in juſto bello pugnantibus, ſunt debita: Neque enìm crimen eſt officiis militaribus indulgere, in bello pugnare, arma tractare: quià qui hæc agunt, miniſtri legis ſunt, non homicidæ: nec ultores injuriarum ſuarum, ſed ſalutis publicæ defenſores (*e*): & conſequentèr culpa non eſt pretium laboris, in militiâ impenſi, percipere. Nàm quibus proprium ſtipendium ſufficere debere præcipit; militare utique non prohibuit (*f*). Ideò ergò S. Joannes Baptiſta, reſpondens militibus, contenti eſtote ſtipendiis veſtris, prò *veſtris* intellexit ſtipendia juſta, ſolita, honeſta, & militibus à lege, vel à Principe prætaxata. Rem aureo ſermone explicat S. Ambroſius, dicens; *Nonnulli, qui militiæ cingulo detinentur, cum peccant graviter, hac ſolent à peccatis ſuis primâ ſe voce excuſare, quod militant; & ne benè aliquandò faciant, occupatos ſe malis artibus conqueruntur: perindè quaſi militia hominum, non voluntas in culpâ ſit: ità quod ipſi gerunt, officiis ſuis adſcribunt: non enim militare delictum eſt, ſed propter prædam militare peccatum eſt &c. Proptereà enìm providentiâ quadam militantibus ſunt ſtipendia conſtituta, nè dùm ſumptus quæritùr, prædo graſſetur &c. Igitùr nemo de occupatione militiæ conqueratur. Apud hominem Chriſtianum prima honeſtatis debet eſſe militia &c. Apud Deum non jàm exactio, ſed exactio iniqua damnatur* (*g*).

4. Si itàque D. Joannes Baptiſta, hæc proferens, nihil in mente habuit de ſtipendiis alienis; jàm textus, ex oppoſito allegatus, nec ſolos indigenas admittit ad eccleſiaſtica beneficia, neque Clericos extraneos ab eorundem conſecutione repellit: & per conſequens nihil probat. Quinimò ſi ſpiritum argumenti attendere volumus, & quò vergit eum noſtro nos ſubſequi ratrocinio; argumentum facilè adversùs Contradictores poterit retorqueri: Nàm ſicuti licitum eſt militibus ſtipendia, ſibi à lege data, ſuſcipere, & mercedem bellicam, ſibi à Principe oblatam, ſine hęſitatione adipiſci, nullo attento diſcrimine, an lex, & Princeps, erogationes illas, vel hinc, vel indè collegerint, aut ex hoc, vel ex alio loco, ad ſe traxerint; ità & Clericis licitum eſt beneficia, ſibi à Superiore delata, recipere,

ſive

(a) *Lucæ cap. 3. num. 4.*
(b) *S. Aug. ſerm. de Verbo Domini.*
(c) *2. Timot. cap. 2. num. 4.*
(d) *Nicol. PP. II. ep. 10.*
(e) *S. Aug. contra Fauſtum, S. Thom. in Caten. in Lucæ cap. 3. num. 14.*
(f) *S. Aug. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 1. tom. 4.*
(g) *S. Ambroſ. in ſerm. 66.*

ſive hic, ſive illic erecta: ſive ex uno, ſive ex alio loco fructum reddentia: quippè tota ratio, juſtificans actionem Clerici ſuſcipientis, eſt auctoritas Superioris eccleſiaſtici, ſuo, ſive Eccleſiæ nomine concedentis, qui beneficia, à ſuâ jurisdictione pendentia, poteſt Clericis, tùm nativis, tum extraneis impertiri, non minùs ac poſſit Princeps ſtipendia, à ſua juriſdictione pendentia, tàm originariis militibus, quàm alienigenis, de ſe benemerentibus, elargiri.

5. Reſpondetur *ſecundò*, textum Lucæ, in argumento propoſitum, & reſponſum S. Joannis Baptiſtæ, militibus ibi datum, nihil magis probare adversùs extraneos, quam probent verba Sapientiæ, in ultimo argumento Capituli antecedentis producta, quæ ibi fuerunt tribus reſponſionibus enodata, ac funditùs evacuata: cumque reſponſiones ipſæ pari paſſu, ac æquo pede, præſenti Objectioni reſpondeant; Lectorem illùc remittimus, nè ſemel dicta iterùm repetamus: contenti innuiſſe, Nicolaum Papam in causâ Egilonis, ad Archiepiſcopatum Senonenſem promoti, allegaſſe auctoritatem Lucæ, de quâ eſt ſermo, non ad obligationem, ut ex neceſſitate promovendam, ſed ad indicandum debitum, ut ex merâ honeſtate dimanans? Nec in ſenſu literali, germano, & vero; neque in propriâ ſignificatione, verba ipſa produxiſſe; ſed merè alluſivè, & in *ſenſu accomodatitio*, cujus, ut jàm diximus, vel nullum, vel vix ullum eſt robur, ad faciendum gradum aliquem probationis. Quarè collectis viribus argumenti, concludendum venit, quod per illud neutiquàm vulneratur libertas Eccleſiæ, ne poſſit ſuas præbendas viris etiam extraneis impertiri.

6. *Arguunt ſecundò* Contradictores ex Actibus Apoſtolorum, ubi congregatâ Eccleſiâ, & introducto ſermone, de ſubrogando aliquo in locum Apoſtolatus, à quo Judas proditor paulo antè deciderat; nonniſi unus ex eâdem Eccleſiâ, adeòque indigena, nempè S. Matthias, fuit communibus votis omnium ſubſtitutus. *In diebus illis*, inquit textus, *exurgens Petrus in medio Fratrum dixit (erat autèm turba hominum ſimùl ferè centum viginti) Viri Fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David, de Judâ, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jeſum, qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem Miniſterii hujus. Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius &c. Oportet ergò ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati, in omni tempore, quo intravit, & exivit intèr nos Dominus Jeſus &c. teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis. Et ſtatuerunt duos, Joſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Juſtus, & Matthiam &c. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſupèr Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis* (a). Notentur illa verba, *oportet ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati*. Et infrà: *teſtem reſurrectionis fieri unum ex iſtis*, quæ oſtendunt, inquiunt Contradictores, limitatam fuiſſe formam electionis ad officium, & beneficium Apoſtolatus, ita ut nullus, niſi ex corpore illius Eccleſiæ, poſſet ad gradum Apoſtolicum promoveri. Hæc autèm methodus, in electione Matthiæ tenta, regulam dat electionibus ad alia officia, & beneficia faciendis, & ſic ſi ad Apoſtolatum non potuit, niſi indigena, ſive unus de Eccleſiæ numero, admitti; ergò etiam ad alia beneficia non poteſt provehi, niſi indigena, & per conſequens extranei à beneficiis eccleſiaſticis repelluntur.

(a) Actor. cap. 1. num. 25.

7. Reſpondetur *primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod verba illa, *ex his viris, ſeù ex iſtis*, in textu notata, ſignificent indigenas, prout contradiſtincti ſunt ab advenis, & prout ab extraneis ratione incolatus, aut originis, opponuntur. Nam verba illa, ſi ſeriò perpendantur, in ſuo obvio, & formali conceptu, atque in ſuo vero, & naturali ſenſu, ſignificant non indigenas ejuſdem loci; ſed Convenas in eâdem fide, & in unâ, eâdemque Chriſti religione conjunctos. Nunquid enim eligendus erat ad Apoſtolatum, vel aliquis Hebræus, Chriſti blaſphemator, vel aliquis Paganus, Idolorum cultor, & Summæ Deitatis deriſor? Abſit. Potuiſſet & D. Petrus, ſub ratione formali ſummi Pontificatus, quem exercebat, propriâ

auctoritate, & nullius aſſenſu poſtulato, novum Apoſtolum in locum Judæ prævaricationis eligere, hanc etenim fuiſſe unam ex prærogativis ipſi Petro competentibus, teſtatur Sylveira (*a*). Et D. Joannes Chryſoſtomus apertis vocibus hac de re declamavit: Quid? *An non licebat ipſi Petro eligere? Licebat, & quidem maximè: verum id nonfecit, ne cui videretur gratificari* (*b*). Benè ergò Petrus volens gratum officium toti Eccleſię exhibere, & electionem illam ejuſdem Eccleſiæ auctoritati pleniùs reſervare; propoſuit eligendum eſſe unum ex Diſcipulis, ibidem cum Apoſtolorum collegio congregatis: Nempè virum ſacro tinctum Baptiſmate, in fide inſtructum, à Chriſto intèr Diſcipulos cooptatum, non Neophitum tandèm, ſed in fide quodammodò veteranum, benemeritum, ac tanti gradus celſitudine dignum. Cum igitùr Petrus in illo ſermone nihil cogitaverit de indigenis: ſed de ſolis Convenis in fide Chriſtianâ tractaverit; certè nec alium ſenſum potuit habere Eccleſia, quam ille ſuis tunc perſuaſionibus inſtruebat. Et ſi nec Petrus, nec Eccleſia, in hujuſmodi ſucceſſu de ſolis indigenis neceſſariò promovendis egerunt; per conſequens nullam lectionem dederunt de extraneis inpoſterùm repellendis. Et idcircò, ex hujuſmodi eventu, nulla ratio poteſt fundari, quæ probet, extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis protelandos.

8. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm negando aliud ſuppoſitum, nempè quod Diſcipuli, aliique Fideles, congregati ad eligendum S. Matthiam in Apoſtolum, ipſeque S. Matthias componerent aliquam Eccleſiam particularem, cujus unius eſſent indigenæ, & ſimùl eſſent extranei à cunctis aliis Orbis Eccleſiis. Nàm tùnc non erant plures Eccleſiæ particulares, ſed una tantum: & fideles illi, Diſcipuli, atque Apoſtoli, in unum conſociati, ac Matthias, non componebant aliquam Eccleſiam particularem, ſed totam ſimùl Dei Eccleſiam, Eccleſiam generalem, Eccleſiam totius Orbis, quæ tunc ex iſto pauco virorum numero coaleſcebat, quià puſillus adhùc erat grex eorum, qui Chriſtianę fidei nomen dederant (*c*). Neque ipſi Apoſtoli, Diſcipuli, & fideles tùnc Hieroſolymis congregati, erant omnes Hieroſolymitani, ſed ex diverſis Orbis partibus prodierant, & ibi tunc quodammodò accidentatilèr conſidebant, ad Concilium nempè celebrandum, prò ordinandis rebus Eccleſiæ, & prò politico ejuſdem regimine deſignando. Apoſtoli, inquam, erant nativi ex diverſis locis, & Urbibus Terræ Sanctæ: imò & ex diverſis Tribubus filiorum Iſrael, nimirùm ex Tribu Judâ, ex Tribu Nephtali, uti cenſent S. Hieronymus (*d*). Theodoretus (*e*), & alii, fortè inhærentes prædictioni Pſalmiſtæ: *Principes Juda, Duces eorum, Principes Zabulon, Principes Nephtali* (*f*). Judam quoque Iſcariotem fuiſſe ex Tribu Ephraim, vel ex Tribu Iſachar, idem S. Hieronymus opinatur (*g*). Paritèr Diſcipuli Domini ortum ex variis Orbis provinciis ſinè ambiguitate duxerunt: cum Barnabas fuerit Cyprius (*h*): Lucas ex Antiochiâ Syrię (*i*): Nicolaus ſimilitèr fuerit Antiochenus (*l*): & ità de aliis, de quibus legi poteſt S. Epiphanius (*m*), Euſebius Cęſarienſis (*n*), & alii (*o*).

9. Qui Apoſtoli, Diſcipuli, & Fideles, ut innuimus, quamquàm tùnc eſſent Hieroſolymis congregati, ad ſtatum Eccleſiæ diſponendum, vel ſolidandum; tamèn non componebant Eccleſiam Hieroſolymitanam, uti malè ſupponunt Contradictores, ſed conſtituebant totam Eccleſiam generalem. Hieroſolymitana enim Eccleſia fuit decennio poſt fundata, quandò diſtributis intèr Apoſtolos Orbis Regionibus, ſacrâ prædicatione imbuendis, urbs Hieruſalem obſtigit Jacobo Minori (*p*), qui inibi fuit à D. Petro Epiſcopus ordinatus, uti tradit S. Joannes Chryſoſtomus (*q*), Euſebius (*r*), Clemens Alexandrinus, & alii: hocque ſucceſſit anno Chriſti quadrageſimoquarto, ſecundò Claudii Imperatoris (*s*). Electio verò Matthiæ contigit anno Chriſti trigeſimoquarto, decimo octavo Tyberii Cæſaris (*t*): & ità quandò Matthias eſt in Apoſtolum deputatus, Eccleſia Hieroſolymitana nondùm erat fundata. Si autèm nondùm erat fundata, jàm patet, quod Apoſtoli, Diſcipuli, & Fideles Hieroſolymis congregati, non componebant Eccleſiam Hieroſolymitanam, neque aliam Eccleſiam particularem, ſed totam Dei Eccleſiam, Eccleſiam univer-

ſalem,

(a) *Jo. de Sylveira in Evang. lib. 5. cap. 5. qu. 16. num. 66.*
(b) *S. Jo. Chryſoſt. hom. 3. in Act. Apoſt.*
(c) *Lucæ cap. 12. num. 32.*
(d) *S. Hieronym. in Iſai. cap. 9.*
(e) *Theodoret. in Pſalm 67.*
(f) *Pſal. 67. num 28*
(g) *S. Hieronym. in Iſai. 28. & in Matth. 10. & de Nomin. Hebraic.*
(h) *Breviar. & Martyrol. Rom. die 11. Junii.*
(i) *S. Hieron. de Script. Eccleſ. in Luca.*
(l) *Actor. cap. 6. num 5.*
(m) *S. Epiph. in Panar. lib. 1. tom 1. in fin.*
(n) *Euſeb. Hiſtor. lib. 1. cap 12.*
(o) *Vide Borell. Summ. Deciſ. tom. 1. tit. 5. num 6.*
(p) *S. Hieronym de Scriptor. Eccleſ. in Jacobo.*
(q) *S. Joan. Chryſ. hom 84. in Joan.*
(r) *Euſeb. Hiſtor. lib. 2 cap. 26.*
(s) *Cardin. Baron. ann 44 num. 14.*
(t) *Baron. ann. 34. num. 137.*

ſalem, & generalem, quanta tunc erat in toto Orbe. Et ideò quandò Matthias in Actibus Apoſtolorum dictus eſt unus ex *his viris*, ſeù *ex iſtis*, ibi conſidentibus; non eſt talitèr appellatus, tamquàm incola alicujus Eccleſiæ particularis, quæ redderet illum extraneum ab aliis Eccleſiis, ſed ſolum uti Convena in fide cum ſequacibus Redemptoris, uti pars Eccleſiæ univerſalis, & uti membrum illius Corporis, ex quo tunc tota Eccleſia conſtabat. Si igitùr tunc Matthias non erat indigena alicujus Eccleſiæ particularis, neque ab aliis Eccleſiis extraneus; ecquænam, quæſo, ratio ex illius electione deſumi poteſt, ad repellendos extraneos, ab eccleſiaſticis beneficiis?

10. Reſpondetur *tertiò*, Argumentum nihil probare, quia nimis probat: probat enim primò, quod electio ad beneficia non debeat fieri à Papâ, neque ab Epiſcopis, neque ab beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus, ſed à clero, populo ſimùl juncto, quià Matthias electus fùit ad Apoſtolatum, non à ſolo D. Petro, ſed etiam ab Apoſtolis, Diſcipulis, & aliis Fidelibus, ſecùm congregatis; quis autem hoc audebit effutire, quandò jam à multis ſæculis electio ad eccleſiaſtica beneficia eſt apud Superiores Eccleſiarum, & reſpectivè apud Principes, ac privatos, jure patronatus potientes? Secundò probat, quod electio ad beneficia debeat fieri per ſortes, quia per ſortes fuit electus ad Apoſtolatum Matthias: quis autem hoc audebit admittere, quandò electio per ſortes eſt jam à ſacris Canonibus improbata (*a*)? Tria igitur in facto Matthiæ ſucceſſerunt: primum eſt electio de gremio Diſcipulorum, Secundum eſt electio per ſortes. Tertium eſt electio facta à clero ſimùl, & populo. Si electio Matthiæ debet regulam nobis dare; non una tantùm ex dictis illius circumſtantiis prò lege habenda eſt, ſed cunctæ tres ſimùl; & ità non ſola electio de gremio regulare debebit electionem clericorum ad beneficia, ſed aliæ etiam duæ circumſtantiæ, nempè electio per ſortes, & electio facta à clero ſimùl, & populo.

(a) *Cap. Eccleſia 3. de Sortileg.*

11. Cum autèm duæ poſteriores circumſtantiæ locum habere non poſſint, nimiumque probet argumentum, ſi eas debere admitti poſcatur; ſequitur, quod nec etiam prima, nempè electio de corpore, ſivè de indigenis Eccleſiæ, locum habere debeat. Et ſi contendatur, nullum eligi poſſe ad beneficia, niſi indigenam, exemplo S. Matthię; fit quod argumentum nimiùm probet, & conſequentèr nihil omnimodò probet: non enim eſt major ratio de neceſſariâ obligatione admittendi potiùs unam ex dictis tribus circumſtantiis, quam de admiſſione aliarum. Itàque electio Matthiæ ad Apoſtolatum, nullam probat neceſſitatem coarctandi collationem beneficiorum eccleſiaſticorum ad ſolos indigenas, & debitum excludendi ab illis extraneos: & idcircò illæſa conſiſtit libertas Eccleſię in conferendo ſacras præbendos, tùm viris indigenis, tùm extraneis.

12. *Arguunt tertiò*, Contradictores ex iiſdem Actibus Apoſtolorum, ubi ab Apoſtolis conſtituti ſunt ſeptem Diaconi, qui & menſis miniſtrarent, & Sacerdotibus in officio Levitico deſervirent. Res hoc modo ſe habuit: *Convocantes duodecim multitudinem Diſcipulorum, dixerunt; non eſt æquum nos derelinquere Verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergò fratres Viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu Sancto, & ſapientiâ, quos conſtituamus ſupèr hoc opus: nos verò orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo coràm omni multitudine, & elegerunt Stephanum, & Philippum &c.* (*b*). Notentur verba illa, *conſiderate Viros ex vobis, quos conſtituamus &c.* per quæ, inquiunt Contradictores, docemur, electionem ſeptem Diaconorum non fuiſſe faciendam vagè, undèlibet, ac ex quocumque loco, ſed ex ipſo numero fratrum, ex corpore Diſcipulorum, ex gremio Eccleſiæ, & ut habet textus, *ex vobis*, ſicque Diaconi debuerunt eſſe indigenæ, non extranei. Ponderans hæc verba D. Cyprianus ait, *diligentèr de traditione Divinâ, & Apoſtolicâ obſervatione ſervandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoquè, & ferè per provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem*

(b) *Actor. cap. 6. num. 2.*

provinciȩ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur, plebe præſente, quȩ ſingulorum vitam pleniſſimè novit (*a*). Si autem ex electione Diaconorum infertur, eſſe de *traditione divinâ*, & *Apoſtolicâ obſervatione*, quod ad electionem beneficiariorum, ſeù Eccleſiæ miniſtrorum, concurrat teſtimonium plebis; ergò etiam ex eodem facto infertur, eſſe de *traditione divinâ*, & *Apoſtolicâ obſervatione*, quod beneficiarii ex corpore Eccleſiæ deligantur. Et de facto D. Athanaſius redarguens Conſtantium Cæſarem, proptèr Gregorium Cappadocem alienigenam, in Sede Alexandrinâ introductum, dicit, ab eo fuiſſe læſam *Domini conſtitutionem, per Apoſtolos traditam* (*b*). Ergò *divinâ traditio eſt*, & *Apoſtolicâ obſervatio*, ſive *Divinâ conſtitutio, per Apoſtolos tradita*, ut ſoli indigenæ poſſint ab beneficia promoveri, extraneis refutatis.

13. Reſpondetur primò, retorquendo argumentum. Nàm ſi valet ratio, ex electione ſeptem Diaconorum deducta; attendendum eſt, ſeptem illos Diaconos fuiſſe hos, qui ſequuntur: *Stephanum virum plenum fide, & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum*. Intèr Diaconos ergò, à fidelibus coràm Apoſtolis conſtitutos, & ab his ad ordinem Diaconalem, ac beneficium Diaconale promotos, erat unus extraneus, nempè Nicolaus, qui textualitèr, & literis cubitalibus, dicitur ibi *Advena Antiochenus*; Ergò & Adveuȩ, & Extranei poſſunt nùnc, tùm ad officia, tùm ad beneficia eccleſiaſtica admitti, ſicuti tempore Apoſtolorum potuit ad ea promoveri Nicolaus advena Antiochenus, cum aliis provectus ad Diaconatum: qui ordo tùnc temporis, nedùm jus ad ſacram adminiſtrationem rerum ſpiritualium, ad sè pertinentium, continebat; ſed etiam jus ad erogationes, & annonam temporalem ab Eccleſiâ percipiendam, quod idem eſt ac effari, Diaconatum tùnc fuiſſe ſimùl ordinem, & beneficium, quemadmodùm fuſiùs docet Thomaſſinus (*c*), ſentiens primis illis temporibus, tàm Diaconatum, quàm Præsbyteratum, & multò magis Epiſcopatum, fuiſſe non ſolum ordines, qui poteſtatem ſpiritualem imbiberent, ſed etiam beneficia eccleſiaſtica, adminiſtrationem exteriorem præſeferentia, & jus percipiendi fructus eccleſiaſticos, illi muneri reſpondentes.

14. Si dicatur Nicolaum, ſeptimum in ordine Diaconorum, per Apoſtolos electorum, licet origine advenam, atque patriâ Antiochenum, & quoàd hunc reſpectum extraneum; non fuiſſe tamèn extraneum in Eccleſia, cui inſertus eſt, ſed à die inſertionis fuiſſe inibi indigenam, & uti indigenam miniſtraſſe; in promptu eſt reſponſio, quod hæc non eſt expoſitio Scripturæ, ſed ludificatio, & deluſio. Siquidem inſertio in aliquâ Eccleſiâ fit per ordinum ſuſceptionem, & ità inſertio Nicolai in Eccleſiâ, de quâ loquimur, non potuit fieri, niſi per ordinum ſuſceptionem. Ipsè autem Nicolaus, antequàm ad Diaconatum admitteretur, nullum alium ordinem jam ſuſceperat: tùm quia de hac rè in Scripturis nulla fit mentio, nec niſi divinando poteſt præſumi, eum fuiſſe ad alios ordines jam præventivè promotum. Tùm etiam quià probabilitèr omnes inferiores ordines unà cum Diaconatu ſuſcepit, juxtà morem primorum temporum: Niſi velimus dicere, quod in dicto Nicolao, cæteriſque Diaconibus collegis ſuis, fuerint inferiores ordines, vel non diſtincti à Diaconatu, vel etiam fortè prætermiſſi, eo quod etiam ſucceſſivis primis ſæculis *uſitatum eſſet, ſi qui Viri accederent, meritis, & pietate quadam ſingulari ſpectabiles, ut illis omiſſis inferioribus gradibus, acceleratâ ordinatione ſtatim Diaconatus conferretur*, uti loquitur idem Auctor (*d*); & quemadmodùm factum fuiſſe legitur à Pappo Epiſcopo Citrienſe, qui apprehenſum S. Epiphanium Phænicem, ortum circà Eleutheropolim, monachum profeſſione, ſed nondùm clericum, & humilitatis titulo reluctantem, vì ductum ad altare, *ordinat Diaconum, & rursùs dat ei pacem, & ipſum ordinat Presbyterum. Rurſuſquè fit conſequentia, & eum ordinat Epiſcopum* Salaminæ, ſivè Conſtantinæ in Cypro (*e*). Quod & idem Epiphanius fecit cum Pauliniano, fratre D. Hieronymi (*f*). Divuſque Hilarius Pictavienſis tentavit facere cum D. Martino, poſteà Epiſcopo Turonenſe (*g*). Ergò Nicolaus nullum

(a) S. Cyprian. l. 1. ep. 4.

(b) S. Athanaſ. ep. ad Solitar.

(c) Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. par. 1. lib. 1. cap. 51. num. 1.

(d) Thomaſſin. ubi ſupra part. 1. lib. 2. cap. 35. num. 11. & cap. 36 à num 13. ad 17.

(e) Idem loc. cit. par. 1. lib. 2. cap. 35. num. 11.

(f) Vit. S. Epiphan. ap. Lipoman. & apud Surium die 15. Maii.

(g) S. Epiph. ep. ad Joan. Hieroſol. quæ eſt 60. int. epiſt. S. Hieron.

(h) Sever. Sulpit. lib. de Vitâ S. Martin.

nullum ordinem ſuſceperat, & per conſequens non erat inſertus ulli Eccleſiæ antè Diaconatum, & ſic erat extraneus, non indigena, quando ad illum ordinem eſt promotus.

15. Reſpondetur ſecundò, iterùm retorquendo argumentum. Nàm vel Nicolaus advena Atiochenus receperat alios Ordines inferiores antè Diaconatum, vel non. Si non; Ergò non erat inſertus ulli Eccleſiæ, antequàm fieret in illâ Diaconus, & ſic admiſſus fuit ad beneficium Diaconale, dùm adhuc eſſet extraneus, & conſequentèr extranei licitè poſſunt ad beneficia eccleſiaſtica promoveri. Si Ordines inferiores antè Diaconatum receperat; ergò quando primò admiſſus eſt ad ordines inferiores, quantumvis eſſet extraneus, tùnc in ſtatu extraneitatis, & Ordines, & Officia & Stipendia, ſeù Beneficia minorum Ordinum adeptus eſt: nec minus etenìm Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolytatus, & Subdiaconatus, cum ordinis charactere illi ſtipendia ſacra deferebat, ſeù beneficium eccleſiaſticum, iiſdem Ordinibus reſpondens, præſeferebat, quàm Diaconatus, & Presbyteratus. Ergò Nicolao nihil obſtitit extraneitas, quin poſſet provehi ad beneficium, vel Diaconale, vel Oſtiariale, vel Exorciſtale, ſed ſatis ei fuit eſſe convenam in fide cum aliis, ad quorum Eccleſiæ Miniſterium debuit promoveri. Igitùr ſi exemplo Diaconorum, ab Apoſtolis promotorum, ſtandum eſt; omnes Orbis incolæ, quantumvìs origine extranei, dummodò ſint convenæ in fide cum aliis componentibus Eccleſiam, ad cujus beneficium debent promoveri, licitè poſſunt ibi beneficia ſacra adipiſci. Ergò extranei, nedum non ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi, ſed imò potius ad illa debent admitti. Et ſic falſum eſt, beneficia eccleſiaſtica eſſe ſolis indigenis deferenda.

16. Reſpondetur tertiò negando ſuppoſitum ex duplici capite: primò, quod ubi in promotione Diaconorum dictum eſt, *conſiderate Viros ex vobis, quos conſtituamus &c.* (a) per ly *ex vobis*, ſignificati ſint indigenæ, prout contradiſtinguebantur ab extraneis ratione originis, vel incolatus. Per illa etenim verba, ſi ſeriò conſiderentur, non connotati ſunt indigenæ ejuſdem loci, ſed ſolùm Convenæ in eâdem fide, & ſic vi ipſorum verborum non ſunt repellendi ab eccleſiaſticis beneficiis extranei. Secundò negatur aliud ſuppoſitum, nempè quod Apoſtoli, & Diſcipuli, ac Fideles, congregati ad faciendam ſeptem Diaconorum electionem, componerent aliquam Eccleſiam particularem, cujus unius, tùm ipſi eligentes, tùm Diaconi eligendi, eſſent indigenæ, & ſimùl eſſent extranei à cunctis aliis Orbis Eccleſiis. Componebant enìm totam Eccleſiam, quæ tùnc erat unica in univerſo Orbe, & ſic ipſi à nullâ aliâ Eccleſiâ erant extranei, adeòque verba illa textus, *ex vobis* non reſpiciebant indigenatum ratione originis, vel incolatus, ſed meram convenientiam in eâdem fide, ac per conſequens ex ipſis verbis nequaquàm probatur debitum repellendi extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis. Has reſponſiones fuſiùs proſecuti ſumus in præſenti Capitulo, paulò ſuperius (b), dum objectionem, ex electione S. Matthiæ in Apoſtolum propoſitam, ſolveremus: illùc humanum Lectorem remittimus, qui, applicato ſermone, in causâ Matthiæ facto, electioni ſeptem Diaconorum, de quibus hic loquimur; inveniet utramque reſponſionem ibi datam; præſentem quoquè objectionem efficacitèr enodare.

(a) *Actor. cap. 6. num. 1.*

(b) *Vid. ſup. in hoc cap. num. 7. 8. 9.*

17. Reſpondetur quartò, Argumentum nihil probare, quià probat nimium. Si etenìm textui oppoſito ſtandum eſt, de ſeptem Diaconorum conſtitutione loquenti, cum non una tantùm pars ejuſdem textus veniat attendenda, ſed tota ſimùl illius ſeries (quià nulla major eſt ratio, cur ex eodem contextu, una tantùm pars, & non alia regulam facere debeat, imprævaricabilitèr obſervandam) ſequitur, quod quemadmodum à Contradictoribus prætenditur, electionem beneficiorum eſſe neceſſario faciendam de conſortio Eccleſiæ, quià Diaconi electi ſunt ex aliorum diſcipulorum, ibi congregatorum, numero; ità à nobis poterit proponi, electionem ipſorum beneficiariorum faciendam eſſe, non à Papâ, & reſpectivè non ab Imperatore, non à Regibus, non ab Epiſcopis, non ab iis tandèm, ad quos huc uſquè per-

Digitized by Google

pertinuit beneficia conferre, vel reſpectivè ad ea nominare, ſed à Clero ſimùl, ac populo, cujuſcumque particularis Eccleſiæ, quià ſeptem Diaconi fuerunt ſimùl à Diſcipulis, & Fidelibus, in unum congregatis, electi; Quis autèm hoc audebit admittere, niſi ſit inſanus? Quis audebit totam Eccleſiæ politiam convellere, & è manibus Prælatorum Eccleſiæ, quorum eſt conferre beneficia, & reſpectivè Principum, ac privatorum, quibus competit facultas præſentandi Clericos idoneos ad beneficia ſui jurispatronatus, abſtrahere jura hucuſque poſſeſſa, & diſtributionem beneficiorum plebi rudi, ac populo mutabili reſervare, atque ità in Eccleſiâ chaos confuſiſſimum introducere? Hanc reſponſionem ſuprà allegavimus Capitulo præcedente (*a*), illam ibi lector perquirat, & de illius efficaciâ dijudicet.

18. Reſpondetur quinto ad id, quod ex verbis SS. Cypriani, & Athanaſii ſubinfertur, eſſe *Domini conſtitusionem*, *per Apoſtolos traditam*, ſeù *divinam traditionem*, & *Apoſtolicam Obſervationem*, quod extranei ſint à beneficiis eccleſiaſticis repellendi; reſpondetur, inquam, hoc aſſumptum non ſubſiſtere, primò, quià non poteſt eſſe *Domini conſtitutio*, excluſio extraneorum, quandò nos pluribus textibus, ex utroque Teſtamento decerptis, tàm probationes exhibendo, quàm reſponſiones objectionibus adhibendo, demonſtravimus, ipſos nedùm non eſſe à beneficiis repellendos, ſed imò eſſe ad illa admittendos. Nequè etiàm id poteſt eſſe *traditio Apoſtolica*, quandò conſtat Apoſtolos paſſim Viros extraneos in Urbibus, & Regionibus diſſitiſſimis ad beneficia eccleſiaſtica provexiſſe, uti notum eſt hiſtoriæ eccleſiaſticæ benè conſciis: perperàm hic reproductâ ſententiâ D. Cypriani, in argumento allegatâ; tùm quià non loquitur de excluſione extraneorum; tùm etiam, quià *traditio divina* ibi memoratur, non propriè, ſed impropriè, ſimilitudinariè, analogicè, ac lato modo (*b*), quatenùs in Scripturis adſunt exempla, quæ doctrinæ, ab ipſo tùnc propoſitæ, adſtipulantur, quæ tamèn non ſufficiunt ad fundandum jus veræ, & propriæ traditionis divinę, ſed ſimùl opus eſt prę- ceptis in Scripturâ notatis, uti diſtinguendo patefacit Natalis ab Alexandro (*c*), & Zacharias Boverius (*d*), noſque ſuprà diffuſiùs Capitulo præcedente probavimus (*e*).

19. Nec majoris momenti eſt auctoritas D. Athanaſii, qui coarguens Conſtantium Cæſarem, ob introductum in Sede Alexandrinâ Gregorium Cappadocem, exclamat; *hic excogitavit quo pacto legem inverterit, diſſolvens Domini conſtitutionem, per Apoſtolos traditam, & mores Eccleſiæ immutans, novumque excogitans conſtituendorum Epiſcoporum modum. Ex aliis quippè locis, & quinquagintâ manſionum intervallo diſſitis, cum Militibus Epiſcopos mittit* (*f*). Verùs enìm ſenſus horum verborum ex epiſtolâ Julii Papę I. poſtulandus eſt, ſic ſonante, *Ubi eſt iſte eccleſiaſticus canon, ubi iſtiuſmodi traditio Apoſtolica, ut in pace agente Eccleſiâ, & Epiſcopis concordibus cum Epiſcopo Alexandriæ Athanaſio, immittere Gregorium peregrinum, & externum hominum &c.* (g): Vides quod *traditio Apoſtolica* Julii, reſpondens *Domini Conſtitutioni*, quam exprimit Athanaſius, non percutit extraneitatem Gregorii Cappadocis, ſed ejuſdem intruſionem in Sedem Athanaſii, legitimi Epiſcopi, pacem cum Coepiſcopis Ægypti tenentis. Certè de omni jure, divino, & humano eſt, *Domini conſtitutio* eſt, *Traditio Apoſtolica* eſt, ut legitimo Epiſcopo adhùc vivente, nec ritè depoſito, nec legitimè ſuâ digitate privato, nullus ſivè extraneus, ſivè indigena ſubintrudatur; ſed non eſt de *jure divino*, non eſt *Domini conſtitutio*, non eſt *traditio Apoſtolica*, ut extraneus à beneficiis eccleſiaſticis repellatur.

20. Et ſanè valdè mirabile eſſet, quod hujuſmodi ſuppoſita, *Conſtitutio Domini*, & *Traditio Apoſtolica* per 350. annos, uſque ad tempora Julii, & Athanaſii, vel non fuiſſet nota, vel fuiſſet contempta: Omneſque paſſim per Orbis Eccleſiæ illam fuiſſent prævaricatæ, nec quiſquam illas de hujuſmodi prævaricatione carpſiſſet: communitèr etenim ad beneficia, præſertìm Epiſcopalia, etiàm in præcipuis Orbis ſedibus promovebantur extranei, & ſedente Julio Papâ I. qui fuit in ordine

tri-

(a) *Vid. in hoc tom. cap præced. num. 10.*

(b) *Vid. infra to. 3. cap. 13. num. 5.*

(c) Natal. ab *Alex. ſæc. 1. differt. 8. concl. 3. 9. Contra.*

(d) *Bover. contra Rempubl. M. Ant. de Dominis lib. 3. c. 3.*

(e) *Vid. in hoc tom. cap. præced. à num. 24 ad 27.*

(f) *S. Athan. epiſt. ad Solitar.*

(g) *Julius PP. Lap. S. Athanaſ. Apol. 2.*

trigeſimus ſextus, jam 18. ejus Anteceſſores in Solio D. Petri conſederant, quantumvìs eſſent extranei: Nempè Petrus, Evariſtus, & Anicetus, Syriaci: Anacletus, Theleſphorus, Hyginus, Eleutherius, Anterus, Sixtus II., Dionyſius, & Euſebius, Græci: Victor, & Melchiades Africani: Cajus Dalmata: Soter Fundanus: Pius Aquileinſis: Linus, & Eutychianus Etruſci (*a*). *An fortè*, liceat dicere cum Ambroſio, *ſola noſtra provincia extrà hanc regulam erit excepta, ut non de propriis, ſed tantùm de externis habeat* Sacerdotes (*b*)? Cur ergò nullus ex præfatis Pontificibus fuit reputatus invaſor Eccleſiæ Romanæ, nullus trangreſſor *Dominicæ Conſtitutionis*, nullus violator *Apoſtolicæ traditionis*? Quarè hoc? Quià de facto Eccleſia nunquàm in eâ opinione verſata eſt, quod de *jure divino*, & *conſtitutione Domini*, & de *traditione Apoſtolicâ*, Extranei ſint à beneficiis eccleſiaſticis repellendi. Et ideò Julius relativè ad Athanaſium, improperavit quidèm Conſtantio intruſionem Gregorii Cappadocis in Sede Alexandrinâ, tùnc non vacante, uti prævaricationem *Divinæ conſtitutionis*, & *traditionis Apoſtolicæ*, non verò his verbis meram extraneitatem Gregorii, ut ſuprà intruſi, percuſſit.

(a) *Vide Anaſtaſ. Biblioth. Albon. Floriacenſ. Joannet. & Ciaconium, Platinam, & alios in Vit. Pontif. Roman.*

(b) *S. Ambroſ. ep. cuidam interrog. Cur Deus permiſerit &c. tom. 5.*

21. Imò, ſi vera loqui volumus, ſi ſolâ veritate duce, profari; nedùm non eſt *de jure divino*, *de conſtitutione Dominicâ*, *de traditione Apoſtolicâ* excluſio extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis; ſed potiùs etiam juxtà Contradictorum principia, dici poſſet eſſe de *jure divino*, de *conſtitutione Dominicâ*, de *traditione Apoſtolicâ*, quod extranei ſint ad beneficia ſacra unà cum indigenis provehendi: quod patet tùm ex pluribus rationibus Scripturalibus, per nos ſuperiùs allegatis (*c*), tùm ex ſeptèm Objectionibus in contrarium productis, & à nobis uſque nùnc diſſolutis: tùm demùm quià cum Apoſtoli, & collectivè, & diſiunctivè ſumpti, modò ad Diaconalia, modò ad Presbyteralia, modò ad Epiſcopalia munera, & beneficia extraneos deputaverint; quæ major *traditio Apoſtolica* poteſt hac inveniri? Et nedùm traditio Apoſtolica poteſt hęc dici, ſed imò conſtitutio divina, & pragmatica *juris divini*: quis, inquit Morinus, *quis, quod omnium Apoſtolorum conſilio factum eſt, expreſſæ auctoritati divinæ non imputabit? Hoc principium ſi semèl quaſſet, vix erit aliquid in Sacramentis, ut cætera omittam, quod probari poſſit eſſe juris divini* (*d*). Silemus, quod non omnia, quæ dicuntur *de Apoſtolicâ traditione*, debitum involuunt impręvaricabilis obſervantię; nàm Collectas facere in Eccleſiâ dicitur à D. Leone de *Apoſtolicâ inſtitutione* (*e*), & de facto ità eſt (*f*). Paritèr jejunium, pręſertìm quadrageſimale, adimplere, dicitur à D. Hieronymo de *Apoſtolicâ traditione* (*g*): & tamèn non ità arctatur Eccleſia ad eorum obſervantiam, ut non poſſit, & modum, & tempus, & formam alitèr in ipſis obſervandam pręſcribere, & perſonas deſignare, ſub earum obligatione concluſas. Eodem ergò modo, licèt etiam eſſet de *traditione Apoſtolicâ*, quod admittantur ad beneficia, & officia eccleſiaſtica Clerici de gremio Eccleſię, ſivè indigenę; non ideò benè infertur, quod Eccleſia aliam formam, in hoc ſervandam, præſcribere non potuerit, & extendere eamdem admiſſiouem ad Clericos etiam extraneos.

(c) *Vide ſupr. tom. 1. cap. 1. & 2. Sæc. I.*

(d) *Joan. Morin. de Sacr. Ordin. Exercit. 3. de Epiſc. c. 3.*

(e) *S. Leo ſerm. 5.*

(f) *1. Corinth cap. 16 num. 1.*

(g) *S. Hieronym. in ep. ad Marcellam.*

22. Cæterum dicimus, quod non niſi ad opportunitatem ſuæ cauſæ cenſendum eſt Contradictores eſſe locutos, vel per quamdam emphaſim hyperbolicam peroraſſe, quandò ſemèl, & bis, & tertiò ſuis hoc voluminibus inſperſerunt, quod excluſio extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis *Juris divini* eſt, *Conſtitutio Dominica* eſt, ac *Traditio Apoſtolica*, invariabilis, & imprevaricabilis obſervantiæ. Nimiùm ſiquidèm clarè oportet, quod aliquid ſit in Scripturis expreſſum, ut poſſit dici de *jure divino*, vel de *Dominicâ conſtitutione*: nempè debet ex propoſito, & præceptivè imperatum in libris Biblicis reperiri, non narrativè tantùm, & ſimilitudinariè notatum. Similitèr id, quod dicitur de *traditione Apoſtolicâ*, ut obligationem intranſgreſſibilem fundet; debet eſſe expreſsè ab Apoſtolis traditum. Hoc autèm nedùm non concurrit in negotio excluſionis extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis; ſed imò potiùs eorum favore conſtat oppoſitum, ex iis, quæ in hoc, &

in

in præcedenti Capitulis allegavimus, atque in primo Tomo paritèr propoſuimus (*a*). Quæ ſi pauca ſunt, in promptu habemus alia motiva, ex Scripturæ Sacræ textu deprompta, quæ admiſſionem ipſam extraneorum juſtificant.

23. Nàm in Deuteronomio dicitur: *Si exierit Levites ex unâ Urbium ſuarum ex omni Iſrael, in quâ habitat, & voluerit venire, deſiderans locum, quem elegerit Dominus, miniſtrabit in nomine Domini Dei ſui, ſicut omnes fratres ejus Levitæ, qui ſtabunt eo tempore coram Domino, partem ciborum eandem accipiet, quam & cæteri, excepto eo, quod in urbe ſuâ, & paternâ ei ſucceſſione debetur* (*b*). Notum eſt Scripturalibus, duodecim fuiſſe Tribus Iſrael, quæ tertiædecimæ Tribui Levi quotannis pendebant decimas, primitias, primogenita, & oblata. In hac Tribu Levi tria erant genera perſonarum, nempè Levitæ minoris ordinis, Sacerdotes, & Pontifex. Levitæ ſolas decimas accipiebant fructuum, pecorum, & jumentorum (*c*). Sacerdotes, & Pontifex, prætèr decimas ipſas, accipiebant decimam decimarum ab eiſdem Levitis (*d*), & ulteriùs accipiebant primitias, & primogenita, atque oblata à filiis Iſrael, quorum Levitæ minoris ordinis participes non erant (*e*). *Quo fit*, inquit Becanus, *ut Tribus Levi multò fuerit ditior, quam cæteræ. Nàm ſingulæ cæterarum habebant tantùm novem partes, Tribus autem Levi duodecim: Prætèr has decimas, quæ communes erant omnibus in Tribu Levi: Sacerdotes iterùm accipiebant decimas decimarum à Levitis, & ſic non ſolùm erant ditiores quàm homines aliarum Tribuum, ſed etiam quàm Levitæ. Deindè accedebant primitiæ, primogenita, oblata: quæ ſi omnia computentur, in magnum theſaurum excreſcere neceſſe erat reditus, & poſſeſſiones Sacerdotum* (*f*).

24. Tribui prætereà Leviticæ dedit Dominus quadraginta octo urbes, cum agris ſuis (*g*), ex quibus urbibus, tredecim conceſſæ ſunt Sacerdotibus, reliquæ triginta quinque datæ ſunt Levitis inferioribus (*h*), prætèr quas urbes, & ſuburbana eorum, ſe protendentia ad mille paſſus circà ipſas (*i*), tàm Sacerdotes, quam Levitæ, nec arua, nec agros poterant poſſidere, in Judeâ tamen. Nàm extrà illam, & prædia, & fundos habebant, vel empta, vel alio titulo acquiſita, uti patet de Barnabâ Cyprio Levitâ, qui poſſeſſiones habebat (*l*): de Abiathar Sacerdote, cui præcepit Salomon, vade ad agrum tuum (*m*): & de Jeremiâ paritèr Sacerdote, qui alicubi fatetur ſe quendam agrum emiſſe (*n*). Levitæ igitùr hùc illùc in urbibus ſuis morabantur, tamen ſi contingeret, ut aliqui ex his, patriâ relictâ, ad urbem Hieruſalem ſe conferrent, & ibi in templo miniſtrarent; voluit lex in textu propoſito, ut partem cum Levitis actu deſervientibus in templo, acciperent de proventibus Templi, & præſertìm de illâ ſpecie decimarum, quas ſinguli Patres familias debebant quotannis apud ſe ſervare, & poſteà cum Levitis comedere, in loco ubi Tabernaculum, vel Templum erat, hocque in tribus anni temporibus, nempè in Paſchate, in Pentecoſte, & in feſto Tabernaculorum (*o*). Duplici autèm modo contingere poterat, quod Levitæ extranei ſe conferrent ad miniſtrandum in Templo Hieroſolymis: vel ex merâ devotione, ibi ad tempus manſuri, & ad ſua poſtmodùm reverſuri: vel ut in illâ urbe perpetuò manerent, ad patriam non ampliùs redituri. In primo ſenſu explicat hunc textum Lyranus, dicens: *hic agitùr de ſuſtentatione Levitarum in ſpeciali, ſcillcèt quandò aliquis Levites, extrà Jeruſalem habitans, devotione ductus, veniebat ad manendum in Hieruſalem, ut ſerviret Domino in Templo: & iſto caſu determinatur hic, quod accipiat partem de oblationibus, ſicut etiam alii Levitæ, ibi miniſtrantes* (*p*).

25. In ſecundo ſenſu intelligit præfatum textum Hugo Cardinalis, ità illum exponens, *Levitæ diſperſi erant, cum filiis Iſrael per totam Judæam, undè quidam in Hieruſalem, quidam extrà habitabant. Sed quoniam Templum erat in Hieruſalem; contingebat aliquandò, vel contingere poterat, ut de aliis civitatibus venirent in Hieruſalem, ibidem proptèr Templum moraturi: ideò determinat hic Moyſes, quid faciendum eſſet eis, dicens, quòd Levita de foris adveniens Hieruſalem, ſi miniſtrare voluerit cum aliis Levitis, licebit ei, & eandem partem habebit, quam &*

(a) *Vid. ſup. tom.* 1. *cap.* 1. *&* 2.
(b) *Deuter. cap.* 18. *num.* 6.
(c) *Numer. cap.* 18. *num.* 21.
(d) *Numer. cap.* 18. *num.* 26. 2 *Eſdræ cap.* 10. *num.* 37.
(e) *Becan. Analog. Veter. Teſtam. cap.* 6. *num.* 10.
(f) *Becan. loc. citat. num.* 17.
(g) *Numer. cap.* 35. *num.* 1.
(h) *Joſue cap.* 21. *per totum.*
(i) *Lorin. in Deuter. cap.* 18. *num.* 6. *§. Ex una.*
(l) *Actor. cap* 4. *nu.* 37.
(m) 3. *Reg. cap.* 2. *num.* 26.
(n) *Jerem. cap.* 32. *num.* 7.
(o) *Deuter. cap.* 14. *num.* 22. *Hug. Card. in Deuter. c.* 18. *num.* 6. *Becan. Analog. Veter. Teſtam. cap.* 6. *num.* 9.
(p) *Nicol. de Lyra in Deuter. cap.* 18. *nu.* 6

& alii in Hieruſalem habitantes, exceptâ portione, quæ ei dabatur in urbe ſuâ, jure hæreditario (*a*). Advertendum eſt autem, quod Sacerdotes, & levitæ in 24. claſſes, turmas, vel ephemerias dividebantur (*b*), & claſſis quælibet ultrà quinque millia hominum continebat: adeòque ſimul omnes erant 120. millia hominum, qui per determinatas vices, & aſſignata illis tempora, in domo Domini miniſtrabant (*c*), uti memorat Joſephus (*d*), & notat Sigonius de Republicâ Hebræorum (*e*), Levitæ autem propriè, in ætate congruâ conſtituti, ad officium Leviticum exercendum, erant numero 38. milla (*f*). Porrò iſti Levitæ non ſerviebant ſimul omnes, neque cuncti eodem tempore miniſtrabant in Templo, alioquin coacti fuiſſent omnes in Hieruſalem commorari, perperamque fuiſſent illis datæ urbes ad habitandum. Serviebant ergò per vices ſuas: quo tempore manebant in loco Sanctuarii: & ipſo tempore completo, redibant ad urbes ſuas (*g*).

(a) *Hug. Cardin. in Deuter. cap. 18. num. 6*
(b) *Lorin. in Deut. cap. 18. 6. 6. Qui. Torniel. ann. 3029. num. 3. 4 Bonfren in Deuter. loc. cit. Toſtat. in 1. Paralip. cap. 24. qu. 21.*
(c) *1. Paralip. cap. 24 per tot.*
(d) *Joſeph. lib. 2. contra Appionem.*
(e) *Carol. Sigon. de Republ. Hebræor. lib. 5. cap. 2.*
(f) *Toſtat. in 1. Paralip. 23. qu. 11. & 12.*
(g) *Toſtat. in Deut. 18. qu. 14.*

26. Quià tamen poterat contingere, ut aliquis ex Levitis, non contentus miniſterii, tempore ſuæ vicis exhibiti, devotione actus, famulari Templo vellet prolixiori tempore, vel etiàm toto decurſu vitæ ſuæ, prout fecit Samuel; ideò Scriptura etiàm pro iſto caſu providit, ſanciens, ut hujuſmodi Levites, præter ſolitas decimas, quas percipere debebat, ſivè Sanctuario Domini actualitèr deſerviret, ſivè non, præter jumenta quoque, domos, ac ſupellectilia, quæ poſſidebat; accipere etiam partem de illis reditibus, ſportulis, vel proventibus, quæ pertinebant ad jura Sanctuarii (*h*). Patet ergò ex hoc textu, primò, quod non omnes Levitę deſerviebant in Templo, ſed aliqui tantùm, qui per determinatas vices, vel ex officio, vel ex propriâ devotione, eidem sè muneri deputabant; ſicque in veteri lege diſtinctum erat officium à beneficio, cum omnes eſſent Levitæ, omneſque præbendis, ſeù reditibus fruerentur, pertinentibus ad Levitas; & tamèn non omnes officium ſui Ordinis actualitèr adimplerent: adeoque diſtinctus erat ordo Leviticus ab exercitio Officii Levitalis, contrà analogiam ejus, quod pleno ore inculcant Contradictores, olìm nempè non fuiſſe diſtinctum officium à beneficio, & idcircò non poſſe nunc extraneis deferri beneficium, à quibus, ut ipſi ſupponunt, non exercetur officium.

(h) *Toſtat. loc. cit. Lorin in Deuter. 18. nu. 6*

27. Patet ſecundò, quod tempore Legis Moſaicæ, præbendæ Sacerdotum, & Levitarum, non in ſolis ſportulis, & erogationibus manualibus conſiſtebant, ſed etiam in terris, prædiis, & arvis (*i*). Levitæ quippè duplicis ſpeciei bona, & reditus poſſidebant, ceù dotem, & beneficium Levitalis officii, nempè bona quædam fixa, domos, & agros, in urbibus ſibi deputatis, atque decimas, quas à Laicis Judæis in patriâ ſuſcipiebant: & prætereà habebant alios reditus adventitios, ceù ſportulas manuales, de quibus participabant, quandò miniſtrabant in Templo: Hique reditus, vel eſſent pars aliqua decimarum, ad hunc effectum à Pontifice ſeparata, quâ Levitis actu miniſtrantibus alimenta ſuppeditarentur, uti cenſet Bonfrerius (*l*), vel eſſent ſtipendia, & alimenta, ex ſacro Templi ærario ſubminiſtrata, uti cogitat Cajetanus (*m*); unum eſt, quod Levitis, etiam extrà tempus ſuæ vicis in Templo miniſtrantibus, debebantur. Prima bona, & decimas obtinebant ex ſucceſſione paternâ, jureque hereditario ſibi cum Levitico ordine proveniebant, quem paritèr ex paternâ ſucceſſione trahebant, & his bonis potiebantur, etiamſi in Templo actualitèr non ſervirent (*n*). Alia verò bona, ſeù reditus adventitios, manualeſque ſportulas, quas mox memoravimus, non conſequebantur, niſi in Templo perſonaliter miniſtrarent. Ex quibus, ductâ analogiâ à Miniſtris Eccleſiaſticis Legis Moſaycæ, ad Clericos novi Teſtamenti; convincuntur erroris Contradictores, altè declamantes, non poſſe licitè bonis eccleſiaſticis perfrui Clericos, qui tali Eccleſiæ determinatæ perſonalitèr non deſerviunt, & per conſequens non poſſe beneficia viris extraneis, & Eccleſiæ illi actualitèr non ſervientibus, diſpenſari; cum Levitæ, etiam longè à Sanctuario diſſiti, eique nunquam, vel perraro, famulantes; præbendis tamèn ſui Levitatus, ut innuimus, potirentur.

(i) *Toſtat. in Paralip 24. qu. 26. in fine.*
(l) *Bonfrer. in Deut. cap. 18. num 8.*
(m) *Cajetan in Deuter. cap. 18. num. 8.*
(n) *Deut. cap. 18. nu 8. & ibi Hugo Cardin. Cornel. à Lapid. & alii.*

28. Demùm tertiò patet, quod Levitæ unius loci ad alium locum pro libito pertranſibant (*a*), & ab Urbe ad Urbem, à Patriâ in Hieruſalem pergebant: cumque huc pervenirent, ac sè Templi miniſterio manciparent; dè oblationibus, proventibus, atque ſportulis Templi, partem cum Levitis indigenis, ibidem famulantibus, obtinebant: quarè proventus, & ſportulæ Templi, ſivè præbendæ, & reditus beneficiales Levitarum, nedùm Levitis indigenis, ſeù incolis Hieruſalem porrigebantur, ſed etiam Levitis aliundè venientibus, extraprovincialibus,& extratribulibus. Heruſalem ſiquidem erat in Tribu Judâ, Levitæ verò, non omnes habitabant in Hieruſalem (*b*), ſed aliqui tantùm: & reliqui diſperſi erant per omnes duodecim Tribus Iſrael (*c*), quorum terra tàm amplè diffundebatur, ut terminos haberet à Meridie Arabiam deſertam: à Septentrione Libanum: Mare mediterraneum ad Occaſum, & ab Oriente Jordanem, ſeù Euphratem. Pertinebatque ad honorem Judaicæ Gentis, quod Levitæ ſic diſtributi permanerent: Undè Theodoretus: *Tribus Levitica propter ſummum honorem diſperſa eſt, ità ut in unaquaque Tribu ſint Levitæ, & Sacerdotes* (*d*). Quapropter Levitæ, qui per alias Mundi regiones conſiſtebant, vel qui ad Terræ Sanctæ confinia morabantur, imò & omnes illi, qui extrà Tribum Juda, per alias Tribus conſiſtebant; in Hieruſalem, erant nedùm extranei,ſed etiam extraprovinciales,& extratribules,& tamèn ibidem poterant præbendas, ſeù ſportulas aſſequi Levitales. Porrò Levitas ad Hieruſalem, ut in textu, accedentes, vocat Joannes Lorinus *Levitas externos* (*e*), eoſque nominat Hugo Cardinalis, *Levitas forenſes*, & ex eorum admiſſione ad præbendas, ſeù ſportulas Templi, argumentum trahit ad eccleſiaſtica beneficia, dicens, *Argumentum eſt, quod Clericus cum paternâ hæreditate poteſt habere reditus Eccleſiæ* (*f*). Alphonſus quoque Toſtatus (*g*), ac idem Joannes Lorinus (*h*), & alii Scripturæ Interpretes, hoc utuntur textu,ad ſignificandos proventus, ac reditus eccleſiaſticos. Tropologicè namque Levitæ ſignabant ſtatum eccleſiaſticum Clericorum Legis novæ. Igitur analogando rationem, à Levitis antiquæ Legis ad Clericos novæ ductam; ſi ſtipendia, & præbendæ Levitales, licitè poterant etiam Levitis, quantumvìs extraneis, conferri; præbendæ quoque Clericales licitè poterunt Clericis, quantumvìs extraneis diſpenſari: Sicque ſtat libertas Eccleſiæ in diſtributione beneficiorum Clericis ſibi benè viſis, ſivè indigenis, ſivè extraneis.

(a) *Lorin. in Deuter. cap. 18. num. 6. §. Et voluerit.*

(b) *Torniel. Annal. ann. 3020. nu. 5. Toſtat. in 1. Paral. 23. qu. 15.*

(c) *Hug. Cardin. in Deut. 18. 6. Lyran. in Judic. 17. 7. num. 4. Toſtat. in Judic 17. qu. 17. & in 1. Paralip. 13 qu. 1. poſt medium.*

(d) *Theodoret. quæſt. in Geneſ. num. 109.*

(e) *Lorin. in Deuter. cap. 18. num. 6. §. Excepto.*

(f) *Hugo Cardin. in Deuter. cap. 18.*

(g) *Toſtat. in 1. Paralip. cap. 12. qu. 35. & cap. 24. qu. 26.*

(h) *Lorin. in Deuteron. cap. 18. nu. 6. § Si partem.*

29. Paritèr celebris eſt in Scripturis provectio Joſuè, facta à Moyſe, qui audiens ſe citò morte ad ſuperos transferendum, non aliam ſollicitudinem pro viro ſibi ſubrogando aſſumpſit, quàm hanc, quâ Deo intima ſua communicans, eſt effatus, *provideat Dominus Deus Spirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire, & intrare antè eos, & ducere eos, vel introducere, nè ſit populus Domini, ſicut oves abſque paſtore. Dixitque Dominus ad eum. Tolle Joſue filium Nun, virum, in quo eſt ſpiritus, & pone manum ſuam ſuper eum &c.* (*i*) Poterat proculdubiò ſucceſſorem ſibi Moyſes pro ſuo libito deſignare, qui & Aaron Pontificem, & alios deputaverat Sacerdotes: poterat proinde dignitatem, quam cœlitùs acceperat, in ſuos filios propagare, vel eam in filios Aaron fratris ſui, vel ſaltem in aliquem ex ſuis Contribulibus, prorogare (*l*). Attamèn his omnibus poſtpoſitis, extraneum, & ex alienâ Tribu, virum, nomine Joſue elegit, & in eum ſuam dignitatem transfudit. *Moyſes*, inquit D. Hieronymus, *Moyſes amicus Dei, cui facie ad faciem Dominus locutus eſt, potuit utique ſucceſſores principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem: ſed extraneus dè aliâ Tribu eligitur Joſuè, ut ſciremus principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ. At nunc cernimus plures hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Eccleſiâ erigere columnas, quos plùs cognoſcant Eccleſiæ prodeſſe, ſed quos, vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel prò quibus majorum quiſpiam rogaverit, &, ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt* (*m*).

(i) *Numer. cap. 27. num. 16.*

(l) *Theodoret. in Numer. cap. 47.*

(m) *S. Hieron. in cap. 1. ep. ad Titum.*

30. Nec

30. Nec ſupponatur, Moyſi defuiſſe filios, & conſanguineos; vel eos ipſum habuiſſe quidem, ſed bardos, deſides, & inertes. Nàm uti ponderat Origenes, *erant ei filii Gerſan, & Eleazar, & filii fratris; magni, & egregii viri: Non orat autem Dominum prò ipſis, ut conſtituantur duces populi; ut diſcant Eccleſiarum Principes ſucceſſores ſibi, non propinquitate carnis teſtamento ſignare, neque principatum Eccleſiæ hæreditarium tradere, nec eligere eum, quem humanus commendat affectus, ſed Dei judicio ſucceſſoris electionem committere, cui dixerat Deus, elige presbyteros populo, quos tu ipſe ſcis presbyteros &c.* (*a*). Cauſam, ob quam filii Moyſi ab ejus ſucceſſione fuerunt, Domino ſic diſponente, poſtpoſiti, refert Auctor mirabilium Sacræ Scripturę adhoc, quod ipſi prodierant ex matre Gentili, nempè ex Sephorâ Madianitide (*b*). Propter quam etiàm cauſam cenſet, eoſdem fuiſſe à Sacerdotio ſecluſos, & ſolùm Levitatus ordine decoratos (*c*). Sed ſi hæc ſola cauſa filios Moyſis ab ejus ſucceſſione excluſiſſet; poterant ſaltèm ad illam provehi filii Aaron, ad quos dignitas Sacerdotalis jure ſanguinis pertinebat. His tamèn omnibus refutatis, eligitur Joſuè, dè aliâ Tribu, à Tribu Moyſis, & Aaron, iſque ad principatum, & officium ipſius Moyſis elevatur. De aliâ, inquam, Tribu erat Joſuè, nempè de Tribu Ephraim, Moyſes verò erat de Tribu Levi (*d*).

31. Joſvè igitùr, alienigenæ, extraneo, & extribuli, defertur dignitas, uſque tunc à Moyſe cuſtodita, nec ſola dignitas Principatus ſæcularis, ſed officium quoque Sacerdotale, quo ipſe Moyſes fuerat inſignitus. Moyſes etenìm, prætèr Ducatum populi, etiam Sacerdotium obtinuit, nàm & Sacerdos nuncupatur in pſalmis (*e*), & imò, quià Sacerdotes, atque ipſum Summum Pontificem conſecravit; ideò à D. Gregorio Nazianzeno Sacerdos Sacerdotum eſt appellatus (*f*), prout & à D. Auguſtino in Leviticum (*g*): Quamvis poſtquam Sacerdotium fratri Aaron conſignavit, hujus tantummodò poſteri Sacerdotio ipſo ſint functi: deſcendentes vero à Moyſe ſolum intèr Levitas fuerint, uti mox innuimus, computati (*h*). Itàque Moyſes tranſtuliſſe videtur in Joſvè cum ſuâ dignitate, & officio, etiam munus Sacerdotale: cui & quando ſuam ſucceſſionem detulit; manum ſuper caput ejus impoſuit, audito Cœleſti verbo, *tolle Joſue filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum* (*i*). Quâ manuum impoſitione Joſvè Spiritum Sanctum accepit, ut interpretatur Vatablus (*l*). Sicque non obſcurè ſignificatur, ipſum fuiſſe Sacerdotio inſignitum: tàm ſiquidem in lege novâ, quàm in veteri, quinimò. & apud Ethnicos, manuum impoſitio, collationis muneris, & ordinis eccleſiaſtici ſignum eſt (*m*), & ità apud Livium, cum Numa Pompilius ſacerdotio Paganico iniatus eſt, manus fuerunt ſuper ejus caput impoſitę (*n*). Itidèm Levitis manus fuerunt impoſitę, quando fuerunt ad Levitatus Ordinem deſtinati (*o*), & in lege gratiæ dè Timotheo, presbyteratus munere inſignito, dicit Apoſtolus, impoſitionem manuum accepiſſe (*p*).

32. Profectò manuum impoſitio à Sanctis Patribus prò Ordinatione ſuſcipitur, ut ex SS. Dionyſio (*q*), & Hieronymo (*r*), ac ex Theodoreto (*s*), & aliis liquidò eniteſcit: & niſi Joſvè Sacerdos fuiſſet, Sacerdotibus non imperaſſet, nec eis peculiaritèr præcepiſſet, quæ facerent, ubi, & quomodò conſiſterent, ac pro ritu Arcam Dei regerent, & transferrent, quandò Jordanem voluit cum univerſo populo pertranſire (*t*), & quandò urbem Jerico deſtructurus, eandem juſſit à Sacerdotibus cum Arcâ fœderis circuiri (*u*): neque enim hæc poterat Joſvè, uti Judex laicus imperare (*x*). Et licet Moyſes Sacerdotium dederit Eleazaro filio Aaron (*y*), hoc tamen verum eſt de Summo Pontificatu, qui morte patris devolui debuit ad filium ejus primogenitum (*z*), non verò de ſimplici Sacerdotio, quo erat ipſe quoque Moyſes inſignitus, & quem per maus impoſitionem transfudit in Joſvè: itàut Eleazar in ſummo Sacerdotio ſucceſſerit Aaron patri ſuo, non verò Moyſi ejus patruo. Joſvè verò ſucceſſerit Moyſi, primariò quidem in Ducatu populi, ſed ſecundariò etiam in Sacerdotio, quo ipſe Moyſes fungebatur. Et utcumque etiam res ſę habeat, ſive Joſvè fuerit Sacerdos, ſive non; hoc parum refert nobiſque ſufficit,

(a) *Origen. Homilia in Numer. cap. 22.*

(b) *Auct. Mirabil. S. Script. lib 10. cap. 25. ap. S. Auguſt.*

(c) *1. Paralip. cap. 23 num. 14. Cornel à Lap. in Num. cap. 3. §. Aaron.*

(d) *Gloſ. in cap. Moyſes 6. Verb. de alia S. qu. 1. Toſtat in Exod. 33 qu. 11. poſt med. Cornel. à Lapid. in Joſue 11. 14*

(e) *Pſalm. 98. num. 6.*

(f) *S. Greg. Nazianzen. Orat. 22.*

(g) *S. Aug. qu. 20. in Levitic.*

(h) *1. Paralip. cap. 23. num. 14. Cornel. à Lapid. in Exod. cap. 29 num. 11.*

(i) *Numer. cap. 27. nu. 18. & Deuter. cap. 44. num. 9.*

(l) *Vatabl. & Cornel. à Lapid. in Deuteron. cap. 34. 9.*

(m) *Vid. Cornel. à Lapid. in Act. 6. num. 6 & in 1. ad Timoth. 4. num. 14.*

(n) *Livius lib. 1. dec. 1.*

(o) *Numer. cap. 8. num. 10.*

(p) *1. Timot. cap. 4. num. 14.*

(q) *S. Dionyſ. de Cœleſt. hierarch. cap. 5. part. 3.*

(r) *S. Hieron. in cap. 59. Iſaiæ.*

(s) *Theodoret. ap. Gloſ. in Numer. 27 §. Theod.*

(t) *Joſve cap. 3. num. 5.*

(u) *Joſve cap. 6. num. 6.*

(x) *Joſve cap. 3. num 5. & ibi Cornel. à Lap. & Craſ.*

(y) *Numer. cap. 21. num. 26.*

(z) *Cornel. à Lap. in Numer. cap. 21. nu. 26.*

Digitized by Google

quod, ex hujuſmodi ſubſtitutione Joſve, factâ à Moyſe, uno ore Patres, & Sacræ Scripturę Interpretes, modum in Sacerdotii, & prębendarum eccleſiaſticarum collatione tenendum, ſignificari conſiderant.

33. Ità etenim ex Patribus, uti mox tetigimus, Origenes, pręſens factum ponderans, ait, *diſcant Eccleſiarum Principes ſucceſſores ſibi, non eos, qui conſanguinitate carnis juncti ſunt, teſtamento ſignare, neque hæreditarium tradere Eccleſiæ principatum &c. Non eligere eum, quem humanus commendat affectus, ſed Dei judicio totum de ſucceſſionis electione permittere* (a). Item S. Hieronymus, *extraneus de aliâ Tribu eligitur Jeſus* (ideſt Josvè) *ut ſciremus principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ &c.* (b). Paritèr Theodoretus, *ex his diſcimus, quomodò hi, qui à Pontificibus ordinantur, ſpiritualem gratiam conſequuntur* (c). Ex Interpretibus verò Sacræ Scripturæ, Hugo Cardinalis hæc habet, *notat Moyſes, quod eccleſiaſticæ dignitates non debent hæreditatis tenore ad poſteros devenire, ſed Dei electione. Undè Interlinearis dicit, nota, non eligis filios, non nepotes, non rogat ut conſtituantur Duces: judicio Dei electionem ſervavit* (d). Auctor quoque Gloſſæ ordinariæ in Cap. 27. Numeri, ex Iſidoro, ſic loquitur: Joſve, ſive *Jeſus ſuccedit Moyſi, & dicit, quæ ſpiritualitèr debeat offerre in Eccleſiâ* (e). Demùm Cornelius à Lapide eundem textum hoc epiphonemate illuſtrat, *diſcant Principes, & Pręlati, officia, & beneficia, non in filios, & cognatos, ſed in digniores conferre. Ecce Moyſes Principatum reſignavit juſſu Dei in Joſve, oriundum ex aliâ Tribu, ſcilicèt Ephraim* (f). Cornelio conſonat Alphonſus Toſtatus in Exodum (g).

(a) *Orig. homil. 22. in Numer.*
(b) *S. Hieron. in ep. ad Titum relat. in capi Moyſes 8. qu. 1.*
(c) *Theod. ap. Gloſ. in Num. cap. 27. n. 16. § Theod.*
(d) *Hugo Cardin. in Numer. cap. 26. n. 16. §. provideat.*
(e) *Iſidor. ap Gloſ. in Num. cap. 27. nu. 16 §. Et dabis.*
(f) *Corn. à Lap in Num. 27 21 § dicant.*
(g) *Toſtat. in Exod. ca. 33. qu. 11. poſt. med.*

34. Igitùr ſi Moyſes, ex Tribu Levi ortus: vel melius, ſi Deus voluit à Moyſe Principatum populi, non in ſuos filios, neque in nepotes, vel in alios ejuſdem Tribus Levi Sacerdotes, & Levitas transferri, ſed in Joſve extraneum, de alienâ Tribu, & per illam translationem, Sacerdotium, quo ipſe Moyſes fungebantur, juſſit in virum extribulem propagari; vel utcumque, præcepit, ut dignitas talis qualis erat in Moyſe, officia, & beneficia ſacra tipicâ repreſentatione figurans, ſolo attento dignioritatis titulo ad extraneum pertranſire; certè ſatis nos edocuit, Eccleſiam, libertate potiri, officia, & beneficia eccleſiaſtica, cuicumque, licèt extraneo, dummodò digno, & benemerenti, vel magis idoneo, conferendi. Nàm quod licuit Moyſi, Synagogæ capiti, ac Sacerdotum conſecratori (h), & conſequentèr præbendarum Sacerdotalium datori; proculdubiò etiam Summo Pontifici, Eccleſiæ Capiti licere debet: atque aliis omnibus, ad quos pertinet, ſacras Præbendas Eccleſiæ nomine diſpenſare, ne ſit deterioris conditionis Eccleſia, quam fuerit Synagoga. Præſertìm cùm Synagoga, tùm in pluribus aliis, tùm in externo ſui regimine Eccleſiam repræſentaverit, uti probat Beccanus in ſuâ Analogiâ novi, ac veteris Teſtamenti (i). Ex relatis itàque uſque nunc, tàm in pręcedenti, quàm in pręſenti Capitulo, abundè patet, quod non eſt de *jure divino*, neque de *Dominicâ conſtitutione*, neque reſpectivè de *Apoſtolicâ traditione*, Clericorum extraneorum excluſio ab eccleſiaſticis beneficiis, uti comminiſcuntur Contradictores: ſed potius quod eſſe quodammodò videtur oppoſitum: nempè quod ſit de jure divino, de conſtitutione Dominicâ, & de Apoſtolicâ traditione, ipſorum extraneorum quoque admiſſio ad eccleſiaſtica beneficia: tantundèm etenim concludunt Scripturæ, tàm novi, quàm veteris Teſtamenti, uſque modo, vel allegatæ, vel diſſolutæ. Sed jàm illis dimiſſis, ad alias objectiones enodandas ulteriùs progrediamur.

(h) *Cornel. à Lapid. in Exod. c. 29. n. 11. Vid. hic ſupr. n. 29.*
(i) *Becan. Analog. vet Teſtam c. 3. n. 2.*

35. *Arguunt quartò* Contradictores, ex Evangelio D. Joannis, ubi Chriſtus ad Phariſęos, & Diſcipulos verba faciens, hęc ait: *qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliundè; ille fur eſt, & latro: Qui autèm intrat per oſtium, paſtor eſt ovium* (l). Sed extranei accipientes beneficia in locis alienis, non intrant per oſtium in ovile Chriſti, ſed aſcendunt aliundè, inquiunt Contradictores; ergò & culpam, & pœnam promerentur, latronibus debitam, qui in ovile modo indebito intrant. Minor eſt Hincmari Remenſis, qui objurgans Ebbonem, eo quod accepiſſet Epiſcopatum Gratianopolitanum extrà propriam provinciam, à quâ erat ori-

(l) *Joan. c. 10. num. 1.*

origine extraneus, inclamat: *revertatur hic derogator noſter ad ſuam conſcientiam, qui contrà ſacras regulas, ab Eccleſiâ, in quâ fuit tonſus, & ordinatus, diſcedens, ad alias provincias convolavit &c. Ergò qui contrà ſacros canones &c. ad Eccleſiæ regimen provehitur; non intrat per oſtium in ovile, ſed aſcendit aliundè, ac per hoc fur eſt, & latro, de qualibus dicit Pſalmiſta Domino: dejeciſti eos, dum allevarentur. Cum allevatur enim deiicitur, qui honoribus proficit, & moribus deficit* (a). Ergò ſi, abſque notâ latrocinalis intruſionis, Clerici extranei nullatenus valent ſuſcipere beneficia; patet, quod viceversâ, nec etiam collatores beneficiorum illa valent eiſdem beneficia ipſa impertiri.

(a) *Hincm. Remenſ. de Prædeſtin. cap. 36.*

36. Reſpondetur primò, negando ſuppoſitum, nempè quod Clerici, juſtis modis, & legitimâ ſuperiorem auctoritate promoti ad præbendas, & ad eccleſiaſtica beneficia, in locis, à quibus ortu, vel incolatu ſunt extranei, non intrent in ovile Eccleſiæ per oſtium, ſed tamquam fures, & latrones, in illud ſubeant per feneſtras. Numquid enim fuerunt fures, & latrones, tot Sancti Clerici, Presbyteri, Epiſcopi, Patriarchæ, Cardinales, & Papę, qui uſque nunc in Eccleſiâ floruerunt, doctrinâ, & miraculis corruſcantes, qui beneficia eccleſiaſtica ſuſceperunt in Eccleſiis, à quibus erant extranei? Sancti Pius V. Cœleſtinus itidèm V. Carolus Borromeus, Antoninus Florentinus, Thomas de Villanovâ, Franciſcus Saleſius, & infiniti alii antiquiores, Pontifices, Epiſcopi, Patriarchæ, Cardinales &c. Sanctitate in terris fulgentes, & in Cœlis gloriâ rutilantes, qui ex officio, tamquàm Eccleſię Pręſules, beneficia interdùm Clericis extraneis, benemerentibus tamen, & idoneis, contulerè; Paritèr Sancti Henricus I. intèr Imperatores, Ludovicus IX. intèr Galliæ Reges, Ferdinandus III. intèr Reges Hiſpanos, Stephanus intèr Hungaros, Eduardus intèr Anglos, Canutus intèr Danos &c. Reges in Cœlis cum Deo regnantes, & jàm Sanctorum faſtis adſcripti, qui ad beneficia eccleſiaſtica interdùm etiam Clericos extraneos nominarunt, vel præſentarunt; omnes inquam iſti, vel conferendo, vel reſpectivè pręſentando, aut nominando, introduxerunt nè in Eccleſiam latrones, toties, quoties iſta fecerunt? Abſit!

37. Et ut ad præſentia quoquè tempora perſpiciamus, neminem latet quot, & quales, juſtitiâ, doctrinâ, zelo, & religione celebres Antiſtites habeat noſtrâ ætate Germania, Gallia, Italia, Hiſpania, Portugallia, Polonia, Hungaria, Dalmatia, & aliæ Orbis regiones. Iſti Præſules quantâ circumſpectione utuntur in diſtributione beneficiorum! Reges quoquè, ac Principes Chriſtiani, qui ſuorum indultorum vi, ad aliqua beneficia præſentant, quantâ cautelâ in id agendo procedunt! Summus demum Pontifex quàm exquiſitam in proviſione beneficiorum adhibet diligentiam! Iſtinè autem omnes, dum ſuis utentes facultatibus, quibus uſque modo uſi ſunt, ad beneficia ſimplicia, parochialia, canonicalia, abbatialia, epiſcopalia, vel per viam liberę collationis, vel per viam præſentationis, aut nominationis, etiam provehunt interdùm clericos aliundè natos, aut alibi commorantes; iſtine inquam omnes furum fautores ſunt, & latronibus patrocinantur? Stultus eſt qui talia credit, & ſtultior qui credenda proponit. Nihilominus negari non poteſt, quin Contradictores, hoc argumento inſtantes, ut repellantur clerici extranei ab eccleſiaſticis beneficiis, & Papę, & Imperatori, & Regibus, & Epiſcopis, & omnibus tandem beneficiorum, vel collatoribus, vel ad ea nominatoribus, hanc tacitè ignominiæ notam inurunt.

38. Reſpondetur ſecundò, iterùm negando aliud ſuppoſitum, nempè quod verba ſancti Evangelii, *qui non intrat per oſtium &c.* ex oppoſito allegata, ſignificent eccleſiaſtica beneficia, clericoſque extraneos, vel indigenas, ad illa promotos: neque enim in recto, neque in obliquo, verba hujuſmodi fuerunt ad hoc ſignificandum prolata. Legat cui otium abundat, Origenem, Bedam, Theophylactum, Euthymium, Hugonem, Cajetanum, Janſenium, Maldonatum, Toletum, Pererium, Cornelium à Lapide, alioſque Evangelii Joannis Expoſitores, & habebit tùm literalem, tùm tropologicum ſenſum præſatę propoſitionis, toto cœ-

lo

lo diverſum à ſignificatione pręfatâ. Non negamus tamen, Salmeronem ad hæc veluti feſtivâ quadam, vel etiam fortè ſeriâ-ſermocinatione alluſiſſe, cum dixit, *In Eccleſiam, ideſt ad beneficia eccleſiaſtica, varii variè intrant. Primò nonnulli per Oſtium, ſivè per portam Cęſaream, nimirùm Aulici, per commendationem Cæſaram, Regum, Principum. Secundò alii intrant per portam auream, ſcilicèt divites. Tertiò alii per portam ſanguineum, puta per parentes, cognatos, & amicos potentes. Quartò alii per portam munerariam, hoc eſt per dona, & munera. Quintò alii per portam famulariam, ſcilicèt ſervi, & famuli, qui proptèr obſequia ab Epiſcopis promoventur ad beneficia* (*a*). Sed aliud eſt feſtivè loqui, aliud eſt ſeriò profari. Feſtivè multa dicuntur, quæ ſeriò non verificantur. Ad ſummum ęrgò verba Evangelii præmemorata poſſunt in *ſenſu accommodatitio* ad ſignificanda beneficia eccleſiaſtica impelli: Sed verborum Sacræ Scripturæ in ſenſu accommodatitio exigua eſt vis, & nulla prorsùs probatio, uti paulò antè monſtravimus (*b*). Et poſteà, aliud eſt dicere, quod acquirentes illegitimis modis eccleſiaſtica beneficia, non intrent per oſtium, ſed inſiliant per feneſtras more latronum; Aliud, quod extranei, legitimis modis, & Superiorum auctoritate, & Nominatorum præſentatione, ad illa promoti, ingrediantur in Eccleſiam ut fures. Primum eſt verum, ſivè de indigenis ſermo ſit, ſivè de extraneis. Secundum verò omninò falſum eſt, & ſic per hanc auctoritatem Scripturæ nihil adversùs extraneos comprobatur.

(a) *Salmer. tom. 7. pag. 88.*

(b) *Vid. hic ſupr. cap. 1. à num. 34.*

39. Reſpondetur tertiò, Denuò negando aliud ſuppoſitum, nempè quod Hincmarus Remenſis hunc Evangelii textum adaptet Ebboni Gratianopolitano, in conceptu formali extraneitatis, & præcisè quà extraneo, atquè ad Epiſcopatum promoto in Eccleſiâ, à qua erat extraneus. Non enim proptèr hoc, ſed ex eo præcipuè, quià Ebbo, cum adhùc eſſet eccleſiaſticâ excommunicatione innodatus, ſeù ut ipsè loquitur, cum eſſet *canonicâ excommunicatione devinctus, irregularitèr uſurpavit regimen* (*c*), & illegitimè beneficium Epiſcople ſuſcepit, ideò Hincmarus exaggerat, eum, *contrà canones, Spiritu Dei, per organa ſua conditos, ad Eccleſiæ regimen eſſe provectum*, nec intraſſe per oſtium in ovile, ſed aſcendiſſe aliunde more latronum (*d*). Hanc reſponſionem fuſiùs proſecuti ſumus capitulo pręcedente (*e*), propterea calamum temperamus, & illuc benignum lectorem remittimus: totamque ſummam argumenti hìc brevitèr colliquando, concludimus, Evangelicam narrationem, furis, & latronis, non intrantis per oſtium, ſed aliundè, nihil habere commune cum beneficiis, & beneficiariis, ſivè indigenis, ſivè extraneis: vel certè nihil libertati Eccleſiæ detrahere, quominùs illa poſſit clericis ſibi bene viſis beneficia ſacra conferre. Quarè ſubſiſtente libertate Eccleſiæ, ſubſiſtit etiam libertas Miniſtrorum ejus, ad quos pertinet præbendas eccleſiaſticas diſpenſare.

(c) *Hincm. Remenſ. de Prædeſtin. cap. 36.*

(d) *Idem loc. citat.*

(e) *Vid. hic ſupr. cap. præced. à num. 33*

40. *Arguunt quintò*, Contradictores ex Epiſtolâ primâ Beati Pauli Apoſtoli ad Timotheum, *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat: oportet ergò Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum &c. Oportet autèm illum, & teſtimonium habere bonum, ab iis, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli* (*f*). Vides, inquiunt Contradictores, quod ad beneficium Epiſcopale, & conſequentèr etiam ad alia inferiora beneficia, requiritùr, ut promovendus bonum teſtimonium ab his, qui foris ſunt, habeat. Sed bonum teſtimonium ab iis, qui foris ſunt, habere non poteſt, niſi ſit illis notus: notus autem eſſe illis non valet, niſi ex eâdem Eccleſiâ prodierit, aut alitèr ſit indigena illius loci; ergò beneficia eccleſiaſtica ſolis ſunt indigenis conferenda, extraneis ablegatis. Hoc autèm teſtimonium ideò eſt à Promovendis habendum, *ut ſciant omnes*, inquit Origenes, *& certi ſint, quià qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc, adſtante populo, ne qua poſtmodùm retractatio cuipiam, ne quis ſcrupulus reſideret* (*g*). Et quidem ipse Apoſtolus non sè ab hac obſervantiâ diſpenſavit, quandò Timotheum ſibi in Comminiſtrum adſcivit: provexit enim illum, ſed non niſi pręcedentibus teſtimoniis eorum, cum quibus Ly-

(f) *1. ad Timoth. cap. 3. num. 2. & 7.*

(g) *Orig. homil. 6. in Levit.*

ſtriſvi-

tris vixerat, & Iconii. Itàque ex hoc Apoſtoli textu patet, collationem beneficiorum ad ſolos eſſe indigenas coarctandam.

41. Reſpondetur primò, negando ſuppoſitum, nempè quod *teſtimonium habere bonum* ibi ponatur præceptivè, non verò directivè. Sexdecim conditiones exigit Apoſtolus in Timotheo, & in omnibus, ad Epiſcopale beneficium promovendis: decem affirmativas, & ſex negativas: quarum aliquæ præceptivæ ſunt, ideſt quæ ſunt magis urgentes; alię verò, minoris relevantiæ, ſunt merè directivæ. Habent enim hoc Scripturæ, habent hoc Patres, ut perfectionem in Miniſtris Eccleſiæ, & in aliis fidelibus promoventes; multa in eis exquirant, quæ perfectum Chriſtianum faciant, & in omnibus ſint deſiderabiles, ſed non in ſingulis neceſſarię. Ex Patribus S. Bernardus in ſummo Eccleſię Pontifice, & in Eugenio III. tùnc Pontificatum tenente, has, quę ſequuntur, tringintaquatuor dotes, ſivè qualitates, exquirit: *Conſidera, oportere te eſſe formam juſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertorem veritatis, fidei defenſorem, doctorem gentium, Chriſtianorum ducem, amicum ſponſi, ſponſę paranymphum, cleri ordinatorem, paſtorem plebium, magiſtrum inſipientium, refugium oppreſſorum, pauperum advocatum, miſerorum ſpem, tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum ſenum, ultorem ſcelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentum, malleum tyrrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum diſpenſatorem, ſal terræ, urbis lumen, ſacerdotem Altiſſimi, Vicarium Chriſti, Chriſtum Domini, poſtremò Deum Pharaonis* (a). Quis autèm dicat has omnes qualitates, non directivè, ſed præceptivè requiri? Ad neceſſitatem, non verò ad honeſtatem pertinere? Obligationem, non verò meram convenientiam, continere?

(a) *S. Bernard. de Conſid. ad Eugen. l. 4.*

42. Ex Scripturis, ipſe Apoſtolus Paulus, Tito ſcribens, in Sacerdotibus plura exigit, eiſdem conſentanea, quę peroptaverat in Timotheo (*b*): quę tamèn Cornelius à Lapide tenet, non de inſtituto Chriſti, ſed de merâ ordinatione Pauli manaſſe (*c*): qui etiàm in Senibus, & Juvenibus, in Matronis, & Servis hęc reſpectivè depoſcit, *Senes ut ſobrii ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientiâ. Anus ſimilitèr in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ſervientes, benè docentes, ut prudentiam doceant adoleſcentulas, ut viros ſuos ament, filios ſuos diligant, prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas, ſubditas viris ſuis, ut non blaſphemetur verbum Dei. Juvenes ſimilitèr hortare, ut ſint ſobrii. In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate, verbum ſanum irreprehenſibile: ut is, qui exadverſo eſt vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Servos Dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, ut doctrinam Salvatoris noſtri ornent in omnibus* (*d*): Quis aliqua ex his non ad perfectionem, ſed ad debitum referat? Quis dicat, quædam ibi expreſſa, non decentiam, ſed importare præceptum? Erraret qui hoc modo ſentiret, cum ipſe Apoſtolus, in ipſo hujuſce locutionis exordio, ſe ſolùm de merâ decentiâ loqui profiteatur, ait enim ad ipſum Titum, *Tu autèm loquere, quæ decent ſanam doctrinam, ſenes ut ſobrii ſint &* (*e*). *Decent*, ideſt quæ honeſtum eſt, quæ congruum, quæ conveniens, quæ decet, in memoratis hominibus reperiri, ſed ſi aliquæ ex his qualitatibus in eis deſint, ad culpam ipſis id non debent imputari.

(b) *Ad Titum cap. 1. num. 7.*

(c) *Cornel. à Lapid. in Tit. 1. num. 7. §. Unde.*

(d) *Ad Titum cap. 2. num. 2.*

(e) *Ad Titum cap. 2. num. 1.*

43. Ad eandem ergò decentiam, honeſtatem, & perfectionem pertinent conditiones, in Timotheo requiſitæ, ſi non omnes, ſaltèm eorum major pars, ſivè aliquę, quarum defectus non niſi culpam venialem, vel ſimplicem inperfectionem in eo, qui eiſdem caret, importat. Profectò eſſe *ſobrium, prudentem, ornatum, modeſtum, irreprehenſibilem*, nemo ſanæ mentis, uti quid neceſſarium indiſpenſabile, ac de præcepto, in Sacerdotibus prærequireret? Theophilactus in voto eſt in hoc Apoſtoli textu, id à ſacris miniſtris exigi, *ut veluti Angeli cum hominibus verſen-*

Digitized by Google

verſentur in terris (*a*); quod an præceptum, & neceſſitatem importet, an verò merum conſilium, & ſimplicem honeſtatem, atque perfectionem, quiſque prudens lector dijudicet. S. Hieronymus ad tantas qualitates in Sacerdote poſtulatas mente reflectens, cunctas virtutes unà ſimùl intellexit expoſci, ſed hoc penè vim naturę tranſcendere, cum vel nullus, vel vix ullus poſſit irreprehenſibilitate pollere, *omnes virtutes uno ſermone comprehendit, & penè rem contrà naturam exigit, quis enim ille eſt, qui abſque peccato, & reprehenſione vivat?* (*b*) Si juxtà dogma Scripturę *non eſt homo, qui non peccet* (*c*). *Si in multis offendimus omnes* (*d*). *Si ſepties in die cadit juſtus* (*e*); quis irreprehenſibilitatem, tamquàm de præcepto, & uti omninò neceſſariam; in Sacerdote requirat? Certè deſipit ſi quis hoc loquitur. Igitùr ad ſolum perfectionis cumulum, ad ſolam decentiam, & honeſtatem, hæc dicuntur, in eo ſenſu, quo D. Gregorius Nazianzenus *vitium eſſe Epiſcopo non quam optimum eſſe* ſentit (*f*): & ex profanis Plutarchus: *ſunt Principes tàm ſacri, quàm prophani, inſtàr lucentium gemmarum, atque adeò ſi quis in illis nævus apparet, detractioni patet, & calumniæ* (*g*), quæ, ut obviè de ſe patet, non niſi ad honeſtatem, & perfectionem dicuntur.

(a) *Theophylact. in 1. ad Timot. cap. 3.*
(b) *S. Hieron. epiſt. 83. ad Ocean.*
(c) *3. Reg. cap. 8. num. 46.*
(d) *Jacob. cap. 3. num. 2.*
(e) *Prover. cap. 24. num. 16.*
(f) *S. Greg. Nazianz. Apolog. 1.*
(g) *Plutarch. lib. de doctrin. Princip.*

44. Talis autèm eſt illa conditio; *oportet illum, & teſtimonium habere bonum ab his, qui foris ſunt*, quam cum aliis qualitatibus, eccleſiaſtico viro dignis, Apoſtolus in Promovendo ad miniſteria ſacra depoſcit. Hæc non præceptivè ponitur, ſed directivè: non ad neceſſitatis titulum, ſed ad cumulum perfectionis: ſufficit etenim, quod notitiam probitatis viri Promovendi, habeat Antiſtes ex ſe, tametſi eam non habeat ab iis, qui foris ſunt. Et idcircò ſi teſtimonium bonum ab his, qui foris ſunt in Promovendis concurrat, bonum eſt; ſi deſit, in culpam ullam, vel ſaltèm in culpam notabilem non vocatur. Id patet primò ex facto D. Cypriani, qui allegatus ut Achilles Contradictorum, ad probandam neceſſitatem hujuſmodi popularis teſtimonii; tamen dicit, ſe Aurelium, & Celerinum promoviſſe, ſinè Cleri, & populi aſſenſu, ſivè teſtimonio, ad officium, & conſequentèr etiam ad beneficium Lectoratus (*h*), quatenùs tunc officium idem fuiſſe, ac beneficium Contradictores affirmant. Secundò idem non obſcurè etiam conjicitur ex contextu objectionis: paulò enim infrà ſubdit Apoſtolus, *hæc tibi ſcribo &c. ut ſcias quomodò oporteat te in domo Dei converſari* (*i*). Ubi patet, Apoſtolum in Timotheo exhortativè, non præceptivè loqui, & de formando viro in ſuâ converſatione mirabili, irreprehenſibili, atque perfecto ſatagere, ad hoc ut nullus in eo quidquam nævi poſſet etiam ſubtilitèr adnotare; non verò ut ſi talia cuncta deſint, illicita, & multò minùs invalida ſit illius promotio. Itàque dicimus, ad laudem quidem, & præconium pertinere, Clerici ad ordines, & ad beneficia eccleſiaſtica provehendi, *ſi teſtimonium habeat bonum* à cunctis, qui illum cognoſcunt: ſi omnium voto dignus Sacerdotio pronuntietur: ſi nullus ſit, qui in eo notam, viro eccleſiaſtico minùs dignam diſcernat: ſi cunctorum demùm ſuffragiis dignitates ſacras acquirat. Sed quatenùs hujuſmodi prærogativa in ipſomet non concurrat, non ideò malè provehitur, & per conſequens, ex præfatis verbis Apoſtoli, non ritè infertur, beneficia eccleſiaſtica ſolis indigenis eſſe danda, & extraneis deneganda.

(h) *S. Cyprian. epiſt. 33.*
(i) *1. Timot. cap. 3. num. 15.*

45. Reſpondetur ſecundò, Argumentum nihil probare, quià probat nimiùm, & quatenùs etiam quidquam valeat; retorquetur adversùs Contradictores. Nàm Apoſtolus, nedùm teſtimonium bonum expoſcit, ſed etiam id ab illis, qui foris ſunt, expoſtulat perhiberi, *oportet*, inquit, *illum & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt* (*l*). Qui ſunt autèm ii, qui foris ſunt, niſi Ethnici, Judæi, Hæretici; uno verbo, Infideles? Audi Hieronymum, *qui irreprehenſibilis eſt, non ſolùm à domeſticis, ſed ab alienis conſono ore laudatur. Alieni, & extrà Eccleſiam ſunt Judæi, Hæretici, atque Gentiles. Talis ergò ſit Pontifex Chriſti, ut qui religioni detrahunt, vitæ ejus detrahere non audeant* (*m*). Eodem modò *pro iis, qui foris ſunt*, intelligunt infideles S. Joannes Chryſoſtomus (*n*), Theophilactus (*o*), & alii, primuſque omnium Divus Petrus, in ſuâ primâ epiſtolà ſcribens,

(l) *1. Timot. cap. 3. num. 7.*
(m) *S. Hieron. epiſt. 83. ad Ocean.*
(n) *S. Jo. Chryſ. in epiſt. ad Timot.*
(o) *Theophylact. in 1. ad Timot. cap. 3. num. 7*

Conver-

Converſationem intèr Gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum &c. (*a*). Argumentum ergò, ex Pauli textu nobis objecto, probat nimium, quià probat, Miniſtros Altaris, adeòque beneficiarios, eſſe ad miniſteria, & beneficia eccleſiaſtica promovendos, ſive habiles declarandos, non tam à ſacris ſuperioribus directè, quam indirectè à populo; & quidem non à populo Chriſtiano, ſaltem ſolo, verùm etiam à Judæis, Hæreticis, & Idololatris, qui ſunt ii, qui foris ſunt, & teſtimonium reddere bonum debent iiſdemmet promovendis, & ſine quorum teſtimonio hi promoveri non poſſunt, ſecundum vim Objectionis Contradictorum. Audirine poteſt quidquam inſulſius? Imò eſtne quidquam magis à veritate, & religione noſtrâ remotum? Sed age; vigeat argumentum: jàm retorquetur adverſus ipſos Contradictores, nàm cum *ii*, *qui foris ſunt*, teſtimonium reddere bonum poſſint, nedùm indigenis, ſed etiam extraneis, modò ſibi notis, & cognitis; verum ſemper erit, quod non ſolum indigenæ, ſed etiam extranei valent ad beneficia eccleſiaſtica promoveri.

(a) *I. Petri cap. 2. num. 12.*

46. Verè tamen hic non eſt ſenſus Apoſtoli, nec ipſe in eâ unquam fuit ſententiâ, ut teſtificatio Infidelium de neceſſitate deberet in Promovendis concurrere, ſed ſolum de honeſtate, ex abundanti, & ad opportunitatem illorum temporum. Cum enim Chriſtiana religio tunc primum erumperet, paſſimque Judæi, & Pagani adverſus fideles, & maximè Sacerdotes, eorum rectores, in odium proſilirent, hoſque uti maleficos, profanę ſectæ promotores, & vitiis refertos, conclamarent (*b*); Ideò Apoſtolus, & Timotheum, & animarum rectores, tales eſſe commonet, ut Hebræi, & Idololatræ nihil poſſent in eis adnotare, quod carperent, reſpectu vitæ, & morum; quamquam eorum ritus, & doctrinam minimè comprobarent. Porrò Chriſtianorum exemplo didicit Alexander Severus Imperator, *ubi aliquos voluiſſet, vel rectores provinciis dare, vel præpoſitos facere, vel procuratores, ideſt rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus &c. dicebatque grave eſſe, quum id Chriſtiani, & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunę hominum committerentur, & capita*. Sic de illo Lampridius (*c*). Talis igitur diligentia à Chriſtianis adhibebatur, ut nota eſſet probitas vitæ, morumque integritas, quâ Promovendi ad ordines prædití erant: taleſque rè verâ fuiſſe Sacerdotes, cunctoſque fideles primis illis temporibus, coniici poteſt, tum ex laudibus, quibus Philo, Hebręorum diſertiſſimus, Chriſtianos Alexandrinos affecit (*d*): tùm ex præconiis, quibus Plinius, in epiſtolâ ad Trajanum, cunctos Chriſticolas celebravit (*e*). Quâ causâ nunc ceſſante, nihil eſt, ut præſcriptio illa temporanea, ab Apoſtolo in Rectoribus Eccleſiæ poſtulata, teſtimonii Infidelium; nùnc pro neceſſariâ habeatur. Et quatenùs etiam Apoſtolus ad noſtra tempora proſpexiſſet; ejus verba non alio tendunt, quam ad commonendos viros eccleſiaſticos, ut irreprehenſibilitèr, quantum fieri poteſt, vivant; rati, quod *non poſſunt Epiſcoporum vitia diſſimulari, ſed vel ſtatim parva, & exigua, manifeſta fiunt*, ut benè ait Chryſoſtomus (*f*). Ea etenim eſt ſublimium hominum, & Magnatum conditio, ut de eis, teſte Claudiano, *lux altiſſima fati, occultum nihil eſſe ſinat, latebraſque per omnes, intret, & obſcuros exploret fama receſſus* (*g*). Idcircò talitèr, & vitam, & mores ſuos excolere debent Eccleſiaſtici, ut neque verba, neque res eorum, etiam ſubtilitèr perſcrutatæ, morderi poſſint: eo vel maximè, quod nunquam ceſſat hominum dicacitas, & protervia aliorum facta torquere, & in Magnatibus minutiſſimâ quæque ad vitii titulum computare. Ità *Cimoni Athenienſes, vinum, Populus Romanus Scipioni, ſomnolentiam, ſoliti exprobrare traduntur: quippè qui nihil præterea aliud, quod illis objectari poſſet, haberent* (*h*). Hæc autèm non niſi dè conſilio, & honeſtate, merèque directivè ſe habent, quæ propterea à Paulo in miniſtris Eccleſiæ peroptata, limites nudæ congruentiæ, & perfectionis optimæ non excedunt,

(b) *Sveton. in Nerone cap. 16.*

(c) *Lamprid. in Alex. Sever. f. 999. A.*

(d) *Philo apud S. Hieron. de Script. Eccleſ. in eo.*

(e) *Plinius lib. 10. epiſt. 97.*

(f) *S. Jo. Chryſ. lib. 3. de Sacerd.*

(g) *Claudian. in 4. Honorii Conſulat.*

(h) *Plutarc. in Politic.*

nullo de illis vigente præcepto: undè ex hoc Apoſtoli textu nullatenùs convinci poteſt, extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos.

47. Reſpondetur tertiò iterum negando aliud ſuppoſitum, nempè quod Clerici extranei teſtimonium habere bonum non poſſint, tam ab eis, qui in Eccleſiâ, quam ab eis, qui foris ſunt, & extrà illam; hoc enim falſum eſſe demonſtratur, nedùm ratiocinio, quod ab unoquoque, rerum humanarum conſcio, formari poteſt; ſed etiam ex facto, in Eccleſiâ Dei centies repetito. *Abundè cognoſcitur,* inquit Caſſiodorus, *quiſquis famâ teſte laudatur* (a), bene proindè, ac dignè promovetur is, quem bona opinio, volitans per ora virûm, commendat. Non eſt otium infinita propemodum exempla referendi, & antiqua, & moderna, quæ hic poſſent facillimè conglobari, Clericorum, qui ſolâ famâ noti, Eccleſias, & beneficia ſacra meruerunt adipiſci in locis, ubi alioquin erant ignoti, extranei, & in aliis provinciis, regionibuſve progenti; pauca allegabimus, quæ ſequuntur. Alexander Cappadox, ad Eccleſiam Hieroſolymitanam promotus: Joannes Cyprius, cognomento eleemoſynarius, ad Alexandrinam: Meletius Sebaſtenus, ad Antiochenam &c. non niſi famâ noti, beneficium Epiſcopale in primariis illis ſedibus acceperunt. Sed valeat pro multis aſſumptio Chryſoſtomi Antiocheni ad Conſtantinopolitanas, & Auguſtini Tagaſtenſis ad inſulas Hipponenſes. De primo hæc habet Sozomenus. *Cum igitur notis ob experientiam, ignotis ob famam, tum eruditionis, tum virtutis, per univerſum Romanorum Imperium, clarus eſſet; dignus viſus eſt, qui Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus conſtitueretur* (b). De ſecundo ait Poſſidius, *ſcientes Catholici S. Auguſtini propoſitum, & doctrinam, manu injectâ eum tenuerunt, & ut in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt, omnibus uno conſenſu, & deſiderio fieri, perficique petentibus, magnoque ſtudio, & clamore flagitantibus, ubertim eo flente* (c).

48. Sed meliùs ipſe de ſe ipſo loquens, totius ſucceſſus ſeriem expoſuit: *Uſque adeò,* inquit, *timebam Epiſcopatum, ut* (*quoniam cœperam jam alicujus eſſe momenti, inter ſervos Dei, famâ meâ*) *in quo loco ſciebam non eſſe Epiſcopum, ne illò accederem, caverem; & hoc agebam, quantum poteram, ut in loco humili ſalvarer, ne in alto periclitarer. Veni ad iſtam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari poſſe Deo, ut nobiſcum eſſet in monaſterio. Quaſi ſecurus perveni, quia locus habebat Epiſcopum. Apprehenſus, & Presbyter factus ſum, & per hunc modum ad Epiſcopatum perveni* (d). Sicut autem tunc potuerunt & Auguſtinus, & Chryſoſtomus, & Meletius, & alii præmemorati, ſolâ virtutum famâ noti, teſtimonium habere bonum, quamvis eſſent extranei; ità potuerunt ſubſequentibus ſæculis, & poſſunt noſtrâ ætate, viri, ad dignitates eccleſiaſticas apti, famâ eſſe noti illis, ad quos ſpectat diſtribuere beneficia, & non obſtante extraneitate, teſtimonium habere bonum, tum ab iis, qui in Eccleſiâ ſunt, tum ab iis, qui extrà illam degunt, & ità dignè, & legitimè ſacra officia, & prebendas eccleſiaſticas adipiſci: ſicque ex præfato Apoſtoli textu, nulla ſufficiens ratio proficiſcitur, quæ extraneos Clericos ab eccleſiaſticis arceat beneficiis.

49. Reſpondetur quartò, teſtimonium bonum à populo tunc ſuiſſe prærequirendum, quandò mos fuit, ut provectio ad beneficia fieret votis Cleri, & teſtificatione populorum. At nunc cùm jam proviſio beneficiorum devoluta ſit ad ordinarios, vel delegatos eorum diſtributores; aut ad eos, ad quos pertinet Promovendos præſentare; jam teſtimonium populi non exigitur, vel quia ſublatum eſt; vel quia aliorum providentiæ commiſſum. Clerus olim ſuffragia conferebat in provectione Clericorum ad eccleſiaſtica beneficia, & populus teſtimonium vitæ Promovendi tradebat, & ità, teſte D. Cypriano, *factus eſt Cornelius Epiſcopus* Romanus, *de Dei, & Chriſti ejus judicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio* (e). Ità ſe electum fuiſſe conteſtabatur in Concilio Chalcedonenſi Baſſianus Epheſinus, dicens: *mè quadraginta Epiſcopi Aſiani, ſuffragio & nobilium,*

(a) *Caſſiodor. var. lib. 9. epiſtol. 72.*

(b) *Sozom. hiſtor. lib. 8. cap. 2.*

(c) *Poſſid. vit. S. Auguſt. cap. 53.*

(d) *S. Auguſt. epiſt. 148. ad Valerian. vid. Poſſid. vit. S. Auguſt. cap. 4.*

(e) *S. Cypr. epiſt. 52.*

nobilium, & potiorum, & totius reverendiſſimi Cleri, & omnis Civitatis, ordinaverunt (a). Ità in promotione aliorum factum eſt, quorum hic longiſſimus coacervari poſſet catalogus: talis enim erat, citrà controverſiam, antiqua priorum temporum diſciplina, quam etiam obſervari mandarunt Concilium Sardicenſe (*b*), Carthaginenſe tertium, & quartum (*c*), & poſt illa Cœleſtinus Papa I. in epiſtolà ad Epiſcopos provinciarum Viennenſis, & Narbonenſis, ſcribens: *Nullus invitis detur Epiſcopus: Cleri, plebis, & ordinis conſenſus, atque deſiderium requiratur* (*d*). Et poſt illum S. Leo Papa I. Anaſtaſio Theſſalonicenſi præſcribens, *ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebiſque conſenſus concorditèr poſtulaverit* (*e*).

50. Verùm in primis, hujuſmodi mos non fuit generalis, ſed particularis, & localis: aliquæ namque provinciæ diverſam methodum obſervabant, de quibus S. Cyprianus; *Apud nos quoque, & ferè per provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas &c. Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit* (*f*). Advertatur ad ly *ferè*, quod oſtendit, alicubi talem diſciplinam non viguiſſe. Secundariò, talis diſciplina non fuit de jure divino, ſed merè de jure eccleſiaſtico, uti latè probat Natalis ab Alexandro (*g*). Et ideò potuit ab Eccleſiâ, juſtis ex cauſis pro ejus libito, & auctoritate mutari. Habuit autem Eccleſia juſtam cauſam eandem mutandi, proptèr turbulentias, litigia, & confuſiones, quæ paſſim ob varia ſtudia populorum, ob ſimonias, & illicitas pactiones, in electionibus ſuccedebant: *Nonnunquam* enim, ait D. Hieronymus, *errat plebis, vulgique judicium, & in Sacerdotibus comprobandis, unuſquiſque moribus ſuis favet, ut non tam bonum, quam ſui ſimilem quærat præpoſitum* (*h*). Et ideò uſque à temporibus Concilii Laodiceni, Eccleſia ſancivit: *Turbis non eſt permittendum electiones eorum, qui ſunt in Sacerdotio conſtituendi, facere* (*i*). Et Concilium Bracarenſe, *non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur* (*l*). Sed jàm de his fuſiùs ſuperiùs dictum eſt (*m*).

51. Nèc ideò deeſt nunc Promovendis *teſtimonium bonum*, quia Collatores beneficiorum, & Nominatores ad ea, vel ex ſe ipſis Clericos beneficia conſecuturos agnoſcunt, eorumque vitam, & merita nota habent, & ipſi *teſtimonium bonum* perhibent Promovendo. Vel ſi integram de præfatis notitiam non habent; Miniſtros, & Auditores, & Confeſſarios ſuos, & alios ſibi fidos deputant, qui de moribus, & virtutibus Promovendorum inquirant, ut exactâ ſciſcitatione certiorentur, an digni ſint beneficio, illis ſucceſſivè tradendo. Papa Congregationes virorum prudentum, Datarium Apoſtolicum, pluribus adjutoribus conſtipatum, demumque ſuum Auditorem habet, ad hæc munera deputatos. *Imperator*, Regeſque *Hiſpaniæ*, atque *Galliæ*, ſuo Confeſſario, ut audivimus, hanc curam committunt. Alii Reges, Epiſcopi, & Prælati Eccleſiarum, alios miniſtros habent, ad hoc deſtinatos, ut de præſentandis, & promovendis ad beneficia, & dignitates eccleſiaſticas ſedulò, ac diligentèr inquirant. Nonnè ergò etiam nunc Promovendi teſtimonium habent bonum, ſi non à plebe, certè à Papâ, Imperatore, Regibus, & Epiſcopis, eorumque Miniſtris? Nunquid merebitur majorem fidem vox verſatilis populorum, murmur plebeculæ, centiès in die mutabilis; quam teſtificatio Papæ, Imperatoris, Regum, Epiſcoporum, eorumque, quos ipſi deputant, ad illorum, qui ſunt beneficia conſecuturi, mores, merita, virtutes, omnemque tandem benemerentiam perſcrutandam?

52. Debeant igitur viri, ad beneficia eccleſiaſtica promovendi, eſſe noti populo, & *teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt*; age, ità ſit; ſed hoc primòeſt verum pro locis, & tempore, quo ità faciendum eſſe ſacri Canones præceperunt: nec in alio ſensu, neque diſſimili intuitu, Apoſtolus textum nobis oppoſitum pronuntiavit. Cum autem jam hujuſmodi mos ceſſaverit, cum jam praxis ſit illorum temporum abolita; præfatum teſtimonium non ampliùs prærequiritur. Secundò, & quatenùs etiam prærequireretur, id non de præcepto, ſed de con-

(a) *Concil. Chalcedon. Act.* 11.
(b) *Concil. Sardic. cap.* 5.
(c) *Concil. Carthag. III. cap.* 40. & *Carthag. IV. cap.* 1.
(d) *S. Cœleſt. I. epiſt.* 2. *cap.* 5.
(e) *S. Leo epiſt.* 84. *cap.* 5.
(f) *S. Cypr. lib.* 1. *epiſt.* 44. *alias* 68.
(g) *Natal. ab Alex. Sæcul.* 1. *diſſert.* 8. *concl.* 2. & 3.
(h) *S. Hieron. lib.* 1. *cont Jovinian.*
(i) *Concil. Laodicen. cap.* 13.
(l) *Concil. Bracar. II. cap.* 1.
(m) *Vide ſupra tom.* 2. *cap.* 19. 20. & 21.

ſilio eſt; & ad honeſtatem pertinet, non ad debitum. Tertiò ſatis eſt, quod perhibeatur, ſi non à populo, ut olim tamen à Collatoribus beneficiorum, vel à Nominatoribus ad illa, & ab aliis, quibus iſti talem indaginem ex profeſſo committunt, uti nunc fit. Quartò & utcumque res ſe habeat, quia *teſtimonium bonum* præberi poteſt, non ſolum indigenis, verùm etiàm ab extraneis; hinc fit, quod verba Apoſtoli neque indigenis ſolis favent, neque extraneis ſunt infeſta: & ideò per ipſa nullatenùs violatur libertas Eccleſiæ in præficiendo beneficiis Clericos ſibi beneviſos, undecumque originem ducant. Itàque perperàm Contradictores *è Scripturis ſibi conſuunt cervicalia, quę ponant ſub cubito univerſæ ætatis* (a), quippè objectæ ab eis Biblicæ auctoritates ipſorum non concludunt intentum: totaque æquivocatio in hoc ſiſtit, quod, ut ab initio dicebamus (paceque illorum ſit repetitum) *Scripturę bonę intelliguntur non benè, & quod in his non benè intelligitur, temerè, & audactèr aſſeritur* (b).

(a) S. Hieron. in cap. 1 epiſt. ad Galat.

(b) S. Auguſt. tr. 18. in Joannem.

C A P U T III.

In quo reſpondetur Objectionibus THEOLOGICIS, *propoſitis contrà libertatem Eccleſiæ in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.*

S U M M A R I U M.

1 Prima objectio, *petita ex ordine charitatis, exigentis, ut proximioribus benefiat. Veritas quomagìs ventilatur, eo magìs eniteſcit.*

2 *Charitas debet eſſe ordinata: Sed ejus ordo ſecundum rerum, hominum, & eventuum varietatem, varius eſt.*

3 *In communicatione rerum eccleſiaſticarum, omnes Clerici, undecumque progeniti, ſunt inter sè propinqui: & charitas propinquioribus exhibenda eſt.*

4 *Ex Cicerone beneficentia, ſecundum diverſos reſpectus, quibus ſumitur, potius impendenda eſt uni, quam alteri.*

5 *In rebus eccleſiaſticis conjunctioritas non petitur à concivilitate, ſed à comparticipatione Clericatus.*

6 *Quod beneficia ſolis indigenis conferantur, non eſt de jure naturæ. Quid ſit jus naturæ, & quid expoſcat?*

7 *Si excluſio extraneorum eſſet de jure naturæ, Principes non poſſent dare literas naturalitatis extraneis: & Eccleſia hàcuſque perſeveraſſet in errore.*

8 *D. Auguſtinus in contrarium allegatus, nihil officit. Alius eſt ordo ſervandus in porrectione temporalium, alius in largitione beneficiorum.*

9 *Beneficia ut ſic non ſunt res pertinentes ad civilem converſationem, habent enim pro fine cœleſtem Beatitudinem, & cultum Dei.*

10 *Beneficia ad vitam ſpiritualem pertinent, nec iiſdem legibus regulanda ſunt, ac res Civiles. Moyſes reſignavit munus ſuum extraneo.*

11 *Sivè beneficia pertineant ad civilem converſationem, ſive non, doctrina Contradictorum retorquetur adverſus eos.*

12 *Et eorum argumentum nimium probat, nempè quod beneficia ſint danda non Connationalibus, ſed Comparochianis, & Convicanis.*

13 *So-*

13 *Solum cæteris paribus præferendi ſunt indigenæ . Senſus D. Auguſtini , ac D.Thomæ , de ordine Charitatis exercendæ .*

14 *Cæterorum paritas pro præferendis extraneis , non niſi à diſpenſatoribus beneficiorum in caſibus practicis eſt definienda .*

15 *Paritèr Argumentum Contradictorum ad ſummum concludit pro beneficiis patrimonialibus : Et quænam hæc ſint ?*

16 *Beneficia patrimonialia , non ſolum ex ordine Charitatis, ſed etiam ex ordine juſtitiæ, ſolis indigenis conferri debent .*

17 *Beneficia non præſumuntur eſſe patrimonialia , niſi de illis conſtet ex mente teſtatoris , vel ex privilegio Apoſtolico .*

18 Secunda objectio, *petita ex eo, quod extranei non poſſint tutâ conſcientiâ beneficia retinere, ex Gulielmo Durando.*

19 *Durandus Papæ , & Concilio propoſuit bonum eſſe , ut beneficia ſolis indigenis , non abſolutè , ſed cæteris paribus , conferrentur .*

20 *Ex eo quod Concilium , & Papa non reſtrinxerunt beneficia ad ſolos indigenas , patet , non fuiſſe exclusos extraneos .*

21 *Durandus loquitur de beneficiis malè adeptis , ac de curatis acceptis ſinè animo reſidendi , & de neſcientibus idioma loci .*

22 *Beneficia parochialia danda non ſunt inſciis idiomatis . Diverſa eſt ratio in beneficiis Epiſcopalibus , ac in aliis inferioris ordinis .*

23 *Retorquetur opportunè argumentum . Papa diſpenſat in defectu idiomatis, qui etiam in beneficiis ſimplicibus non attenditur .*

24 Tertia objectio, *petita ex Theologis melioris notæ, ſentientibus, beneficia eſſe indigenis, non extraneis conferenda .*

25 *S. Thomas , & Sotus apertè loquuntur , non abſolutè , ſed cæteris paribus : Supponitque Soto, Concilium Tridentinum noluiſſe hanc reſtrictionem facere.*

26 *Idipſum ſentit Azorius , qui & Sotus , loquuntur de beneficiis patrimonialibus , quæ talia fieri non poſſunt ſolâ Principis auctoritate .*

27 *Retorquetur argumentum ex duplici capite . Theologi præfati loquuntur cæteris paribus , Pluresque alii extraneis favent .*

28 *Nullus affertur à Contradictoribus Theologus , arcens extraneos à beneficiis , niſi in locis privilegio Apoſtolico munitis , quod eſt extrà quæſtionem .*

29 *In conflictu opinionum illa ſequenda eſt, quæ favet libertati Eccleſiæ . Quantum valeat auctoritas unius Doctoris ſingularis .*

30 Quarta objectio, *petita ex eo quod beneficia ab initio debebant dari per electionem alicui de gremio Eccleſiæ , excluſis extraneis .*

31 *Ab initio Beneficiarii non à Clero , & Populo, ſed à ſuperiore eligebantur, tàm in veteri , quam in novo Teſtamento .*

32 *Doctrina Cardinalis Bellarmini circà hoc, exponentis verba S. Cypriani , & factum Eleazari in oppoſitum allegatum .*

33 *Quomodè ſit de traditione divinâ , electio facta à Clero: populus olim ſolam dabat teſtificationem electo .*

34 *Etiamquando beneficii proviſio fiebat per electionem , admittebantur ad illud extranei : nec electio de gremio erat præceptiva .*

35 *Electio de gremio nunquam fuit ad ſubſtantiam electionis , ſed ad benè eſſe , ut electus eſſet electoribus cognitus , & acceptus .*

36 *Qualitas quod quis eſſet de gremio , nunquam requiſita fuit in promovendis ad beneficia merè ſimplicia .*

37 *Argumentum Contradictorum nimium probat , nempè quod beneficia danda ſint non Nationalibus , ſed incolis cujuſque loci .*

38 *Qualitas quod quis ſit de gremio Eccleſiæ beneficii , non eſt exigenda nùnc , cum jàm forma electionis ceſſavit .*

1. PROPRIUM hoc habet Veritas, omnium rerum victrix (*a*), ut quò magis diſceptationibus hominum ventilatur, eò magis eniteſcat; Undè & dogmata Theologica veritati innixa, tantò ampliùs rutilant, quantò fortiùs Objectionibus, in oppoſitum propoſitis, impetuntur. Nàm, ut ait Petrus Cellenſis: *Veritas queſtionibus ventilata creſcit, uti ſpecies aromatica paſtillorum tunſione fragraſcit* (*b*). Hinc cum adversùs libertatem Eccleſię in conferendo beneficia eccleſiaſtica, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis, inſurgant perpluribus Objectionibus Theologicis Contradictores, Extraneos quoſque à beneficiis repellere ſatagentes; noſtrum eſt hìc illas diſcutere, ut examinatæ funditus diſſolvantur, & firmitas noſtræ ſententiæ tutiùs obſirmetur. *Arguunt ergò primò*, ex debito Charitatis, quàm nulli dubium eſt, inquiunt, debere eſſe ordinatam, ut rationem virtutis habeat: ordo autem charitatis exigit, ut priùs propinquioribus, deindè remotioribus benefiat. Sic Cicero in libris de officiis (*c*). Sic D. Thomas in Summâ (*d*). Sic D. Ambroſius (*e*). Sic tandèm D. Auguſtinus pluribus in locis (*f*), & præſertìm in lib. de Civitate Dei, aſſerens hoc, *vel naturæ ordine, vel ipſius ſocietatis humanæ debere fieri* (*g*). Sed Clerici indigenæ ſunt propinquiores extraneis, uti de sè patet, tùm naturę ordine, tùm ſocietatis humanę; ergò ex ordine charitatis, qui eſt ipſius naturæ ordo, & ſocietatis humanæ; beneficia, uti res pertinentes ad civilem converſationem, & ad humanam ſocietatem, ſunt Clericis indigenis, non verò extraneis conferenda.

2. Reſpondetur *primò*, quod in hoc argumento verba quidem ſunt plurima; ſed talia, quæ in diſputando multum habent vanitatis, & nihil firmitatis (*h*). Nam, ſinè dubio, charitas debet eſſe ordinata, ut virtus eſſe poſſit (*i*), aliàs ex virtute vertitur in vitium, quod improbabat Origenes, in expoſitione illis verſiculi Canticorum, *ordinavit in mè charitatem* (*l*), ſic dicens: *plurimorum inordinata eſt charitas, quando quod primo loco debent diligere, diligunt in ſecundo: quod in ſecundo, diligunt in primo* (*m*). Ideò regulatè procedere debet charitas, & ſecundum ordinem congruum, quem ità diſponit Angelicus D. Thomas; *In his, quæ pertinent ad naturam, plùs debemus diligere conſanguineos: in his autem, quæ pertinent ad civilem converſationem, plùs debemus diligere concives: & in bellicis, plùs commilitones* (*n*). Ex quibus patet, quod quamvis charitas ordinem ſuum habere debeat; non unus tamen eſt in omnibus rebus ordo: nec quoàd omnes homines, nec quoàd omnia loca, nec quoàd omnes occaſiones, una ſemper, & eadem eſt rerum concatenatio, quæ unicam ſtatuat categoriam, imprevaricabilem, generalem, rebus omnibus adaptatam, cunctiſque hominibus, cunctis occaſionibus, & cunctis rebus communem. Sed ordo iſte eſt mutandus, ſecundum diverſitatem temporum, de quibus agitur: hominum, cum quibus adhibenda eſt charitas: rerumque, circà quas ipſa charitas eſt exercenda: Ità ut quod in uno eventu, in uno negotio, reſpectu unius hominis, eſt juxtà ordinem charitatis; variato eventu, homine, vel negotio, non ampliùs ſit juxtà, ſed contrà ordinem ipſius virtutis.

3. Rem egregiè, ſuo modo, explicat D. Thomas, dicens: *Exhibitio beneficiorum eſt quædam actio charitatis in alios, & ideò oportet quod ad magis propinquos ſimus magis benefici. Sed propinquitas unius hominis ad alium poteſt attendi ſecundùm diverſa, in quibus ſibi ad invicem homines communicant, ut conſanguinei naturali communicatione: concives in civili: fideles in ſpirituali, & ſic de aliis: & ſecundum diverſas conjunctiones ſunt diverſimodè diverſa beneficia diſpenſanda. Nàm unicuique eſt magis exhibendum beneficium pertinens ad illam rem, ſecundùm quam eſt magis conjunctus, ſimpliciter loquendo. Tamèn hoc poteſt variari ſecundùm diverſitatem locorum, & temporum, & negotiorum* (*o*). Ordo ergò charitatis expoſcit, ut beneficentię actus exhibeantur ſemper propinquioribus: Sed quinam ſint propinquiores, hoc opus, hic labor eſt definire, cum non detur generalis ratio, ordinem aliquem propinquitatis exponens, omnibus hominibus, omnibus lo-

cis,

(a) 3. *Eſdræ cap.* 4. *à num.* 26.
(b) *Petrus Cellenſ. lib.* 5. *epiſt.* 4.
(c) *Cicero de Offic. lib.* 1.
(d) *S. Thomaſ.* 2. 2. *qu.* 31. *art.* 3.
(e) *S. Ambroſ. lib.* 1. *Offic cap.* 39.
(f) *S. Auguſt. de Doctrin Chriſt. cap.* 27 *& tract.* 119. *in Joan. cap.* 19.
(g) *S. Auguſt. de Civit. Dei lib* 19. *c* 14.
(h) *Eccleſiaſt. cap.* 6. *num.* 11.
(i) *S. Thomaſ.* 2. 2. *qu.* 16 *art.* 1.
(l) *Canticor. cap.* 2. *num.* 3.
(m) *Origenes homil.* 1. *in Cantic.* 2.
(n) *S. Thomaſ.* 2. 2. *qu.* 26. *art.* 8. *in corp.*
(o) *S. Thomaſ.* 2. 2. *qu.* 31. *art.* 3. *in corp.*

cis, & negotiis omnibus adaptata, ſed ſecundùm horum diverſitatem, diverſi etiam ſunt ordines propinquitatis,& diverſæ rationes ordinum, in charitatis executione attendendæ. Itàque ſicut in naturali communicatione, Conſanguinei ſunt propinquiores, & in eos charitas eſt exercenda: in civili Cives, & in ſpirituali Fideles; ità & in eccleſiaſticâ communicatione Clerici ſunt inter ſè propinquiores. Et quemadmodùm in communicatione rerum ſpiritualium omnes Chriſtifideles ęquè ſunt propinqui, undecumque originem duxerint, dummodò eandem teneant regulam veritatis, quià apud Deum, ut ait Apoſtolus, *non eſt diſtinctio Judæi, & Gręci: Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum (a)*; ità & in communicatione rerum eccleſiaſticarum, abſque diſtinctione originis, & deſcendentiæ, omnes Clerici, undecumque ſint, æqualitèr intèr ſè communicant, ęqualitèr ſunt propinqui: & ſic ordo charitatis, nedùm non expoſcit excluſionem Clericorum extraneorum, ſed imò potiùs eorum incluſionem poſtulat ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Romanorum c. 10 num 12.*

4. Totum hoc authenticat mirabilitèr auctoritas Ciceronis, cujus etiam pars in oppoſitum allegatur: ait enim, *optimè ſocietas hominum, conjunctioque ſervabitur, ſi ut quiſque erit conjunctiſſimus, ità in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed quæ naturæ principia ſint communitatis, & ſocietatis humanę repetendum altius videtur: eſt enim primum, quod cernitur in univerſi generis humani ſocietate, ejus autem vinculum eſt ratio, & oratio, quę docendo, dicendo, communicando, diſceptando, judicando, conciliat intèr ſè homines, conjungitque naturali quadam ſocietate &c. ac latiſſimè quidem patens hominibus intèr ipſos, omnibus intèr omnes ſocietas hęc eſt, in quâ omnium rerum, quas ad communem uſum hominum natura genuit, eſt ſervanda communitas &c. Gradus autem ſunt plures ſocietatis hominum: ut enim ab illâ diſcedatur infinitate, propior eſt ejuſdem gentis, nationis, linguę, quâ maximè homines conjunguntur: interiùs etiam eſt, eſſe ejuſdem Civitatis, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla carior, quam ea, quę cum Republicâ eſt cuique noſtrum. Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium charitates patria una complexa eſt &c. Sed ſi contentio quædam, & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum ſit officii, Principes ſunt, patria, & parentes, quorum beneficiis maximè obligati ſumus: proximi, liberi, totaque domus, quę ſpectat in nos ſolos, neque alium ullum poteſt habere perfugium. Deinceps benè convenientes propinqui, quibus cum communis etiam plerumque fortuna eſt &c. Itàque non iidem erunt neceſſitudinum gradus, qui & temporum. Suntque officia, quæ aliis magis, quam aliis debeantur. Ut vicinum citius adjuveris in frugibus colligendis, quàm aut fratrem, aut familiarem. Aut ſi lis in judicio ſit, propinquum potius, & amicum, quàm vicinum defenderis. Hęc igitur, & talia conſpicienda ſunt in omni officio (b).*

(b) *Cicero de Offic. lib. 1. fol. 35. & 37.*

5. Vides quomodò Cicero, beneficentiæ exercendæ non unicum eſſe ordinem dicat, ſed plures: ità ut qui neceſſitudine magis arctantur quoàd unum effectum; in alio proſpectu minorem, vel nullam intèr ſè teneant coujunctionem: & propinquitas ad actus beneficentiæ participandos, repetatur à circumſtantiis hominum, temporum, & locorum; hocque loquendo de charitate naturali, cujus ſermonem habet eloquentiſſimus Tullius. Quantò autem id magis verum eſt, loquendo de charitate ſupernaturali, quæ Virtus eſt Theologica, & de quâ nobis eſt ſermo? Proptercà quantumvis cives, uti proximiores in communione civili, ſint cæteris præferendi in iis, quæ civilem ſtatum concernunt; non tamen in aliis, quę naturalem, vel bellicum, vel ſpiritualem, vel eccleſiaſticum ſtatum connotant: quià in his non ſunt conjunctiores benefacienti. Et ità cum in rebus eccleſiaſticis conjunctioritas non petatur à concivilitate, vel connaturalitate, ſed à comparticipatione Clericatus, & eccleſiaſtici gradus; ſequitur quod ex vi ordinatæ charitatis, Clerici extranei non ſint à beneficiis eccleſiaſticis repellendi, quià etiam extranei ſunt comparticipes Clericatus, à quo pendet capacitas communicationis in

eccleſiaſticis rebus. Quæ dicta ſint ad oſtendendum, auctoritatem Tullii, ex oppoſito allegatam, ſi quid facit ad rem, non prò Contradictoribus, ſed prò nobis potiùs probare: quâ etiam docente, præponendam eſſe patriam in beneficiis inferendis propriis conſanguineis, imò & ſibimet ipſi; patet, quod non loquitur de charitate ritè ordinatâ, uti virtus chriſtiana eſt, ſed de charitate civili, eum ordinem tenente, quem amor patriæ expoſcit. Præterquamquod Cicero non loquitur de bonis ad vitam neceſſariis: addit enim, *quamobrèm neceſſaria vitæ præſidia debentur iis maximè, quos antè dixi* (a). Ubi Franciſcus Maturantius Commentator exponit, *neceſſaria*: ideſt, *ſinè quibus vivere non poſſunt, & ea omnia, quæ pertinent ad vitam degendam, his præbenda ſunt* (b). Itàque doctrina Tulliana nil habet cum charitate, uti virtute Theologali, commune, nec intentum Contradictorum ex ullâ parte concludit.

(a) *Cicero loco mox citato.*

(b) *Franciſc. Maturant. in Ciceron. eod. loco fol. 39.*

6. Reſpondetur *ſecundò*: negando ſuppoſitum, nempè quod debitum conferendi beneficia eccleſiaſtica ſolis indigenis, ſit de jure naturæ. Nàm jus naturæ, uti benè illud Cicero definivit, *eſt quod nobis non opinio, ſed quædam innata vis affert, & inſerit* (c): incæpitque in nobis uſque ab exordio mundi: à quo tempore ſemper fuit, eritque ſemper, quià cum naturâ pari paſſu procedit: & ſicuti natura eſt immutabilis: ità & jus naturæ immutabile eſt (d). Ratioque hujus rationis eſt, quià jus naturale à Deo nobis inſitum eſt, quaſi participatio juris illius, ac legis æternæ, quę eſt ipſe Deus, quatenùs lex illa æterna nobis per naturalem rationem demonſtratur, juxtà illud, *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* (e): & quomodò Deus præfati luminis fons, & origo, immutabilis eſt; eodem modo & idem lumen in jus naturę apud nos reſultans, immutabile eſt; nullibi autem jus naturę dictat, extraneos, abſolutè ſumptos, eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos, & ad hęc non niſi indigenas eſſe admittendos. Attento pręſertìm, quod ſi ità eſſet, deberent extranei ubilibet à beneficiis eccleſiaſticis diſtineri, quandoquidèm, uti notat S. Iſidorus, *Jus naturale eſt commune omnium nationum, eo quod ubique inſtinctu naturæ, non conſtitutione aliquâ habetur* (f). Oporteret pariter quod non aliquandò, neque ad tempus futurum, vel ad pręteritum limitatum, ſed ſemper, & ex quo beneficia incęperunt, extranei fuiſſent ab eorum conſecutione repulſi.

(c) *Cicero lib. 1. de nvent.*

(d) *Cicero de Republ.*

(e) *Pſalm. 4. num. 7. Azor. inſt. mor p. 3. l. 3. cap. 3. §. Tertio quia.*

(f) *S. Iſidor. Etymolog. l. 5. c. 4.*

7. Et tamèn certiſſimum eſt, totoque hujuſce operis decurſu apertè oſtenditur, quod à primis, uſque ad poſtrema ſęcula Eccleſiæ, ſemper, & ubique per omnes gentes, populos, & nationes, admiſſi ſunt extranei ad eccleſiaſtica beneficia. Quod ſicubi fundatum eſt jus eorum excluſionis, id non à jure Naturę, non à Civili, non à Canonico, non à Divino poſtulatum eſt, ſed ab indultis ſpecialibus per Apoſtolicam Sedem conceſſis: quæ antequàm conferrentur, in illis Regionibus optimè admittebantur extranei: & nùnc etiam ibi admittuntur, quotiès Princeps terrenus, vel illius loci Rex &c. pręviis literis naturalitatis, extraneum habilitet ad conſequenda eccleſiaſtica beneficia in ſuâ ditione. Quas literas certè non poſſet Princeps licitè dare, ſi excluſio extraneorum eſſet de jure naturali, quippè huic nec Papalis, nec Imperialis, neque Regalis valet auctoritas derogare. In aliis autem locis, ubi præſata indulta deſunt, ſemper patuit, magiſque in dies patet acceſſus extraneis ad conſequendas ſacras præbendas. Quarè cum apud omnes nationes, & per omnia Eccleſię ſęcula, nedùm non fuerint extranei à beneficiis eccleſiaſticis excluſi, ſed imò ad illa fuerint promiſcuè cum Incolis, & Originariis admiſſi; oportet concludere, quod vel excluſio extraneorum à beneficiis non eſt de jure naturali; vel quod Eccleſia à ſuo initio uſquè nunc fuit in errore palpabili, ad omnes gentes extenſo, intèr quas contrà jus naturę admittuntur extranei ad eccleſiaſtica beneficia. Hoc ſecundum aſſerere non eſt ſapientèr loqui, ſed inſipientèr effari: quippè Eccleſia Dei errare non poteſt (g), cum ſit *firmamentum & columna veritatis*, ut eam vocat Apoſtolus (h). Nèc eſt credibile, quod Deus permiſerit, Eccleſiam ſuam, velut à ſè derelictam, in tanto errore, per tantum tempus, &

(g) *Vid. Gonet. Clypeus Theolog. tom. 4. diſp. 3. de Eccleſia art. 1 §. 1. n. 6.*

(h) *1. Timoth. c. 3. num. 15.*

per

per tanta orbis ſpatia verſari; Ergò oportet neceſſariò primum eſſe verum, nempè quod excluſio extraneorum non ſit de jure naturę.

8. Nec quidquam officit in contrarium D. Auguſtinus, à Contradictoribus allegatus, quod cuique *primitùs ineſt ſuorum cura, ad eos quippè habet opportuniorem, faciliorem que aditum conſulendi, vel naturæ ordine, vel ipſius ſocietatis humanæ* (*a*); Nàm in primis D. Auguſtinus ibi non loquitur de virtute charitatis, ſed de modo pacis inter homines conſervandæ, uti ex antecedentibus, & ſubſequentibus patet, aitque pacem, & concordiam ità ordinandam eſſe, ut quis primò nulli noceat, & poſteà procuret aliis prodeſſe, in quo præcipuam curam utilitati ſuorum conjunctorum impendat, juxtà illud Apoſtoli, *ſi quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior* (*b*). Secundò Auguſtinus non loquitur de beneficiis eccleſiaſticis, ſed de bonis naturalibus, & civilibus, ideſt de illis, quæ *vel naturæ ordine, vel ſocietatis humanæ* ſunt primò conjunctioribus deferenda. Quidquid autem ſit de his; noſtra inſtitutio nùnc ad illa non proſpicit, ſed ad eccleſiaſtica beneficia ſolum attendit; & quamvis ad ordinem juris naturæ, ſivè aliàs ad jus naturæ pertineat, quod in rebus naturalibus, & civilibus primò domeſtici, deindè Cives ſint bonis afficiendi; tamen in eccleſiaſticis beneficiis hìc ordo deeſt, hoc ſuppoſitum jus naturæ non ſubſiſtit, ſolos Cives admittens, & extraneos ab ipſorum conſecutione repellens. Idem dicendum eſt de aliis auctoritatibus D. Auguſtini (*c*), & Ambroſii (*d*), in oppoſitum reproductis, & ſi quæ ſimiles ſunt allegabiles, in quibus dicatur, ſubveniendum eſſe primo loco conjunctis; loquuntur enim de ſubventionibus bonorum temporalium, vel etiam ſpiritualium, ſed non de porrectione beneficiorum eccleſiaſticorum, quorum diſtributio alium ordinem exigit, ab ordine, quo conferenda ſunt Conſilia ſpiritualia, Sacramentalia, & Sacramenta, & quo diſpenſanda ſunt bona temporalia, & civilia. Illa enim cunctis fidelibus indiſtinctè; iſta primò Conſanguineis, & Concivibus; beneficia verò ſolis Clericis ſunt, ſinè originis diſcrimine, conferenda.

(a) *S. Auguſt. de Civit. Dei lib.19.c.14.*

(b) *1. Timot. cap.5. num.18.*

(c) *S. Auguſt. de Doctr. Chriſtian. c.27 & tract.119. in Joan. cap.19.*

(d) *S. Ambr. lib. 1. Officior. c.39.*

9. Reſpondetur *Tertiò* iterùm negando aliud ſuppoſitum, nempè quod beneficia eccleſiaſtica ſint res pertinentes ad civilem converſationem: Nàm civilis converſatio incæpit ex quo incæptæ ſunt ædificari Civitates, nempè à tempore Cain, qui primam Orbis Urbem conſtruxit, & vocavit eam nomine filii ſui Henoch (*e*). Hicque natus eſſe dicitur anno Mundi 622. & raptus eſſe anno 987. ętatis ſuæ anno 365. (*f*) Chriſtus verò natus eſt anno Mundi 5199. (*g*), juxtà ſupputationem Septuaginta Interpretum, quam Eccleſia, teſte D. Auguſtino (*h*), ac Hieronymo (*i*), ſemper libentiùs eſt ſecuta. Hiſque addantur alii 400. anni, ex quo beneficia eccleſiaſtica nonniſi Sæculo Chriſti quinto incæperunt eſſe, vel innoteſcere in eâ habitudine, quam nunc habent; fietque ut à tempore, quo incæperunt Civitates, ad tempus, quo incæperunt beneficia eccleſiaſtica, tranſcurrerint ſaltèm 4977. anni: ſicque ſi converſatio civilis hominum perſtitit per quinquaginta ſæcula ſinè eccleſiaſticis beneficiis; dici non poteſt, hæc pertinere ad converſationem civilem. Et certè alia principia habent bona pertinentia ad civilem converſationem, & alia principia habent bona, quæ pertinent ad ſpirituale conſortium, quippè ut ait D. Thomas, Amicitia politica reſpicit Principem, & bonum Civitatis: Amicitia verò charitatis, ſeu converſationis ſpiritualis, reſpicit Deum, & communicationem beatitudinis (*l*). Ideòque cum beneficia eccleſiaſtica ad hanc ſecundam amicitiam pertineant, & habeant pro fine cœleſtem beatitudinem, ac Dei cultum, toto cœlo differunt ab aliis, quæ pertinent ad amicitiam civilem, quæ non habent pro fine, niſi Principem, & bonum Civitatis, relatum ad profectum converſationis merè civilis. Sicque theologicè loquendo, dicendum non eſt, quod beneficia eccleſiaſtica ſint res, pertinentes ad civilem converſationem.

(e) *Geneſis cap. 4. num.17.*

(f) *Joannes Buſieres Floſc. Hiſt c.1.p.1.ſ 5.*

(g) *Martyrol. Roman. die 25. Decembr.*

(h) *S. Auguſt. de Civit. Dei l.15. cap.11. & 13.*

(i) *S. Hieron. de Hebraic. quæſt. in Geneſim.*

(l) *S. Thom. 2. 2. qu. 26. art.2. in corp.*

10. Accedit, quod in ſententiâ ipſorum Contradictorum erectio beneficiorum habet originem à jure divino, ſeu ab Apoſtolicâ ordinatione, relata ad illam ſpontaneam pietatem, quâ fideles, ſolâ religione duce, propria bona ad pedes

Apoſtolorum deponebant, in eiſque proprias opes Deo offerebant (*a*). Quæ bona in ſacris Canonibus Dei dona dicuntur, quoniam *à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donata* ſunt (*b*): & ità diſpenſari præcipiuntur, ut non conſanguinitatis, vel propinquitatis ratione, ſed ſolo meritorum intuitu porrigantur; exemplo Moyſis, qui quamvis haberet filios, & conſanguineos, capaces muneris, quo ipſe functus fuerat; tamen morti proximus, ſuum principatum non in conſanguineos reſignavit, ſed in Joſuè, de aliâ Tribu, nempe de Tribu Ephraim, & ſic extraneum à sè, qui erat de Tribu Levi (*c*). Unde apparet, quod beneficia eccleſiaſtica, attentâ eorum origine, ac naturâ, ad ſolam religionem pertinent, & ad vitam ſpiritualem, non verò ad civilem converſationem, ac proindè non illis legibus regulanda ſunt, quibus res civiles diſponuntur; ſed illis, quibus res ſacræ, & Deo dicatæ, adminiſtrantur. Juxtà leges autèm ſacras, non eſt diſtinctio extranei, & indigenæ; originarii, & alienigenæ, quandòquidem apud Deum idem ſunt, poſtquam ad fidem acceſſerunt, *Gentilis, & Judæus: Circumciſio, & Præputium: Barbarus, & Scytha: Servus, & liber: & omnia, & in omnibus Chriſtus* (*d*). Non ergò beneficia eccleſiaſtica pertinent ad converſationem civilem, ſed ad eccleſiaſticam, & propterea non ſunt ab illis repellendi extranei, qui à bonis civilibus excluduntur.

(a) *Act. Apoſt. cap. 4 num. 34*

(b) Cap. res Eccleſ. 1 *quæſt. 3*

(c) *Gloſ. in cap. Moyſes 6 Verb. de aliâ Tribu 8. qu. 1*

(d) *Coloſſenſ. capit. 3 numer. 11.*

11. Quo poſito, jàm argumentum, nedùm non probat intentum Contradictorum, ſed imò potius retorquetur adverſus illos. Nàm ſi in largitione beneficiorum obſervandus eſt ordo charitatis, qui expoſcit, ut quo magis aliqui ſunt propinquiores, eo ampliùs de bonis communibus participent; cum beneficia ſint bona pertinentia ad converſationem ſpiritualem, & eccleſiaſticam; in converſatione autem ſpirituali, & eccleſiaſticâ, omnes Clerici, undecumque veniant, ſive ex unâ, ſive ex aliâ regione, univocè, ac æquali modo participent; ſequitur, quod quantum ad obtinenda beneficia eccleſiaſtica, omnes ſunt ſub eâdem proportione propinqui: ſervatâ ſemper tamèn indigenis prælatione ſuper extraneos in æqualitate meritorum, ac cæteris paribus; & per conſequens juxtà ordinem charitatis, Clerici extranei, non ſolum non ſunt ab ipſis beneficiis excludendi, ſed imò potius ad ea debent, non ſecus ac indigenæ admitti. Verùm, dato etiam, ſed non conceſſo, quod beneficia eccleſiaſtica ad civilem converſationem pertinerent; argumentum retorquetur adverſus Contradictores ex alio capite. Nàm ſi pertinent ad converſationem civilem, certè non ad converſationem civilem laicam, reduplicativè ut laicam, & ut conflatam ex laicis, mundo famulantibus, pertinebunt (niſi ad ſummum ſubſidiariè, & in defectum Clericorum) ſed ad converſationem civilem eccleſiaſticam, uti ſolos Clericos continentem: ergò ad illa poterunt licitè admitti omnes Clerici talis conditionis, qualis laici admitti poſſunt ad bona converſationis civilis laicæ: Sed ad bona civilis converſationis laicæ, nedùm laici indigenæ, & concives, verùm etiam extranei, & alienigenæ admitti poſſunt à ſuperiore, ad quem ſpectat adminiſtratio bonorum civilis converſationis: prouti de facto Tullius Cicero, quem in præſidium ſuæ cauſæ allegant Contradictores, cum eſſet natu Arpinas, Romæ Civis, & Senator factus eſt; ergò etiam ad bona civilis converſationis eccleſiaſticæ, nedum Clerici indigenæ, ſed etiam extranei poſſunt licitè admitti à Superiore, ad quem ſpectat adminiſtratio bonorum civilis converſationis eccleſiaſticæ, nempè ab Epiſcopo, reſpectu ſuæ Diœceſis, à Papâ reſpectu totius orbis, & ab aliis, ad quos, vel jure ordinario, vel delegato, pertinet beneficia eccleſiaſtica diſpenſare: quemadmodum de facto Divi Ambroſius, & Auguſtinus, quos pro ſe allegant Contradictores, cum eſſent extranei, alter Mediolani, & alter Hippone, admiſſi ſunt ad bona civilis converſationis eccleſiaſticæ, nempè ad illarum Urbium Epiſcopatum.

12. Reſpondetur *Quartò* Argumentum nihil probare, quià probat nimium: probat enim, quod beneficia eccleſiaſtica ſint conferenda, non indigenis utcumque, ſive nationalibus alicujus Regionis, vel Originariis alicujus Provinciæ, ſed indi-

indigenis localibus, ſeu Clericis incolis, vel nativis illius peculiaris, & præciſe Civitatis, aut Oppidi, aut Vici, atque pagi, imò & indigenis, ſeu de gremio particularis, & individuæ illius Eccleſiæ, in quâ erectum eſt beneficium. Nàm ſi in beneficiorum largitione ſervandus eſt indiſpenſabilitèr ordo charitatis, ità ut ab eo neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram poſſit ullo modo iter inflecti; certè cum ordo charitatis expoſtulet, ut bona concivibus, tamquàm proximioribus præbeantur, & non extraneis; oportebit quod beneficia conferantur, non Connationalibus, non Comprovincialibus, non Condiœceſanis; ſed Comparochianis, & Convicanis; quià hi ſunt proximiores, quam ſint Connationales, Comprovinciales, & Condiœceſani; & ſic fruſtrabitur intentum Contradictorum. Sed de hâc Reſponſione alibi redibit ſermo, nùnc ſufficiat illam obitèr, incidentèr, ac velut ſuperficialitèr attigiſſe: quæ tamèn in ſe non eſt parvi momenti: Quippè major pars rationum, quas pro excludendis Clericis extraneis à beneficiorum conſecutione proponunt Contradictores, in hunc ſcopulum impingit, hicque confringit tumentes fluctus ſuos; nempè quod ipſæ rationes nimium probant, quatenùs probant, nedùm repellendos eſſe à beneficiis extraneos, ſed etiam Connationales, & Comprovinciales, quinimò & Condiœceſanos. Ideòque nihil proficiunt intentioni ipſorum Contradictorum, quorum ſcopus eſt, ut beneficia conferantur indigenis, non uti localibus, Diœceſanis, & Vicanis, ſed uti Connationalibus, & compertinentibus ad eandem Regionem.

13. Reſpondetur *Quintò* Argumentum, in toto ſuo complexu conceptum, ſi quid probat, nihil aliud probare, niſi quod, cæteris paribus, Clerici indigenæ in conſecutione beneficiorum ſunt extraneis præferendi; & hoc nos nedùm non impugnamus, nedùm non negamus, ità rem eſſe gerendam, ſed imò utràque manu ſuffragia noſtra conferimus huic æquiſſimæ ſententiæ, quâ nullam cenſemus eſſe poſſe juſtiorem. Nàm, ut ait D. Auguſtinus, *Cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi, quaſi quadam ſorte junguntur* (a): conſtrictior autem ſinè dubio eſt indigena, quam extraneus: & ideò ſemper, cæteris paribus, extraneo eſt præferendus indigena. Ad hæc perbellè D. Thomas alluſit dicens: *Poteſt contingere, quod extranei ſint magis invitandi* ad aliquod bonum participandum, *in aliquo caſu, propter majorem indigentiam. Intelligendum eſt enim, quod magis conjunctis, magis eſt, cæteris paribus, benefaciendum. Si autem duorum unus eſt magis conjunctus, & alter magis indigens, non poteſt univerſali regulâ determinari, cui ſit magis ſubveniendum, quià ſunt diverſi gradus, & indigentiæ, & propinquitatis, ſed hoc requirit prudentis judicium* (b). Ordo ergò charitatis exigit, ut beneficientia exerceatur in conjunctiores, & ſic etiam indigenas, quià ſunt conjunctiores extraneis. Verùm hoc non habet locum abſolutè, ſed reſpectivè: non prout in ſe eſt, ſed cæteris paribus.

(a) S. Auguſt. l. 1. de Doctr. Chriſtian. c. 28.

(b) S. Thomas 2. 2. qu. 31. art. 3. ad primum

14. Cæteris autem paribus, indigenæ in conſecutione beneficiorum ſunt omninò extraneis præferendi, quià magis amant patriam, quàm alienigenæ (c). Nàm *extranei*, teſte D. Thomâ, *non habent adhuc amorem firmatum ad bonum publicum* (d). Paritèr indigenæ, ut in pluribus, ſolent eſſe utiliores Eccleſiæ quantùm ad bonum commune (e). Et uti prolixiùs de hâc re proloquitur Diana, *Homines naturales ejus Provinciæ communitèr utiliores ſunt Eccleſiis, & majori affectu eas proſequuntur, majoremque curam adhibent in earum gubernatione. Secundò Regnicolæ magis reſident in Eccleſiis ſuis, quam exteri, qui facilè habent occaſionem ſe eximendi à reſidentiâ, & ſolent commutare beneficia penſionibus impoſitis, quod redundat in damnum Eccleſiarum. Tertiò (& hoc eſt maximum argumentum) incolæ câſpe animantur, eorum filios literis, ac bonis moribus imbuere, & informare. Maximè cum ipſi ſuo labore decimas, ex quibus ſunt beneficia, ſolvans* (f). Propter has, inquam, rationes, & ſique aliæ, ad cauſam facientes, congeri poſſunt, Clerici indigenæ, cæteris paribus, ſemper in conſecutione beneficiorum

(c) Gloſ. in c. uſurarum V. alienigenas de uſur. in 6.

(d) S. Thomas p. 2 qu. 105. art. 3. in corp.

(e) S. Thomas 2. 2. qu. 63. art. 2. ad 4

(f) Diana part. 2. tr. 3 reſ. 6.

ſunt extraneis præferendi, & ità tenent quamplurimi Theologi, hic in margine allegati (*a*). Et ità tenet exiguitas noſtra, quæ non ſemèl in hoc opere idipſum repetit, & fatetur. Sed ad Collatores beneficiorum, ſivè ad illa Nominatores, pertinet definire, an hic, & nunc in caſibus practicis, ubi diſtribuendi beneficii caſus occurrit, inter indigenam, & extraneum cętera ſint paria, necnè? ità ut, extraneo reprobato, ſolus ſit promovendus indigena. Et fortè eveniet, & ſæpiſſimè evenit, quod ubi & lippi, & tonſores; & lixę, & calones; & populus vel minutior, vel etiàm nobilior, opinatur, inter extraneum, & indigenam cætera eſſe paria; ibi Papa, Epiſcopi, ac reſpectivè Principes, & Privati, præſentatores ad beneficia juris patronatus; omnes demùm beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, conſideratis, & penſatis qualitatibus perſonarum, & beneficii conferendi, inveniunt cętera non eſſe paria, & ſic extraneum juſtè indigenæ præferunt, ſinuntque otioſos prò eorum pruritu, & arbitrio coaxare.

(a) *Azor. Inſt. mor. p. 2. l. 6. c. 4. qu. 25. Leſſius de juſt. & jure l. 2. c. 34 dub. 13. n. 59. Lædeſm. in ſum. to. 2. tr. 7. c. 2. diffic. 6. Turrian. in 2. 2. D. Thom diſp. 22. dub 5. n. 3. tom. 2. Valent. to. 3. diſp. 5. qu. 7. pun. 2. §. 3. verſ. 2 ſequitur Reginald. lib. 30. tr. 3. n. 160.*

15. Reſpondetur *Sextò* Argumentum ad ſummum concludere prò ſolis beneficiis patrimonialibus, de quibus licèt, ut obſervavit Mandoſius, nullus reperiatur textus in jure, in terminis terminantibus loquens (*b*), tamèn ſat eſt eorum fieri mentionem in Concilio Tridentino (*c*): ſuntque illa, quæ ex Apoſtolicâ conceſſione, vel ſtatutis, ſeù conſtitutionibus Synodalibus, Apoſtolicâ auctoritate firmatis, vel ex immemorabili conſuetudine, indultum Apoſtolicum ſupponente, ſunt neceſſariò conferenda nativis, incolis, vel originariis alicujus loci, Urbis, Oppidi, vel Parochiæ, vel reſpectivè ſolis deſcendentibus ex patre, vel matre; vel avo, vel aviâ illius parochiæ patrimonialis, vel loci, ubi erectum eſt beneficium (*d*). Hęc certè beneficia ſunt ſolis indigenis conferenda, quià patrimonialitas illis appoſita, conſideratur uti conditio à fundatore conſtituta. Et cum quilibet in traditione rei ſuæ Eccleſiæ, poſſit licitè adjungere conditiones ſibi benè viſas, uti notant ex Theologis Aragonius (*e*), Et ex Juriſconſultis Lotterius (*f*): ſequitur quod dicta conditio eſt indiſpenſabilitèr obſervanda (*g*), tamquàm talis, quę cauſam dedit contractui, ſeù ſinè quâ fundator bona prò beneficio erigendo nullatenùs contuliſſet, & ſic ſi talia beneficia viro extraneo conferantur, peccatum incurritur ex ſuo genere mortale, ob fidem violatam, pacta non ſervata, charitatis ordinem devaſtatum, imò & juſtitiam in rè gravi, cum damno tertii, trangreſſam: Cuiconcomitanter, ſeù conſecutivè accedit onus reſtituendi damnum ei illatum, qui ratione præfatæ patrimonialitatis ad beneficium vocabatur.

(b) *Quintil. Mandoſ. in reg. 19. Cancel. de infirm. reſign q. 16.*
(c) *Concil. Trid. ſeſ. 24 c. 18.*
(d) *Maſſobr. Prax. Concurſ. prælud. 4. n. 3.*
(e) *Aragon. 2. 2. qu. 63. art. 2. §. 3. concluſio.*
(f) *Loter. de rè beneſ. l. 2 q. 3. n. 15.*
(g) *Vivian. de jure pat. p. 1 l. 2. c 8. & 9. in fin. Vid. et. de Lugo de juſt. & jur. tom. 2. diſp. 35. ſec. 3. n. 34.*

16. Vel dicta patrimonialitas conſideratur tamquàm jus, ex privilegio Apoſtolico acquiſitum, & in hoc quoquè proſpectu ſuum debet conſequi effectum. Privilegium enim eſt lex privata, jus conferens illis, favore cujus eſt lata, qui proindè ſuo jure legitimè adepto, nec in foro fori, nequè in foro conſcientiæ ſpoliari poteſt. Ità inter patrimonialia beneficia numerantur, quædam in Diœceſibus Burgenſi, Calaguritanâ, & Palentinâ, quæ nonniſi Diœceſanis, & Originariis valent legitimè diſtribui, prout referunt Navarrus (*h*), Covarruvias (*i*), & Riccius (*l*). Azorius eis addit beneficia Diœceſis Legionenſis (*m*). Alibi etiàm in partibus Hiſpaniarum conſimilia eſſe beneficia, refert Mandoſius (*n*), quæ licèt non ſint idem ac juſpatronatus laicorum (*o*), habent tamen cum eo maximam affinitatem (*p*), & ſicut beneficia Juſpatronatus laicorum, debent perſonis à patrono laico deſignatis, & non aliis tribui, tùm in foro fori, tùm in foro conſcientiæ; ità etiam beneficia patrimonialia debent in utroque foro ſolis Clericis Originariis diſpenſari, & quoàd hoc ſubſiſtit vis argumenti, quià Clerici Diœceſani, & Originarii ſunt proximiores in beneficiis patrimonialibus aſſequendis, utpotè ſpecialitèr ad ea vocati, & ſic ordo charitatis, imò & ordo juſtitiæ depoſcit, ut ipſa ſolis indigenis conferantur, nedùm cæteris paribus, ſed etiam cæteris non paribus. Sed difficultas eſt de his beneficiis patrimonialibus, quænam de facto, ſint talia: Nàm niſi indultum Apoſtolicum, vel diſpoſitio fundatoris, vel conſuetudo immemorabilis, Apoſtolico privilegio ſuffulta, illudve præſupponens, deter-

(h) *Navar. in Manual c. 25. n. 126.*
(i) *Covarruv. prac. qu. c. 36. n. 3. in med.*
(l) *Jo. Aloyſ. Ricc. prax. for. eccleſ. par. 3. reſ. 275. n. 3.*
(m) *Azor Inſt. mor. p. 2. l. 6. c. 4. qu. 25. §. ex his.*
(n) *Mandoſ. ad reg. 19. de infirm. qu. 15. n. 25.*
(o) *Idem Mandoſ. loco cit. n. 13.*
(p) *Maſſobr. prax. Concurſ. prælud. 4. n. 12.*

determinet quænam ſint; ex regulâ generali beneficia non cenſentur eſſe patrimonialia, ſed libera: prout & de jure omnia beneficia eccleſiaſtica libera eſſe cenſentur.

17. Profectò, cum juxtà relationem Soti (*a*), in Concilio Tridentino conſultatio quædam introducta eſſet, ut Synodus decerneret, quod beneficia omnia eccleſiaſtica, ſaltèm parochialia, fierent patrimonialia, & pro patrimonialibus haberentur, ità ut nonniſi indigenis, & nativis poſſent conferri; res irrita conſilii fuit, neque fines ſimplicis conſultationis exceſſit, nolentibus Patribus hoc decernere, nedùm de beneficiis ſimplicibus, ſed nec etiam de parochialibus. Undè apparet primò, quod beneficia, ut innuimus, non cenſentur patrimonialia, niſi mens fundatoris, vel indultum Apoſtolicum, aut conſuetudo immemorabilis, indultum Apoſtolicum præſupponens, id probet. Secundò, quod nedùm beneficia merè ſimplicia, ſed nèc etiam parochialia, pro patrimonialibus reputantur, quibus ſolis videbatur eſſe ſufficiens, quod patrimonialitas aptaretur. Tertiò, quod Patres Concilii Tridentini noluerunt definire, bono Eccleſiæ expedire, quod beneficia ſuaptè naturâ libera, fierent patrimonialia: Et ex conſequenti quodammodò judicarunt, non perverti ordinem charitatis, negando Clericis indigenis beneficia, quæ non ſunt patrimonialia. Itàque jam ſex reſponſionibus diſſoluta remanet vis argumenti, ab ordine charitatis petiti, quem ordinem quià oſtendimus non vulnerari per collationem beneficiorum factam extraneis; reſtat inconcuſſam ſemper ſubſiſtere libertatem Eccleſiæ in eorum diſtributione, tam factâ Clericis extraneis, quam indigenis.

(a) Soto de juſt. & jure l.3.qu.6.ar.2.antè X.Concluſ.

18. *Arguunt ſecundò* Contradictores hoc modo. Beneficia eccleſiaſtica non poſſunt ſine gravis culpæ reatu à Clericis extraneis retineri; ergò neque illis ſine lethali culpâ poſſunt ab eorum diſpenſatoribus erogari. Conſequentia eſt certa, quià Collatores beneficiorum, impertiendo illa Clericis, qui non poſſunt ſine peccato eadem retinere, cooperantur peccato ipſorum, & ſic ſine ambiguitate, peccati culpam incurrunt. Antecedens verò probatur auctoritate Guillelmi Durandi, qui in tractatu de modo celebrandi Concilium, conſtantèr aſſeverat, extraneos non poſſe retinere eccleſiaſtica beneficia, ſine periculo animarum ſuarum, non obſtantibus diſpenſationibus ſuper hoc obtentis, utpote injuſtè, & ſine legitimæ cauſæ veritate impetratis: Ab extraneis, inquit, beneficia, *utinàm non teneantur cum periculo Animarum ipſorum, qui ſe excuſare nituntur obtentu diverſarum diſpenſationum, proptèr ſuam, vel ſuorum importunitatem, abſque evidenti neceſſitate, vel utilitate obtentarum* (*b*). Si ergò eccleſiaſtica beneficia ſine lethalis culpæ reatu non poſſunt à Clericis extraneis retineri; neque etiam illis poterunt ſine pari peccato à Collatoribus erogari; quod autem ſine mortali crimine fieri non valet, proculdubiò non eſt licitum; ergò beneficia eccleſiaſtica non ſunt Clericis extraneis, ſed ſolis indigenis conferenda.

(b) Durand.de mod. celebr.Concil.rubr.43.

19. Reſpondetur *primò*, negando abſolutè primum antecedens, nempè quod beneficia eccleſiaſtica non poſſint ſine lethalis culpæ reatu à Clericis extraneis retineri. Et ad probationem ex Guillelmo Durando propoſitam, dicimus errare in primis Contradictores appropriando Guillelmo Durando id, quod ſcripſit Durandus de S. Porciano, qui ambo fuerunt inter ſe valdè diverſi. Primum etenim profeſſum eſſe regulam S. Auguſtini teſtantur plurimi Auctores (*c*). Secundum autem Dominicanæ familiæ ordinem ſectatum eſſe omnes fatentur (*d*). Hic præfuit Eccleſiæ Meldenſi ut Antiſtes (*e*): Ille verò Infulis Eccleſiæ Mimatenſis effulſit (*f*). Guillelmus Durandus vixit ſub Hadriano PP V. cui & dum adhùc eſſet Cardinalis, dedicavit ſuum *Speculum juris*, àquo dictus fuit Speculator (*g*): Durandus verò de S. Porciano floruit ſub Clemente PP. V. cujus juſſu Concilium Generale Viennæ celebraturi, quædam in libellum redacta, notavit, quę vel reformatione, vel remedio indigebant, & mente revoluendo modos, quibus & Clericorum paupertati, & eccleſiaſticorum imperitiæ poſſet occurri, hunc ſuggeſſit Pontifici,

(c) Onuphr.Panvin. in Chron. Eccleſ. Auctor.ſupplem.ſpec.Hiſtor.Vinc.Bellov.l.31.

(d) Trithem.de ſcrip. Eccleſ. Verb. Durandus.Bellarm.eod.Verb. Poſſeviu.Appar ſacr. V. Durand. à S. Porciano.

(e) Bellarmin. & Poſſevin.locis citatis.

(f) Bellarmin. & Poſſevin. ubi ſupr. in Guillelm.Durando.

(g) Bellarmin. & Poſſevin. loc. mox.cit.

tifici, ſive Concilio, cui & ipſe interfuit, *& bonam partem Clementinarum fecit* (*a*), hunc, inquam, modum ſuggeſſit, beneficia ſolis indigenis conferendi, quę uſque tunc extraneis nimium laute videbantur eſſe conceſſa. Verùm excluſionem illam extraneorum non abſolutè, ſed ſolum relativè, faciendam propoſuit, ideſt cæteris paribus, uti patet ex verbis, quæ poſt alia, à Contradictoribus allegata, ſubjecit: ait enim: *Poſſet etiam provideri prædictis, de eccleſiaſticis beneficiis, quę tenent multi alienigenæ in alienis Regnis, quorum linguagia non intelligunt, nec habiles ſunt ad curam exercendam in eis, nec in ipſis reſidere intendunt, & etiam poſſunt, quæ utinam non teneantur cum ſolo periculo animarum ipſorum, qui ſe excuſare nituntur obtentu diverſarum diſpenſationum, proptèr ſuam, vel ſuorum importunitatem, vel potentiam abſquè evidenti neceſſitate, vel utilitate obtentarum. Illi enim, qui ſunt ejuſdem linguagii, & ejuſdem Regni, & Provinciæ, & Diœceſis, & Eccleſiæ, cæteris paribus, ſunt aliis in eccleſiaſticis beneficiis, & prælationibus, ſecundum jura, præferendi. Et in hoc concordant jura, à multis Romanis Pontificibus edita, & ſpecialitèr à Cæleſtino, Pelagio, Gregorio, Innocentio, Leone, Stephano: Et Concilium Generale cap. nè pro defectu, & penult. cap. Concilii Neocæſarien. & 2. & 3. cap. Concil. Bracaren. & penult. cap. Concil. Taurinen. & 8. & 9. cap. Concil. Auriacen. & ult. cap. Concil. Valentini, & in cap. Concil. I. Toletan. & 2. cap. Concil. 2. Toletan. & 2. cap. Concil. Bracaren.* Hæc ille (*b*).

(a) *Vit. Durandi in princ. libri de mod. celebrandi Concilium.*

(b) *Durand. de mod. celeb. Concil. Gener. par. 3. tit. 43.*

20. In hoc autem, quod, cœteris paribus, Clerici indigenæ ſint extraneis præferendi, & nos etiam convenimus, idque pluries hucuſque admiſimus, & pluriès adhùc inpoſterùm concedemus. Nèc aliam fuiſſe mentem Durandi, patet non ſolùm ex mox allegatis ejus ſcriptis, ſed etiam ex ipſis illius factis. Nàm Durandus ab aliquibus cenſetur fuiſſe origine Italicus (*c*), ſed reverâ potius fuit natione Gallus (*d*), ut etiam cenſet Auctor ejus vitæ, poſitæ ante præfatum librum, de modo celebrandi Concilium, qui hunc Durandum cum Guillelmo Durando confundit. Utcumque ſit, conveniunt Scriptores, quod Durandus de S. Porciano Epiſcopatui Meldenſi præfuit Provinciæ eccleſiaſticæ tunc Senonenſis, nunc verò Pariſienſis. Et anteà fuit Epiſcopus Annicienſis in Provinciâ eccleſiaſticâ Bituricenſi: Ait enim in quarto ſententiarum, *Eccleſiæ Anicienſis, cui præfuimus* (*e*), Sicque ab alterutrâ ſaltem ex his Eccleſiis, in quâ beneficium Epiſcopale poſſedit, fuit vel extranationalis, vel ſaltèm extraprovincialis: Undè non eſt probabile, voluiſſe ſemetipſum damnare, ſentiendo, extraneos ut ſic, & abſolutè eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos. Quæ ex abundanti ſint dicta; cum aliàs eo ipſo, quod Durandus, vel Papæ, vel Concilio, ſivè utrique ſimul, propoſuit, extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis ablegandos, & tamen nec Concilium, nec Papa quidquam de hac rè expreſsè ſanxerunt; patet evidentèr, tùm Papam, tùm trecentos illos Patres, qui Concilium Generale Viennenſe compoſuerunt, in illâ ſententiâ fuiſſe, quod beneficia eccleſiaſtica, non ſint ſolis indigenis, verùm etiàm extraneis conferenda.

(c) *Vita Durandi ante dictum librum de mod. celebr. Concil. General.*

(d) *Bellarmin. de Scriptor. Eccleſ. in Durand. de S. Porciano. Poſſevin. Apparat. ſacr. in eod. nomine.*

(e) *Durand. de S. Porcian. in 4. diſt. 24. qu. 3. n. 7.*

21. Reſpondetur *ſecundò*, Durandum loqui de impetrantibus beneficia in locis extraneis, & in alienis Regionibus, ex diſpenſationibus non ritè, ſed illegalitèr obtentis, ſeu abſque juſtis cauſis, & ſub mendicatis prætextibus, vel à sè, vel à ſuis ſuggeſtis, quibus ipſæ diſpenſationes, non ex animo conceſſæ, ſed ob importunitatem poſtulantium, & ob inſuffientia motiva erant à Pontifice extortæ. Rursùs loquitur, non de beneficiis merè ſimplicibus, ſed de beneficiis parochialibus, & reſidentialibus, adeptis, & retentis ſine animo apud ea perſonalitèr reſidendi, ac debitum ſervitium illis juxtà præſcripta canonum impendendi. Demùm loquitur, non de extraneis utcumque, ſed de illis, qui idioma loci neſciebant, & per conſequens officia beneficio adnexa non poterant realitèr adimplere. Patet hoc evidentèr ex toto ipſius Durandi dictatu, & ex ejus verbis mox allegatis. Quis dubitat autem, quod viris hujuſmodi nec legitimè conferri poſſunt, nec ipſi valent

ſine

ſine culpâ beneficia, curâ Animarum prædità, retinere? Cum enim officium Curati ſit plebes ſibi commiſſas paſcere verbo, & exemplo (*a*), quomodò utrique muneri ſatisfaciet Presbyter, idioma loci neſciens, inibique non reſidens? Optimè ergò dixit Durandus, peccare extraneos, beneficia ſuſcipientes, vel retinentes, non quia ſint extranei, ſed quia non reſident, idioma loci neſciunt, nec munus ſibi cum beneficio injunctum adimplent.

22. Centum propè annis antè Durandum, decreverat Concilium Turonenſe, ne beneficia Curata linguam loci neſcientibus traderentur: *ne quis inſtituatur in aliquâ Eccleſiâ, cui ſit cura Animarum annexa, niſi loci illius loquatur, & intelligat idioma. Si contrà præſumptum fuerit, & inſtitutus privetur beneficiis, & inſtituentes poteſtate inſtituendi careant illâ vice* (*b*). Sed quia lex illa, utpotè à Concilio Provinciali edita, extrà ſuam provinciam non ligabat; optavit Durandus, ut Sanctione generali, totam Eccleſiam obligante, idipſum in Concilio Oecumenico ſanciretur. Verùm res hujuſmodi extrà aleam eſt, nec nunc remedium expoſcit, quippè huic inconvenienti opportuniſſimè providerunt & Canones ſubſequentes, & Concilia, & ipſæ Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, disertè ſtatuentes: *Itèm voluit* (Papa) *quod ſi contingat ipſum alicui perſonæ de parochiali Eccleſiâ providere, ſeù mandare provideri, vel gratiam expectativam concedere, niſi dicta perſona intelligat, & intelligibilitèr loqui ſciat idioma loci, ubi hujuſmodi Eccleſia conſiſtit; proviſio, ſeù mandatum, & gratia deſuper quoad parochialem Eccleſiam nullius ſit roboris, vel momenti* (*c*). Undè ad hos terminos reducenda eſt auctoritas Durandi: neque ad beneficia merè ſimplicia extendi debet, quià in eis peritiam idiomatis, neque Canones, neque Concilia, neque præfata regula prærequîrit, & ſic ad obtinenda beneficia merè ſimplicia, peritia idiomatis non exigitur (*d*). Imò & neque pro conſequendis beneficiis Epiſcopalibus, uti oſtendit Quintilianus Mandoſius ad dictam Regulam (*e*); tùm quia illa ſanctio eſt pœnalis, & tamquàm talis non debet ultrà ſuos terminos prævalere; tùm etiam quia diverſæ cauſæ concurrunt in parochialibus, quæ locum non habent in Pontificalibus beneficiis: Poſſunt enim Præſules, linguam loci neſcientes, uti ſubſidio miniſtrorum idiomatis peritorum, aliterque ſubditis, quibus præſunt prodeſſe. Undè D. Anſelmus Cantuarienſis cuidam Prælato ſcribit: *quamvis barbaris veſtra prælata ſit ſanctitas, quos verbis docere proptèr linguarum diverſitatem non poteſtis, non tamen omninò vos apud diſtrictum Judicem excuſare valetis, ſi alios lucrari Deo negligitis. Quod enim illis ſermone non poteſtis dicere, vitâ poteſtis oſtendere* (*f*). De facto cernimus penè quotidiè in Regnis utriuſque Siciliæ præfici Epiſcopatibus Regiæ nominationis Clericos Hiſpanos, & extraneos, qui idioma Italicum non callent, & de quibus cum D. Petro Damiano, aliud proponente, accommodè dici poſſet, quod linguæ Neapolitanæ, aut Siculæ, *non modo intelligentiam non attingunt, ſed ſyllabatim quoque, vix ipſa decurrentis articuli elementa balbutiunt* (*g*). Quidquid ergò ſit de beneficiis in ſtatu, & terminis, de quibus locutus eſt Durandus; ejus doctrina negotio noſtro nullatenùs adaptatur.

23. Reſpondetur *Tertiò*, retorquendo argumentum adverſus Contradictores. Nàm ſi ſententia Durandi locum habere debet; cum ipſe profiteatur excludendos eſſe ab eccleſiaſticis beneficiis extraneos, non utcumque, ſed uti loci idiomatis imperitos, & ex motivis inſubſiſtentibus diſpenſatos; ſequitur primò, quod quotiès ſunt ex juſtis cauſis ad eadem vocati, vel diſpenſati, ea poſſunt licitè retinere. Secundò, quod quotiès idioma loci congruè ſciunt, etiam ſi aliundè originem ducant; beneficia licitè conſequuntur: & ſic etiam Collatores beneficiorum eadem illis ſine reatu culpę largiuntur. Præstereà ab hâc regulâ excipitur auctoritas Papæ, quem poſſe diſpenſare, ut inſcius idiomatis beneficia legitimè conſequatur, communitèr fatentur Doctores; quos intèr Gomez, & Mandoſius ad regulas Cancellariæ in regulâ de Idiomate (*h*). Et ideò, licet generalitèr loquendo, conſequi nullus valeat beneficium extrà patriam, cujus neſcit idioma, & eo adepto debeat examinari, an

(a) *Concil. Trid. ſeſ. 23. c. 1. de reform.*

(b) *Concil. Turonenſ. an. 1231. c. 16.*

(c) *Regul. 20. Cancel. Apoſtol.*

(d) *Mandoſ. ad dictâ Regul. qu. 9 n. 10.*

(e) *Idem Mandoſ. loc. cit. qu. 8. n. 7.*

(f) *S. Anſelm. Cantuar. lib. 3. epiſt. 32.*

(g) *S. Petri Damian. l. 4. ep. 14.*

(h) *Gomez. & Mandoſ. ad Regul. 20. Cancel. Rebuff. in prax. benef.*

an ſciat linguam illius loci (*a*), tamen ſi collatio fiat à Papâ, hæc inſcitia non obſtat. Et ſi quæſtio ſit de beneficiis merè ſimplicibus, hoc obſtaculum nihil officit. Demùm dicimus, quod quatenùs etiam Durandus in eâ fuiſſet opinione, quod nullus extraneus beneficia quæcumque, ſive parochialia, & reſidentialia, ſive Epiſcopalia, & merè ſimplicia retinere poſſet, ſine culpa lethali, quod rè verâ ipſe non aſſerit; dicimus, inquam, hunc Doctorem non eſſe tantę auctoritatis in Dei Eccleſiâ, ut illius unius opinio, à nobis tot modis, & rationibus hucuſque confutata, & ſucceſſivè ulterius enervanda, valeat univerſum Orbem eccleſiaſticum peccati mortalis vinculis irretire. Sartatecta proindè remanet libertas Eccleſię in admittendis Clericis etiam extraneis ad eccleſiaſtica beneficia.

24. *Arguunt Tertiò* Contradictores ab Auctoritate, dicentes. Theologi melioris notę, quæſtionem, de quâ agimus, diſcutientes, in voto ſunt, quod beneficia eccleſiaſtica ſint Clericis indigenis, conferenda: Ergò extranei ſunt ab illis repellendi. Conſequentia eſt certa, nàm quoties Theologi ex propoſito extraneos pronuntient eſſe à beneficiis eccleſiaſticis excludendos, hæcque ſolis eſſe indigenis conferenda, eorum auctoritas ſtat pro ratione, ipſos extraneos repellente. Antecedens verò probatur: *D. Thomas* dicit eos, qui ſunt de gremio Eccleſiæ, & conſequentèr indigenas, eſſe utiliores, quantum ad bonum commune, quia magis diligunt Eccleſiam, in quâ ſunt nutriti (*b*), exiſtimatque hoc aſpertè colligi tam quam de jure divino ex illo Deuteronomii: *non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non ſit frater tuus* (*c*). Item *Dominicus Soto* idipſum ſentiens, ait, *alteram S. Thomas cauſam ſubnectit, quæ mihi eſt probatiſſima, videlicet, quod ut plurimum unuſquiſque propenſiorem habet animum ad ſuam propriam Civitatem, & Eccleſiam, in quâ nutritus eſt, quâ utique ratione utilior eſſe poterit* (*d*). Paritèr *Joannes Azorius* affirmat, *quod genus, & patria aliquandò miniſtrum Eccleſiæ utiliorem, & aptiorem efficiunt* &c. *quià indigenæ, & qui ſunt ex loco, magis diligunt Chriſti gregem ſibi commiſſum* (*e*). Ergò Theologi melioris notæ in voto ſunt, quod beneficia eccleſiaſtica debeant Clericis indigenis committi, & per conſequens extranei debeant ab eiſdem repelli.

25. Reſpondetur *Primò* negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, D. Thomam, Sotum, & Azorium, non loqui abſolutè, ſed ſolum cæteris paribus. Et quidem menti Angelici Doctoris explicandæ non diutius immorabimur, quippè illam ſuprà diffuſiſſime patefecimus (*f*). Quodque in loco per Contradictores oppoſito, loquatur *cæteris paribus*, tàm clarè conſtat, ut ad id agnoſcendum ſufficiat legere ipſius textum, utentem his individuis terminis, *ut in pluribus*: quibus ſignificat, quod ordinariè is, qui de gremio Eccleſiæ eſt, ſolet illi eſſe utilior: tamen aliundè poteſt etiam accidere, quod illi ſit utilior extraneus: Et ſic ſentit, indigenam quidem eſſe extraneo præferendum; non tamen abſolutè, ſed cæteris paribus. *Soti* paritèr veram ſententiam alibi reproduximus (*g*), ideò hìc ſatis ſit animadvertere, quod nedum non ſupponit extare leges repellentes à beneficiis extraneos; ſed imò exoptat illas ab Eccleſiâ inpoſterùm definiri, cum jam nihil profeciſſet de hâc rè in Concilio Tridentino tractare. Sentit ergò, extraneos eſſe beneficiorum capaces: quamquàm etiam optimum eſſe cenſeret, ſi lex prodiret, præbendas ſolis indigenis adſcribens, quia, inquit, *non parvi æſtimandus eſt ingenitus amor, quem quiſque ad nativum ſolum habet: præſertim quod, licet poſſent nonnunquam inveniri extranei, meritis præſtantiores, multò eſſet tamen Eccleſiæ conducentius, ut ambitionibus, & litibus ſibi moleſtiſſimis, ac peſtilentiſſimis obviaretur: prætereà ut incolę ſpè illâ animarentur, liberos, & literis, & moribus informare* (*h*). Si ergò verba Soti in toto ſuo complexu ſumantur, apparebit ejus animum, prout in ſtatu, in quo ſcribebat, nil aliud voluiſſe, niſi quod, cæteris paribus, indigenæ in beneficiis conſequendis, extraneis præferantur, quod nos nullatenus impugnamus, ſed utrâque manu concedimus.

26. Quoàd *Azorium*, ipſa ejus verba, per Contradictores allegata, fatentur, illum

(a) *Camill. Borel. Sum decis. tit. 1. tit. 29. num. 325*

(b) *S. Thomas 2. 2. qu. 63. art. 2. ad quart.*

(c) *Deuter. cap. 17. num. 15.*

(d) *Soto de juſt. & jur. lib. 3. qu. 6. art. 2. ad quartum*

(e) *Azorius inſt. moral. p. 2. l. 6. c. 4. qu. 25.*

(f) *Vide ſuprà to. 1 ſectiil. 13. c. 39 per tot.*

(g) *Vide ſuprà to. 2. c. 5. n. 35. & c. 7. n. 11.*

(h) *Soto de juſt. & jur. l. 3. qu. 6. art. 2. ante decimam concluſ.*

illum non abſolutè loqui, ſed cæteris paribus. Ex quo enim dicit, quod genus, & patria non ſemper, *ſed aliquandò* miniſtrum Eccleſiæ utiliorem, & aptiorem efficiunt; oſtendit, quod aliquandò etiam extraneus eſt magis idoneus: Et ſic indigena quidem eſt præferendus, ſed ſolùm tùnc, cum cætera paria ſunt. Ad hæc tàm Azorius, quàm etiam Sotus, non de beneficiis liberis loquuntur, ſed de *patrimonialibus*, uti legere eſt in eorum fonte: & iſta tradenda eſſe ſolis indigenis, nempè illis, qui ex tali loco, vel ex tali familiâ, prout vocati ſunt, originem ducunt; nos id ultrò fatemur, quia ſi fundata ſunt cum hâc præcisâ conditione, ut dentur illis ſolis; Fundatorum intentio debet eſſe inviolabilis: hoc modo namque & *pii homines ad fundandas, extruendas, & dotandas Eccleſias faciliùs, & promptiùs impelluntur, & ardentiùs excitantur. Item quia vult Eccleſia eſſe iis grata, qui de Republicâ Chriſtianâ benemerentur. Prætereà quiſque poteſt res ſuas, & bona Eccleſiæ donare eâ lege, quam ipſi conſtituit* (a): Et tùnc Clerici illi, ad ipſa beneficia vocati, qui filii patrimoniales dici ſolent (b), ſivè digniores ſint, ſive indigniores extraneis, nihil officit, dummodò digni ſint (c), quià alii quantumcumque magis digni, nullum habent jus ad talia beneficia (d), & quià Eccleſia quodammodò pacta eſt cum Fundatore, ſe contentam eſſe, ut beneficio deſerviat dignus de ſuâ deſcendentiâ, ſive patriâ, etiam ſi poſſet aliundè dignior haberi: quià talis dignior, in hoc caſu, rè verâ non eſſet dignior, ſed minus dignus, & aptus (e). Notat tamèn Azorius, hanc legem, ut beneficia dentur ſolis Clericis talis familiæ, loci, Provinciç, vel Nationis, non poſſe ſolâ Principum auctoritate fundari, *quià laici de beneficiorum cauſis nihil decernere queunt, quarè neceſſe eſt ut Romani Pontificis privilegio, aut conſenſu approbentur, aut ipſius canonici Juris auctoritate confirmentur* (f).

27. Reſpondetur *Secundò*, retorquendo argumentum adverſus Contradictores ex duplici capite. Nàm primò ſi auctoritas Doctorum, ab illis productorum, eſt attendenda: ſi ſecundum Divi Thomæ, Soti, & Azorii doctrinam judicandum eſt de articulo, quem diſcutimus; cum ipſi, uti oſtendimus, aſſerant beneficia eccleſiaſtica deberi quidem indigenis; at non abſolutè, ſed ſolùm in æqualitate meritorum: ſeu cęteris paribus diſpenſanda eſſe; jàm clarè patet, eorum ſenſum eſſe, quod, ceſſante paritate meritorum, & quoties extranei ſunt ad beneficia magis idonei, hæc ipſis ſinè controverſiâ debeantur: hocque nobis ſufficit, quia in rerum contingentiâ, largitoris beneficii erit definire, an ſecundum circumſtantias loci, temporis, & perſonarum, magis, vel minùs idonei ſint advenæ, vel indigenę. Secundò ſi ab auctoritate Doctorum repoſcenda eſt ratio verioris opinionis, quę ſit in hoc negotio tenenda; cum nos in Capitulo præcedenti, & alibi numeroſam eorum ſeriem allegaverimus (g), partim expreſsè fatentium, tùm extraneos, tùm indigenas eſſe ad beneficia ſacra admittendos; partim aſſerentium, indigenas non eſſe extraneis præferendos, niſi cæteris paribus; jàm magis fundata erit noſtra ſententia, utpotè majori numero Theologorum ſuffulta. Quibus ſi addantur totidem Theologi, quot Patres erant in Concilio Tridentino, qui renuentes decernere, beneficia eſſe ſolis indigenis conferenda, uti teſtante Soto, ab illis depoſcebatur; tacitè pronuntiarunt, ad ea eſſe etiam extraneos, non verò ſolos indigenas admittendos; noſtra opinio habebit ſibi faventes pluſquam 300. Theologos, quâ nullam majorem credimus dari poſſe probationem, ab extrinſeco provenientem, ſivè à Doctorum auctoritate ſuſceptam.

28. Itàque oportet, quod Contradictores, næniis abactis, ſi Theologicè res agenda eſt, quoniam Theologiam ſibi favere contendunt, & in ſuis ſcriptis Theologicalia plurima immiſcent; oportet inquam, ut vel rationes adducant, probabilitatem intrinſecam eorum opinioni ingerentes; vel Doctores allegent, probabilitate extrinſecâ illam munientes. Rationes legimus in eorum ſcriptis, quas per totum hujus operis decurſum, & preſertim in præſenti Tomo, ubi ex propoſito de objectionibus agimus, extenſas, & ſimùl diſſipatas oſtendimus. Cumque hæ proinde

(a) *Azorius inſt. moral. p. 2. l. 6. c. 4. qu. 25. §. nec mirum*

(b) *Maſſobrius prax. hab. concurſ. prælud. 4. dub. 2. n. 2*

(c) *Valent. to. 3. diſp. 5. qu. 7. §. 3. pun. 2. verſ. 2. ſequitur. Aragon. in 2. 2. qu. 63. art. 2. §. ſed dubitabit.*

(d) *Reginald. prax. for. pœnit. l. 30. tr. 3. n. 159. in fin.*

(e) *Azor. loco citat. §. quæret aliquis.*

(f) *Azor. inſt. mor. p. 2. l. 7. c. 4. qu. 15. §. quęres an ſatis ſit.*

(g) *Vid. cap. præced. n. 13. & ſupr. to. 2. c. 7.*

indè Contradictorum intentum non probent; reſtat, ùt ipſi ad Auctores confugiant. Ex his autèm nullum adhùc produxerunt, & nullum fortè producent in terminis expeditis dicentem, Clericos extraneos eſſe abſolutè à beneficiis eccleſiaſticis repellendos; prætérquàm loquentes de Galliâ, Hiſpaniâ, Germaniâ, alliſve Regionibus, quas ſupponunt eſſe Apoſtolico privilegio munitas, quæ ſunt extra aleam noſtræ quæſtionis. Non diſputamus enim, an à locis, indulto Pontificio ſuffultis, cavente ne beneficia conferantur extraneis; iſti ſint ab eis ablegandi: cum hoc ſit pluſquam certum. Sed quærimus, an à locis, ubi tale indultum deeſt, ſint repellendi; & hoc negamus, & rationibus infinitis opinionem noſtram munimus: & probationes Adveſſariorum nobis objectas diſſolvimus; & quidquid ipſi proponunt ex Theologorum auctoritate, nos evidentiſſimè confutamus.

29. Profectò Theologi, quos ipſi allegant, non abſolutè, ſed ſolum reſpectivè Clericis extraneis obnituntur. Sed tamèn ſi de facto inveniretur aliquis Auctor, qui expreſſis verbis, & in terminis terminantibus affirmaret, beneficia eccleſiaſtica eſſe ſolis Clericis indigenis conferenda, extraneis prorſus ablegatis, non cæteris paribus, ſed omninò, ſemper, & ubique, etiam cæteris non paribus; adhuc hæc doctrina nullum cauſę Contradictorum præſidium impertiret: quippè tametſi opinio illa, cui adhęret, ſeu quam profert, aliquis Doctor, videatur in ſe non contemptibilem probabilitatis extrinſecæ titulum continere, in ſententiâ Sanchez (*a*), cui aſſentiuntur Filliuccius (*b*), Merolla (*c*), & alii; tamen hoc, loquendo generaliter, non ſubſiſtit (*d*), niſi eſſemus in caſu novo, nunquam alias diſputato, à nullo alio Scriptore præcedentèr tractato, & omni rationum intrinſecarum adjutorio carente (*e*): Simulque præfatus Doctor tantæ pietatis eſſet, auctoritatis, & doctrinę, quantæ eſt D.Thomas Aquinas, vel ſi quis alius ei poteſt ęquari (*f*). Attento præſertim, quod in conflictu opinionum, illa ſequenda eſt, quę magis favet libertati Eccleſiæ, uti docent ex Theologis Souſa (*g*), ex Juriſconſultis Jaſon (*h*), & declaravit Rota Romana in unâ Veneten. 1606. Quare quamvis aliquis daretur Theologus, ſentiens, Clericos extraneos abſolutè, ſemper, & quandocumque eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos; cum ſententia contraria longè firmioribus innitatur fundamentis; hæc eſt attendenda, non illa. Et ità ſtat omninò inconcuſſa libertas Eccleſiæ, admittendi ad ſacras prębendas, tùm Clericos indigenas, tùm extraneos.

(a) *Sanchez in ſum. tom.1, l.1.c.9.n.7.*
(b) *Filliuc.to.2.tr.22. c.4.n.138.*
(c) *Merolla tom. 2. diſp.3. c.3. dub.1.nº4.*
(d) *Propoſitio 27. inter damnatas ab Alexand. PP. VII.*
(e) *Portel. in dub. de Regular. verſ. opinio eligenda n.4.*
(f) *Viva in dictam propoſ.27. Alex. PP. VII. f.75.*
(g) *Anton. Souſa in Bull. Cœnæ c.14. diſp. 76.n.5.*
(h) *Jaſon in leg. filius familias §. Divi. ff. de leg.1.n.82.*

30. *Arguunt Quartò* Contradictores. Collatio, ſeù largitio beneficiorum eccleſiaſticorum à ſuo primordio debebat fieri per electionem Cleri, & populi, beneficiarios deputantis, à quibus poſteà migravit jus beneficia conferendi, vel reſpectivè ad ea nominandi, ad Papam, ad Epiſcopos, & ad alios, vel Ordinarios, vel delegatos Collatores, ac ad Reges, & Principes, vel privatos ad ea Nominatores. Sed per hanc juris tranſlationem, non eſt immutata natura beneficiorum, quoàd Clericos eorum capaces: ergò illis nunc conferenda ſunt beneficia, quibus tunc poterant conferri, quando à Clero, & populo fiebat beneficiarii deſignatio. Minor patet quià, ſivè ab uno, ſivè ab alio fiat deputatio Clerici, ad beneficia promovendi, eadem eſt natura officii, eadem eſt conditio miniſterii, quoàd Clericos, quibus miniſteria, officia, & beneficia eccleſiaſtica committuntur; ergò vel beneficia dentur per electionem Cleri, & populi, vel per Collationem, & Nominationem eorum, ad quos hoc jus migravit, non eſt immutata natura beneficiorum quoàd Clericos eorum capaces. Major etiam eſt certa, auctoritate D.Cypriani, dicentis, *videmus de Divinâ auctoritate deſcendere, ut Sacerdos plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur, & dignus, atque idoneus publico, judicio, ac teſtimonio comprobetur*: quo modo Moyſes Eleazarum coràm omni Synagogâ juſſit conſtitui Sacerdotem (*i*). Ergò à ſuo primordio deputatio beneficiorum debebat fieri à Clero, & populo, à quo poſteà ad ordinarios, vel delegatos eorum Collatores, ſivè Nominatores, deputatio ipſa perrexit, non immutatâ naturâ beneficiorum quoàd Clericos eorum capaces. Aſt quandò deputatio præfata fiebat à Cle-

(i) *S.Cyprian.ep.60. alias l.1.ep.4.*

à Clero, & populo, non erant capaces beneficiorum Clerici extranei, ſed ſolum indigenæ; Ergò nec etiam nunc Clerici extranei debent eſſe beneficiorum capaces. Minor ſubſumpta probatur ex pluribus Canonibus, præcipientibus electionem fieri de gremio Eccleſiæ vacantis (*a*), ergò extranei tunc non erant beneficiorum capaces: ergò nec etiàm nunc ſunt tales.

31. Reſpondetur *primò* negando majorem, ejuſque probationem: & dato tranſeat minori, explicamus verba S. Cypriani, advertendo, quod ab initio beneficia non per electionem factam à Clero, & populo, ſed per collationem factam à legitimo Superiore, diſpenſabantur. Hocque patet, tùm ex facto Chriſti, qui non aliorum electione, ſed ſuâ propriâ vocatione provexit ad officium, & beneficium Apoſtolatus Petrum, Paulum, Andream, Jacobum, & alios Apoſtolos, quibus etiam dixit, *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos* (*b*). Apoſtoli quoque non viros à populis delectos, ſed à ſe ipſis determinatos, beneficiis Epiſcopalibus præfecerunt. Nec populus, neque Clerus incæpit electionibus ſe immiſcere, niſi poſt prima tempora, & poſtquam electio Promovendorum incæpit fieri ab Epiſcopis Comprovincialibus, eo modo, quo ſuperius diximus, dùm quæreremus, ad quem pertineat beneficia eccleſiaſtica conferre (*c*). Et quod de facto electio beneficiorum, ſumpta prout à ſuo exordio, fieri debeat, non à Clero, & populo, ſed à ſuperiore pleno jure; patet ex facto Eleazari, per Contradictores in oppoſitum allegati, in ſenſu à D. Cypriano propoſito: Eleazar enim, neque à populo, neque à Levitis electus eſt ad dignitatem antiqui Pontificatus, ſed immediatè à Moyſe, qui illum quidem Tribubus oſtendit, & populo complaudente promovit, ſed tota electio ab ipſius merâ, & præciſâ voluntate pependit (*d*). Undè quidquid ex hoc ſucceſſu eſt beneficiis eccleſiaſticis adaptabile, non probat quod eorum electio fieri debeat à Clero, & populo, ſed pleno jure à Superiore facultatem habente.

32. Audiatur doctiſſimus Bellarminus, rem diſertè deſcribens, *Dico Cyprianum hoc loco nihil tribuere populo circà electiones Sacerdotum, niſi ut ferant teſtimonium de vitâ, & moribus Ordinandorum; quod & nunc ſervatur in Eccleſiâ Catholicâ. Dicit autem Cyprianus, populum habere poteſtatem eligendi, & ſuffragium ferendi, quià poteſt dicere, ſi quid noverit boni, vel mali de Ordinando, & ſic teſtimonio ſuo efficere, ut eligatur, vel non eligatur. Itàque habet populus, ſecundùm Cypriani ſententiam, poteſtatem eligendi, & ſuffragandi per teſtimonium, non per calculum; more teſtis, non judicis: id quod ex eodem loco perſpicuum fieri poteſt: dicit enim, debere in Eccleſiâ eligi Epiſcopum, quomodò Scriptura docet fuiſſe electum Eleazarum. At Scriptura Num. 20. dicit Eleazarum electum à Moyſe, & nihil tribuit populo, niſi coram eo fuiſſe Eleazarum electum: & Cyprianus explicans hoc, ait coram omni Synagogâ &c.* (*e*). Si igitur factum Eleazari ſtare debet prò lege, quod non admittimus, elucet, quod quemadmodum Eleazarus, non à Tribubus laicalibus, neque à Tribu Levi Sacerdotali, ſed à ſolo Moyſe electus eſt ad beneficium Aaronici Pontificatus; ità ad beneficia à ſuo exordio Clerici, non à populo, & Clero, ſed à ſolo Superiore erant pleno jure aſſumendi: & ſic quidquid poſteà fuerit introductum favore populi, & Cleri, hæc introductio intermedia nec potuit præjudicare ritui priori liberæ collationis faciendæ per Superiorem, neque formæ poſteriori, ſecundùm quàm nunc vivit Eccleſia, conſentaneè ad primum ritum.

33. Corruit ex his prompatica illa ſuggeſtio Contradictorum, quod deſignatio Beneficiariorum per viam electionis à vulgo factæ, ſit de *traditione divinâ*, prout eam vocat S. Cyprianus. Nàm præter ea, quæ ſuprà diximus, de hac rè (*f*); Primò, uti vidimus, neque Levitici, neque laicalis ordinis viri ſuffragium electioni Eleazari contulère, ſed ſolùm præſentiam, & teſtimonium: Et idcircò de traditione divinâ eſſe non potuit electio Eleazari per illos facta, ſi eam realitèr non fecerunt. Secundò, cum dicitur de traditione divinâ, non intelligenda eſt juſſio Dei, ejus ore prolata, vel eo dictante ab Apoſtolis, aùt ab aliquo Prophetâ, Eccleſiæ com-

(a) *Cap. nullus invitis diſt. 61. cap. hortamur diſt. 71. cap. quam ſit. c. Abbatem 18. q. 2.*

(b) *Joannis c. 15. n. 16.*

(c) *Vid. ſupr. to. 2. c. 19. 20. & 21.*

(d) *Numer. cap. 20. n. 26.*

(e) *Bellarmin. l. 1. de Cleric. c. 7.*

(f) *Vid. hic ſupr. c. 2. à n. 18. & c.*

communicata; ſed intelligenda eſt ſimplex introductio, ſivè ſimilitudo, ſeù exemplum, in libris Biblicis contentum, eo modo, quo Jejunium quadrageſimale dici poteſt de traditione divinâ, quià Moyſes quadraginta diebus jejunavit in Monte (*a*), cum tamen certum ſit: Quadrageſimam eſſe de jure humano. *Per auctoritatem divinam*, inquit Diana, *non intelligit præceptum, ſeù jus divinum, ſed exemplum, ex Sacrâ Scripturâ depromptum* (*b*). Itàque olim populus ſolam præſentiam præbebat, non vero calculos, nec quidquam poteſtativè decernebat, uti probant Cardinalis Bellarminus (*c*), Andreas Duallius (*d*), Joannes Azorius, & alii (*e*): Clerus verò ad ſummum ſuffragia ferebat, & Superior Eccleſiaſticus electum approbabat. Sed ante hanc formam alia vigebat, jus electionis pleno jure ſoli attribuens Superiori, ad quem rursùs redivit, expunctâ ingeſſione Cleri, & populi in ipſis electionibus, ideòque non poteſt dici, quod ab initio largitio beneficiorum fieret electione Cleri, & populi, à quibus ad Superiores nunc devoluta ſit: Sed potiùs è contrà eſt, nàm à ſuo primordio hoc jus erat apud Superiores, à quibus poſteà ad Clerum, atque populum commigravit. Nec quidquam innovatum eſt, quando iterùm ad Superiores redivit. Et ſicut in illo primordio aditus patebat extraneis ad eccleſiaſtica beneficia; ità etiàm nunc eiſdem debet idem aditus eſſe apertus.

(a) *Exod. cap. 24. & 34.*
(b) *Diana p. 10. tr. 1. reſ. 8. in princ.*
(c) *Bellarmin. de Cleric. l. 1. c. 7.*
(d) *Andr. Duallius de poteſt. Pontif. p. 3. qu. 6.*
(e) *Azor. Inſt. Mor. p. 2. l. 3. c. 28 qu. 4. Vaſquez in 3. part. tom. 3. diſp. 244. c. 5. n. 53.*

34. Reſpondetur *ſecundò*, retorquendo Argumentum adversùs Contradictores, ex minori ſubſumptâ, quæ non benè profertur ab eis hoc modo: aſt quandò deputatio præfata fiebat à Clero, & populo, non erant capaces beneficiorum Clerici extranei; ergò &c. Sed debet hoc veriori modo ex ſuis præmiſſis ſubſumi. Aſt quandò beneficiorum proviſio fiebat à Clero, & populo per viam electionis, erant beneficiorum capaces, non modò Clerici indigenæ, verùm etiam extranei; ergò etiàm nunc, cum electio â Clero, & populo ad ordinarios, vel delegatos, beneficiorum diſpenſatores, translata eſt, non modò Clerici indignæ, verùm etiam extranei ſunt ipſorum beneficiorum capaces. Nec quidquam officit, quod jura intimarent electionem faciendam eſſe de gremio Eccleſiæ vacantis; Nàm prætercuamquòd etiam inter Clericos, gremium Eccleſiæ componentes, adeſſe poſſent extranei, ex aliâ Urbe, Provinciâ, & Regno progeniti; Jura illa non præceptivè, ſed directivè, non ex obligatione, ſed de honeſtate loquebantur: Et Clerici de gremio ad beneficia vocabantur, non taxativè, ſed demonſtrativè; ità ut per jura ipſa inſinuaretur eſſe quidem honeſtum, laudabile, & omni præconio dignum, quod ad vacantia beneficia eccleſiaſtica promoverentur ii, qui ex gremio Cleri ejuſdem Eccleſiæ illi deſerviebant; attamen ſi aliorsùm ſumeretur beneficio munerandus, electio valeret: prout de facto millies in Eccleſiâ Dei peractum eſt. Sed de hâc rè fuſiùs infrà in Objectionibus Legalibus.

35. Præſertim cum electio de gremio Eccleſiæ deſideraretur, non uti qualitas pertinens ad ſubſtantiam electionis, & ad capacitatem electi, ſed uti cautela, conſulens indemnitati electi, & ſatisfactioni eligentium, nè ſcilicet ex unâ parte benemerentes poſtponerentur immeritis: & ex aliâ, nè quiſquam minus gratus populis præficeretur: ac utrobique, nè factâ electione, locus eſſet variationi, aut pœnitentiæ, ſub prætextu quod Electus non eſſet cognitus, vel meritis præditus, aut Eccleſiæ non eſſet acceptus. *Cum de Summi Sacerdotis electione tractabitur* (inquit D. Leo) *ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebiſque conſenſus concorditèr poſtulaverint &c. tantùm, ut nullus invitis, & non petentibus ordinetur, ne Civitas Epiſcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religioſa quam convenit, cui non licuerit habere, quem voluit* (*f*). *Nèc emeritis*, inquit S. Cœleſtinus Papa I. *in ſuis Eccleſiis Clerici peregrini, & extranei, & qui antè ignorati ſunt, ad excluſionem eorum, qui benè de ſuorum Civium merentur teſtimonio, præponantur* (*g*). *Epiſcopus deligatur*, inquit S. Cyprianus, *plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione proſpexit* (*h*). *Sciant omnes*, inquit Origenes, *& certi ſint, quià qui præ-*

(f) *S. Leo epiſt. 84. cap. 5.*
(g) *S. Celeſtin. ep. 2. cap. 4*
(h) *S. Cyprian. ep. 68 alias l. 1. ep. 4.*

Digitized by Google

præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc adſtante populo, ne qua poſtmodùm retractatio cuiquam, ne quis ſcrupulus reſideret (a). Vides, has cautelas adhiberi ad benè eſſe, & qualitates hìc deſideratas æquè poſſe concurrere in extraneo, ac in indigenâ, & per conſequens ad hos non fuiſſe limitatam electionem, tamquàm ex neceſſitate, ſed ſolùm tamquàm ex honeſtate.

36. Reſpondetur *Tertiò*, negando ſuppoſitum, nempè quod beneficia merè ſimplicia (circà quæ præcipuè vertitur cardo noſtræ difficultatis, & quæ ſunt etiàm præcipuus Contradictorum ſcopus, non excluſis tamen beneficiis Epiſcopalibus, aliiſque reſidentialibus) quod, inquam, beneficia merè ſimplicia aliquandò fuerint per viam electionis à Clero, & populo factæ, in Eccleſiâ Dei diſtributa: hoc nos nunquàm legimus eveniſſe, & ideò, quidquid ſit, an in largitione beneficiorum reſidentialium attendenda eſſet qualitas indigenatus, eo tempore, quo per electionem Cleri, & populi tradebantur; cum hæc diſciplina nunquàm beneficia merè ſimplicia complexa ſit; veſtra ut ad hæc acquirenda non exigeretur tunc, & multò minùs exigatur nunc in beneficiario ipſa qualitas indigenatus. Et quatenùs etiam, per hypotheſim, ipſa indigenatus qualitas deſiderata fuiſſet in benebeneficiis merè ſimplicibus; præter reſponſiones hucuſque datas, ad beneficia reſidentialia directas, & ad merè ſimplicia communes; aliam communem utriſque reſponſionem adhuc adjungimus, & eſt, quod eſſe de gremio differt valdè ab eſſe Connationalis: ac differt quoque abeſſe Concivis: & aliud eſt eſſe de gremio Capituli, aliud de gremio Eccleſiæ: Illud enim ſolos Canonicos, & Capitulares complectitur: Iſtud verò, ſivè eſſe de gremio Eccleſiæ, capit nedùm Clericos urbanos, ſed etiàm rurales; & non ſolum ad Clericos Sæculares, verum etiam ad Monachos ſe dilatat (b). Jura omnia autem, exigentia, ut eligerentur ab beneficia Clerici *de gremio*, loquuntur, non abſolutè, ſed relativè, nimirùm cæteris paribus. Et de facto ponderentur verba omnium, & ſingulorum Canonum, hoc dicentium, & invenietur eos petere electionem Clerici de gremio, cum hac præciſâ conditione, quod adſit idoneus, ſi verò talis deſit, in aliâ conquiratur Eccleſiâ (c). Quod quæsò aliudne ſignificat, niſi quod cæteris paribus, Clericus de gremio, extraneo præferatur? Hoc & nos fatemur. Sed non per hoc à beneficiis excluduntur extranei benemerentes, & digni.

(a) *Origenes homil.6 in Levit.*

(b) *Vid. tom. 1. ſæcul. 9 c. 23. n. 22. & c. 38. n. 35.*

(c) *Cap. nullus invitis 13. cum plur. ſequ. diſt. 61.*

37. Reſpondetur *quartò*, Argumentum nihil probare, quià probat nimium. Nàm, ut etiam alibi adnotavimus, ſi præficiendi ſunt beneficiis eccleſiaſticis ſoli indigenæ, quià olim præcipiebatur, electionem fieri de gremio Eccleſiæ; licetque ceſſaverit forma proviſionis beneficiorum per viam electionis, non tamen immutata ſit eorum natura quoàd Clericos, ipſorum beneficiorum capaces; jàm argumentum probat, quod nedùm eligendi erunt ad beneficia Clerici indigenæ, ideſt ex eàdem Diœceſi, vel Urbe, ſed etiam ex ipsâ Diœceſis parte, Oppido, Pago, Parochiâ, & loco campeſtri, ubi eſt Eccleſia, in quâ erectum eſt beneficium. Et ſic primò concedendum erit magnum inconveniens, ac tàm exorbitans, quàm ab omni æquitate alienum eſt, arctare collationem beneficiorum ad ſolos Clericos pagenſes, campeſtres, & oppidanos. Secundò, hoc conceſſo, adhùc nihil indè proficiet cauſa Contradictorum, quippè eorum intentio non eſt reducendi eccleſiaſtica beneficia ad Clericos indigenas, uti locales, pagenſes, & pertinentes ad illam præciſam Eccleſiam, in quâ vacat beneficium diſtribuendum; ſed ad indigenas, uti Nationales, & ex eàdem ditione temporali progenitos: ità ut Clericus in extremâ parte Regni ortus, vel ab eâ originem ducens, per totum ipſum Regnum, quaquà late pateat, ritè poſſit eccleſiaſtica conſequi beneficia: At hoc, ut innuimus, non probant præfata jura, quià nimium probant: Et ideò opus eſt, ut ipſi Contradictores meliora jura depromant, & magis aptè loquentia, alias à causâ non cadunt, ſed præcipi deturbatione labuntur.

38. Reſpondetur *quintò*, negando aliud ſuppoſitum, nempè quod collatio bene-

nefi-

neficiorum Clericis indigenis ſit quid, pertinens ad naturam beneficiorum, vel ipſorum collationis: hoc enim gratis aſſeritur, cum nullo jure in facto ſubſiſtat, nullo præceptivè præſcribatur, nullo tandem de ſubſtantiâ eſſe aſſeratur: præterquamquod jàm mutatâ formâ diſtributionis beneficiorum, factoque tranſitu à viâ electionis, ad viam plenariæ collationis; ſicuti ceſſavit methodus ipſa electionis, ſic etiam deſierunt cautelæ, quę electionis tempore ſervabantur: Nèc jam licitè poſſunt exigi à Collatoribus obſervantiæ illæ quoàd modum tradendi beneficia, & qualitates quoàd capacitatem ſuſcipientium, quæ electionum tempore prævalebant, exceptis tamen iis, quæ ſpectant ad naturam, & ſubſtantiam legitimæ largitionis, quales ſunt, quod beneficiarius ſit Chriſtianus, Catholicus, cenſuris non implicatus, doctrinâ ſufficientèr imbutus, in ætate legitimâ conſtitutus &c. quippè hæ qualitates, tamquam de ſubſtantiâ à ſacris Canonibus exiguntur. Eſſe autem extraneum, vel indigenam: eſſe de gremio, vel extrà gremium, quià nihil pertinet ad ſubſtantiam legitimæ collationis beneficii, nec ejus naturam in eſſentialibus alterat, ſed ad ſummum eſt quid ſpectans ad modum in ipsâ tenendum, totaliterque à Superioris auctoritate dependet; Hinc eſt, quod conferendo beneficia Clericis extraneis, nihil tollitur de naturâ beneficiorum, nihil alteratur do ſubſtantiâ largitionis eorum, & ideò circà illa nihil peccatur: Statque ſemper inconcuſſa libertas Eccleſiæ in ſuorum beneficiorum arbitrariâ traditione, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.

C A P U T IV.

In quo aliis Objectionibus Theologicis *reſpondetur, propoſitis adverſùs libertatem Eccleſiæ, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis,*

S U M M A R I U M.

1 Quinta Objectio *petitur ex eo, quod ſicut eleemoſynæ de bonis Eccleſiæ ſunt ſolis indigenis conferendæ, ità etiàm beneficia ſint eiſdem ſolis concedenda.*

2 *Retorquetur argumentum, quià eleemoſynas nulla lex reſtringit ad ſolos indigenas, ſed lex potiùs eos communes facit etiam extraneis.*

3 *Dominium bonorum Eccleſiæ non eſt apud communitatem, ſivè populum, componentem talem Eccleſiam. Quid nomine Eccleſiæ intelligatur?*

4 *Fideles non componunt Eccleſiam, niſi uti juncti* Epiſcopo Eccleſiæ Capiti. *Dominium bonorum Eccleſiæ eſt apud Chriſtum.*

5 *Adminiſtratio bonorum Eccleſiæ ſpectat ad Epiſcopum, repreſentantem, & regentem Eccleſiam. Cum in Evangelio dicitur* dic Eccleſiæ, *quid intelligatur?*

6 *Chriſtus ab initio ſuæ conceptionis habuit dominium altum omnium mundi rerum, uti ſentiunt Doctores.*

7 *Sed bonorum Eccleſiæ Chriſtus habet dominium, nedùm altum, verùm etiam baſſum, & in actu ſecundo, ac formale.*

8 *Dominium perfectum rerum Eccleſiæ eſt apud Chriſtum, pro quo bona donata acceptat Epiſcopus ejus miniſter, & Oeconomus.*

9 *Ex Navarro dominium bonorum Eccleſiæ reſidet, quoad proprietatem apud Chriſtum, quò vero ad uſumfructum apud beneficiarios?*

10 Continuatur ejuſdem Doctoris doctrina contrà Sarmientum, aſſerentem idem dominium, etiam quoàd proprietatem eſſe apud beneficiarios.
11 Ex eodem; & aliis Doctoribus dominium proprietatis eſt penès Chriſtum: dominiumverò uſus fructus eſt apud beneficiarios.
12 Sancti Hieronymus, & Proſper, dicentes, quod Clerici non ſint domini fructuum beneficiorum, ſed ſolum adminiſtratores, quomodo intelligendi?
13 Sancti Patres aliquandò per exceſſum locuti ſunt: exemplo S. Hilarii Pictavienſis, & S. Joannis Chryſoſtomi.
14 SS. Chryſoſtomus, & Cęſarius ſentiunt, laicos non eſſe dominos ſuorum bonorum, & occidere pauperes, ſi non eis illa elargantur.
15 Plures Patres declamant, Clericos non eſſe Dominos fructuum beneficii, & rapinam committere eos retinendo.
16 Hæ, & ſimiles ſunt piæ exaggerationes, partim non contrà Beneficiarios, ſed contrà Oeconomos declamatæ, de quibus in Concilio Chalcedonenſi.
17 S. Iſidori Peluſiotæ ſimilis declamatio adverſus Epiſcopos, & Oeconomos malè bona eccleſiaſtica miniſtrantes.
18 Opes Clericorum, quas ex officiis perſonalibus capiunt, ſunt ſub eorum dominio: imò & fructus beneficiorum.
19 Variæ rationes, per quas probatur, fructus beneficiorum eſſe ſub totali dominio Clericorum eos percipientium.
20 Clerici non erogantes in uſus pios ſuperflua beneficiorum, non peccant contrà juſtitiam, ſed contrà aliam virtutem.
21 Obligatio Clericorum erogandi fructus ſuperfluos in uſus pios, ex mero debito charitatis proficiſcitur, ſinè onere reſtitutionis.
22 Bona Eccleſiaſtica non pertinent ad univerſitatem fidelium, eorumque ſuperflua non magis pauperibus indigenis, quam extraneis debentur.
23 Sexta Objectio petita ex eo, quod mens donantium Eccleſię bona ad beneficia erigendu ſit, ut conferantur indigenis, quod & de eleemoſynis ſit.
24 Ubi de voluntate donatorum, vel teſtatorum non conſtat, res relicta eſt arbitrio Eccleſiæ, ut ea ſivè indigenis, ſivè extraneis elargiatur.
25 Bona Eccleſiæ collata, ut ab initio nullum onus habent, ſed totalitèr arbitrio, & miniſterio Epiſcopi ſunt commiſſa.
26 Eccleſia eſt libera, nec ei ingerendum eſt onus, quod non habet: bona autèm ſub nullo onere illi à donatoribus collata ſunt.
27 Donatores non intenderunt, ſuperflua bonorum eroganda eſſe in uſus pios, multò minus, quod bona dentur ſolis indigenis.
28 Si non conſtat de voluntate Donatoris, ac Teſtatoris, quod beneficia, & eleemoſinę dentur ſolis indigenis; ad eas admittuntur etiam extranei.
29 Explicatur ſanctio Juſtiniani in contrarium allegata, de eleemoſynis dandis indigenis, in quibus terminis loquatur.
30 Concilium Turonenſe in oppoſitum allegatum, loquitur promiſcuè de Clericis, & laicis, hique non tenentur eleemoſynas dare ſolis indigenis.
31 Explicantur Concilia Arelatenſe, & Londonienſe, in oppoſitum allegata, in quo ſenſu loquantur?
32 Idem fit de Concilio Turonenſi. Nullum ſubſiſtit præceptum, arctans quemquam debito conferendi eleemoſynas, & beneficia ſolis indigenis.
33 Septima Objectio ex factis plurium Sanctorum, à quibus deducatur, ſuperflua beneficiorum ſolis piis uſibus, & pauperibus indigenis deberi.
34 Exemplis non eſt judicandum, ſed juribus: nec omnia, quæ fecerunt pii viri, obligant ad id cunctos fideles.
35 Contraria facta referuntur eorundem, & aliorum Sanctorum, ac memoratur ingens charitas S. Filareti.
36 Facta, & dicta Sanctorum ſunt cum aliis eorum dictis, & factis conferenda,

alias

aliàs in eis reperitur contradictio.

37 *D.Gregorius clarè voluit, ad elemoſynas etiam extraneos admitti, ut patet ex variis ejuſdem epiſtolis.*

38 *Ex factis ejuſdem, & ex ipſis ejus ſcriptis, in oppoſitum allegatis, conſtat, admittendos eſſe ad eleemoſynas extraneos.*

39 *S. Pii V. facta contraria referuntur in oppoſitum allegatis adverſus extraneos, nec quidquam probat Fabiani Papæ factum.*

40 *Si ab eleemoſynis excludantur extranei, detrahetur Eccleſiæ ſubventio Peregrinorum, & redemptio Captivorum.*

41 *Sanctorum Patrum exempla memorantur, qui fuerunt munifici valdè in peregrinos.*

42 *Redemptio captivorum à canonibus commendatur. Sancti Patres, qui fuerunt in hoc munifici memorantur.*

43 *S. Ambroſii doctrina de Captivis redimendis refertur, pro quibus etiàm vaſa Eccleſię diſtrahenda eſſe voluit.*

44 *Debitum ſubveniendi peregrinis, & redimendi captivos, probant extraneos admittendos eſſe ad eleemoſynas, & beneficia.*

(a) Proverb.cap.20. n.3.

1. HONOR *eſt homini, cum ſeparat ſe à contentionibus* (*a*). Sed à literariis diſceptationibus, præſertim adversùs impugnatores veritatis, & libertatis eccleſiaſticæ detractores, honor eſt non facilè deſtitiſſe; tandiùque diſputaſſe, quandiù aliquid ſupereſt enervandum. Poſtquàm igitùr jàm diluimus quatuor Objectiones Theologicas, à Contradictoribus propoſitas adversùs libertatem Eccleſiæ, in conferendo beneficia, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis; optimum eſſe remur, & alias aggredi, quæ ex eâdem Theologicâ facultate in ipſum ſcopum coniiciuntur, ut omnis conſummationis videamus finem, nihilque indiſcuſſum, nihil remaneat inſolutum. Itàque *Arguunt quintò* loco Contradictores: De bonis eccleſiaſticis illis conferenda ſunt beneficia, quibus elargiendæ ſunt eleemoſynæ: Sed eleemoſynę de bonis eccleſiaſticis, ſunt ſolis indigenis, & non extraneis conferendæ; ergò etiam beneficia de bonis eccleſiaſticis ſunt ſolis indigenis, & non extraneis conferenda. Major eſt certa, quià tàm ſunt bona eccleſiaſtica ea, quæ in beneficium conferuntur, quàm illa, quæ in eleemoſynas erogantur; ergò tamquàm bona ejuſdem naturæ, debent ſub iiſdem legibus erogari, curritque inter eos utrobique par ratio. Minor verò probatur. Bona eccleſiaſtica, tàm in beneficium erecta, quàm in eleemoſynas impendenda, ſunt Eccleſiæ, cui primùm fuerunt à fidelibus contributa: non autem Eccleſiæ materialis, ſed formalis, nempè Chriſtianorum, componentium illam Eccleſiam localem, cui bona tributa ſunt: ergò eorum dominium reſidet communitèr apud fideles ejuſdem Eccleſiæ; ergò illa pars bonorum, quæ in eleemoſynam tradenda eſt, procùl dubio indigentibus ipſius Eccleſiæ eſt eroganda, & conſequentèr etiam alia pars eorumdem bonorum, quæ in beneficium eſt conferenda, ſolis Clericis ejuſdem Eccleſiæ, & non extraneis eſt tradenda.

(b) Vid. ſupr. tom. 1. Sæcul. 1. c. 2.

(c) Azor. Inſt. mor. p. 2. l. 7. c. 10. qu. 2. Bonac. to. 1. de oblig. benef. diſp. 4. pun. 2. n. 3. Barboſ. ſum. Apoſt. deciſ. collect. 579 n. 4.

2. Reſpondetur *primò*, quod admiſsâ paritate intèr bona eccleſiaſtica, in beneficium conferenda, & in eleemoſynas diſpertienda quoàd eorum tamen naturam tantum; retorquetur argumentum adversùs Contradictores: Nam uti lautè probavimus (*b*), ad Eccleſię ſubſidia nedùm indigenæ, ſed etiam extranei ſunt admittendi: communique Doctorum ſententiâ (*c*), eleemoſynæ ex bonis eccleſiaſticis faciendæ, non ſunt neceſſariò porrigendæ pauperibus indigenis, & localibus, nec ulla lex, vel Divina, vel humana reperitur, id præſcribens, ſub pœnâ peccati, neque mortalis, neque venialis, ſed in merâ libertate largitoris eſt, ipſas eleemoſynas pauperibus ſibi benè viſis præbere, ſive indigenis, ſive extraneis, quamvis de ho-

honeſtate, & ſub quadam congruentiâ expediat, ut conferantur, cæteris paribus, potiùs pauperibus localibus, quàm extraneis (*a*). Et ità ſi idem judicium faciendum eſt de beneficiis eccleſiaſticis, ac de eleemoſynis, cum utrobique currat par ratio; cum eleemoſynę non ſint neceſſariò, & ſub pœnâ ullius peccati conferendę ſolis pauperibus indigenis; nec etiam beneficia eccleſiaſtica erunt ſolis Clericis indigenis elargienda, ſed extraneis quoquè non minus ac indigenis tradenda erunt.

3. Reſpondetur *ſecundò*, negando ſuppoſitum, nempè quod eccleſiaſtica bona, quoàd dominium eminens, & ſupremum, & proprietatem, pertineant ad univerſitatem Fidelium, illam Eccleſiam componentium, cui bona ſunt à Chriſtianis, impulſu religionis porrecta: Hoc enim abſolutiſsimè eſt falſum, quippè dominium ipſum, & proprietas ſpectat immediatè ad Chriſtum, ut mox dicemus (*b*). Et prò eo quod uſualitèr, & per quendam modum dicendi, ſolet affirmari, eadem bona ad Eccleſiam pertinere; primò per hanc pertinentiam non intelligitur dominium, & proprietas, ſed ſola adminiſtratio, & oeconomica diſpenſatio. Secundariò cum Eccleſia multimodè ſumi poſſit (*c*), per Eccleſiam hic non intelligitur templum materiale, ſeù *Eccleſia materialis*, quià lapides, & cæmenta non ſunt capacia adminiſtrationis bonorum; ſed intelligitur *Eccleſia formalis*: Non tamèn Eccleſia formalis, uti ſignificans univerſitatem Fidelium, Eccleſiam ipſam componentium per totum orbem diffuſam, quæ definitur, quod ſit *ſocietas viſibilis fidelium baptizatorum ſub uno capite Chriſto in cœlis, & Vicario ejus in terris, inter ſè eodem cultu communicantium* (*d*), quo modo interdum, & ordinariè ab Auctoribus conſideratur Eccleſia: & ità ex Theologis ſumitur à Cardinali Bellarmino (*e*), & Gregorio de Valentiâ (*f*), & ex Canoniſtis à Cardinali Tuſchio (*g*), atque Auguſtino Barboſa (*h*), nec non ab aliis utriuſque Facultatis Doctoribus. Sed intelligitur *Eccleſia formalis*, uti ſignificans Clerum, & perſonas Eccleſiaſticas, ac populum ſub ſuo Epiſcopo, & Rectore viventes, ac fidelium congregationem componentes alicujus determinatæ diœceſis, quę ſit pars univerſalis Chriſti Eccleſię, cujus caput eſt Papa: particulares namque Eccleſię ſunt velut radii ejuſdem ſolis, rami ejuſdem arboris, rivi ejuſdem fontis, ideſt partes, & ſegmina Univerſalis Eccleſiæ, à Chriſto in Petro fundatę: undè D. Cyprianus: *Eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit: unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur. Ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit: profluentes largitèr rivos latius expandit: unum tamen caput, & origo una, & una mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa* (*i*). Nec aliundè *hæreſes obortæ ſunt, & nata ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec unus in Eccleſiâ ad tempus ſacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti, cogitatur* (*l*). In hoc ſenſu hic ſumitur Eccleſia, de quo idem D. Cyprianus: *Scire debes, Epiſcopum in Eccleſiâ eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo* (*m*). Nunquam verò ſub nomine Eccleſiæ, in negotio, de quo agimus, intelligitur plebs laicalis de sè pertinens ad Eccleſiam; nec unquam laici de bonis Eccleſiæ diſponendi jus habuerunt.

4. Quamvis enim laici fideles, tùm nobilioris, tùm abjectioris ordinis, componant Congregationem fidelium; Non tamen quælibet congregatio fidelium ut ſic, facit Eccleſiam in ſenſu, de quo nunc loquimur, ſed ſola Congregatio fidelium Clero præditorum, & Epiſcopo ſubjectorum, quâ ratione ipſe D. Cyprianus ait, *Eccleſia eſt plebs Sacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens* (*n*). Adeòque non obtinet Eccleſiæ formalis dignitatem congeries quęlibet, licet ingens, & multitudo quęcumque, licet immodica Chriſtianorum, ſi Clero careat, & Paſtore deficiat: undè benè D. Hieronymus notabat Luciferianos, quod cuncti eſſent laici, & Sacerdote carerent: *Eccleſia*, inquit, *non eſt, quæ non habet Sacerdotem* (*o*). Cum ergò dicitur bona eccleſiaſtica eſſe Eccleſiæ formalis, cui à fidelibus ſunt collata; non eſt ſentiendum, quod ipſorum bonorum proprietas, & poteſtas, ſeù dominium ſit apud plebem talis, vel talis loci, neque apud Clerum ipſius loci, ubi eſt Eccleſia; quamquàm aliquando nomine Eccleſiæ intelligantur Eccleſiaſtici Viri,

(a) *Vid. ſuprà tom. 1 ſæcul. 10. c. 26. à n. 31, ad 36*

(b) *Conc. Trid. ſeſ. 25 c. 1. de reform. S. Auguſt. de Oper. Monach. c. 25. Julian. Pomer. de vit. contempl. l. 3. c. 16 Toſtat. in Paralip. 26. Bonac. tom. 1. diſp. 4. de oblig. benef. pu. 2. nu. 2, Fagnan. in cap. relatū n. 32. & 37. ne Cleric. vel Monac. l. 3*

(c) *Vide Gloſ. in cap. nullus diſt. 63 & in c. ſcire debes 7. qu. 1. & in cap. cum Clerici de verb. ſignif.*

(d) *Gonet. Clyp. Theol. tom. 4. diſp. 3. de Eccl. art. 1. §. 1. n. 2.*

(e) *Card. Bellarm. tom. 3. l. 3. c. 2*

(f) *Valent. to. 3. diſp. 1. qu. 4.*

(g) *Tuſcus to. 3. liter. E. concl. 1.*

(h) *Barboſ. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 1. n. 3*

(i) *S. Cyprian. lib. de Unit. Eccl. cap. 3*

(l) *Idem S. Cyprian. epiſt. 55.*

(m) *Cap ſcire debes 7. quæſt. 1*

(n) *S. Cyprian epl. 69 ad Papian.*

(o) *S. Hieron. lib. 1. contr. Jovinian.*

uti cum in Concilio Conſtantinopolitano IV. Generali VIII. ſancitum fuit anathema contrà laicos, electioni Epiſcopi ſe immiſcentes, *donec obediant, & conſentiant quidquid Eccleſia de electione, & ordinatione proprii præſulis ſe velle monſtraverit* (*a*). *Eccleſia*, ideſt Eccleſiaſtici viri, explicat ibi Gloſſa (*b*). Non ità inquam: Sed intelligendum eſt, quod ipſorum bonorum proprietas, & dominium eminens, & ſupremum eſt apud Chriſtum (*c*). Adminiſtratio verò, & procuratio ordinaria eſt apud Rectorem, ſeù ſacrum Paſtorem populi, & Cleri, componentis illam Eccleſiam, in quà bona ſunt, à fidelibus Chriſto oblata: Altior verò adminiſtratio eſt apud Papam, uti Caput, Pontificem, & Prælatum univerſalis Eccleſiæ (*d*).

(a) *Conc. Cſtantinop. 4 c. 22.*
(b) *Gloſ. in cap. nullus 1. diſt. 63.*
(c) *Navar. to 1. de Spol. Cler. § 9. num. 6. Turrecrem ſum. Eccl. l 2. c. 88. Lotter. de rē beneſ. lib 1. qu 4. n. 57. Vid. hic paul antę n. 3 num. margin 5*
(d) *S. Thom. 2. 2 qu. 100. art. 1. ad 7. ibique Cajetan. & alii.*

5. Jàm alibi enuntiavimus, quod generalis, & ordinarius adminiſtrator bonorum, Eccleſiæ relictorum, eſt Epiſcopus in propriâ Diœceſi, propter rationem adductam in ſacris Canonibus Apoſtolorum (*e*). Scilicèt quià ſi concreditæ ſunt Epiſcopo animę hominum, rebus pretioſiores; congruum eſt ut ei etiam bona eccleſiaſtica committantur. Et certè cum *Spiritus Sanctus poſuerit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo* (*f*); Eccleſia autem corporalis ſine rebus corporalibus nihil proficiat, ſicut anima ſine corpore in terris non vivit (*g*); oportet, quod qui rector eſt Eccleſiæ, ſit etiam rector bonorum ejus, & idcircò dum dicitur, bona eccleſiaſtica pertinere ad Eccleſiam, per Eccleſiam, non eſt intelligenda, ut innuimus, collectio minuti populi, neque cætus Clericorum, ut ſic, neque aliquis ex eis, vel collectivè, vel disjunctivè ſuſceptus, ſed ſolus Præſes Cleri, & Populi, componentis Eccleſiam; eo modo, quo cum dicitur in Evangelio, *dic Eccleſiæ* (*h*), per id non ſignificatur, delinquentem eſſe denuntiandum minuto Populo, vel Clero, ſed Epiſcopo, Cleri, & Populi ipſius Rectori, tamquam ſi juberet, inquit S. Joannes Chryſoſtomus, dic Præſuli, defer ad publicum Eccleſiæ judicium, ad eum, qui publicam gerit in Eccleſiâ perſonam (*i*). Et ità neque ad Clerum, neque ad Populum, ut ſic, pertinet proprietas, neque adminiſtratio bonorum Eccleſiæ: ſed adminiſtratio ordinaria ad Epiſcopum ſpectat, Dominum verò, ſive proprietas attinet ad Chriſtum.

(e) *Canon. Apoſt. num. 41.*
(f) *Actor. c. 20. n. 28*
(g) *C. ſi quis objecerit. 1. qu. 3*
(h) *Matthæi cap. 18 num. 17.*
(i) *S. Joan Cryſoſt. homil. in Matth. 18.*

6. Nèc videatur improprium ſentire, quod proprietas, & dominium bonorum Eccleſiæ, ſit apud Chriſtum, quià ipſe uti filius Dei, uſque ab initio ſuæ conceptionis habuit Dominium ſingularum Orbis rerum, uti probat Cardinalis de Lugo (*l*): Omneſque paſſim tùm Scripturales, tùm Theologi, paucis exceptis, illi hoc Dominium adſcribunt. Ex Scripturalibus, Mendoza in libros Regum (*m*). Sherlogus in Canticâ Canticorum (*n*). Cornelius à Lapide in epiſtolas Divi Pauli (*o*). Salazar in Proverbia Salomonis (*p*), & alii. Ex Theologis verò Svarez in tertiam partem Divi Thomæ (*q*). Coninchus in tract. de Incarnatione (*r*). Raynaudus de attributis Chriſti (*s*). Pennafiel de Incarnatione (*t*), & alii plures: prò quorum multis valeat D. Bernardus, ità ad Eugenium perorans: *diſpenſatio tibi credita eſt, non data poſſeſſio: non tu ille, de quo Propheta; & erit omnis terra poſſeſſio ejus; Chriſtus hic eſt, qui poſſeſſionem ſibi vindicat, & jure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris &c. Poſſeſſionem, & Dominium cede huic; tu curam illius habe* (*u*). Et in ſermone de quadruplici debito dicit, nos debere vitam noſtram Chriſto, qui ejus eſt dominus titulo Redemptionis, addens, *nec me putes rem exaggerare ſermonibus, quià hic deficit omnis lingua, nec ſufficit oculus, vel ad intuendum tantæ dignationis arcanum* (*x*). Dominium autem Chriſtus habuit ſupremum, ſeu altum, & univerſale, non verò baſſum, & particulare, ut eum vocat præfatus Leonardus Pennafiel, de Incarnatione Verbi Divini (*y*): Seù dominium radicale, & in actu primo, non verò in actu ſecundo, ut illud appellat Cardinalis de Lugo, de Myſterio Incarnationis (*z*). Dominium autem hoc ſemel adeptum omnium rerum, adhùc apud ſe retinet, & nunquam à ſe inpoſterum abdicabit.

(l) *Card. de Lugo de Incarn. diſp. 30 ſect. 3. num 23.*
(m) *Mendez. in l. 1. Reg. c. 2. nu. 10. annot. 15. ſect. 3.*
(n) *Sherlog. in Cantic tom 1. antiloqu. 6. ſect. 12 n 6. c. 15*
(o) *Cornel à Lap. in Hebr. 1, & in Philip. 2 num. 9.*
(p) *Salazar. in Proverb c 8. à num. 100*
(q) *Svarez in 3. p. to. 1. diſp. 48 ſect 2*
(r) *Coninc. de Incarnat diſp. 23 dub. 5*
(s) *Raynau de Attribut. Chriſti ſect. 4. c. 1. à n. 366 & ſect. 3 cap. 3*
(t) *Leonard. Pennafiel. de Incarn. to. 4 diſ. 24. ſect. 4 ſubſect. 2*
(u) *S. Bernard. l. 3. de Conſid.*
(x) *S. Bernard. de quadrup debit.*
(y) *Pennafiel. loc. citat. n. 74.*
(z) *Card. de Lugo de Incarn. diſp. 30 ſect. 2. n. 22. & 18. ſ. dixi.*

7. Sed quamvis Chriſtus cunctarum aliarum rerum, quæ in mundo ſunt, non niſi dominium altum, & in actu primo habeat; dominium tamen rerum Eccleſiæ,

etiam

Digitized by Google

etiam baſſum tenet; atque in actu ſecundo, quoad proprietatem, quià bona illa vocantur *res Domino oblatæ* in ſacris Canonibus (*a*): *Patrimonium Chriſti* à Patribus (*b*), & Conciliis appellantur (*c*): & aliis denominationibus nuncupantur ab Auctoribus eccleſiaſticis, ex quibus apparet, illa eſſe ſub formali, & immediato dominio ipſius Chriſti, qui proculdubiò eſt capax dominii illarum rerum, quoniam ipſe præditus eſt naturâ rationali, ſeu intellectuali: Omnis autem natura intellectualis, & rationalis, ſecundum Theologos, eſt capax dominii rerum, & jus in eis habendi (*d*). Et quamvis adſint aliqui Auctores diverſè opinantes, nempè quod dominium illorum pertineat ad Eccleſiam, videlicèt ad communitatem componentem illam Eccleſiam particularem, cui donata ſunt; tamen eorum opinio intelligenda eſt, quoad dominium adminiſtrationis, non vero quoad dominium proprietatis; præterquamquod opinio Doctorum tantum valet, quantum ſonat ratio per illos adducta (*e*): Hi autem vel nullam rationem allegant, vel huic leviſſimæ innituntur, quod Donatores talium bonorum transferunt dominium in eos, cum quibus contractum donationis ineunt; quæ ratio non ſubſiſtat, ut mox videbimus: undè ſequitur, quod eorum ſententia vel nullius eſt momenti, vel propè nullius; maximè attento, quod ſi communitas præfata, à partium enumeratione ſumatur, invenietur apud ſe dominium ſuppoſitum non habere: & ſic ſententia noſtra verior remanet, & validioribus innititur fundamentis, ſcilicèt quod Chriſtus, uti dicebamus, capax eſt dominii: & de facto fideles, offerentes bona Eccleſiæ, illa non intendunt præbere iis, qui componunt, vel regunt Eccleſiam, niſi miniſterialiter; ſed Chriſto: Chriſto intendunt ea offerre: patrimonio Chriſti incorporare, & in totale illius dominium transferre: Ipſique Epiſcopi dum bona, Eccleſiæ oblata, acceptant, vel acceptari faciunt, ea non niſi Chriſti nomine acceptant, cujus ipſimet ſunt adminiſtratores, & Oeconomi in terris: eccur autem quæſò negabimus talium bonorum dominium Chriſto, ſi Chriſtus dominii ejuſdem eſt capax, & fideles intendunt ſua bona eidem Chriſto Domino offerre? Cur dabimus tale dominium Miniſtris Chriſti potius, quam Chriſto? Cur famulis potius, quam Domino; ſi bona non ſunt oblata Miniſtris Chriſti, ſed Chriſto, nempè quantum ad proprietatem.

8. Præterquamquòd ſi dominium præfatum illorum bonorum non eſt apud Chriſtum; reperiri debebit apud aliquem alium, ergò vel erit apud Papam, uti Vicarium Chriſti, & Caput Eccleſiæ, vel apud Epiſcopos, vel apud Clericos beneficiarios; Apud hos autem non eſt, quià dominium definitur, quod ſit jus perfectè diſponendi de rè aliquâ corporali (*f*), hoc jus autem non eſt apud eos, ut ſic ſumptum, illimitatè ſuſceptum, & ad omnes effectum, etiam irrationabiles, quià ipſi non poſſunt de talibus rebus totalitèr diſponere, ut alienare, diſſipare, peſſundare, & in profanos uſus conſumere, quamvis in aliquibus gravibus rerum circumſtantiis, poſſint de illis magìs, vel minùs arbitrari, prout bono Eccleſiæ judicant expedire, quo caſu non ipſa bona diſtrahunt, ſed cum utilitate, quæ provenit ipſi Eccleſiæ commutant. Cęterùm generalitèr, nec etiam Papa eorum eſt abſolutus dominus, ſed ſolummodò ſupremus adminiſtrator (*g*). De Epiſcopis poſteà, & beneficiariis contenditur à quibuſdam, tùm Theologis (*h*), tùm Canoniſtis (*i*), & cum his à Contradictoribus pleno calamo, quod apud eos, nec etiam ſit dominium uſufructus eorumdem bonorum, ſeu fructuum, quos ex bonis ipſiſſimis percipiunt; Quomodò autem ſtare poteſt, quod Epiſcopi, & Clerici ſint domini proprietatis bonorum eccleſiaſticorum; ſi negatur eis dominium fructuum, qui ex ipſis bonis proveniunt? Parum relevante objecto Cardinalis de Lugo, quod ſi poſſet referri dominium proprietatis hujuſmodi bonorum Chriſto immediatè; poſſent etiam donari bona ſimilia animæ ſeparatæ alicujus defuncti, quâ factâ donatione, nullus poſſet uti talibus bonis, ſine licentiâ ipſius animæ, quam impoſſibile eſſet habere (*l*); Nàm bona, quæ Chriſto donantur, licèt ei abſenti tradantur; porriguntur tamen ejus Miniſtro pręſenti, & pro Chriſto acceptanti, nempe Antiſtiti habenti ex dignitate ſuâ mandatum generale a Chri-

(a) *Cap. res Eccleſię 12. qu. 1. c. cum ſecundum de præbend.*

(b) *Arnulf. Lexovienſ. oration. in Conc. Turon. an. 1163.*

(c) *Conc. Erceſtrenſ. an. 1287. c. 18*

(d) *Card. de Lugo de Juſtit. to. 1. diſp. 3. ſect. 1. num. 1.*

(e) *Bartol. in l. non ſolum §. liberationis n. 7. de liber. leg. Alexād. conſ. 218. n. 4. l. 2. Lotter. de re benef. l. 2. qu. 8. num. 44.*

(f) *Bonacin. tom. 1. diſp. 4. de oblig. benef. pu. 1. n. 2. Baſſeus Verb. Dominium 1. n. 1*

(g) *S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 1. ad 7. & ibi Cajet. Reginald. lib. 30. tr. 3. n. 62. de Lugo de de Juſt. diſp. 4. ſect. 1. num. 7.*

(h) *Major in 4. diſp. 24. qu. 16. & 17. Alenſis p. 3 qu. 36. memb. 5 ar. 2 Capiſuc. controv. ult. de oblig. Eccleſ. ad eleemoſ. § 1*

(i) *Abbas in c. cum ſecundum de prębend. nu. 2. & 4. Zabarel. in Clementin. quia cōtingit de relig. dom qu. 2.*

(l) *Card. de Lugo de Incarn. diſp. 31. ſect. 2. n. 22.*

à Chriſto, acceptandi, & adminiſtrandi bona ipſimet Chriſto donata, ac de illis ſecundùm divinas leges, & canonicas diſponendi. Et certè ſi pro quolibet Orbis Magnate poteſt ejus Oeconomus, imò & quilibet ordinarius Tabellio, ex officio acceptare bona illi donata, quæ non evadunt Oeconomi, neque Tabellionis, ſed Magnatis; cur queſò non poterit pro Chriſto ſtipulare, & acceptare donationem Antiſtites Eccleſiæ, qui eſt Miniſter, & Oeconomus Chriſti, & Cuſtos, cui bona eccleſiaſtica committuntur (*a*)? Hæc autem non ſuccedunt in animâ ſeparatâ, quippè hæc non habet miniſtrum à ſe deputatum in mundo ad acceptandas pro eâ donationes, & miniſtranda bona ſibi donata.

(a) *S. Thom. 2. 2. qu. 63. art. 8. in corp.*

9. Quoniàm autem ad probandum, quod dominium bonorum eccleſiaſticorum pertineat ad univerſitatem fidelium, Eccleſiam, cui data ſunt, componentium; non piguit Contradictores multas paginas infercire; oportet ut & nos hanc quæſtionem non parciùs tranſeamus: hìc propterea inſuimus opportunè, quæ Martinus ab Azpilcueta, cognomento Navarrus, apologeticè de hoc ſcripſit, dicens de ſuo Antagoniſtâ, nempè Sarmiento (*b*): *Novè, ac falsè affirmat, quod non ſolum redituum bonorum eccleſiaſticorum, ſed etiam eorundem, etiam ſtabilium, ſeù immobilium verum dominium eſt penès beneficiarios: quæ falſa, & inſolens concluſio eſt, quià imò eſt ſolius Dei, & domini noſtri Jeſu Chriſti, quod irrefragabilitèr eſſe tenendum probo: Primò quod communis opinio id habet, & nemo Catholicorum, quos ego legerim &c. affirmavit dominium, ſaltem ſtabilium, ſivè immobilium, & mobilium, Eccleſiæ uſibus deputatorum, eſſe penès beneficiarios: & ab opinione communi, in quam omnium Doctorum Catholicorum conſenſus concurrit, non eſt recedendum, cap. de quibus 20. diſt. &c. Secundò quod Summi Pontifices, quorum auctoritas eſt irrefragabilis cap. ſi Romanorum 19. diſt. cap. hæc eſt fides 24. qu. 1. aſſerunt illa eſſe patrimonium Chriſti in cap. cum ſecundum de præb. & in cap. cum ex eo de elect. in 6. eſſeque pecunias Chriſti cap. 1. 12. qu. 2. &c. Tertiò quod omnia ſacra ſunt ſolius Dei l. inter ſtipulantem §. ſacra de verb. oblig. &c. At omnia bona eccleſiaſtica ſunt ſacra quartæ ſpeciei ſacrorum, ſecundum D. Thomam receptum in 2. 2. qu. 99. art. 3. &c. Et probatur efficacitèr, eo quod qui ea furatur, aut rapit, dicitur ſacrilegus cap. prædia, & cap. qui abſtulerit, & cap. nulli 12. qu. 2. Probatur item eo quod ratio, cur bona ſacra, dicuntur eſſe nullius, eſt quià ſolius Dei ſunt d. §. nullius, Inſtit. de rer. diviſ. Non quidem ità nullius, ut occupantis fiant &c. Sed ità, ut nullius hominis puri, vel hominum ſint, ſed Dei tantum, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, non quidem eo ſolo nomine, quo omnia ſunt ejus, juxtà illud Domini eſt terra, & plenitudo ejus, Pſal. 23. & cap. quo jure 8. diſt. ſed etiam eo quod nemo alius eſt dominus eorum &c.*

(b) *Garcia de benef. p. 2. c. 4. n. 3*

10. Proſequitur in ſuo eloquio Navarrus, & ait; *Quartò quod ratio, quarè nulli Prælati, etiam Papa poſſunt ſinè causâ juſtâ, ſtabilia alienare, eſt quià ſolus Chriſtus, & nemo alius eſt verus dominus, & eorum nemini facta eſt facultas alitèr alienandi ea, juxtà cap. nulli, de reb. eccl. non alien. & cap. non liceat Papæ 12. qu. 2. Quintò quod ratio, proptèr quam cum juſtâ causâ id facere poſſunt per eadem jura, eſt quià ſunt procuratores, & adminiſtratores conſtituti ab eo ad adminiſtrandum ea, ſecundum mentem, & intentionem ejus immediatè, vel mediatè. Immediatè quidem, ut Papa, & Eccleſia univerſalis: mediatè, at alii Prælati, & beneficiarii, miniſterio Papæ, vel Eccleſiæ univerſæ conſtituti: immediatè, vel mediatè, quià causâ juſtâ interveniente, videtur ipſe Dominus Jeſus conſentire, & res agi juxtà mentem ejuſdem: ſicut & procurator Cæſaris ſinè ipſius conſenſu, & mente, res ejus alienare non poteſt, & cum eo poteſt l. 1. ff. de off. procur. Cæſar. & l. idem Julianus §. conſtant ff. de leg. 1. & cum juſtâ causâ id faciendi contingit, videtur Cæſar id velle per eaſdem leges* (*c*). Alias ſubnectit rationes Navarrus, quas brevitati ſtudentes omittimus. Undecimam tamen non tacemus, quæ ſic ſe habet: *Donata, & relicta legitimè ab eorum dominis, fiunt eorum, quibus dantur, aut relinquuntur l. traditionibus C. de Pact. §. per traditionem, Inſtitut. de rer. diviſ.*

(c) *Navar. to. 1. tr. de red. Eccl. qu. 1. monit. 40. à n. 1*

At

Digitized by Google

At bona omnia eccleſiaſticâ ſunt legitimè ab his, quorum erant, donata, oblata, vel relicta Deo, vel Chriſto, vel ejus intuitu, & nomine, Eccleſiis, vel miniſtris ejus, tamquàm ejus vicariis, procuratoribus, vel diſpenſatoribus, mediatis, vel immediatis, quod idem eſt arg. l. ſi procurator ff. aquir. rer. domin. ergò facta ſunt ejus; imò cum privilegio, per quod antè quæſitam poſſeſſionem, etiam quoàd dominium quæruntur l. fin. C. de ſacroſ. Eccl. Ergò ſunt ejus, & quidem jure Divino, & naturali, præſuppoſito rerum dominio jure gentium introducto cap. jus gentium 1. diſt.

11. Aliam ſubjungit rationem idem Auctor, non omittendam, ſubdens: *Duodecimò tandem quià expreſſè Concilium Tridentinum, ſeſſ. 25. cap. 1. definit omnes Eccleſiæ res eſſe Dei, & ità jam non videtur licere contrarium tenere, neque opinari* (*a*). Itàque ſecundum Navarrum, jura, quæ aſſerunt, bona eccleſiaſtica *eſſe Chriſti, vel Dei, intelligenda ſunt quoàd verum, & perfectum dominium: & illa, quæ inſinuant eſſe Eccleſiæ, Prælatorum, aut Beneficiariorum, intelligenda ſunt quoàd gubernationem, vel adminiſtrationem illorum. Et ea, quæ habent, illa eſſe pauperum, Eccleſiarum, vel operum piorum, intelligenda ſunt quoàd eorum ſuſtentationem: ità quod verus, & perfectus dominus eſt Jeſus Chriſtus: Gubernatores autem inſtar procuratorum, & tutorum, cum facultate sè de illis alendi, ſunt Beneficiarii: Pauperes verò Eccleſię, & opera pia ſunt Creditores quidam, quorum ſuſtentationi eorum reditus, deductis oneribus, debeantur* (*b*). Conſimilia protulerat Navarrus in eodem tractatu qu. 1. monit. 21. & poſteà idem repetiit qu. 2. monit. 2. utrobique conſtantiſſimè affirmans, dominium bonorum eccleſiaſticorum eſſe unicè penès Chriſtum. Eundem ſenſum de horum bonorum dominio, & proprietate habuerunt Abbas Panormitanus (*c*), Melchior Lotterius (*d*), & alii hucuſque citati. Et ſi omnium Doctorum auctoritas deeſſet, rationes per nos allatæ, validiorem omnibus Doctoribus auctoritatem efficiunt, ac ſeriò ponderatę cuncta fundamenta contrariæ opinionis evertunt.

12. Nèc abnuere debent Contradictores ingenuè confiteri, dominium bonorum eccleſiaſticorum eſſe ſolum penès Chriſtum, quippè ipſi, ut innuimus, hac ratione utuntur ad probandum, Clericos non eſſe dominos rerum Eccleſię, ſeù fructuum, quos ex beneficiis percipiunt, ſed ſimplices adminiſtratores, ut eos vocat S. Hieronymus, dicens, *quidquid habent Clerici, pauperum eſt, & domus illorum omnibus debent eſſe communes* (*e*), & fuſiùs S. Proſper, ſivè Julianus Pomerius, quiſquis eorum auctor eſt libri de vitâ contemplativâ, clamans de antiquis Clericis, *non ut poſſeſſores, ſed ut procuratores, facultates Eccleſiæ poſſidebant: & idcircò ſcientes nihil aliud eſſe res Eccleſiæ, niſi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vendicaverunt in uſus ſuos ut proprias, ſed uti commendatas, pauperibus diviſerunt. Quod habet Eccleſia, cum omnibus nihil habentibus commune habet: nec aliquid indè eis, qui ſibi de ſuo ſufficiunt, erogat, quando nihil aliud ſit habentibus dare, quam perdere* (*f*): quos tamen Patres dicendum eſt non loqui ſcholaſticè, ſed declamatoriè: non ad modum Thologi, ſuſtinentis id, quod ſecundum rationem defendibile eſt à peccato: ſed ad modum Concionatoris, perſuadentis ſemper id, quod eſt tutiùs, & perfectiùs, & impugnantis nedum vitium, ſed etiam quidquid habere poteſt, vel umbram vitii, vel ſymboleitatem cum vitio.

13. Nec errabimus, ſi dicemus, utrumque Patrem per exceſſum eſſe locutum; cum pluſquam certum ſit apud doctos, illudque adnotat etiam Vincentius Lerinenſis, Patres aliquandò, concionis fervore inflammatos, aliqua protuliſſe, quæ vel cum fide rigorosè non cohærent, vel ſecundùm principia Theologica non ſubſiſtunt (*g*). Ità cum D. Hilarius docuit, Chriſtum fuiſſe omnis doloris expertem (*b*), certè exceſſit in verbo, quià de facto Chriſtus dolores pluſquam vehementes ſuſtinuit: attamen compatibile eſt dictum D. Hilarii, quià loquebatur adversùs Arrianos, qui idcircò negabant Chriſtum eſſe Deum, quià fuerat dolores multos expertus, quorum Divinitas non eſt capax. Ità etiam cum D. Joannes Chryſoſtomus

ſuaſit

(a) *Navar. loc. cit. ad num. 34.*

(b) *Navar. ubi ſupr. num. 12.*

(c) *Abbas in c. cum ſecundum de præb. n. 4*

(d) *Lotter. de re benef. l. 3. qu. 4. n. 57*

(e) *Cap. quoniam 16 quæſt. 1.*

(f) *S. Proſper de vita contempl. l. 2. c. 9*

(g) *Vide Petr. Annat. Method. ad Theol. l. 4. art. 4. n. 4*

(h) *S. Hilar. Pictav. l. 10. de Trinit.*

ſuaſit cunctos, tametſi de minuto populo incumbere ſtudio Sactæ Scipturæ exceſſit, quià bonum non eſt divina myſteria in ore opilionum, aliorumque de vili plebeculâ reſonare, qui non ſunt capaces de iiſdem congruè judicandi: undè D. Hieronymus declamabat: *Agricolæ, cæmentarii, fabri metallorum, lignorumque cæſores, lanarii quoque, & fullones &c. abſque doctore eſſe non poſſunt &c. ſola Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vindicant &c. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſos, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant* (*a*). Attamèn tolerabile eſt dictum D. Chryſoſtomi, quià ad evertendam hominum multitudinem à ſpectaculis, & theatris, laudabile cenſuit eam hortari ad aſſiduè potius volutandos Biblicos libros: opus iſtud ut in ſè laudabile cenſens, nec tùnc reflectens ad incommoda, quæ indè Eccleſiæ poterant provenire. Hanc ipſam loquendi phraſim adhibuit ipſemet Chryſoſtomus in homiliâ, quadam, cum dixit: *per exceſſum locutus eſt* (*b*). Hacque ipsâ de rè infrà redibit ſermo (*c*). Eodem igitur modo, & affirmare D. Hieronymum, ac D. Proſperum exceſſiſſe, cum Clericos prędicarent, non eſſe dominos fructuum eccleſiaſticorum, ſed ſimplices adminiſtros; nec eſt extrà orbitam veritatis, neque à veriſimili aberrat.

(a) *S. Hieron. epiſt. ad Paulinum.*

(b) *S. Jo. Chryſoſt. homil. 66 in Joann.*

(c) *Vid. infrà in hoc Tomo cap. 11. num. 1. & ſeq.*

14. Tanto magìs, quod ubi agitur de bonis, tam eccleſiaſticis, quam ſęcularibus, ex quibus pars aliqua eſt pauperibus eroganda, de facto Patres interdùm piè in ſuis concionibus exceſſere. Nàm ipſe D. Joannes Chryſoſtomus eoùſque in perorando peruerit; ut non dubitaverit profiteri, bonorum etiam laicalium, & patrimonalium non eſſe Dominos divites orbis, ſed ſimplices adminiſtros: *opinio quædam*, inquit, *erronea, aggravata mortalibus auget crimina, minuit bona. Ea verò eſt opinari, quod ea, quæcumque poſſidemus, in uſu vitæ poſſideamus, ut Domini, & ideò etiam opportunè ea apprehendimus, tamquam bona præcipua. Sed contrarium eſt; non enim nos ut Domini, in vitâ præſenti collocati ſumus in propriâ domo, ſed tamquam hoſpites, & advenæ, quo nolumus ducimur, & quo tempore non putamus, qui nunc locuples eſt, in brevi mendicus. Ergò quicumque ſis, noveris te eſſe diſpenſatorem alienorum, & tranſitorii uſus, & brevis, tibi jura conceſſa ſunt. Abjecto ergò ab animâ Domini faſtu, ſumas humilitatem, & modeſtiam villici* (*d*). Similia habet S. Cæſarius Arelatenſis, ità in homiliis declamans: *quæcumque Deus, excepto mediocri, & rationabili victu, & veſtitu, ſive de quacumque militiâ, ſive de agriculturâ contulerit; non tibi ſpecialitèr dedit, ſed per te pauperibus eroganda tranſmiſit. Si nolueris dare, noveris te res alienas auferre: quidquid ſuperfuerit, Deus noſter, pauperibus erogandum tranſmiſit &c.* (*e*). Hæc Cæſarius, & Chryſoſtomus Homiliaſtæ in ſuis declamationibus. Theologicè tamen, & de rigore, poteſt ne aſſertivè proferri, laicos non eſſe dominos ſuorum bonorum, & ab eleemoſynis deſiſtendo, non propria retinere, ſed ſurripere aliena? Imò nedùm aliena rapere, ſed & pauperes enecare? Abſit (*f*): & tamen primum aſſeverant præfati Patres; & ſecundum, ipſe D. Cæſarius (*g*), atque D. Hieronymus profitentur (*h*).

(d) *S. Joan. Chryſoſt. apud S. Thomam in Caten. aur. Lucæ 16. in princ.*

(e) *S. Cæſar. Arelatenſ. homil. 21.*

(f) *Valent. to. 3. diſp. 10. qu. 3. pun. 7. §. quod Card. de Lugo de juſt. & jur. diſp. 4. ſec. 1. n. 5*

(g) *S. Cæſarius Arelat. homil. 9.*

(h) *S. Hieron. in epiſt.*

15. Quantis autem clamoribus Patres Eccleſiæ, Clericis beneficiariis dominium abſtrahere ſint conati bonorum, ſeù fructuum, quos de Sacerdotiis ſuſcipiunt, eſt ſuperfluum recenſere, cum hęc ſint ſole ipſo notiora. Arnulphus Lexovienſis in Concilio Turonenſi ſub his terminis peroravit: *Poſſumus licitè divitias poſſidere, ſi tamen earum nos non reputaverimus dominos, ſed miniſtros: ſi intellexerimus, patrimonium pauperum eſſe patrimonium Chriſti, ſi proventibus Eccleſiæ, ſi pauperum neceſſitatibus erogantur. Alioquin fures, & latrones nos ratio manifeſta convincet, ſi res alienas invitis dominis, noſtro præſumpſerimus arbitrio contrectare* (*i*). Gaufridus Clarevallenſis hæc aliquandò Clericorum beneficiariorum auribus intimavit. *Eſto ſtudioſè quis, & fructuoſè laboret, dignus eſt operarius mercede ſuâ, & qui altario ſervit, de altario vivat: Vivat inquam, de altario, ut juxtà eundem Apoſtolum, alimenta, & quibus tegatur habens, his contentus ſit &c.*

(i) *Arnulf. Lexov. Serm. in Concil. Turon. an. 1163.*

Ret

Res pauperum non pauperibus dare, par ſacrilegio crimen eſſe dignoſcitur. Sanè patrimonia ſunt pauperum, facultates Eccleſiarum; & ſacrilegâ eis crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi miniſtri, & diſpenſatores, non utique Domini, & poſſeſſores, ultrà victum accipiunt, & veſtitum (*a*). S. Bernardus Fulconi puero ſcribens, poſteà Archidiacono Lingonenſi, intèr cætera illum hâc allocutus eſt monitione: *Conceditur tibi, ut ſi benè deſervis, de altario vivas, non autem ut de altario luxurieris, ut de altario ſuperbias &c. Deniquè quidquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum, de altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt* (*b*).

(a) *Gaufrid. Clareval.ſ.17.Declam.*

(b) *S.Bernard.epiſt.2.*

16. Hæc tamen, & ſi quę alia ſunt dicta Patrum, Beneficiariis dominium ſuorum fructuum detrahentia, eiſque furti, ſacrilegii, rapinę &c. culpam inferentia, quoties eleemoſynis non indulſerint, & pauperibus non ſubvenerint; emphaticè dicta ſunt, ex abundantiâ cordis, & per quendam exceſſum; quem vocat Cardinalis de Lugo, *piam exaggerationem* (*c*), cum in ratione ſanę Theologię, vera non ſint, nec defectus ibi carptus, malitiam habeat vitiorum, quę illi tam deformitèr imputantur: quamquàm aliàs culpam contineat, vel mortalem, vel venialem, pro gravitate, & levitate defectus. Et ità ſentiendum eſt de cunctis conſimilibus ejulatibus, per Patres Eccleſię prolatis, qui poſt factam diviſionem bonorum eccleſiaſticorum in ſuas partes, ità adversùs beneficiarios conclamarunt (*d*). Quoàd alios verò, qui pręventivè ſcripſerunt, uti S. Hieronymus, & Proſper, ſuperiùs memorati, qui antè annum Chriſti 471. floruerunt, quo circitèr tempore, bonorum ut ſuprà in partes facta eſt diviſio (*e*), de his pręter pium exceſſum, quo notari poſſunt; ſufficiat dicere, ipſos antè diviſionem bonorum talia dictitaſſe, nec beneficiarios impetiviſſe, ſed Oeconomos, & diſpenſatores, qui bona non æquâ lance, & meritorum, ac juſtitiæ ſervatâ menſurâ, ſed vel pro libito, vel immeritis, vel ultrà ęquitatem, vel in uſus incongruos erogabant. Clamoroſâ imputatione, juſtâ accuſatione, pulſatus eſt in Concilio Chalcedonenſi Ibas Epiſcopus Edeſſenus, eo quod pecuniam, captivorum redemptioni deſtinatam, ſuis uſibus applicaſſet: proventus quoque Eccleſię ſibi appropriaſſet, ut his ſuos conſanguineos impinguaret: Danielem itidem nepotem ſuum in Epiſcopum Helenopoleos conſecraſſet, qui & ipſe ſtatim opes Eccleſię in poſtribula diſſipavit: Ac tandèm teſtamento res eccleſiaſticas Concubinę ſuę nepotibus delegaſſet. Quarè Concilium juſſit, ut inpoſterùm bona Eccleſię ab Oeconomo ſub Epiſcopi auctoritate miniſtrarentur (*f*).

(c) *Card.de Lugo de juſt. & jure diſp.4.ſec.1.n.5.*

(d) *Card.de Lugo loco cit.*

(e) *Baſſeus Flor. Theol.p.1. verb.dominium in ſupplem.n.10.*

(f) *Concil. Chalcedonenſ. Action.9.*

17. In hoc idem recidunt, quę Iſidorus Peluſiota, conferendo fædam ſui temporis bonorum Eccleſiæ adminiſtrationem, cum eâ, quæ à primævis Præſulibus habebatur, ità vocem attollit: *Tunc virtute præditi Sacerdotio admovebantur; nùnc avari, & pecuniæ cupidi. Tunc imperia, dignitateſque, ob rei magnitudinem defugiebant, ut Nazianzenus, Chryſoſtomus, & alii; nùnc verò ſpontè aſſumunt, ob delitiarum copiam, atque invadunt. Tunc voluntariâ paupertate gloriabantur, nùnc habendi cupiditate ſpontaneâ quęſtum faciunt. Recidiſſe jam Sacerdotii dignitatem ad regnandi cupiditatem apparet, ab humilitate ad ſuperbiam, à jejunio ad delitias prolapſam, à diſpenſatione denique ad dominium veniſſe. Non enim ut diſpenſatores adminiſtrare rem volunt, ſed ut Domini ſibi propria vindicant &c.* (*g*). Invectus eſt autem contrà Epiſcopos, & Oeconomos, malè adminiſtrantes reditus eccleſiaſticos, quorum tùnc ſimul tota cura ad Præſulem pertinebat, nondùm factâ diviſione prædiorum intèr Clericos beneficiarios; ſuâque vociferatione perſtrinxit tùm Euſebium Epiſcopum, tùm Martinianum Eccleſiæ Peluſienſis Oeconomum; hunc ſacri peculatus reum, illum, ob computa Martiniani probata, vel criminis complicem, vel craſſæ inadvertentię culpabilem. Detulit ipſe utrumque S. Cyrillo Alexandrino, ut tamquàm Ægypti Patriarcha, Oeconomum ab Epiſcopatu petito arceret, ac Euſebium ob ſocordiam in adulteris rationibus probandis argueret, interimque procuratorem deputaret, apud

(g) *Iſidor. Peluſiot. l.5.epiſt.21.*

quem

quem in futurum ſollicitudo eccleſiaſticorum proventuum permaneret (*a*).

18. Ità Sancti Patres, vel per ſolum pium exceſſum, dominium bonorum Clericis abſcindebant, poſt factam beneficiorum diviſionem; vel antè illam Oeconomos, & Epiſcopos, eorum diſpenſatores carpebant, nè abſorptis in proprios uſus facultatibus eccleſiaſticis, Clericos ſtipendiis, & pauperes eleemoſynis defraudarent. Cum aliàs Clerici quidquid ſportulæ antè dictam diviſionem, ex bonis Eccleſiæ, uti præmium ſui laboris, ab Oeconomis percipiebant, & quidquid etiam nùnc de opibus eccleſiaſticis, vel ex miſſarum celebratione, vel ex officii cantu, & pſalmodiâ chorali, vel ex funeralibus, vel ex capellaniâ amovibili, aut aliàs quomodolibet pro ſacro munere, tamquam ſtipendium, ſine beneficio adipiſcuntur; intèr eorum bona quaſi patrimonialia computetur, quorum dominium totale apud ſe habent, uti communitèr docent, tam Theologi (*b*), quam Canoniſtæ (*c*). Nec jam minùs communis eſt etiam opinio, quod Clerici beneficiarii ſint, non ſimplices adminiſtratores, ſed pleniſſimi proprietarii, cum integro dominio, fructuum, quos ex ſuis præbendis percipiunt, & ità ex Theologis docent *S. Thom.* 2.2. *qu.*185. *in corp. & ad* 1. *&* 2. *Gabr. in* 4. *diſt.*15.*qu.*8.*art.*2. *concl.*4. *Major. in* 4. *diſt.* 24.*qu.*17. *Card. de Lug. de juſt. & jur. diſp.* 4. *ſec.*1. *n.*2. *Bannes* 2. 2. *qu.*32. *art.*6. *Valent. tom.*3.*diſp.*10.*qu.*7.*pun.*7.*Sayr.l.*4.*de redit.Eccleſ. Dian. par.*5.*tr.*8. *reſ.* 31.*Caſtropol.tom.*1.*tr.*6. *diſp.*2.*pun.*6.*n.*2.*Turrian.*2. 2. *tom.* 1. *diſp.*82. *dub.*10. *Sotus de juſtitia l.*10.*qu.*4.*art.*3. *Leſſius l.*2.*cap.*4.*dub.*6. *Molina to.*1.*tr.*2.*diſp.*143. *Coninch. de fide, ſpe &c. dub.*11.*num.*185. *Lorca* 2.2.*ſec.*3.*diſp.*40.*num.*23. *Filliuc. de benefic.tr.*41.*cap.*6.*qu.*8.*Layman.tr.*2. *de benefic.eccl. c.*3. *num.*2. *Baſſæus Verb. dominium* 1.*num.*12.§.*altera.Bonac. tom.*1.*diſp.*4.*de oblig.benefic. pun.* 1. *num.*5.*Reginald.l.*30.*tr.*3.*num.*78. cum aliis ab his citatis. Ex Canoniſtis verò, *Garcia de benef.p.*2.*c.*1.*num.*5.*&* 7. *Menoch.de arbitr.caſ.*435.*Covarru.in c.cum in officiis de teſtam.Guttierez.pract.quæſt.lib.*2.*qu.*114. & alii plurimi.

19. Moventur hi Doctores variis rationibus, verè probantibus, dominium fructuum beneficiorum eſſe apud beneficiarios: & præſertim primò, quia ſi beneficiarius locet fructus præbendæ, conductor habet dominium fructuum locatorum, ergò ipſum dominium antè locationem oportet fuiſſe apud beneficiarium, quia alioquin locator transferret in conductorem plus juris, quam ipſe habeat, contrà textum *in cap. nemo poteſt, de regul. juris in* 6. (*d*). Secundò quia in Concilio Tridentino ſeſ.23.c.1. & ſeſ.24.c.12. in Concilio Lateranenſi V. ſeſ.9.can.10. in Bullâ 138. S.Pii Papæ V. in cap.unic. de Cleric. non reſiden.in cap. commiſſa de elect. in 6.& alibi in Jure dicitur, beneficiarios facere fructus ſuos, ſi adimpleant ea, quæ inibi ſunt præſcripta: Si ergò faciunt fructus ſuos, non ſunt ſimplices eorum adminiſtratores, ſed etiam Domini (*e*). Tertiò, quia alias deberent irritę declarari, & reſcindi omnes donationes, alienationes, & contractus, per ipſos beneficiarios initi in uſus non pios ex fructibus eccleſiaſticis, quod tamen nunquam factum fuit, nec fit; nec ſuper tali rè lis ulla intentatur: ſupponitur ergò quod beneficiarius dominium habeat ipſorum redituum (*f*). Quartò, quia ſi beneficiarius non haberet dominium proventuum ſuæ præbendæ, hi poſt ejus mortem ab inteſtato non pertinerent ad ipſius hęredes, uti pertinent ex generali conſuetudine (*g*). Quintò quia Eccleſia nunquàm determinavit, quod ad beneficiarios ſolùm pertineat jus adminiſtrandi ſuos reditus, abſque ullo in eis dominio, quo nec jure naturę, nec jure poſitivo, conſtat eos eſſe privatos (*h*). Sextò quia ſi beneficiarii dominio carerent proventuum ſui beneficii, ſequeretur quod pauperes poſſent illos judicialitèr convenire ad dandam eis partem præfatorum redituum; quod quis dicere audebit?

20. Demùm, quia ſi beneficiariis deeſſet dominium ſuorum fructuum, ſequeretur, quod ipſi non erogando ſuperflua in pauperes, vel uſus pios, nedùm peccarent, ſed etiam tenerentur ad reſtitutionem, quod an in bonâ Theologiâ ſubſiſtat, doctus Lector dijudicet. Capizuccus non formidat hoc ut indubitabile aſſerere, dicens,

(a) *Iſidor. Peluſiot.*

(b) *Major. in* 4.*diſt.* 24 *qu* 17.*Conel.*4.*Baſſeus V. dominium* 2. *supplem. n.*11. *Bonac. tom* 1 *diſp.*4. *de redit. Eccl.pu.*1. *n* 4.*Laymā. trac.* 2. *de Eccl.benef. c.*3.*n.*2.

(c) *Innoc. in c. quia nos.de teſtam. Abb. in cap.cum in officiis n.*8 *de teſtam Covarruv.in eod.capit.& titul.n.*14

(d) *Baſſeus ubi ſupra n.*12.*Bonacin.loc.citat.*

(e) *Idem Bonacin.eod. loc.n.*5.

(f) *Card.de Lugo de juſt.& jur diſp.*4. *ſec.* 1.*n.*4.§ *ſecundo probatur*

(g) *Bonac. to.*1.*diſp.* 4.*de redit.Eccleſ.pun.* 3.*n.*3.

(h) *Card. de Lugo loc.mox.citat.*

Digitized by Google

cens, *Epiſcopos, & beneficiarios eccleſiaſticorum redituum ſuperflua in pauperes, & in alios pios uſus non erogantes, nedùm contrà charitatem peccare, ſed etiam contrà juſtitiam, & ad reſtitutionem teneri* (a). Layman quoque eâdem obligatione reſtituendi, beneficiarios ſic ut ſuprà coarctat (b), ſimilem opinionem tenuerunt quidam alii antiquiores: Quibus tamèn omnibus nos unum pro multis opponimus D. Thomam in terminis terminantibus affirmantem, quod beneficiarius in uſus non pios conſumens reditus ſuæ præbendæ, *non committit peccatum, niſi per abuſum, ſicut & de bonis patrimonialibus dictum eſt, undè non tenetur quis ad reſtitutionem, ſed ſolùm ad pœnitentiam* peragendam (c): & alibi ait, Epiſcopi *propriorum bonorum dominium habent: Undè ex ipſâ rerum conditione non obligantur, ut eas aliis conferant, ſed poſſunt eas vel ſibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri: poſſunt tamen in eorum diſpenſatione peccare, proptèr inordinationem affectus, per quam contingit, vel quod ſibi plura conferant, quam oporteat: vel aliis etiam non ſubveniant, ſecundum quod requirit debitum charitatis: Non tamen tenentur ad reſtitutionem, quia hujuſmodi res ſunt eorum dominio deputatæ* (d).

(a) *Raymund.Capiſuc. controv. ultim. de oblig. Eccleſ. ad eleemoſyn §.1.*
(b) *Layman.l.4.tr.2 c.3.n.3.§.ad alteram*
(c) *S.Thomas quodlib.6.qu.8.art.12 ad 3*
(d) *S.Thom. 2 2.qu. 185.art.7. in corp.*

21. Solus, inquam, ſufficit pro multis Angelicus D. Thomas, ad probandum, beneficiarios non teneri ad reſtitutionem, ſi proventus ſuos in pauperes, vel in pios uſus non impendant: Non tamen deſunt alii Theologi, idipſum ſentientes, nempè *Cajetanus, & Seraphinus Capponius in dictum locum Divi Thomæ. Reginal. lib.30.tract.3.n.84. Leſſius l.2.c.4.n.43. Valent.tom.3.diſp.10.qu.3.punct.7. Bonacin. tom.1.de oblig.benef.diſp.4.punct.3.n.1. Molina de juſt.to.1.diſp.144. Baſſæus Verb. Dominium 1.n.12.in fin. Dian.par.5.tract.8.reſol.31. in fin.* & alii. Quibus aſſentiuntur ex Canoniſtis *Covarruv.in cap.cum in officiis de Teſtam.n.3. Guttierez.pract. quæſt.l.3.qu.114. Garcia de benef.part.2.cap.1.n.5.6.7.* cum pluribus ab his allegatis. Ad ſummum ergò dici poteſt, beneficiarios habuiſſe fructus ſuo ſtatui superexcedentes, cum hoc onere præciſo, ut illos in pauperes, & pios uſus impendant, uti ſentiunt Reginaldus (e), Layman (f), & alii: quod tamen ſinè ingenti difficultate non tranſit, apud Valentiam videndâ (g). Sed hâc rè ſuſpenſo nùnc judicio, hoc unum eſt, quod obligatio ingeſta Clericis beneficiariis applicandi pauperibus, aliiſque piis uſibus, fructus ſuo ſtatuti ſuperfluos, quos de beneficiis percipiunt, non ex præcepto juſtitiæ, ſed ex mero charitatis debito proficiſcitur (h).

(e) *Reginald.lib.30. tr.3.n.79*
(f) *Layman.l.4.tr.2 c.3 num 7*
(g) *Valent.to.3.diſp. 10 qu.5.§.Sexto.*
(h) *Valent.ubi ſupr. §.quo denique.*

22. Itàque regrediendo ad argumentum, à quo ex neceſſitate aliquantulum divertimus, falſum eſt, quod bona eccleſiaſtica, tàm quoad dominium, & proprietatem, quàm quoad uſumfructum, & adminiſtrationem, pertineant ad univerſitatem fidelium, illam Eccleſiam componentium, cui bona ipſa fuerunt à Chriſtianis collata. Nàm ex probatis, conſtat laicos, præcisè quà laicos, nullum in eis habere jus. In reliquis quantum ad dominium, reſpectivè ad proprietatem ſpectant ad Chriſtum; quantum verò ad miniſtrationem ſpectant, vel ad Papam, uti generalem, & ſupremum, vel ad Epiſcopum, uti localem, & ſubalternum eorumdem procuratorem, diſpenſatorem, adminiſtratorem, & Oeconomum. Quantum tandèm ad uſumfructum, ſi ſint ſpecialitèr ad uſus pios deputata, uti *Hoſpitalia*, ſive *Xenodochia*, pro peregrinis hoſpitio recipiendis: vel *Orphanotrophia*, pro pupillis, & orphanis alendis: vel *Ptocotrophia*, pro inopibus ſuſtentandis: vel *Brephotrophia*, pro infantibus educandis: vel *Gerontocomia*, pro ſenibus, & invalidis nutriendis (i): vel *Parthenotrophia*, pro virginibus cuſtodiendis (l): vel *Noſocomia*, pro infirmis curandis (m); Horum, & aliorum locorum piorum, reditus, pertinent ad pauperes, à Papâ, vel Epiſcopo, aut ab eis, quibus ipſi auctoritatem indidere, undequàque pro eorum libito, & juxtà ipſorummet pauperum indigentiam, deligendos. Si verò bona ſint in beneficium erecta, ſpectant paritèr quoad uſumfructum ad illos Clericos, undecumque vocatos, quibus, vel Papa, vel Epiſcopus, vel alius eorum vice, ea contulerit in beneficium. Qui Clerici talibus beneficiis adaucti, fiunt veri, & reales domini, non verò ſimplices adminiſtratores fructuum ſuę præbendę, cum

(i) *Cap. in qualibet 23.qu.8. Soto deliber. in cauſ.pauper.c.12.*
(l) *Nicol. du Mortier.Etymolog ſacr.V. Parthenotrophium.*
(m) *Calapin. Verb. Noſocomium.*

onere, ut quidquid eis ſupereſt, præter congruum ſuſtentamentum, pro ratione perſonæ, dignitatis, & loci, in pauperes, vel pios uſus impendant, ex ſolâ tamen lege miſericordiæ, non verò ex debito juſtitiæ. Quod debitum ſicut ipſi licitè adimplent, ſive fructus ſibi ſuperfluos pauperibus, piiſque operibus loci beneficii applicent, ſive extraneis; ità etiam plenè ſatisfit naturæ bonorum, & fructuum beneficii, ſive beneficium ipſum conferatur Clericis indigenis, ſive extraneis, abſque eo quod fidelibus tamquam indigenis, & componentibus illam Eccleſiam, competat ullum jus, velut ex juſtitiâ ad ipſa bona: Non enim eſt major ratio de beneficiis, quam de ipſorum proventibus. Et per hęc totalitèr diſſolutâ, prorſuſque exinanitâ vi quinti argumenti, nobis à Contradictoribus objecti, reſtat in ſuo eſſe libertas Eccleſiæ, quoàd conferenda pro ſuo libito eccleſiaſtica beneficia, tùm Clericis extraneis, tum indigenis.

23. Arguunt *ſexto* loco Contradictores hoc modo: in diſtribuenlis eccleſiaſticis beneficiis attendenda eſt mens eorum, qui bona pro eis fundandis pietatis titulo contulerunt; Sed mens iſtorum eſt, quod beneficia ſolis indigenis conferantur; ergò hęc ſolis Clericis indigenis largienda ſunt, extraneis ablegatis. Major eſt de ſe clara, & probatione non indiget. Minor verò probatur. Illis conferri voluerunt Fundatores beneficiorum prębendas erectas ex bonis, à ſe ideò Eccleſię collatis, ut erigerentur in beneficia; cui voluerunt conferri eleemoſynas ex bonis à sè, ideò Eccleſię collatis, ut in eleemoſynas diſpenſarentur; Sed eleemoſynas ex bonis à sè, ideò Eccleſię collatis, ut in eleemoſynas diſtribuerentur voluerunt exhiberi ſolis indigenis, non verò extraneis; ergò etiam beneficia, voluerunt ſolis Clericis conferri, non verò extraneis: Major eſt evidens ob paritatem rationis inter eleemoſynas, & beneficia. Minor verò probatur. Vel teſtator, ſive collator bonorum ad eleemoſynas faciendas expreſſit, quod hæ pauperibus indigenis porrigerentur, vel non. Si expreſſit, proculdubiò ipſę eleemoſynę ſolis indigenis ſunt tradendę. Si non expreſſit, adhùc eis tradendæ ſunt, quià ſic imperant jura humana: Nàm in *leg. ſi quis* 27. *C. de Epiſc. & Cler.* ſic decernitur: *Ubi autèm indiſtinctè pauperes ſcripti ſunt hæredes, ibi Xenonem ejus civitatis omninò hæreditatem nanciſci cenſemus, & per Xenodochum in ægrotantes fieri patrimonii diſtributionem &c. Si autèm nullus Xenon in civitate inveniatur; tùnc &c. pro tempore Occonomus Sacroſanctæ Eccleſiæ, vel Epiſcopus hæreditatem accipiat, & &c. pauperibus, qui in civitate ſunt &c. eædem pecuniæ diſtribuantur.* Paritèr in Concilio Turonenſi II. anni 570. præcipitur, ut Presbyteri paſcant pauperes proprii loci (*a*). In Concilio Arelatenſi IV. jubentur ali pauperes ad ſe pertinentes (*b*). In Concilio Turonenſi III. idem mandatur, & individuè committitur Epiſcopis ſollicitudinem habere pauperum, & eis congrua ſubſidia de theſauro Eccleſiæ conferri (*c*). Demùm in Concilio Londinenſi præcipitur rectoribus animarum, ut eleemoſynas ſuis parochianis magis quàm extraneis elargiantur (*d*). Ergò eleemoſynę ſunt ſolis pauperibus indigenis conferendæ, & conſequentèr idem fieri debet de eccleſiaſticis beneficiis, extraneis ab eiſdem repulſis.

(a) *Conc. Turon. an. 570. c. 5*

(b) *Conc. Arelat. 4. an 813. c. 14.*

(c) *Conc. Turonenſ. 3. an 813. c. 10. & 11*

(d) *Conc. Londinenſ. an. 1342. can. 3*

24. Reſpondetur *primò* retorquendo argumentum adverſus Contradictores, nàm ſi bona conferenda ſunt juxtà intentionem, quam habuerunt eorum largitores; cum largitores, vel de facto non intenderint, vel ſaltèm non conſtet, quod intenderint, beneficia, & eleemoſynas eſſe ſolis indigenis conferendas; ſequitur quod Eccleſia poſſit illa pro libito, non modò indigenis, verùm etiam extraneis elargiri. Et quidem falſum eſt, quod voluntas Teſtatorum, ſive Donatorum, vel aliàs eorum, qui bona Eccleſiæ tribuerunt, ſive pro eleemoſynis erogandis, ſive pro beneficiis erigendis, eam intentionem, illud in voto habuerint, quod eleemoſynæ pauperibus, & beneficia Clericis indigenis tantummodò conferrentur. Nàm ubi de hâc voluntate expreſsè non patet, potius ſupponendum eſt, bona tradita eſſe Eccleſiæ ſine ullâ conditione, nullo vinculo adjecto, ſed ut liberè de illis Eccleſia ipſa, ſecundum leges canonicas, pro ſuâ prudentiâ, & conſilio poſſet diſponere (*e*),

(e) *Bonacin. tom. 1. diſp. 4. de oblig. benef. pun. 1. n. 4*

Digitized by Google

ità etenim olim liberè, ac ſine ullâ reſtrictione bona Deo in Eccleſiis præbebantur (*a*), nec ullum, neque ulli reſervabatur Juſpatronatus (*b*), ſed bona liberè, in omnibus, & per omnia porrigebantur Eccleſiæ, quæ de illis pro ſuo arbitrio diſponebat. Quarè niſi aliud conſtet, ſupponendum eſt Donatores sè illi priſco ritui uniformaſſe, & ſolo duce intuitu religionis, intendiſſe bona ſua Eccleſiæ conferre, plenariè relictâ in ejus arbitrio facultate illâ erogandi, prout & quibus magis expedire cognoſceret. Deducitur hoc apertè ex Formulis antiquis, impreſſis poſt formulas Marculfi, quarum una ſic se habet: *Donatio ad Caſam Dei &c. Idcircò nos in Dei nomine ille, & conjux mea illa &c. donamus compunctio corde, & devoto animo ad Baſilicam illam &c. rem noſtram in loco nuncupante illo &c. ut poſt hanc diem ipſi Cuſtodes, qui ad ipſum ſanctum locum deſerviunt ipſam rem ſuperius denominatam habeant, teneant, atque poſſideant, vel quidquid exindè facere voluerint liberam, & firmiſſimam habeant poteſtatem ad faciendum* (*c*). In magno quodam, & antiquiſſimo libro Monaſterii Acutiani, ſive Farfenſis, Provinciæ Sabinenſis, quem noſtris oculis intuiti ſumus, continente ſcriptas in membranâ infinitas donationes, conceſſiones, privilegia, inſtrumenta, contractus, & diplomata, edita favore ipſius Cœnobii, ab anno Redemptoris noſtri 705. uſque ad annum 1190. multæ continentur donationes, & exhibitiones bonorum, per teſtatores, aut donatores ipſi Monaſterio delatorum, quas liberè prorſus factas eſſe videre eſt, ac ſine ullâ penitùs obligatione. In unâ Transmundus Dux Spoleti donat ipſi Monaſterio quædam bona, indè ſubdit: *ità ſanè ut ab hac die firmum, & ſtabile ſit in ipſo Monaſterio donum noſtrum, & à nullo actore noſtro aliquo contradicatur, ſed per hoc noſtrum præceptum firmitèr valeatis poſſidere* (*d*). In aliâ editâ tempore Deſiderii Regis Longobardorum, quidam donat bona eidem Cœnobio, & Halano ejus Abbati, ſubdens: *Omnia hæc in Monaſterio S. Dei Genitricis Mariæ, vel tibi D. Halane trado, atque dono, pro remedio animæ meæ*, & *quidquid exindè facere, aut judicare volueritis liberam habeatis poteſtatem, tàm vos, quàm Succeſſores veſtri* (*e*). In aliâ editâ anno 1012. quidam fratres bona donant: *propriâ ſpontaneâ, bonâque voluntate, pro redemptione animæ noſtræ, & genitoris noſtri, & aliorum parentum noſtrorum &c. ad habendum, tenendum, poſſidendum, locandum, & quidquid opus utilitatis fuerit faciendum, in omnibus habeatis poteſtatem* (*f*). In aliâ editâ anno 1100. quidam jugales donant bona, ſubdentes, *cum poteſtate de omnibus, quæ ſuperiùs leguntur introeundi, tenendi, poſſidendi, fruendi, donandi, commutandi &c.* (*g*). In aliâ editâ tempore Gregorii VII. quidam donat bona *in perpetuum, abſque ullâ datione, & reditu, ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ Romanæ &c. pro omnipotentis Dei amore, & remedio animæ*, volens quod res donata *ſit dimiſſa, & ſecura, ac libera, abſque ullâ conditione &c.* (*h*).

25. Vides quod bona Eccleſiæ, ſi conſiderentur, ut à principio eorum donationis, porrigebantur liberè, abſque ullo onere ipſa erogandi hoc, vel illo modo; in hunc, vel illum effectum; huic, vel illi Clerico, vel pauperibus, ſed tota eorum diſpoſitio fidei Eccleſiæ committebantur, ejus prudentiæ, illius arbitrio ſinebatur, ut prout ſibi magis opportunum eſſet de præfatis bonis diſponeret. *Quod dicitur*, ait Valentia, *data fuiſſe à fidelibus eccleſiaſtica bona Miniſtris, ſub conditione, ut provideant pauperibus, non eſt ſatis firmum. Nam primò ſi ità eſſet, ſequeretur eccleſiaſticos, qui ſuperflua pauperibus non dant, nullius omninò partis redituum, acquirere dominium, deficiente nimirùm donationis conditione: ac proindè ne ejus quidem partis redituum eſſe Dominos, quæ ipſis eſt neceſſaria ad decentem ſuſtentationem, id quod &c. minimè poteſt aſſeri ſine abſurditate. Deindè quamvis eo etiam animo fideles dederint ea bona, ut ex illis quoque provideretur pauperibus; tamen minimè conſtat id intendiſſe fideles, vel tamquam finem principalem, vel tamquam conditionem, ſine quâ nollent donare. Quin potiùs videntur in eâ donatione principalitèr intendiſſe ſolùm cultum, & honorem Dei in ſuis Miniſtris, ſuſtentationem autem pauperum per providentiam Miniſtrorum videntur reſpexiſſe tantummodò, ve-*

(a) *Cap. noverint.* 12 *quæſt.* 1
(b) *Vid ſupr. tom.* 2. *c.* 24. *n.* 17. 18. 19
(c) *Formul.* 17. *quæ eſt poſt. formul. Marculf.* 49. *in Bibliot. Patr. tom.* 16. *f.* 46
(d) *Codex Monaſt. Farfenſis n XI.*
(e) *Idem numer. LXXVII. vel* 77
(f) *Idē f. MCLXVI ſeu* 1166.
(g) *Idē f. MCLXVIIII vel* 1169.
(h) *Ibidem fol.* 1197.

lut quoddam ejus donationis motivum ſecundarium. Atque itò, videtur illa donatio eâ intentione facta, neque cauſalis, neque conditionalis fuiſſe, ſed ſolùm modalis, ut vocant, ex quâ, proptèr defectum modi, ſeu motivi, nulla oritur obligatio reſtituendi, quod dono acceptum eſt &c. Ac poteſt hoc ipſum probari ex eo, quod donationes factę Eccleſiis à fidelibus abſolutè videntur fuiſſe factæ ad tuendam dignitatem illarum, & Miniſtrorum: neque conſtat fuiſſe alicujus portionis dominium pauperibus reſervatum. Hoc videri poteſt ex formâ donationum antiquarum, quarum memoria extat &c. (*a*).

(a) *Valent. to. 1. diſp. 10 qu. 3. pun. 7. §. quod deniq.*

26. Porrò Eccleſia Dei ſuaptè naturâ eſt libera, quemadmodùm decernit Apoſtolus (*b*), & uno eloquio Patres conclamant (*c*), ergò etiam beneficia ſunt libera, nec illis ulla ſervitus eſt ingerenda, quàm ex ſuâ conditione non habent (*d*): Ergò ſi non conſtat fundatores eâ præciſâ conditione bona ſua Eccleſiæ delegaſſe, ut ſivè in eleemoſynas, ſivè in beneficia conferrentur tantùm indigenis; eccur Eccleſiæ hoc onus, hoc pondus eſt imponendum? In nullâ humanâ donatione, ſi non ſit expreſſa aliqua conditio, ſivè clauſula, gravamen importans, unquàm intelligitur appoſita, nec donatarius eâ poteſt legitimè devinciri; cur ergò ſola Eccleſia, onere premenda eſt, quo non conſtat fuiſſe à donatore gravatam? Cur ſuper ſolâ poſſibilitate talis intentionis in donatore, fundandum eſt onus contrà Eccleſiam donatariam, quo non poſſunt alii donatarii laici coarctari? Nec præter Valentiam, deſunt etiam alii Theologi, negantes hanc conditionem eſſe à donatoribus bonorum Eccleſiæ, & beneficiis ingeſtam, ut ſivè eleemoſynæ, ſivè beneficia ex illis danda ſint, ſolis deberent indigenis diſpenſari. Videre eſt Cardinalem de Lugo in tractatu de juſtitiâ, & jure (*e*), Valerium Reginaldum in praxi fori pœnitentialis (*f*), Martinum Bonacinam in tractatu de obligatione Beneficiariorum (*g*), & alios, qui conſonâ voce tuentur, hanc obligationem non adeſſe, vel ſaltem de eâ non conſtare. Et ideò dicendum eſt, Benefactores unicum hoc directè, & formaliter intendiſſe, ut ſua bona Deo conſecrarent, Eccleſiæ tradita, quæ illa vel in uſus ſuorum Miniſtrorum, vel in pauperes, ſivè in parte, ſivè in toto erogaret, prout ſibi magis cognoſceret expedire.

(b) *Ad Galataſ. cap. 4. v. 31.*
(c) *S. Anſel. Cantuar. l. 3. ep. 45. Petr. Bleſenſ epiſt. 124. Goffrid. Vindoc. opuſc. 1. 5. 6.*
(d) *Lotter. de rè beneſ. l. 1. qu. 32. n. 10. & 11.*
(e) *Card. de Lugo de juſt. & jur. diſp. 4. ſect. 1. n. 7. & ſect. 3. n. 29.*
(f) *Reginald. lib. 30 tr. 3 n. 82.*
(g) *Bonacin. to. 1. diſp. 4. pun. 1. n. 4.*

27. Imò Fundatores probabilitèr hanc intentionem non habuerunt, ut beneficia ſolis Clericis indigenis conferrentur, ſicuti probabilitèr non habuerunt intentionem, ut fructus ſuperflui à beneficiariis ſolis pauperibus indigenis præberentur: & ratio eſt evidens quoàd primam partem, quià hæc conſequitur ad probationem ſecundæ. Quoàd ſecundam verò partem, quià quod ex bonis beneficialibus, ſuperſint ſuperflui redditus, pauperibus erogandi, non ex naturâ beneficii ſuccedit, ſed per accidens ſolùm evenit: quippè vel ob annorum ſterilitatem, vel proptèr temporum infortunia, bona ſæpè ſæpiùs parum fructificant: & ſecundùm diverſitatem Beneficiarii, modò majoris, modò minoris conditionis; plus, & minus ad ejus ſuſtentationem congruam eſt neceſſe. Admittitur enim communitèr à Theologis, quod magis Clerico majoris qualitatis; minus, ſi minoris conditionis ſit, debeatur, prò ejus congruâ ſuſtentatione (*h*): quippè & ipse Dominus per os Apoſtoli pronuntiavit, quod *qui benè præſunt Presbyteri duplici honore digni habeantur* (*i*), ideſt duplici munerum largitione, ut interpretatur Divus Hieronymus (*l*). Intèr has autèm dubietates, an de facto ſuperflua de bonis ſuperabundent, an non; anque beneficiario excedentia ſuo ſtatui ſuperſint, nec nè; prudentèr loquendo non eſt credibile, quod donator intenderit exceſſum illum fructuum pauperibus deberi, ſi de illo exceſſu nullam habuit probabilem certitudinem: adeoque non potuit pauperes probabilitèr contemplare: multò minùs autem eſt credibile, quod intendit exceſſum illum pauperibus indigenis applicare; ſi nullam probabilem certitudinem habuit, quod ullis pauperibus de tali exceſſu fructuum deberet impendi. Si autem non eſt probabile, fundatores intendiſſe, ut bonorum ſuorum fructus quoàd exceſſum pauperibus indigenis conferrentur; nec etiam probabile eſt intendiſſe, quod quantum ad congruam partem beneficiario debitam, ſolis

(h) *Paulus Layman. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 2.*
(i) *1. Timot. c. 5 n. 17.*
(l) *S. Hieron. in Matth. c. 15.*

Digitized by Google

ſolis Clericis indigenis traderentur; & ſic ex hoc capite nulla favore indigenarum ratio fundatur, quoàd beneficia eccleſiaſtica conſequenda.

28. Reſpondetur *ſecundò*, explicando probationem minoris, in argumento propoſitæ, hoc modo. Vel de voluntate donatoris conſtat, vel non: ſi conſtat quod voluerit bona à ſe Eccleſiæ delata, non poſſe ſivè in beneficium, ſivè in eleemoſynas, viris niſi indigenis conferri; tùnc illis ſolis proculdubiò debentur, non quià ex naturâ rei, & ex ordinariâ conditione bonorum, Eccleſiæ porrectorum, eorum fructus ſolis indigenis debeantur, cum nullibi legatur lex hoc præcipiens; ſed quià voluntas teſtatoris, ſivè benefactoris eſt punctualitèr obſervanda, uti habens rationem legis (*a*). Si autèm non conſtat de tali præciſâ intentione; hæc reſtat ſub diſpoſitione juris, quià in dubio ſemper præſumitur Teſtatorem ſe voluiſſe uniformare cum diſpuſitione juris communis (*b*). Sed jus commûne nullibi prohibet eleemoſynas, de bonis eccleſiaſticis, & beneficia ſacra etiàm extraneis conferri; cum imò potiùs ad beneficia expreſsè admittat eoſdem (*c*): Et ad eleemoſynas jubeat, pauperes alienigenas eſſe paritèr admittendos (*d*); Ergò in dubio non eſt præſumendum, quod tùm eleemoſynæ, tùm beneficia præfata debeant ſolis indigenis diſpenſari. Ad coarctandam ergò Eccleſiam, ut extraneos à beneficiis expellat, ſtando in vi argumenti, quod prę manibus habemus; oportet quod clarè conſtet, vel de voluntate expreſsâ Teſtatoris, vel de clarâ diſpoſitione juris, præcipientis, ut eleemoſynæ de bonis eccleſiaſticis, non niſi viris indigenis conferantur, aliàs donec dubia res eſt, nec pauperes extranei ſunt ab ipſis eleemſynis repellendi, nec ex modo in diſpenſandis eleemoſynis obſervando, inferri poteſt, Clericos extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos.

(a) *Homob. de Bonis p. 3. tr. 4. qu. 4. reſ. 1. Card. de Luca de donat. diſc. 25. n. 10.*

(b) *Seraphin. deciſ. 378. n. 2.*

(c) *Cap. ad decorem de inſtit.*

(d) *Vid. Sotum in Opuſc. deliberation. in cauſa perperum, & Navar. to. 1. de redit. Eccl. qu. 1. monit. 27. n. 2.*

29. Neque obſtat ſanctio Juſtiniani, in oppoſitum allegata, quâ cavetur, dandas eleemoſynas pauperibus loci, in quo Teſtator deceſſit, ſi hìc non expreſſit quoſnam pauperes intellexerit: Nàm primò, ut ait Navarrus, hæc habent, *locum in Teſtatore, qui tamquàm homo privatus, loci ſui cohabitatoribus propenſior eſſe videtur. Nos verò loquimur de ſanctâ matre Eccleſiâ Catholicâ, quæ cunctos mundi fideles ſuos reputat Filios c. alma mater de ſent. excom. lib. 6. Clementin. 1. in princ. de Sum. Trin., & ità non tàm ſpeciali complectitur amore, quàm teſtator, eos, qui in uno particulari loco cohabitant* (*e*). Secundariò Imperator non loquitur de bonis in beneficium eccleſiaſticum erogandis, vel in eleemoſynas per Eccleſiam, ejuſve Miniſtros diſpenſandis; ſed de ſimplici legato pio in favorem pauperum, nunquàm ad Eccleſiam perventuro. Tertiò Cæſar loquitur non de caſu, in quo bona collata ſint Eccleſiæ nominatim determinatæ; ſed de illo, in quo bona ipſa ſunt relicta pauperibus, vagè, indeterminatè, & ſub incerto vocabulo, non diſtinguente, de cujus loci pauperibus eloquatur: tunc certè ſupponendum eſt, teſtatorem pauperes ſui loci, uti ſibi magis familiares, & cognitos, advocaſſe (*f*). At quandò determinavit Eccleſiam, piumque locum, cui bona legavit, à ſuâ mente profectò tunc indigentes excluſit. Hæc tamèn, ait præfata lex, *locum habere ſancimus, quandò non certi Xenonis, vel certi Ptochotropii, vel certæ Eccleſiæ nominatio à teſtatore ſubſecuta eſt, ſed incertus eſt ejus ſenſus. Sin autem in perſonam certam, venerabilemve certam domum reſpexerit, ei tantumodò hæreditatem, vel legatum competere ſancimus* (*g*). Igitur eleemoſynæ præfatæ non ſemper pauperibus localibus debentur, ſed tùnc ſolùm, quandò earum Legator vagè pauperes nominavit, non determinando cujus loci. Prætereà non currit paritas intèr utrumque caſum bonorum, ad fundandum beneficium determinatè datorum, & aliorum vagè collatorum prò eleemoſynis exercendis. Ac per conſequens ex eo quod de eleemoſynis, prout ſuprà in jure ſtatuitur, non poteſt licitè ſubinferri, idem judicium eſſe faciendum de eccleſiaſticis beneficiis.

(e) *Navar. to. 1. de redit. Eccl. c. 1. monit. 27. n. 2.*

(f) *Leg. ſi quis ad declinandam 37. §. ſin autem de Epiſc. & Cleric. Gloſ. in cap. ſi pater V. pauperes de teſtam. in 6.*

(g) *D. leg. ſi quis ad declinandam §. hæc tamen.*

30. Reſpondetur *Tertiò* ad id, quod in Objectione proponitur, de quibuſdam Sacris Conciliis, jubentibus eleemoſynas pauperibus indigenis diſpenſari, hoc non ſubſiſtere in facto. Nàm vel Concilia rè verâ id non præcipiunt, & argumentum

ex

ex defectu non probat; Vel id præcipiunt, nedùm Clericis beneficiariis; ſed etiam cunctis aliis fidelibus, & argumentum per exceſſum nimium probat, ſicque ex alterutro latere claudicat, & intentum Contradictorum non concludit. Percurramus dicta ipſorum Conciliorum, & manu acum tangemus. Concilium Turonenſe II. habitum fuit anno Chriſti 570. & ſic decrevit: *Ut unaquæque Civitas pauperes, & egenos incolas alimentis congruentibus paſcat, ſecundùm vires, tàm vicini præsbyteri, quàm cives omnes ſuum pauperem paſcant; quo fiet, ut ipſi pauperes per Civitates alias non vagentur* (*a*). Vides quod Conciliaris hęc diſpoſitio ſupponit uſum egenorum, huc illùc extrà patriam mendicantium, ubi erant extranei, ad quem morem depellendum, tùm Clericis, tùm laicis, ut alant pauperes perſuadet. Et ſicut ſollicitando ad hoc laicos, non eſt cenſendum id niſi facere de conſilio, ità & quoàd Clericos non niſi loqui de conſilio putandum eſt, dùm ſub eâdem formâ, unumque, ac idem prò utriſque apponit Decretum. Et ſicut vi ejuſdem decreti, nemo prudentèr affirmabit, laicos ſub pœnâ peccati mortalis teneri eleemoſynas de bonis patrimonialibus ſolis pauperibus indigenis impertiri: ſic & nec audebit rationabilitèr affirmare, ipſius ſanctionis vi Clericos eſſe adſtrictos ad fructus beneficiales ſolis pauperibus indigenis elargiendos.

(a) *Concil. Turon. 2. an. 570. c. 5.*

31. Paritèr *Concilium Arelatenſe IV.* in canone ex adverſò allegato, conſtituit, *Ut unuſquiſque tempore famis, aut cujuslibet neceſſitatis, ad ſe pertinentes, prò viribus ſuis gubernare ſtudeat, quià ſcriptum eſt, beati miſericordes, quoniàm ipſi miſericordiam conſequentur &c.* (*b*). Ubi inprimis Synodus non loquitur expreſsè de pauperibus indigenis: Nam per ly *ad ſè pertinentes*, quis dicit intelligendos eſſe pauperes indigenas? cum potiùs obvie ſignificentur familiares, ſervi, coloni, conſanguinei, tandem qui de familiâ ſunt, ut colligitur ex ſimili canone Concilii Turonenſis (*c*). Sed dato etiam, & non conceſſo, quod intelligantur pauperes indigenę, dici poteſt, ibi præcipi quidem eleemoſynas, tamquàm de præcepto miſericordiæ, verùm quod dentur ſolis indigenis, vel non individuari, vel ad ſummum poni conſultivè, non pręceptivè. Totaque argumenti vis omnino diſſolvitur advertendo, quod ibi eſt ſermo de tempore famis, & ſic extrà caſum noſtrum, qui non de tempore famis, vel publicæ indigentiæ loquimur, ſed ſemper, & quandocumque. Rursùs *Concilium Londonienſe*, mandans Regularibus, animarum curæ præfectis, ut pauperibus ſuæ parochiæ ſubſidia impertiantur *tamquàm ſuis domeſticis naturalibus, quibus plus tenentur, quam extraneis* (*d*); Quid aliud probat, niſi eleemoſynas eſſe potius conferendas pauperibus indigenis, quam extraneis? Hoc autem nos non impugnamus, qui pluries faſſi ſumus id verum eſſe cæteris paribus: at hoc eſt extrà ſtatum quæſtionis.

(b) *Concil. Arelat. 4 c. 14.*

(c) *Concil. Turonenſ. 3 c. 36.*

(d) *Concil. Londinenſ. an. 1342. c. 4.*

32. Demùm *Concilium Turonenſe III.* mandat quidem Epiſcopis ſollicitudinem in pauperes adhibere, ſanciens: *Epiſcopi maximam curam, & ſollicitudinem circà pauperes habeant* (*e*), indè rursùs decernit, *licitum ſit Epiſcopis, præſentibus Presbyteris, & Diaconibus, de theſauro Eccleſiæ familię, & pauperibus ejuſdem Eccleſiæ, ſecundùm canonicam inſtitutionem, juxta quod inſtituerint erogare* (*f*). Sed ibi apertè ſermo eſt de bonis ſpecialitèr deſtinatis, tum ad ſtipendia familiaribus, & operariis Eccleſiæ porrigenda, tùm ad eleemoſynas pauperibus diſpenſandas: Datque facultatem Epiſcopis augendi, vel minuendi quantitatem præſtationis cuilibet elargiendæ: Non verò loquitur Concilium de fructibus ſuperfluis, qui beneficiariis ſuperſunt, pauperibus erogandis, uti fert noſtra quęſtio. Et tandem cum ipſa Synodus pauló infrà decernat *Omnibus communitèr intimetur, ut unuſquiſque omni tempore ſuam familiam, & ad ſè pertinentes inopes alere, ac vegetare ſtudeat, quoniàm impium eſt, & Deo odibile, eos qui divitiis affluunt, nimiiſque opibus abundant, non adjuvare miſeros, & indigentes* (*g*); apparet ſè tàm de beneficiariis, quàm de laicis hæc ęqualitèr definire, & ſic recurrit reſponſio Conciliis Turonenſi II. & Arelatenſi IV. mox allata; Igitur nullum ſubſiſtit præceptum, poſitivè cogens Clericos ad eleemoſynas de bonis eccleſiaſticis, ſolis pauperibus indi-

(e) *Concil. Turon. 3. an. 813. c. 10.*

(f) *Idem Concilium cap. 11.*

(g) *Concil. Turonenſ. 3. c. 36.*

indigenis elargiendas: ductoque per Contradictores argumento ab ipſis eleemoſynis ad beneficia, patet, quod ſicuti eleemoſynas liberum eſt pauperibus extraneis, ità etiam liberum eſt Clericis extraneis beneficia conferre.

33. *Arguunt ſeptimo* loco Contradictores. Viri pietate, & ſanctitate notabiles, factis ſuis docuerunt, non poſſe ſinè conſcientię morſu fructus beneficiorum in piis uſibus, vel pauperibus, extrà eorum locum proprium erogari; ergò ſolis ſunt indigenis conferendi. Et ſi id eſt verum de fructibus præbendarum, verum etiam erit de ipſis præbendis, ut & ipſæ non poſſint aliis quàm Clericis indigenis diſpenſari. Probatur antecedens. S. Thomas de Villanovâ aliquandò valdè indoluit, quod quandam pecuniam, è fructibus ſui Archiepiſcopatus deductam, in Collegio extrà ſuam Diœceſim conſtruendo erogaverit (*a*). Cardinalis Berullus, vir magnæ probitatis, fructus ſuorum beneficiorum pauperibus ejus loci, ubi erecta erant, faciebat miſericorditèr diſpenſari (*b*). S. Pius PP. V. in Bullâ reformationis ordinis Ciſtercienſis hæc præcipit: *Ut vicina plebs egena prò religionis conſuetudine confoveri poſſit &c. Commendatariis præcipimus, ut in ſuis monaſteriis pauperes eleemoſynis, prò modo facultatum, proſequantur* (*c*). S. Fabianus PP. ſeptem Diaconos conſtituit, ut curam pauperum Romæ gererent (*d*). Eandem curam S. Gregorius commiſit Antonio Subdiacono, ut ex fructibus Romanæ Eccleſiæ, ubi colligebantur, ſuppetias indigentibus miniſtraret (*e*), & Candido Rectori patrimonii, quod Romana Eccleſia habebat in Galliâ, injunxit, ut perventus in ſuccurrendis pauperibus Regionis illius, impenderet (*f*). Iſti ergò tàm ſancti, ac pii viri oſtenſterunt, fructus beneficiorum debere in piis operibus, & pauperibus locorum, ubi erecta ſunt, erogari, ergò à pari etiam beneficia docuerunt non niſi Clericis eorundem locorum concedenda eſſe: & ſic extraneis obligatis, beneficia ſolis indigenis debent dari.

(a) *Ex Vit. S. Thom. de Villanov.*

(b) *In Vit. Card. Berul. c. 3.*

(c) *Bulla S. Pii V. 8. Martii 1570.*

(d) *Binius in not. ad vit. S. Fabian. PP.*

(e) *S. Greg. l. 2. ep. 37. & l. 6. ep. 2.*

(f) *S. Greg. lib. 5. epiſt. 10.*

34. Reſpondetur *primò*, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nàm rerum veritas, & juſtitiæ debitum, nec debent, nec poſſunt regulari ex factis, ſed ſunt à juribus poſtulanda. Etenim uti fert commune proloquium, exemplis non limitantur regulæ (*g*), quià vel exempla ſunt voluntaria, & legem non faciunt: Vel ſunt neceſſaria, & non ſunt ſumenda in abſtracto, ſed prout in circumſtantiis illis præciſis, in quibus evenerunt; quæ tales eſſe potuerunt, ut extrà illos terminos non afficiant; ideò quidquid ſit, an Sancti, ac pii Viri aliquandò cenſuerint eſſe ab ipſis faciendum id, quod effectivè in illis circumſtantiis locorum, temporum, & perſonarum fecerunt; non ſequitur quod à cunctis aliis, & ſemper, & ubique, idem ſit efficiendum. Nèc abnuent Contradictores in hoc nobiſcum ſentire, quippè ipſi plenâ vocis tubâ reſonant, non exemplis eſſe judicandum, ſed rationibus. Et verum dicunt (*h*), maximè ſi de exemplis ſingularibus eloquantur, raro ad effectum perductis; & talibus, quæ non ſecundum ordinarium rerum curſum, ſed potius contrà conſuetum earum tramitem contigerit ſucceſſiſſe: vel quæ non juxtà divini, & humani juris, aut prudentiæ leges evenerint, ſed ex quodam ſubito, vel voluntatis pruritu, vel cœleſtis illuminationis inſtinctu, aut nimium delicatæ conſcientiæ motu, ex quibus nulla poteſt ratio deſumi, alios obligans ad id, quod nec ipſi taliter operantes, ex debito peregerunt. Quarè quamvis præfati Sancti, vel pii Viri ſenſiſſent, eleemoſynas de bonis eccleſiaſticis eſſe ſolis locorum indigenis impertiendas; non ſequitur, quod cunctis beneficiariis debeat idem omninò ſenſus ineſſe.

(g) *L. damni ff. de damn. inf. Gratian. Diſcep. for. to. 3. c. 563. num. 73. Lotter. lib. 1. qu. 11. n. 20. Card. de Luca de benef. diſc. 53. num. 4. & 5. Barboſ. Axiom 91. n. 2.*

(h) *L. ſed licet. ff de offic. Præſid cap. 1. de poſtul. Prælat. Card. de Luca de præemin. diſc. 13. n. 23. Barboſ. ubi ſupr. n. 3.*

35. Reſpondetur *ſecundò*, retorquendo argumentum: nam ſi exemplis D. Thomæ de Villanovâ, D. Gregorii, D. Pii V. judicandum eſt; patebit eleemoſynas eſſe nedùm indigenis, ſed etiam extraneis conferendas. Et quidem ipſe D. Thomas, tametſi ortus eſſet in diœceſi Toletanâ Regni Caſtellani, tamen beneficium Archiepiſcopale ſuſcepit Valentiæ, quæ ſpectat ad coronam Aragonicam, ubi proindè ipſemet erat, & patriâ, & provinciâ, & natione extraneus. Qui & quotannis propriæ matri mittebat centum aureos, & fratri ſuo germano ducentum, quantum-

vis

vis tàm ejus mater, quàm frater à Valentinâ diœceſi omnibus numeris eſſent extranei (*a*). Ipſe quoque cuidam Conſubrino ſuo, ejuſdem diœceſis Toletanæ, cui bos ad arandum prædium objerat, nummos ex reditibus ſui Archiepiſcopatus Valentini conceſſit, quot opus fuit ad bovem alterum comparandum: proteſtans, ſe non illi uti conſanguineo, ſed uti pauperi ſubvenire (*b*). Cenſuit ergò eleemoſynas poſſe pauperibus extraneis conferri, nec per hoc ullam culpam theologicam incurri. Et ſi etiam contrarium opinatus fuiſſet, nunquid ejus opinio legem feciſſet communem? Si loco pretii, prò bove emendo, ipſe proprium collum aratro, pio quodam exceſſu ſuppoſuiſſet, & cum bove ſuperſtite terram araſſet, uti S. Filaretus feciſſe refertur in Menologio Baſilii (*c*), nunquid omnes beneficiarii deberent ſe bobus jungere, & cum eis agros arare? Ipſe D. Thomas femoralia obſoleta propriis ſibi manibus reſarciebat, vel ut humilitati operam daret, vel ut pretium laboris reſervaret, pauperibus erogandum (*d*); Nunquid autem proptèr hoc omnes Epiſcopi, omnes beneficiarii, debent ex ſe ipſis ſibi femoralia conſuere, & ſi ſunt lacera reſarcire? Abſit! Hæc, & ſimilia ex earum rerum ſpecie ſunt, quæ liberè fiunt, & in quibus agendis *unuſquiſque abundat in ſuo ſenſu* (*e*): Ideſt quibuslibet permiſſum eſt ſuum ſequi judicium, uti docuit S. Baſilius (*f*). *Qui manducat*, ait Apoſtolus, *Domino manducat, & qui non manducat, Domino non manducat* (*g*). *Qui matrimonio jungit virginem ſuam benefacit, & qui non jungit, meliùs facit* (*h*). Hæc ſunt indifferentia, & ex ſuo genere bona, ſed nulli præcepto ſubjecta, quæ tàm facere, quàm non facere, liberum eſt: ità ut nihilominus à ſic operantibus, contraria operantes, non ritè valeant impugnari. Igitur, *qui manducat non manducantem non ſpernat, & qui non manducat manducantem non judicet*, inquit idem Apoſtolus (*i*). Subque hujus allegoriæ ductu, docemur, benefeciſſe D. Thomam ægrè bona in uſus pios extrà ſuam diœceſim impendendo, ſed ex mero delicatę conſcientiæ ſenſu aliquandò indolviſſe, quod quandam ſummam pecuniæ in ædificationem Collegii Complutenſis, extrà diœceſim propriam, erogaſſet (*l*), cum alii ſanctiſſimi Viri contrarium, conſcientiâ tutiſſimâ peregerint; & ità D. Eligius Epiſcopus Noviomenſis, non dubitavit ædificare Monaſterium Solemniacenſe virorum in diœceſi Lemovicenſi, & aliud mulierum in metropoli Pariſiorum (*m*), abſque eo quod de ullo reatu culpæ, ſivè gravis, ſivè levis metueret. Sanctus quoque Gregorius Magnus Xenodochium apud Hieroſolymas erexit (*n*). De S. Leontio Burdigalenſi alibi ſimilia notavimus (*o*). Idipſum de S. Leporio recenſet S. Auguſtinus (*p*), S. Hanno Archiepiſcopus Colonienſis plura Monaſteria extrà ſuæ diœceſis fines conſtruxit (*q*). Studius Romanus Conſtantinopoli celeberrimum fundavit Monaſterium Acemetarum. Ibidemque Sampſon, itidem Romanus, nobiliſſimum edidit Noſocomium (*r*). Et alii plurimi referri poſſent, ſi opus eſſet, qui & Eccleſias, & Cœnobia, & Sacra ędes, ac pia opera, extrà patriam erexerunt, quod eſſe opus bonum nulli dubium eſt, & imò in Jure per Sacros Canones approbatum (*s*).

36. Quoàd D. Gregorium nihil aliud hìc addendum occurrit, niſi quod ejus facta, & dicta in oppoſitum allegata, ſunt cum aliis ejuſdem dictis, & factis congruè concilianda, ſeù priora ſunt poſterioribus explicanda: hæc enim regula eſt, à doctis omnibus approbata, quod dicta, & facta ſanctorum Patrum, ſunt per alia eorum dicta, & facta exponenda (*t*). Et ità cum legitur in D. Joanne Chryſoſtomo, quod neque Angeli, neque Archangeli Deum unquàm viderunt (*u*), explicatur hæc ejus locutio per alia, quæ alibi dixit, nempè nos viſuros Regem Cœlorum non *per ſpeculum, neque per ænigma, ſed facie ad faciem* (*x*), undè apparet primò loco de viſione comprehenſivâ, ſecundo verò de intuitivâ eſſe locutum. Ità ergò cum D. Gregorius curam pauperum localium aliquibus commendavit (præterquamquod in objectis textibus magis de ſollicitudine, & patrocinio illis impendendo, quàm de præbendis eis eleemoſynis, ſcribit) verus ejus ſenſus ex aliis ipſius factis eſt educendus; quem ſi negemus, verè ſenſiſſe, quod eleemoſynæ ſint extraneis quoque impendendæ, coargui poterimus axiomate illo aſtrologico: *vidiſti*

Alcor

(a) *Vit. S. Thom. de Villanov. l. 2. c. 6.*
(b) *Mic. Salon. Vit. S. Thom. de Villanov. lib 2. c. 5.*
(c) *Menolog. Baſil. die 2. Decemb. Card. Baron. an. 788. n. 2.*
(d) *Vit. S. Thom. de Villanov. l. 2. c. 14.*
(e) *Romanor. cap. 4. num. 5.*
(f) *S. Baſilius Mor. reg. 14. c. 1.*
(g) *Romanor. cap. 14 num 6.*
(h) *1. Corinth. cap. 7 num. 38.*
(i) *Romanor. cap. 14 num. 3.*
(l) *Vit. S. Thom. de Villanov. lib. 2. c. 6.*
(m) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 30. num. 15. §. nec.*
(n) *Joan. Diac. Vit. S. Greg. lib 2.*
(o) *Vid ſupr. tom. 1. ſect 6. c. 11 n. 34. 35.*
(p) *S. Auguſt. ſer. 50. tom 10.*
(q) *Lamber. Schafnab. ag an. 1075. Marian Scotus an. 1077.*
(r) *Cangius Conſtantinop. Chriſtiana f. 103 Baron ann. 459. n. 16. & in not. ad Martyr. die 27 Junii.*
(s) *Cap. ſi quis Epiſcoporum 16 qu. 2.*
(t) *Petrus Annat. Method. Theol. l. 4. ar. 4 num 6.*
(u) *S. Joan. Chryſoſt. homil. 14 in Joan.*
(x) *S. Joan. Chryſoſt. in pareneſ. ad Theodorum lapſum.*

Digitized by Google

Alcor, & non vidiſti lunam plenam (*a*): Nempè obſervaſti minutiſſimam ſtellulam, ſitam in caudâ Urſæ majoris, quæ ab Agricolis dicitur Equitator, eſtque adeò exigua, ut non niſi eam perſpicaciſſimi oculi valeant intueri; & non obſervaſti lunam, cum in quintadecimâ exiſtit, & totum diſcum ſui corporis, vel ipſis cęcutientibus, latum, & lucidiſſimum, exhibet intuendum.

37. Jàm ſuprà (*b*), verbis luce meridianâ clarioribus, oſtendimus, à D. Gregorio in vitio poni, quod pauperes extranei ab eleemoſynis repellantur, quæ ſi pauca ſunt; ſi non ſufficiunt illa, quæ de hoc in librum Job literis cubitalibus exaravit; legatur id, quod Cypriano Diacono ſcripſit, de duobus mille modiis tritici Zenoni Epiſcopo dandis, ut illos in ſubventionem pauperum ſuæ Eccleſiæ diſtribuat: *Zeno, inquit, frater, & Coepiſcopus noſter, quoſdam in civitate ſuâ alimoniarum neceſſitatem innotuit ſuſtinere, quibus quoniam, ut poſſibile eſt, aliquod deſideramus ferre conſultum, idcircò dilectionem tuam antedicto fratri, & Coepiſcopo noſtro mille modios tritici, aut ſi plus levare potueris, uſque ad duo millia, ſcriptis te dare præſentibus deputamus* (*c*). Hi pauperes autem erant extranei ab Eccleſiâ Romanâ. Quod ſi adhùc non ſufficit, audiant Contradictores quid S. Pontifex Mauritio Auguſto, de donariis D. Petro miſſis conſcripſerit, *Dominorum pietas, quæ ſuos conſuevit miſericorditè famulos continere, ità benignâ hìc ſubventione reſplenduit, ut cunctorum debilium inopia largitatis ejus ſit conſolatione ſublevata. Prò qua rè, lacbrymabili prece omnes depoſcimus, ut omnipotens Deus, qui clementiæ veſtræ ad corda compunxit, incolume in amoris ſui conſtantiâ Dominorum ſervet imperium, ut victorias eorum in cunctis gentibus auxilio ſuæ Maeſtatis extendat. Triginta itàque libras auri, quas Conſamulus meus Buſa detulit, Scribo, Sacerdotibus, egeniſque, & aliis fidelitèr erogavit. Et quià quædam in hanc Urbem ſanctimoniales fœminæ, ex diverſis provinciis venerunt, poſt captivitatem fugientes, ex quibus quantum locorum poſſibilitas recipit, aliquæ in monaſteriis datæ ſunt, quæ verò in eis minimè capi potuerunt, ſingularitèr degentes inopem vitam ducunt; placuit, ut hoc, quod cæcis, truncis, aliiſque debilibusupereſſe poſſet, eis erogari debuiſſet: Dummmodò non ſolum Dominorum miſericordiam indigentes indigenæ, ſed advenientes etiam peregrini ſuſciperent &c.* (*d*). Vides quam clarè multarum eleemoſynarum, quas diſtribuebat, fierent ab eo participes, nedùm *indigentes indigenæ, ſed etiam peregrini*, aliundè ad eum ex cunctis Orbis partibus concurrentes!

38. Reticemus quod miſericordiſſimus hic Pontifex in more habuit peregrinos menſæ ſuæ ſocios adhibere, uti teſtatur Joannes Diaconus in ejus vitâ (*e*), & pauperibus alibi degentibus, eleemoſynas ultrò tranſmittere, nedùm de ſuperfluis ſuæ Eccleſiæ, ſed etiam de neceſſariis, uti expreſſius alibi jam oſtendimus (*f*). Paritèr ſilemus, quod malè Contradictores in eorum ſenſum detorquent verba epiſtolæ, quàm idem ſanctus Pontifex ad Candidum rectorem Patrimonii Romanæ Eccleſiæ, in Galliâ conſtituti, direxit, dicens ut illic erogaret reditus illos, quippè, ait, *ſolidi Galliarum in terrâ noſtrâ expendi non poſſunt* (*g*). Nàm non talia ipſe protulit, quià illicitum eſſet fructus patrimonii eccleſiaſtici in Galliâ exiſtentis, extrà illam Regionem transferre; ſed quià cum nullus eſſet uſus in Curiâ pecuniæ Gallico Stigmate impreſſæ, inutile fuiſſet illam Romam advehere: ideòque ſatiùs erat eandem apud Francos, ubi plenus, & uſualis erat ipſius valor, expendere: atque ità non ex metu culpæ theologicę incurrendę sè geſſit, ſed juxtà providæ oeconomiæ leges agendo talia dictavit: eo modo, quo nùnc fieret à Pontifice, ſi ei magna aliqua Cochlearum ſumma delegaretur, quæ apud Congenſes prò pecuniâ deſervit (*h*), eam namque juberet in Congo utilitèr expendi, quià improvidum eſſet ipſam Romam transferre, cum nullus in Italiâ ejuſdem ſit valor, nullus omninò Romæ nummorum hujuſmodi ſpeciei ſit uſus. Quò adhùc non attento, perpendatur, quod D. Gregorius, non illam Gallicam pecuniam pręcepit in eleemoſynam ſolis Francis pauperibus erogari, ſed potius in pueris Anglis emendis, & Romam ducendis impendi, vel in veſtimentis comparandis, quibus pauperes operirentur,

(a) *Hieron. Vitalis. Lexic. Mathemat. V. Alcor.*

(b) *Vid ſupr. tom. 2. Sæcul. 18. c. 12. n. 15.*

(c) *S. Gregor. lib. 5. epiſt. 4.*

(d) *S. Gregor. lib. 2. epiſt. 2.*

(e) *Joannes Diac. lib. 2. c. 19.*

(f) *Vid. ſupr. tom. 1. Sæcul. 1. cap. 2. n. 13.*

(g) *S. Gregor. lib. 5. epiſt. 10.*

(h) *Della Motte Scuola de Prencipi nella Geografia c. 67.*

ſivè undelibet accedentes, ſivè per ipſum Pontificem deſignandi. Sicque quocumque ſermo vertatur, quomodocumque ſcripta D. Gregorii intelligantur, non niſi per torturam poſſunt ad pauperes indigenas coarctari, cum ex naturali, & obvio illorum ſenſu egenos, non tàm indigenas, quàm extraneos complectantur.

39. Ad S. Pium V. deſcendimus: juſſit, non inficiamur, Commendatariis ordinis Ciſtercienſis, ut eleemoſynas pauperibus impertirent, ſed has nec in ſuâ Bullâ ad ſolos indigenas limitavit, nec eſt probabile ad illos ſolos mentis ſuæ intuitu perſpexiſſe: quippè ipſe, & pro Germanis, & Pannoniis, & Illyricis, & aliarum provinciarum incolis adjutrices manus dilatando (*a*), & turmas Captivorum à Barbarorum compedibus redimendo (*b*), & regale Cœnobium Dominicanis in oppido Boſchi (*c*), & amplum Collegium, Ghiſlerium dictum, in Urbe Ticinenſi extruendo (*d*), & alia conſimilia exempla ſuæ liberalitatis alibi exhibendo; factis ſuis docuit, ſe Ciſtercienſium eleemoſynas pro ſolis indigenis non arctaſſe: ſed ſe in eâ ſententiâ fuiſſe, ut eleemoſynæ de bonis Eccleſiæ poſſent etiam extraneis diſpenſari. Demùm quod Fabianus Papa ſeptem Diaconos Romæ inſtituerit, qui pauperum curam gererent; nihil concludit, quod pauperes extraneos ab eleemoſynis diſtineret, ſed potiùs hos, non minùs quam locales, modò verè indigentes, includit. Cæterùm cum nos alibi oſtenderimus evidentèr, quod Sancti, & pii viri in more habuerunt, eleemoſynas ex bonis eccleſiaſticis, ultrò ad Eccleſias, & pauperes extraneos tranſmittendi, nedùm de ſuperfluis, ſed etiam de ſibi neceſſariis (*e*); per hæc, & retorquetur argumentum adverſus Contradictores, & clarè demonſtratur, nunquàm Sanctos opinatos eſſe, ullam culpam Theologicam, ullius peccati reatum contrahi per collationem redituum eccleſiaſticorum viris extraneis, vel titulo eleemoſynæ, vel ex quovis alio honeſto motivo.

(a) *Jo. Ant. Gabutius in vit. S. Pii V. l. 5. c. 4. §. quin.*
(b) *Idem loco citat. §. accidit.*
(c) *Idem lib. 6. cap. 5. §. amplum.*
(d) *Idem ubi ſuprà §. ad patriæ.*
(e) *Vide ſuprà tom. 1 ſec. 1. cap. 3 n. 9. 10. 11 12. &c.*

40. Nèc ommittendum eſt, quod excluſione pauperum extraneorum ab eleemoſynis Jus gentium violatur, uti cenſet Dominicus Soto (*f*), iidemque ſi repellantur ab eleemoſynis conſequendis, detrahuntur Eccleſiæ, (prætèr nativam ſuam libertatem) etiam duæ ex præcipuis prærogativis, quæ ejuſdem charitatem inclamant, nempè *ſubventio peregrinorum*, & *redemptio captivorum*, enixè à ſacris Canonibus, & Conciliis, atque à Sanctis Patribus commendatæ, & ab ipſis Judæis, Saracenis, Hæreticis, & Schiſmaticis plenis elogiis calebratæ. Subventionem peregrinorum ab eccleſiaſticis viris exigunt ſacri Canones *in cap. quieſcamus 2. diſt. 42. cap. quid tua. cap. quatuor, cap. de redittbus, cap. mos eſt 12. qu. 1. cap. volumus diſt. 89. cap. Archidiaconum. diſt. 8. & alibi.* Eam expoſcunt Concilia, & præſertim *Concilium Nicænum 1. ex Arabic. c. 70. Concilium Papienſe anno 850. cap. 3. Concilium Matiſconenſe 2. cap. 11. Concilium Turonenſe 3. cap. 7. Concilium Aquiſgranenſe 2. cap. 1. & 3. Concilium Pariſienſe an. 1212. par. 2. cap. 5. Concilium Voreceſtrenſe an. 1240. cap. 32. Concilium Palentinum anno 1322. cap. 13. Concilium Tridentinum ſeſ. 25. cap. 8.* & alia. Eam quoquè inculcant Patres Eccleſiæ, inter quos S. Gregorius in epiſtolâ, ſeu *reſponſo ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum cap. 2. & in epiſtolâ 28. lib. 9. ad Marinianum Epiſcopum. S. Petrus Damiani in epiſtolâ ad Albertum Epiſcopum lib. 4. ep. 1. S. Fulbertus Carnotenſis epiſt. 90. S. Iſidorus Hiſpalenſis de Off. eccleſ. lib. 2. c. 5. Hildebertus Turonenſis epiſt. 61. Theodulphus Aurelianenſis cap. 25. Hincmarus Remenſis tom. 1. f. 712. cap. 9. 10.* Et ne plures annumeremus, ſufficiat D. Hieronymus, ità ſcribens Damaſo Papæ: *Quidquid habent Clerici, pauperum eſt, & domus illorum omnibus debent eſſe communes, ſuſceptioni peregrinorum, & hoſpitum invigilare debent &c. cap. quoniam ultim. 16. qu. 1.*

(f) *Soto in opuſc. de liberat. in cauſ. pauperum cap. 7*

41. In hoc inſigni pietatis opere munificentiſſimos ſe exhibuerunt plurimi ſancti, ex quorum numero S. Avitus Viennenſis B. Cæſario Arelatenſi ſcripſit, nullum egenum eſſe ubilibet apud Clericos alienigenam, *quià quantàlibet, vel temporum longitudine, vel itineris vaſtitate, genitalis patriæ linquat habitaculum, peregrinus Sacerdos diei non poteſt, ubi catholica reperiri Eccleſia poteſt* (*g*). Et de ipſo S. Cæſario, favore advenarum munifico, legitur in ejus vitâ, *nullus illo ſuperſtite tam-*

(g) *S. Avitus Viennenſis epiſt. 9.*

tamquàm ad extraneam Civitatem, ſed tamquàm ad propriam domum Arelate venit (*a*). Charitatem quoque B. Gregorii Magni, in ſubſidio peregrinis præſtando, enarrat Joannes Diaconus, in ejus vitâ, ſic loquens: *pauperibus, & advenis, qui pro conditione temporum Romam influxerant, quotidiana ſtipendia miniſtrabat* (*b*): nec modò illis, qui ad Urbem jam pervenerant, ſuppetias contulit, ſed & properaturis illùc viaticum exhiberi mandavit: Scripſit enim Sabino defenſori Sardiniæ, & Anthemio Subdiacono, *Pompejana, atque Theodoſia, religioſæ fœminæ, juxtà poſtulationem ſuam, ſi huc venire voluerint veſtra, eis in omnibus præbete ſolatia, ut deſideria ſua, vobis queant ſuccurrentibus, adimplere* (*c*). S. Joannem Alexandrinum, vulgò eleemoſynarium, ſcriptum eſt, *hoſpitio recepiſſe, & bonos æſtimatos, & malos* (*d*). S. Eligii Epiſcopi Noviomenſis (*e*), Sancti Domnuli Cenomanenſis (*f*), Sancti Caroli Mediolanenſis (*g*), aliorumque Sanctorum hìc prolixa ſeries poſſet attexi, qui charitate inexhauſtâ pauperes advenas confovebant; ſed otium deeſt: unum memorabimus B. Petrum Cluniacenſem, de ſuo Cœnobio ſub his terminis eloquentem: *Video res Cluniacenſium, velut totius Chriſtianæ Reipublicæ ærarium eſſe, de quo omnes hauriunt, quod penè exhauriunt, in quo rari pauca iniiciunt, de quo plures multa accipiunt* (*h*).

42. Paritèr *Redemptionem captivorum* à Clericis expoſtulant ſacri canones in *cap. mancipia diſt. 54. cap. pulchra, cap. non ſatis diſt. 86. cap. aurum: cap. Apoſtolicos 12. qu. 2. & alibi*. Eam laudant Concilia, & præſertim *Concilium Conſtantinopolitanum 4. c. 15. Concilium Cabilonenſe 2. cap. 9.* atque alia. Pro eâ tandem Patres inclamant, inter quos *S. Ambroſius epiſt. 31. S. Poſſidius in vitâ S. Auguſtini c. 24. S. Gregorius lib. 5. ep. 34. lib. 6. ep. 23. lib. 7. ep. 14. lib. 8. ep. 2.* & alii: In eoque magnæ charitatis officio ſe liberaliſſimos exhibuerunt S. Acacius Amidenſis (*i*), Sancti Hilarius (*l*), & Cæſarius Arelatenſes (*m*), SS. Cyprianus (*n*), & Deogratias Carthaginenſes (*o*), & alii, quorum non eſt neceſſe prolixiorem catalogum aggregare. Unus pro multis eſt memoratus D. Gregorius, de quo prætèr loca citata, legitur, miniſtros in longinquas partes miſiſſe, ut Captivos redimerent (*p*): Judæorum ſervos Narbonæ degentes, quos auctoritate legis liberare non poterat, propriis pecuniis redemiſſe (*q*), & Epiſcopo Fannenſi indulſiſſe, ut ad ſolvendos nummos mutuò acceptos, pro Captivis redimendis, ſacra Vaſa diſtraheret (*r*). Nàm & D. Auguſtinus, *dùm Eccleſiæ pecunia deficeret, hoc ipſum populo Chriſtiano denuntiabat, non ſè habere, quod indigentibus erogaret &c. Et de vaſis Dominicis proptèr captivos, & quamplurimos indigentes frangi, & conflari jubebat, & indigentibus diſpenſari* (*s*): quod anteà D. Ambroſius, & agendum eſſe docuerat, & factis comprobaverat: cujus etiam exemplo, adverſus obtrectatores ſuos, ipſe D. Auguſtinus tamquàm clypeo ineluctabili ſe tutabat.

43. Et certè S. Ambroſius in captivos tantâ miſeratione perlatus eſt, ut ultrà vires ſuæ facultatis eorum redemptioni ſe ſollicitus applicuerit: *Compatiamur*, inquit, *alienis calamitatibus, neceſſitates aliorum, quantum poſſumus juvemus, & plus interdùm, quam poſſumus. Melius eſt enim pro miſericordiâ cauſas præſtare, vel invidiam perpeti, quam prætendere inclementiam: ut nos aliquandò in invidiam incidimus, qui confregerimus vaſa myſtica, ut captivos redimeremus* (*t*). *Aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus. Quid opus eſt cuſtodire quod nihil adjuvat? An ignoramus, quantum auri, atque argenti de Templo Domini Aſſyrii ſuſtulerunt? Nonnè melius conflat Sacerdos propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint: quam ſacrilegus contaminata aſportet hoſtis? Nonnè dicturus eſt Dominus, cur paſſus es tot inopes fame emori? Et certè habebas aurum, undè miniſtraſſes alimoniam? Cur tot captivi deducti in commercium ſunt, nec redempti ab hoſte occiſi ſunt? Melius fuerat, ut vaſa viventium ſervares, quam metallorum. His non poſſet reſponſum referri. Quid enim diceres? Timui ne Templo Dei ornatus deeſſet? Reſponderet, aurum ſacramenta non quærunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus ſacramentorum, re-*

(a) *Vit. S. Cæſarii Arelat. l. 1 cap. 31.*
(b) *Joannes Diacon. lib. 2. c. 19.*
(c) *S. Gregorius l. 2. ep. 36.*
(d) *Vit. S. Joan. Eleemoſ. cap. 2.*
(e) *S. Audoenus in Vit. S. Eligii.*
(f) *Vit. S. Domnuli apud Surium die 16. Maii.*
(g) *Gioſſan. Vit. S. Carol. l. 8 c. 20*
(h) *Petrus Cluniac. l. 4 ep. 8.*
(i) *Socrates Hiſtor. l. 7. c. 21.*
(l) *Honor. Maſſilienſ. in vit. S. Hilar. Arel. ap Surium die 5. Maii.*
(m) *Baron. ann. 508. nu. 11. & vit. S. Cæſar. ap. Surium 27. Auguſ. cap. 14.*
(n) *S. Cypr. epiſt. 60. Baron. an. 44. n. 71*
(o) *Victor. Uticenſ. de perſec. Vandal. lib. 1.*
(p) *S. Greg. l. 2. ep. 16*
(q) *Idem lib. 6. ep. 21.*
(r) *S. Gregor. l. 6. ep. 13. & ep. 35*
(s) *S. Poſſid. vit. S. Auguſt. cap. 24*
(t) *S. Ambroſ. de officiis l. 2. cap. 28*

demptio captivorum eſt, & verè illa ſunt vaſa pretioſa, quæ redimunt animas à morte &c. & infrà: *nemo enim poteſt dicere, cur pauper vivit: nemo poteſt queri, quià captivi redempti ſunt. Nemo poteſt accuſare, quià Templum Dei ædificatum eſt. Nemo poteſt dolere, quià ſepulturis Chriſtianorum requies defunctorum eſt. In his tribus generibus vaſa Eccleſiæ, etiam initiata confringere, conflare, vendere licet &c.* (*a*).

(a) *S. Ambroſ. lib. 2. offic. cap. 21, & in cap. pulchra diſt. 88.*

44. Veniant nùnc omnes Theologi, qui ſunt in mundo, & vel cuncti ſimul, vel ſingularitèr ſumpti, judicent inter nos, & Contradictores noſtros, an poſſit hoſpitalitas exerceri, & an captivi redimi valeant à Clericis beneficiariis, ſi extranei ab eleemoſynis per beneficiarios faciendis, debent excludi? Judicent, an ullam culpam Theologicam contrahant ipſi beneficiarii, & compeditos redimendo, & peregrinis ſubveniendo, ſi tot Canones, tot Concilia, tot Patres id à Beneficiariis expoſcunt. Si tot Sancti, ac glorioſiſſimi Antiſtites, utrumque & ſcriptis docuerunt, & factis: Nèc quidem ſolis ſuperfluis in hoc utendo, ſed etiam neceſſariis: nec quantum poſſent erogando, ſed etiam ultrà id, quod poſſent (*b*). Judicent, inquam, & definitivè pronuntient, quid ſit in hac causâ tenendum. Certè ſi ratione duce, ſi veritate ſuffragante, decernent; nihil aliud poterunt, & doctrinâ, & conſcientiâ ſic ſuggerente, ſancire, niſi quod licitè poſſunt eleemoſynæ de bonis eccleſiaſticis, ſeu de ſuperfluis beneficiorum, non tàm indigenis pauperibus, quàm etiam extraneis diſpenſari. Et quoniam à ſimilitudine eleemoſynarum de bonis eccleſiaſticis, ad beneficia, ex ipſis bonis erecta, opponitur nobis paritas, ut æquale de utriſque judicium fiat; ipſorum Judicum erit, libratis congruè rerum paritèr, atque rationum momentis, & omni culpæ ſive læthalis, ſive venialis ſpecie fugatâ, ſententialitèr tandèm pro Eccleſiæ libertate decernere, ut acceſſum præbeat Clericis etiam extraneis ad eccleſiaſtica beneficia.

(b) *Vide ſuprà to. 1. Sæcul. 1. c. 2. à n. 12.*

RE-

RESPONSIO
OBJECTIONIBUS EX SACRIS CONCILIIS.

CAPUT V.

In quo reſpondetur Objectionibus, propoſitis ex Sacris Conciliis, *& præſertìm ex Conſtantinopolitano IV. atque ex aliis, per priora Sex Chriſti Sęcula celebratis, contrà libertatem Eccleſię, in conferendo ſacra Beneficia, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis.*

SUMMARIUM.

1 *Ex diſſolutione objectionum, à Conciliis petitarum, libertas Eccleſiæ in conferendo beneficia Clericis extraneis, eniteſcece.*

2 Prima objectio *ex Canone XIII. Concilii* Conſtantinopolitani IV. *vetante, nè ii, qui foris ſunt, accipiant officia vacantia Eccleſiæ.*

3 *Eccleſia vario modo ſumitur: nomine magnæ Eccleſiæ Concilium intelligit Ædem S. Sophiæ Patriarchalem Conſtantinopolis.*

4 *Hęc Eccleſia varias viciſſitudines paſſa eſt. Hanc intelligi nomine* magnæ Eccleſiæ *oſtenditur ex Conciliis.*

5 *Variis documentis, ex & Hiſtoricis demonſtratur, magnæ Eccleſię nomine non niſi ſacram Ædem hanc connotari.*

6 *Alia idipſum probantia ſubjunguntur, fitque mentio Bematis, & Soleę ibidem exiſtentium.*

7 Emphaniſtica, *ſivè* Inſinuativa *ſolvenda Eccleſiæ alicubi à ſuſcipientibus beneficia, quid eſſet?*

8 *Eam ſolvebant ſoli Clerici magnæ Eccleſię S. Sophiæ, non verò aliarum Eccleſiarum Conſtantinopolis.*

9 *Non eadem fuit ratio de cunctis aliis Eccleſiis, ac de illâ S. Sophiæ, quoàd excluſionem Clericorum, & quorum?*

10 *Sicut & nec fuit eadem ratio de cunctis Eccleſiis, ac de magnâ Æde S. Sophiæ, quoàd Emphaniſticam exigendam.*

11. *Ob*

11 Ob nimios Clericos, de reditibus magnæ Eccleſię participantes, neceſſe fuit eorum numerum limitare.

12 13 Juſtinianus præfinivit numerum ipſum Clericorum, & qualitèr deberent de minori ad majus officium aſcendere.

14 Taxatio hæc Cæſarea non fuit obſervata. Heraclius, Patriarchâ petente, eundem numerum rurſum limitavit. Cathedralis dicta Eccleſia major.

15 Concilium præfatum excludit etiam indigenas, prætaxatum numerum excedentes, ideoque nil officit.

16 Idem Concilium non excludit Clericos extraneos, ſed potius laicos indigenas, Clero S. Sophiæ, ſe intrudentes.

17 Plures Papæ, & Concilia interdicunt, nè laici ſubito ſaltu ad officia eccleſiaſtica provehantur.

18 S. Cæleſtinus Papa I. & S. Hieronymus repentinam ipſam improbant verſionem laici in Sacerdotem.

19 Concilium Conſtantinopolitanum per ly qui foris ſunt, non quatit extraneos, quà advenas, ſed quà Eccleſiæ numerum excedentes.

20 In Eccleſiâ S. Sophiæ excluſio Clericorum extraneorum fuit privilegium, quo aliæ Eccleſię carebant.

21 In Cathedrali Florentinâ poteſt Archiepiſcopus ordinare quoſdam Clericos, beneficio, & patrimonio carentes, ex privilegio.

22 Ex ratione mercedis, operantibus debitę, à Concilio adductâ, non probatur excluſio, ſed potiùs admiſſio extraneorum ad beneficia.

23 Vi dicti Canonis Conſtantinopolitani admittendi erant extranei, ſi locus intrà numerum vacaret, qui eis poſſet aſſignari.

24 Jura, quæ Eccleſia à 30. annis poſſedit, Concilium Conſtantinopolitanum jubet ei intacta ſervari. Tale eſt jus admittendi etiam extraneos.

25 Collatores beneficiorum, & ad ea Nominatores jus Eccleſiaſticum exercent, & nomine Eccleſiæ de beneficiis diſponunt.

26 Secunda Objectio ex Concilio Eliberitano, ne peregrè baptizati admittantur ad Ordines, & conſequentèr etiam ad beneficia.

27 Non erat idem olim ordines, & ſportulas, ſeù beneficia obtinere: nàm promoti ad titulum patrimonii ſportulis carebant.

28 Qui de proprio patrimonio habebant, ex quo viverent, non poterant fructus eccleſiaſticos percipere.

29 Concilium Eliberitanum loquitur etiam de indigenis. Olim extrà patriam plurimi baptizabantur.

30 Idem Concilium non omnes extraneos arcet, ſed ſolos peregrè baptizatos, & quorum vita ſit ignota.

31 Canones repellentes ab Ordinibus extraneos, addere ſolent, incognitos, quià ſi cogniti ſunt, poterunt promoveri.

32 Proteus quidam sè ſimulavit Chriſtianum, ut de bonis Eccleſię participaret: ſimiles veteratores perſpexit Concilium Eliberitanum.

33 Concilii Eliberitani auctoritas in pluribus habetur prò ſuſpectâ: quid de illo ſentiant Bellarminus, & alii.

34 Tertia Objectio ex Concilio Chalcedonenſi, jubente in omnibus Eccleſiis deputari Oeconomum, qui res eccleſiaſticas adminiſtret.

35 Non currit paritas intèr Oeconomum, & Beneficiarium; unus enim eſt ammovibilis, alter perpetuus; hic habet dominium fructuum, ille non.

36 Beneficium uni ſoli confertur: Oeconomi verò officium aliquandò pluribus tradebatur. Diſtat ergò multum unum iſtorum ab alio.

37 Deputatio Oeconomi debuit ex Concilio fieri de proprio Clero, demonſtrativè tamen, non taxativè: de conſilio non de præcepto.

38 Etiam

38 *Etiam extraneus poterat deputari Oeconomus: olim ex ſè Epiſcopus Eccleſiæ fructus dividebat, vel diſpenſatorem ex ſè deputabat.*

39 *S. Joannes Chryſoſtomus, & alii Epiſcopi de malâ rerum adminiſtratione temerè carpti. Concilium jubet Oeconomum deputari.*

40 *Oeconomi officium ſolis Præsbyteris, & Diaconibus patebat: Beneficium autèm etiam Clericis minoribus confertur.*

41 *Clerici extranei quoquè officio Oeconomi fungi poterant, quià poterant clero illius Eccleſię inſeri per ordinem, aut beneficium.*

42 Quarta Objectio *ex* Concilio Veteris Epiri, *rogantis Papam, ut Joannis Nicopolitani aſſumptionem approbaret.*

43 *Joannes Nicopolitanus, nec fuit à ſuis fautoribus promotus, quià indigena; nec reprobatus ab hoſtibus, quià extraneus.*

44 *Idem Joannes non probatur fuiſſe indigena Eccleſiæ Nicopolitanæ. Concilium Epiri cur illum commendat ex aliis cauſis.*

45 *Plures Sancti Præſules à pueritiâ officiis eccleſiaſticis addicti ſunt, non tamen ob hanc cauſam, ſed proptèr alias, Epiſcopi facti ſunt.*

1. QVI *operit odium fraudulentèr, revelabitur malitia ejus in Concilio*, inquit Sapiens (*a*). Hinc quia nobis Contradictores exprobrando conteſtantur, sè ex mero veritatis affectu, & juſtitiæ zelo, libertatem Eccleſiæ in conferendis beneficiis ad ſolos indigenas limitare, quià illam talitèr ſacra Concilia Eccleſiæ coarctent; hic apparebit, ab eis talia perperàm venditari, ubi hujuſmodi eorum zelum, & affectum examinare aggredimur, Conciliorumque placita, in oppoſitum allegata, diſcutere, ut eniteſcat, an integritas, & juſtitia, an vero alia minus caſtigata intentio illos impellat: ſicque tandèm veritas fraudis neſcia, non ſolùm probationibus conſtipata procedat, ſed etiam objectiones ſibi factas promptè diſſolvat, & earum dicteria ſciat ſibi fortitèr ſubjugare, ac demùm Contradictores *& ratione ſuperare, & ſilentium illis teſtimoniorum pondere imponere* (*b*). Poſtquàm igitùr plura ſacra Concilia, Generalia, Nationalia, & Provincialia libertati Eccleſiæ in conferendo eccleſiaſtica beneficia tum Clericis extraneis, tùm indigenis, affluentes hucuſque exhibuerunt in duobus Tomis præcedentibus probationes (*c*), bonum eſt hic etiam ipſorum, & aliorum Conciliorum textus, vel malè intellectos exponere, vel in contrarium ſenſum diſtortos, ſuæ veræ ſignificationi referre, ut præfatæ libertatis vis eò fortiùs eniteſcat, quò fuerit inter Contradictores, & nos impenſiùs ventilata. Prima igitur Objectio Conciliaris à Contradictoribus propoſita, & velùt eorum Aries, & Achilles, tamquàm inſuperabilis jactitata, eſt canon Concilii IV. *Conſtantinopolitani* generalis VIII, juxta editionem Anaſtaſij, loquens ut ſequitur.

(a) *Proverbior. cap. 26. num. 26.*

(b) *S. Hieron. in epl. ad Titum.*

(c) *Vide ſuprà in to. 1. & 2. paſſim.*

2. *Quoniamquidèm dicit alicubi Divinum eloquium, dignus eſt operarius mercede ſuâ; hujus rei gratiâ, & nos decernimus, & promulgamus, ut magnę Eccleſiæ Clerici, qui in ſubjectis ordinibus morati ſunt, ad majores gradus aſcendant: & ſi digni claruerint, melioribus perfrui mereantur honoribus, cum aliqui eorum, qui in ipſis ſunt, aùt per incrementum ad ſuperiora miniſteria advocanti fuerint, aùt per communem naturæ terminum dormientes, defuerint: ſed non ex illis, qui foris ſunt, aliqui ſe his innectentes, debitas eis, qui multo tempore laboraverunt, dignitates, vel honores recipiant, ac per hoc inveniantur Eccleſiæ Clerici nullo modo proficere. Nullatenùs autèm habeant poteſtatem, qui Principum domorum, ſeù ſuburbanarum rerum curam geſſerint, intèr clerum magnæ Eccleſiæ colligi, vel conſtitui: Nemo quippè Deo militans, ſæculi negotiis implicatur. Si verò quis prætèr definitionem, quam nunc protulimus, promotus fuerit in quocumque magnæ Eccleſiæ gradu,*

Digitized by Google

du , reprobetur omnimodis ab omni eccleſiaſtico gradu, tamquàm qui contrà magnam Synodum proveƈtus extiterit (a). Ex hac ſanƈtione , inquiunt Contradiƈtores , imprevaricabilitèr eſt definitum , quod illi , qui foris ſunt, ab eccleſiaſticis honoribus excludantur . Ergò Eccleſia in generali Synodo congregata jam definivit, eccleſiaſtica beneficia non eſſe extraneis , ſed ſolis indigenis conferenda .

3. Reſpondetur *primò* negando ſuppoſitum , nempè quòd canon præcitatus Concilii Conſtantinopolitani IV. loquatur generalitèr de omnibus orbis Eccleſiis , vel de aliquâ Eccleſiâ particulari , in eo conceptu conſideratâ , in quo ſignificat diœceſim, ſeu colleƈtionem Cleri, & populi, ſpeƈtantis ad territorium alicuius particularis Epiſcopatus . Nàm hoc verbum *Eccleſia*, preter ea, quæ ſuprà diximus(*b*), ſignificat quidèm , nedùm ædes materiales loci , ſpecialitèr divino cultui dedicati, quod Templum à Judæis (*c*) , & Fanum , vel Delubrum ab Ethnicis dicebatur (*d*) ; ſed etiam ſignificat conſortium , ſivè colleƈtionem Fidelium , Clerum , & populum alicujus diſtriƈtus componentium , in quo ſenſu S. Cyprianus ait : *Eccleſia eſt plebs Sacerdoti adunata , & paſtori ſuo grex adhærens* (*e*) . Ideòque benè à S. Patribus, & Doƈtoribus aliquandò nomine Eccleſiæ intelliguntur Diæceſes , ſeu populi ſuo Epiſcopo ſubordinati , qui à D. Auguſtino appellantur , *Chriſtiana ſocietas , quæ per ſedes Apoſtolorum , & ſucceſſiones Epiſcoporum , certâ per orbem propagatione diffunditur* (*f*) . At canon Conſtantinopolitanus , non in hoc ſecundo , ſed in primo conceptu loquitur de Eccleſiâ ſtriƈtè , & ſimplicitèr ſumptâ , pro æde S.Sophiæ Patriarchali , ſeù Cathedrali Conſtantinopolitanâ , ut ex textuali verborum ſerie , ſano modo intelleƈtâ , eniteſcit . Concilium enim limitat , & coarƈtat ſuum decretum ad ſolos Clericos *Magnæ Eccleſiæ* . Clerici autèm Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolis , erant Clerici Eccleſiæ Patriarchalis , ſeù Cathedralis illius Urbis ; Divinæ Sapientiæ, ſub Sanƈtæ Sophiæ nomine , dedicata , de quâ Cangius : *Sanƈtæ Sophiæ, ſeù divinæ ſapientiæ auguſtiſſimum templum, diuque vulgari nomine Magnæ Eccleſiæ appellatione donatum , cæteris , quæ in urbe Conſtantinopolitanâ excitata ſunt , ſemper præcelluit , quod Patriarchæ præſertim ſedes , ac proindè primarium & totiùs Orientis præcipuum haberetur* (*g*) . Nullum paritèr huic ſimile fuiſſe tradit Paulus Diaconus (*h*) .

4. Auguſtum hoc Templum ædificavit magnus Conſtantinus (*i*) . Conſtantius ejus filius , illud latius ampliavit (*l*) . Sub Arcadio Cæſare conflagravit (*m*) . Theodoſius junior ipſi reparando , anno Imperij ſui ſeptimo , incubuit (*n*) . Demùm Juſtinianus prolixioribus extenſum ſpatiis , novitèr à fundamentis illud erexit , induſtriâ Anthemii Tralliani , & Iſidori Mileſij , celebrium Architeƈtorum , de quibus Procopius (*o*). Opuſque tantæ vaſtitatis hoc fuit , ut Vvillelmo Malmesburenſi teſte, eſſet *omnibus per orbem ædificiis magnificentius, quodque certâ rerum facie inſpeƈtum , vincat ampullata verba referentium* (*p*) . Sacram hanc ædem paſſim conſueviſſe vocari *Magnam Eccleſiam*, ex antiquitatis, tam ſacræ, quam profanæ diſcimus monumentis . Nàm in Concilio Nicæno II. generali VII. eſt epiſtola ſynodalis, direƈta *Deo amabilibus Sacerdotibus , & Clericis , tam ſanƈtiſſimæ Dei Magnæ Eccleſiæ , quam omnium Eccleſiarum à Deo conſervatæ Regiæ Civitatis* (*q*) . Paritèr in Concilio Conſtantinopolitano ſub Agapito Papâ I. , & Mennâ Patriarchâ illius Urbis , dicitur, Synodum conveniſſe *in atrio Occidentali ædis Dominæ noſtræ Sanƈtæ , & glorioſæ Deiparæ , & ſemper Virginis Mariæ , quæ eſt propè ſanƈtiſſimam Magnam Eccleſiam* (*r*) , ſignificans coaluiſſe ſynodum in unâ ex ædibus , quæ adiacebant Eccleſiæ S. Sophiæ : erantque tres , nempè prima ſacra ædes, Deiparæ à Verinâ uxore Leonis Magni Imperatoris ereƈta. Secunda S. Theodori Martyris ædificata à Sporatio. Et tertia S. Irenes : in quibus , tamquam ipſi Magnæ Eccleſiæ connexis , Clerus S. Sophiæ diebus determinatis laudes Deo perſolvebat , & ſacra faciebat (*s*) .

5. Idem attributum *Magnæ Eccleſiæ* dant Hiſtorici præfatæ inſigni ædi S. Sophiæ Conſtantipoleos: nàm Theophanes ità loquitur, *faƈta ſunt encænia ædis S. Irenes*

(a) Concil. Conſtantinopol. 4. c. 23

(b) *Vide ſuprà cap. preced. 4. n. 3.*

(c) 3. Regum cap. 6. 7. & 8.

(d) *Deuteron. c. 3. n. 29. Judicum c. 27. n. 46 3. Regum cap. 11. n. 17. Iſaiæ c. 65. n. 6 Jeremiæ c. 43. n. 12*

(e) *S. Cyprian. ep. 69 ad Papian.*

(f) *S. Auguſt. epl. 32*

(g) Carol. du Freſne du Cange Conſtantinopolis Chriſtiana l. 3.

(h) *Paul Diac l. 1. c. 25*

(i) Niceph. Calliſt. hiſt. lib. 7. cap. 49.

(l) *Socr. hiſt. l. 2. c. 16.*

(m) *Socr lib. 6. c. 16.*

(n) *Chronic. Alexan. & Codinus.*

(o) *Procop. lib. 1. de ædific Juſtin cap. 3.*

(p) *Willel. Malmeſbur. lib 4.*

(q) *Concil. Nicæn. 2 Act. 2.*

(r) *Conc. Conſtantinopol. an. 536. in princ. cujusl. Aƈtion.*

(s) *Cangius ubi ſupr. l. 3 f 72 n. 78, & l 4 f. 86. n. 11, & f. 148. n. 19*

Digitized by Google

nes in Sycis trans portum, & ſanctę reliquię ex Magnâ Eccleſiâ proceſſere cum duobus Patriarchis Menâ Conſtantinopolitano, & Apollinario Alexandrino &c. (*a*) Cedrenus memorans electionem Thomæ in Præſulem Conſtantinopolitanæ ſedis, dicit, quod erat Subdiaconus, *& Sacellarius Magnę Eccleſię* (*b*). Nicephorus laudat Cyriacum anteceſſorem Thomæ, aſſeritque illum fuiſſe presbyterum, & Oeconomum *Magnę Eccleſię* (*c*). De hoc eodem ſic proloquitur Joannes Zonaras, *promovetur Cyriacus presbyter, & Oeconomus Magnę Eccleſię* (*d*). Aliquando Auguſta hæc ędes dicitur *Eccleſia Major*, & ita illam vocat Albo Floriacenſis in Hormiſdâ (*e*). Ità Socrates, de Juſtiniano dicens, *Imperator Majorem Eccleſiam fabricavit, quę nunc Sophię dicitur* (*f*). Ità demum Marcellinus Comes affirmans: *Eccleſia Major Conſtantinopoli ab Imperatore Juſtiniano ſingularitèr in mundo conſtructa dedicatur 6. Kalendas Januarii* (*g*) ſed obvia, & conſueto modo loquendi, antonomaſticè Baſilica S. Sophiæ conſuevit *Magnę Eccleſię* titulo decorari. In Menologio Græco, mentione habitâ de Sancto Metrophane, ſcriptum legitur *celebratur ejus feſtum in ſanctiſſimâ Magnâ Eccleſiâ, in venerandâ illius ęde, juxtà S. Martyrem Acacium, in Heptaſcalo ſita* (*h*) de Templo S. Irenes Juſtinianus Cęſar effatur, *erat vero venerabilis ædes S. Irenes ſanctiſſimæ Magnæ Eccleſiæ adjuncta* (*i*). Hęc tempore Leonis Iſaurici terremotu quaſſata eſt, undè S. Nicephorus, *divinum Templum, quod S. Irenes nomine appellant, & proximò Magnam Eccleſiam ſitum eſt*, concuſſit (*l*).

6. Ex his patet, quod nomine Magnę Eccleſię non niſi ędes auguſta S. Sophiæ ſignificatur, Cathedralis, & Patriarchalis, ac primaria in Urbe Conſtantinopoleos. Ad quod probandum ſi adhuc alia deſiderantur; ſatisfiat voto petentium. Georgius Cedrenus, notus hiſtoricus, recenſens lapſum fornicis ejuſdemmet Eccleſiæ, dicit: *Trulla ſanctæ Dei, Magnęque Eccleſię, fornicata, lapſu ſuo Ambonem, & Soleam, quę ex onychite lapide erat, contrivit, & in pulverem convertit* (*m*). Porrò Eccleſia à Cedreno deſcripta, erat Eccleſia, cui inerat *Solea*: hæc autem erat Cathedralis Conſtantinopolitana, in quâ Patriarcha cum ſuo Clero officia ſacra exercebat, de quo Codinus: *At Patriarcha propè Soleam ſtans, recitat orationem* (*n*). Et Simon Theſſalonicenſis, *Subdiaconos, & Lectores ſedere oportet extrà bema circà Soleam* (*o*). Curopalates quoque, & Cantacuzenus affirmant, quòd Imperator, quotiès Patriarchę appropinquare volebat, per Soleam pertranſibat (*p*): quarè dubitari non poteſt, quin Cedrenus vocans *Magnam Eccleſiam* illam, quæ habebat Soleam, Eccleſiam Cathedralem Conſtantinopolis intellexerit, in quâ Patriarcha, Imperator, & Clerus ad Soleam, & circà Soleam functiones eccleſiaſticas exercebant: prę magnitudine autèm, & prę vaſtitate, vel figuratè per antonomaſiam, illam nuncupat nomine *Magnæ Eccleſiæ*, quâ etiam voce illam denominant Procopius (*q*), Nicephorus (*r*), & alii ſuperiùs memorati.

7. Rem adhuc clariùs elucidat Conſtitutio Juſtiniani Imperatoris, de *Emphaniſticâ* perſolvendâ, quę & *Inſinuativa* alibi dicitur (*s*), eratque olim quędam contributio Eccleſię Cathedrali Conſtantinopoleos erogenda, ab illis Clericis, qui ejuſdem Eccleſię albo adſcribebantur, ſeù qui in eadem ſtipendia Clericalia, quod idem eſt ac beneficia eccleſiaſtica, recipiebant: prout etiam nùnc in quibuſdam orbis Eccleſiis, Canonici, Manſionarii, & alii Beneficiarii, cum primò prębendarum ſuarum poſſeſſionem adipiſcuntur, quandam pecunię ſummam perſolvunt, Eccleſię uſibus applicandam (*t*), non obſtante Decreto Concilii Tridentini, ſic reſonante: *ne in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel aliâ proviſione, ſivè admiſſione ad poſſeſſionem alicujus Cathedralis Eccleſiæ, vel beneficii, canonicatuum, aut præbendarum &c. certæ conditiones &c. promiſſiones, compenſationeſve illicitæ, aut etiàm, quæ in aliquibus Eccleſiis dicuntur turnorum lucra, interponantur* (*u*): quod & olim adversùs ſimiles, & quaſcumque exactiones, in beneficiorum collatione, ſivè receptione faciendas, latè damnavit Concilium Baſileenſe (*x*): talitèr nihilominùs, ut Concilium Fri- ſingen-

(a) *Theophan. ad ann. 25. Juſtinian.*
(b) *Cedren. an. 606. Phocæ Imper. 4.*
(c) *Niceph. Calliſt. lib. 16 c. 11.*
(d) *Joan. Zonaras ad temp. Mauritii.*
(e) *Albo. Floriac. Vit. Pontif. in Hormiſda.*
(f) *Socrat. hiſt. lib. 2. cap. 16.*
(g) *Marcel. Comes Congius Conſtantinopolis Chriſtiana f. 9 n. 5*
(h) *Menolog. die 4. Junii.*
(i) *Juſtinian. Novel. 3. cap. 3.*
(l) *S. Nicephorus in Breviario.*
(m) *Cedrenus in ſua hiſt.*
(n) *Codinus cap. 17. de offic.*
(o) *Simon Theſſalon. ap. Magri mox citand.*
(p) *Magri vocab. Eccleſ. V. Solea.*
(q) *Procopius de ędif. Juſtinian c. 1. ad fin.*
(r) *Nicephor. Calliſt. lib. 18. c. 40.*
(s) *Authentic. Plurimas. Ut quæ vocatur &c. tit. 9. f. 207.*
(t) *Riccius prax. for. Eccl. res 489. n. 2. Barboſ. de Canon. cap. 15. n. 29. & 10.*
(u) *Conc. Trid. ſeſ. 24. cap. 14.*
(x) *Conc. Baſileenſ. ſeſ. 21.*

nopoleos religatum, relictis aliis Eccleſiis in ſuo eſſe: ideòque, quidquid ſit de jure Cathedralis Conſtantinopolitanæ, repellendi ab ejus beneficiis extraneos; non ſequitur exindè, quod & ejuſdem juris alię quoque Eccleſiæ totius orbis ſint compotes.

10. Quemadmodùm, licèt parilis ſit cunctarum Orbis Eccleſiarum conditio, attamèn *Emphaniſtica*, ſeù Inſinuativæ exactio ſoli Cathedrali Conſtantinopolitanæ eſt indulta, & cæteris Eccleſiis Orbis, & Urbis Conſtantinopoleos interdicta, quià in aliis Eccleſiis non concurrebant particulares illę rationes, quæ Cathedrali Conſtantinopolitanę proficiebant; ideòque Juſtinianus in ſuâ Conſtitutione ad Mennam Urbis Regię Archiepiſcopum directâ, decrevit, *Sancimus Beatitudinem tuam hoc validiſſimè cuſtodire, ut ſiquidem conſuetudo eſt, dare eos, qui ordinantur in ſanctiſſimâ majore Eccleſiâ; hoc eos præbere: nihil enim ex his, quæ dantur in ſanctiſſimâ majore Eccleſiâ, novamus. Prætereà verò in aliis omnibus nullo in eis Clericorum licentiam eſſe penitùs prò iis, quæ vocant Inſinuativa aliquid ferre* (a). Sicut ergò, licèt ubilibet æqualis ſit omnium Eccleſiarum, & Clericornm conditio, adhùc tamèn non poterat ubilibet exigi *Emphaniſtica*, ſeù *Inſinuativa*, ob peculiares cauſas Patriarchali Eccleſię Conſtantinopolitanæ, conceſſa; ità licèt ubilibet ſit æqualis omnium Eccleſiarum, & Clericorum conditio; non tamèn poſſunt ubilibet ab eccleſiaſticis beneficiis reiici extranei, quos ob ſpeciales cauſas voluit Concilium Conſtantinopolitanum à majori Eccleſiâ ipſius Urbis Regię relegari.

(a) *Juſtinian. Novel. 56. tit. 11.*

11. Una autèm ex rationibus particularibus, quę prævaluerunt prò Cathedrali Eccleſiâ S. Sophiæ, Byzantii erectâ, quam, ut innuimus, Græci Magnæ Eccleſię nomine decorarunt, quibus addi poſſunt Simocatta (*b*), & Sozomenus (*c*), eſt illa, quę deducitur ex Novellâ Juſtiniani ad Epiphanium Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum directa, recenſente, quod aliàs ipſe Imperator generali lege taxaverat menſuram Clericorum, ſervitio quarumlibet Eccleſiarum, tùm Archiepiſcopalium, tùm Epiſcopalium, conſonantem. Sed nùnc, ſpeciali conſtitutione, ſolam Conſtantinopolitanam Diœceſim proſpiciente, diſponere, de numero Clericorum inibi ordinandorum, quatenùs cùm olim erecta fuiſſet Conſtantinopoli Eccleſia S. Sophiæ, necnon alias ædificaſſent fideles alii, earum conſtructores, quas & congruis reditibus inſtruxerant, prò competenti Clericorum numero alendo; tamèn Epiſcopi Conſtantinopolitani, ob quorumdam preces, & officia, pertrahebantur ad ibidem ordinandos plures, quàm reditus ipſarum ſufficerent Eccleſiarum, quę propterà, & præſertim Eccleſia magna uſuris, mutuis, & ęre alieno valdè implicabatur, ut poſſet cunctis ſtipendia congrua miniſtrare. Accedebat, quod Clerici per Eccleſias minores Conſtantinopolis ordinati, ac alibi etiàm per Provincias promoti, ut Eccleſiis propriarum Urbium deſervirent; Magnatum officia, & Potentum protectionem interponentes, inſeri Clero Eccleſiæ S. Sophiæ impenſiùs anhelabant; quarè operæ pretium erat ſingulis quibuſque Eccleſiis regiæ illius Urbis, Clericorum numerum definire, ne propter eorum exuberantiam, ultrà vires, Eccleſiæ gravarentur.

(b) *Simocatta hiſtor. Maur. l. 8. c. 8.*
(c) *Sozom. Hiſtor. lib. 4. c. 26.*

12. *Dudùm*, loquitur Imperator, *quidèm communi, & generali lege, & ad tuam beatitudinem, & ad reliquos Sanctiſſimos Patriarchas ſcriptâ de ordinatione venerabilium Epiſcoporum, & reverendiſſimorum Clericorum &c. ut non ampliùs ſint ab antiquâ menſurâ, qui ordinantur, diſpoſuimus, quod nobis videbatur benè ſe, & competentèr habere &c. Præſentem verò legem ſpecialem ad tuam beatitudinem ſcribimus, de numero reverendiſſimorum Clericorum, qui in hac Urbe ſunt, diſponentes. Quià enim penè nihil immenſum bonum eſt; competens eſt, neque ordinationes, quæ ſuper reverendiſſimis Clericis fiunt &c. fieri tantas, ut illorum expenpenſis ſanctiſſima Eccleſia incidat in cauſam maximorum mutuorum, & paulatìm ad noviſſimam inopiam deponatur &c. Cum verò Deo amabiles Epiſcopi ad aliquorum preces ſemper reſpicientes, protracti ſunt ad ordinationum multitudinem, aucta quidèm eſt expenſarum quantitas ad immenſitatem multam; creditores autem jam*

undique, & uſuræ, & noviſſima inopia eſt &c. Sancimus igitur, eos quidem, qui hactenùs ſunt in eâdem ſanctiſſimâ majore Eccleſiâ, & reliquis omnibus venerabilibus domibus, reverendiſſimos Clericos &c. manere in quo ſunt ſchemate, non enim quod eſt numerus minuentes, hæc ſancimus: reliquo verò tempore nulla fiat ordinatio, donèc ad antiquum numerum inſtitutum ab iis, qui ſanctiſſimas Eccleſias ędificaverunt, reverendiſſimorum Clericorum quantitas redigatur (a).

(a) *Authent. dudum. Ut determ. ſit num. cler. coll. 3. tit. 3.*

13. Pergit Conſtitutio Imperatoris, & ſubſequitur: *Illud quoquè adijciendum eſt, ut quod hactenùs non decentèr fiebat, nequaquàm in republicâ geratur, ideſt multos reverendiſiimorum Clericorum dedignari quidem in iis, quibus ordinati ſunt ſanctiſſimis Eccleſiis, aùt hìc, aùt in Provinciis deſervire: ad ſanctiſſimam verò majorem Eccleſiam, & venerabilem Clerum ejus per patrocinium quodlibet accedere, quod de cætero fieri prohibemus &c. Si verò, & aliquandò talem quandam migrationem tua beatitudo, aut per tempora Imperium fieri perſpexerit; non alitèr hoc agi, antequàm ad prædictum à nobis numerum cauſa redigatur, ut migratio in officium deficientis fiat, & non ſuprà numerum aliquid omninò excedatur &c.* Notetur hìc, quod Eccleſia S. Sophiæ, quæ à Concilio Conſtantinopolitano IV. titulo *Magnæ Eccleſiæ* diſtinguitur, in præſenti lege Imperatoriâ, ſemèl & iterùm *Eccleſię Majoris* titulo denuntiatur. Quo titulo etiam connotatur ab Innocentio PP. III. mandante ut Patriarcha, undecumque Clericos dignos in Conſtantinopoleos *Eccleſiis, & maximè in majori inſtituere non poſtponat* (b). Ubi ergò anteà numerus deſervientium magnæ, ſeù majori Eccleſiæ Conſtantinopolis, & ab eâ ſtipendia recipientium erat nongentorum quinquaginta (c), Imperator illum redigit ad numerum quadringentorum viginti quinque, & centum Oſtiariorum (d), vetatque ne major numerus Clericorum in eâ ordinetur, & nec ad preces aliquorum, nec per patrocinia Potentum, tale ſchema alteretur, nec alieni Clerici, ſivè aliis Regiæ Urbis Eccleſiis affixi, ſivè aliundè ex aliis Urbibus, vel Provinciis venientes, Clero magnæ Eccleſiæ inſerantur, niſi ad beneplacitum Patriarchæ, quoties locum aliquem intrà dictum numerum vacare contigerit.

(b) *Cap. ad decorem 5. de Inſtitution.*

(c) *Leg. non plures C. de Sacr. Eccleſ.*

(d) *D. Authen. dudū Ut determ. tit. num. Cler.*

14. Porrò Conſtitutio hæc optima fuit, & ſapientiſſimè promulgata, ut redituum introitus earum exitui congruè reſponderet. Verùm ipſa quamcitò à ſui obſervantiâ deſcivit, nam ubi Juſtinianus præfinierat, nè Clerus S. Sophię plus quam 60. presbyteros contineret, Diaconos 105. Diaconiſſas 49. Subdiaconos 90. Lectores 100. & Cantores 25. prætèr centum Oſtiarios jam enunciatos (e), crevit ſenſim Clerus ipſe ad numerum uberiorem, ac tàm effuſum, ut nec Sedes ordinibus quibuſque aſſignatæ, Clericos ipſius categoriæ caperent, nec reditus Eccleſiæ illorum ſtipendiis eſſent ſatis. Quarè Sergius Patriarcha, ut hanc nimietatem Cleri aliquo modo compeſceret, Heraclium Imperatorem induxit ad aliud ſchema edicendum (f), quod ſub his terminis fecit, ut presbyteri eſſent 80. Diaconi 150. Diaconiſſæ 40. Subdiaconi 70. Lectores 160. Cantores 25. Oſtiarii 75. (g). Nec intra hos limites, tametſi effuſiores, numerus Cleri conſtitit, ſenſim iterum auctus, adeò ut Eccleſia, ære alieno gravata, propter expenſarum exceſſum, paſſa ſit in ſacrorum exercitio deliquium, nec jam ibi ſanctum ſacrificium celebraretur, niſi ſolis diebus feſtis, & ſabbatis, donec Conſtantinus Monomachus Imperator *liberalitèr ſupplevit, ut quotidie Miſſa celebraretur in eo Templo* (h). Itàque Conſtitutio Juſtiniani non fuit generalis prò omnibus Orbis Eccleſiis, ſed particularis, & localis ad ſolam Eccleſiam Conſtantinopolitanam limitata: nomineque Eccleſiæ in ipſâ Conſtitutione, non tota Diœceſis intellecta eſt, Patriarchę Conſtantinopolitano, uti Epiſcopo illius loci, ſubjecta; ſed ſola Eccleſia major S. Sophiæ, Cathedralis, & Patriarchalis Regiæ illius Urbis, quam *Magnam Eccleſiam* conſueviſſe dici jam ſuprà oſtendimus, & Eccleſiam *majorem* hìc nuncupat Imperator: quælibet namque Cathedralis ſolita eſt appellari, vel *Eccleſia principalis* (i), vel *Eccleſia ſenior* (l), vel *Eccleſia mater*, vel *major*, vel *matricalis*, aut alio conſimili epitheto denuntiari (m).

(e) *Card. Baron. anno 535. n. 21*

(f) *Baron. ann. 628. num. 4.*

(g) *Novel imper. l. 2 Novel. 4. Scylitzes l. 3. Cangius Conſtantinopolis Chriſtian. l. 3. f. 72*

(h) *Scylitzes, & Cangius loc. cit.*

(i) *Concil. Tolet. 11. c. 3.*

(l) *Jo. Fileſac. de orig. parœciar. c. 1. & 2.*

(m) *Vid. cap. ſcriptū 40. de elect. & cap. venerabili 22. de verb. ſignif. Vid ſup. to. 1. c. 12. n. 20.*

13. Do-

15. Docemur itàque ex recenſitæ legis paginâ, opus fuiſſe, ut ſpecialem conſtitutionem ederet Imperator, ad arcendum ab officiis, & beneficiis Eccleſiæ Cathedralis Conſtantinopolitanæ Clericos extrinſecùs advenientes: hos verò fuiſſe ab illâ protelatos, non quà alienigenas, & extraneos (cum ibi clarè detur Epiſcopo Conſtantinopolitano poteſtas aliundè tranſmigrantes ad ſe Clericos accipiendi, dummodò præfinitus à lege numerus non excedatur) ſed quà ſuperexcedentes numerum definitum: hocque ne reditus magnæ illius Eccleſiæ erogationibus quaterentur inſolitis, & plus oneris in ſe acciperent, quam poſſent vires propriæ ſuſtinere. Rursùs docemur, ab eâdem Eccleſiâ fuiſſe repulſos, nedùm Clericos ex alienis Provinciis, & Urbibus advenientes, verùm etiam nativos, & indigenas ipſius Civitatis Conſtantinopolitanæ, quoties numerum, prout ſuprà taxatum, tranſilirent: Eo modo, quo nùnc, ab Eccleſiæ, verbi gratiâ, Cathedralis Neapolitanæ canonicatibus, & præbendis, arceretur quilibet Clericus, ſive Neapolitanus, ſive Regnicola, ſive Italus, ſive undecumque nativus, quandò nullus ex canonicatibus, vel præbendis dictæ Eccleſię vacaret. Huc ergò proſpexit canon Concilii IV. Conſtantinopolitani, voluitque ut taxato jam per leges numero Clericorum, Eccleſię S. Sophiæ famulantium, ſicuti numerum ipſum tranſgredi nefas erat, ità quoties vacabat aliquis locus, non ille daretur Clerico alterius Eccleſiæ, intrà, vel extrà Conſtantinopolim conſtitutę, ſed alicui Clerico ipſius Eccleſiæ S. Sophię, ut de minori ad majorem gradum aſcenderet, aliuſque poſteà in locum à sè relictum, extraneus ſubintraret. Decretum ergò Concilii, tamquàm locale, & ad ſolam Eccleſiam S. Sophiæ limitatum, atque ob particulares rationes in hâc Baſilicâ concurrentes, editum; excludens quoque nedùm extraneos, ſed etiam indigenas, intrà corpus Cleri illius Eccleſiæ non comprehenſos; nullum omninò gradum probationis conſtituit pro cunctis aliis Orbis Eccleſiis, ut ab eis debeant Clerici extranei refutari. Et ſic viget libertas Eccleſiæ in diſtributione beneficiorum, ut poſſit ea licitè Clericis etiam extraneis elargiri.

16. Reſpondetur *ſecundò* ad argumentum, iterùm negando aliud ſuppoſitum, nempè quod Concilium Cònſtantinopolitanum IV. repellat à beneficiis eccleſiaſticis extraneos *Clericos*. Si ejus enim verba benè perpendantur, invenietur loqui non de *Clericis extraneis*, ſed potius de *Laicis indigenis*, qui ſe Clero S. Sophiæ malis artibus intrudebant: & præſertim de familiaribus Principum, & Potentum, qui ſive in Urbe Regiâ, ſive in ejus villis, & palatiis ſuburbanis, Magnatibus deſervientes; quoties vacabant gradus, & prębendę in magnâ Eccleſiâ Patriarchali, ipſi, freti patrocinio dominorum ſuorum, officium vacuum conſequi ſatagebant, nec rectâ viâ, neque vocati ad Sacerdotium, ut Aaron (*a*), ſed intruſi ut Ozias ad ea exercenda, quæ ſacrorum tantummodò erant propria Sacerdotum (*b*), & ità conſpicuo illi Clero ſe artificiis, & prænenſationibus inſerebant. Legantur verba Concilii: *decernimus, ut magnę Eccleſiæ Clerici, qui in ſubjectis ordinibus morati ſunt, ad majores gradus aſcendant: & ſi digni claruerint, melioribus perfrui mereantur honoribus &c. Sed non ex his, qui foris ſunt aliqui ſe his innectentes, debitas eis, qui multo tempore laboraverant, dignitates, vel honores recipiant, ac per hoc inveniantur Eccleſiæ Clerici nullo modo proficere. Nullatenùs autem habeant poteſtatem, qui Principum domorum, ſeu ſuburbanarum rerum curam geſſerint, inter Clerum magnę Eccleſiæ colligi, vel conſtitui* (*c*). Loqui ergò videtur Concilium, non de Clericis extraneis, ſed de Laicis indigenis, vel intrà, vel circà Urbem Conſtantinopoleos commorantibus, qui irregularitèr, & incongruè affectabant Clero S. Sophiæ, non rectâ viâ, ſed per cuniculos inſilire: cujus rei ne dubitatio poſſet accidere, Concilium dat rationem ſuæ ſanctionis, adjungens, *nemo quippè Deo militans, ſæculi negotiis implicatur*. Ex quibus latè dignoſcitur canonem non Clericos extraneos, ſed Laicos potiùs indigenas connotare; nèc illos, ſed hos, à beneficiis, & officiis *Eccleſiæ magnæ* Regiæ illius Urbis repellere.

(a) *Hebræorum cap. 5. n. 4.*

(b) *2. Paralip. cap. 26. num. 18.*

(c) *Concil. Conſtantinopol. 4 c. 13.*

17. Sanè vetuerat Concilium Sardicenſe, ne laici ſubito ſaltu à ſago ad togam, à vi-

à vitâ ſæculari ad eccleſiaſticos gradus, & miniſteria ſacra tranſirent: *conveniens*, inquit, *non eſt*, *nec ratio*, *nec diſciplina patitur*, *ut temerè*, *vel levitèr ordinetur*, *aut Epiſcopus*, *aut Presbyter*, *aut Diaconus*, *qui Neophytus eſt &c. Sed ſi quorum per longum tempus examinata ſit vita*, *& merita fuerint comprobata &c.* (*a*). Vetuerat D. Leo Papa I. ne ad hierarchicos ordines, quiſquam repentino tranſitu perveniret, dicens: *ſtatutum eſt nè primum*, *vel ſecundum*, *aut tertium in Eccleſiâ gradum quiſquam laicorum*, *quibuslibet ſuffragiis fultus aſcendat* (*b*). Vetuerat Concilium Illyricum, apud Theodoretum, *nè Presbyteri*, *& Clerici ex curiâ*, *aut militari officio*, *ſed ex Clero aſſumantur* (*c*). Vetuerant Concilium Bracarenſe I. (*d*), atque Romanum ſub Symmacho (*e*): Vetuerant Papę Vigilius (*f*), Gregorius Magnus (*g*), Hadrianus I. (*h*), & Nicolaus itidem I. (*i*), ne laicus de repentè ad gradus eccleſiaſticos evolaret. Sed quià Magnatum, & Principum auctoritas, & potentia, ſæpè hanc juſtiſſimam obſervantiam lacerabat; Concilium Conſtantinopolitanum IV. primò canonem edidit, excludentem Senatores, & quoſcumque alios laicos, à præcipiti ad Epiſcopalem ordinem provectione (*l*): Tùm alium addidit canonem, obſiſtentem, ne quis Epiſcopatum, potentiâ Magnatum fretus, acciperet (*m*). Demùm utrique inobſervantiæ, quoàd minores quoque gradus occurrens, diſpoſuit, ne laicis feſtinato illapſu acceſſus ad ordines, & officia, in magnâ Eccleſiâ Regalis Urbis, potentum patrocinio, pateret: hocque tùm *quià nemo Deo militans negotiis ſæcularibus implicatur*: tùm quià juſtum erat, *ut qui in ſubjectis ordinibus morati erant*, *ad majores gradus aſcenderet*: tùm denique quià aliàs torporem Clero magnæ Eccleſię ingeſſiſſet, videre, quod vacantium prębendarum loca, non veteranis Clericis, & diuturno labore promeritis, ſed neophytis, & extranſverſo irrumpentibus ſęcularibus præberentur (*n*).

18. *Quid proderit*, inclamabat S. Cœleſtinus Papa I. *per ſingula Clericos ſtipendia militaſſe*, *& omnem egiſſe in Dominicis caſtris ætatem*, *ſi hi*, *qui præfuturi ſunt*, *ex laicis requirantur* (*o*)? Sæculares ad ſæcularia tractanda ſunt idonei; ſed ad eccleſiaſtica inepti, minuſque honoratur presbyter citò factus, qui cum pullâ veſte nomen aſſumit Clerici, ſed mores retinet ſæcularis: *heri*, clamabat S. Hieronymus, *in amphitheatro*, *hodiè in Eccleſiâ*, *veſpere in circo*, *mane in Altario &c. Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem*, *& manſuetudinem*: *ignorat blanditias chriſtianas*: *neſcit ſè ipſum contemnere*: *de dignitate transfertur ad dignitatem*: *non jejunavit*, *non flevit*, *non mores ſuos ſæpè reprehendit*, *& aſſiduâ meditatione correxit*, *non ſubſtantiam pauperibus erogavit &c. Judicium*, *& ruina diaboli nulli dubium eſt*, *quin arrogantia ſit*: *incidunt in eam*, *qui in puncto horę*, *necdum diſcipuli*, *jàm magiſtri ſunt* (*p*). Optimè igitùr Concilium Conſtantinopolitanum IV. omnibus his in convenientibus volens occurrere, favore Eccleſiæ S. Sophiæ, canonem edidit, de quo loquimur. Aſt ejus ſanctione non Clericos extraneos repulit ab officiis, & beneficiis magnæ illius Eccleſiæ, ſed laicos abſtinuit, eximiæ ipſius Baſilicæ Clero ſe malis artibus inn ectenſes. Itàque cum Concilium nihil definiat, quod quæſtionem noſtram attingat, de excludendis generalitèr Clericis extraneis à beneficiis quarumcumque Eccleſiarum; neſcimus videre quodnam præſidium hìnc queant Contradictores accipere, ut confidentèr aſſeverent, ex Concilio Conſtantinopolitano inconcuſsè probari, Clericos extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos.

19. Reſpondetur *Tertiò* ad argumentum, denuò negando aliud ſuppoſitum, nempè quod quatenùs etiam Concilium Conſtantinop. IV. ſit intelligendum de Clericis; adhùc tamen per ly *ex his*, *qui foris ſunt*, ſignificentur Clerici extranei, ſeù aliundè nativi, & alienigenę: illos enim intelligit Concilium in ſuo canone, quos intelligit Juſtinianus in ſuâ lege, excludente à ſervitio majoris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Clericos *extrinſecus introductos* (*q*). Sed per Clericos extrinſecùs introductos, Imperator non ſignificat Clericos extrinſecos, quà advenas, & extraneos, ſeù aliundè natos; ſed quà ſuperexcedentes numerum definitum; ergò etiam

Con-

(a) *Conc. Sardicenſ. cap.10.*

(b) *S. Leo epiſt. 84. & 88.*

(c) *Theodoret. l. 4. c. 9*

(d) *Conc. Bracarenſ. I. cap. 38.*

(e) *Conc. Rom. 4. ſub Symmach. cap. 2.*

(f) *Vigilius Papa epiſt. 8.*

(g) *Gelaſius 5. epiſt. 9. Vid. pigres epiſt. D. Greg. op. Sirmond. in tom. 1. Conc. Gall.*

(h) *Hadrian. I. epl. 1. ad Taraſium Binius to. 3. fol. 551.*

(i) *Nicol. I. ep. 2. 5. 6 ap. Bin. tom 5 Conc.*

(l) *Conc. Conſtantinopol. 4. c. 5.*

(m) *Conc. Conſtantinopol. 4. c. 12.*

(n) *Conc. Conſtantinopol 4. c. 13.*

(o) *Cæleſtinus I. ep. 3*

(p) *S. Hieron. ep. 38. ad Oceanum.*

(q) *Authent, legem col. 3. tit. 3. de menſ. ordinand.*

Concilium per ly *qui foris ſunt*, non intelligit Clericos extrinſecos, quà advenas, & extraneos, ſed quà non comprehenſos intrà numerum eorum, qui Eccleſię Cathedrali Conſtantinopoleos erant addicti. Quarè ſicuti vi præfatæ Conſtitutionis Imperialis excludebantur à præbendis magnæ illius Eccleſiæ, nedùm Clerici aliunde nati, & extranei, ſed etiàm geniti in ipsâ Regiâ Urbe, & in eâ actualitèr commorantes, quandò non erant de numero addictorum ipſi Eccleſiæ; ità vi dicti canonis Conciliaris, excludebantur à præbendis ejuſdemmet Eccleſiæ omnes Clerici, nedùm alibi exorti, & advenæ, ſed etiam intrà Conſtantinopolis mœnia progeniti, & ibidem permanentes, quandò non erant in præfatæ magnæ Eccleſiæ catalogo recenſiti. Undè argumentum ſeriò conſideratum, vel nihil probat, quià non tendit ad excludendum extraneos: Vel nimium probat, quià excludit etiam indigenas, Eccleſiæ canoni non inſertos: ſicque ex alterutro latere claudicat, nulliuſque eſt ponderis, & momenti.

20. Reſpondetur *Quartò*, retorquendo argumentum. Nàm canon Concilii Conſtantinopolitani IV. tamquàm limitatus ad ſolam Eccleſiam S. Sophiæ, ità decrevit, ut inſignem illam Eccleſiam hoc ſpeciali afficeret privilegio, excluſivo extraneorum à beneficiis, & officiis ipſius. Ergò ſi Concilium generale cenſuit Eccleſiam S. Sophiæ indigere hoc ſpeciali privilegio, ad effectum ut poſſet extraneos à ſuis beneficiis repellere; jàm tacitè declaravit, quòd, ſecluſo privilegio, illicita eſt extraneorum ab Eccleſiæ beneficiis excluſio: nec eſt de jure naturali, neque divino, neque humano, ut prębendas Eccleſiaſticas ſoli indigenę conſequantur, quemadmodùm Contradictores comminiſcuntur. Alioquin ad quid titulo privilegii concedere magnæ Baſilicæ S. Sophiæ, Cathedrali Urbis Regię, & Patriarchali primi Pręſulis Orientis, id quod de jure divino, naturali, & humano, quibuslibet minoribus Eccleſiis, & parvulis Oratoriis, atque exiguis ſacris Ædibus debeatur? Privilegium eſt lex privata, ſive jus ſingulare contrà jus commune indultum (*a*); nec privilegium eſſet, niſi aliquid ſpeciale concederet, quod non ſit à communi jure conceſſum (*b*), *fruſtrà* etenim, inquit lex, *precibus impetratur quod à jure communi competit* (*c*), debet ergò aliquid operari, ut verè privilegium valeat appellari (*d*): ergò ſi jus excludendi à beneficiis extraneos datum fuit Eccleſiæ S. Sophiæ tamquam privilegium, patet, quod aliæ Eccleſiæ, privilegio tali non ſuffultę, vi cujus debeant Extranei ab earum beneficiis excludi; non minùs Extraneos, quàm Indigenas debent ad ſuarum prębendarum participationem admittere. Et ſic canon Conſtantinopolitanus, nedùm non probat extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos, ſed imò potiùs probat, eſſe ad eadem admittendos, unà cum indigenis, niſi Eccleſię ſpeciali privilegio ſint affectę, quod extraneos indè excludat.

(a) *Cap. privilegia diſt. 3. c. Abbate 25. de verb. ſignif. Azor. inſt. mor 10. 1. l. 5. c. 22 Abbas in cap. olim n. 7. de verb ſignif.*

(b) *Cap. Abbate 25 de verb. ſignif. Sylveſt. V. privilegium qu. 3. Azor. loc cit. qu. 2.*

(c) *Leg. 1. Cod. Theſaur. lib. 10.*

(d) *Cap. in his 10. & ibi Barboſ. n. 1. de privileg.*

21. Sit inductio ex privilegio Eccleſię Metropolitanę Florentinę, in quâ vi indulti Pontificii conceſſum eſt, ut quidam Clerici ſęculares abſque titulo beneficii, vel proprii patrimonii, poſſint ad ſacros ordines promoveri: *Notandum eſt*, inquit Philibertus Marchinus, *ad titulum paupertatis coactę Clericos Florentinæ Urbis, ex peculiari Eugenii IV. indulto, habere, ut ad majores ordines promoveri poſſint, dummodò ſint ex iis, qui in certo Cathedralis gymnaſio literis humanioribus operam navantes, eidem Eccleſię, & choro inſerviunt. Nequè tamen hoc indultum omnibus Clericis Florentinis conceditur, ſed determinato numero, quos ad ſacros ordines alternatìm, & ſucceſſivè præſentant, Archiepiſcopus prò tempore exiſtens, & Sereniſſimus Etrurię magnus Dux, habito prius à magiſtro ſcholę de vità, & moribus teſtimonio, nec non aſſignatis illis ob Eccleſiæ ſervitium certis redditibus, ſed tamèn tenuibus, et cum onere conferendi illis unam, aut alteram Capellaniam ejuſdem Eccleſiæ Cathedralis quamprimùm vacaverit* (*e*). Sanè de hoc jure non participant alię Eccleſię Chriſtianitatis, neque Italicę, neque Etruſcę, & neque intrà ipſam Urbem Florentinam erectę, quià eſt privilegium ad ſolam Metropolitanam illius Civitatis affixum. Et quidquid ſit, an in aliis etiam Eccleſiis eadem ratio ac in Florentinâ, concurrat; hoc nihil afficit, quià privilegium limites dictę Metropolis

(e) *Marchin. de Ordin. tr. 1. par. 6. c. 5. n. 6*

Digitized by Google

polis non excedit. Et quoties Pontifex hoc jus, uti ſpeciale privilegium, Cathedrali Florentinę conceſſit; procùldubio declaravit, de jure non eſſe, neque humano, neque naturali, neque divino, ut poſſint Clerici ſinè titulo, ſivè ad titulum paupertatis coactę, ad ordines promoveri. Eodem ergò modo, licèt eadem ratio in aliis Orbis Eccleſiis concurreret, vel concurrat, quę in Patriarchali Eccleſiâ S. Sophię Conſtantinopolis tùnc adfuit, quando Concilium Conſtantinopolitanum ab ejus præbendis Clericos arcuit, ipſius corpori non incluſos; adhùc tamen, quià privilegium Concilii fuit locale, orbitam Eccleſię S. Sophię non potuit tranſilire; & quià Concilium, hoc dictæ magnę Baſilicæ, tamquàm ſpeciale privilegium conceſſit; tacitè etiam declaravit, quod ſemoto privilegio, de jure humano, naturali, & divino, Extranei non ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi.

22. Reſpondetur *Quintò*: iterùm retorquendo argumentum ex alio capite. Nàm in tantùm, per Contradictores, excludendi ſunt in omnibus Eccleſiis Clerici extranei ab eccleſiaſticis beneficiis, quià in cunctis Eccleſiis concurrit par ratio, cum illâ, quæ movit Concilium Conſtantinopolitanum ad decernendum, ut Extranei à beneficiis S. Sophię eſſent extorres, hęcque ratio eſt illa, quam canon in proemio ſuę ſanctionis appoſuit, nempè, *quoniam eſt dignus Operarius mercede ſuâ* (a): Sed etiam Clerici aliundè nati, ſi admittantur ad famulatum Eccleſię, operantur in eâ, & uti eidem famulantes, ſunt digni mercede ſuâ; ergò etiam Clerici extranei, unà cum indigenis ſunt ad beneficia eccleſiaſtica promovendi. Nunquid enim non laboraverunt prò Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ Gregorius Nazianzenus (*b*), Euſebius Nicomedienſis (*c*), Anatolius Alexandrinus (*d*), Joannes Cappadox (*e*), Eutychius Amaſenus (*f*), Joannes Chryſoſtomus Antiochenus (*g*), & alii aliundè nati, qui thronum patriarchalem Conſtantinopolis tenuerunt? Hi viri, ſi licèt extranei, & per infinita terrarum ſpatia longè à Byzantio exorti, juſtè tamen, & legitimè patriarchale faſtigium in eâdem Eccleſiâ nacti ſunt, & prò miniſterio ſui laboris epiſcopales reditus ſunt adepti; nunquid non potuiſſent minora officia in eâdem Eccleſiâ conſequi, & prò ſuſceptis ibi muneribus, eccleſiaſtica ſtipendia, & mercedem ſuo operi debitam adipiſci? Quod autem licuit prędfatis viris, licuiſſet & aliis, licuiſſet & cunctis forinſecùs advenientibus. Et ſic, ſi valet argumentum Contradictorum, à mercede operantibus debitâ, poſtulatum; cum etiam Clerici extranei valeant in qualibet, & prò quacumque Eccleſiâ operari; ſequitur, quod etiam poſſint in unaquaque Eccleſiâ prębendas beneficiales, tamquam ſtipendia ſui operis obtinere: & per conſequens nedùm non ſint excludendi; ſed imò potiùs ad beneficia ſacra veniant admittendi.

(a) *Concilium Conſtpol.* 4. *c.* 21.
(b) *S. Gregor. Nazianz. Carm. de vitâ ſuâ.*
(c) *Socrat. l.* 2. *c.* 5. *Sozom. l.* 3. *c.* 4.
(d) *Card.* Baron. *ann.* 499 *n.* 103.
(e) Baron. *ann.* 517. *num.* 61.
(f) *Euſtatius in vit. Eutychii. Procopius, & alii.*
(g) *Socrates Hiſtor. lib.* 8. *c.* 2.

23. Reſpondetur *Sextò*: denuò retorquendo argumentum ex aliâ parte. Nàm Imperator in ſuperius allegatâ Conſtitutione (*h*), prohibet quidem ordinari in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ Clericos, taxatum numerum excedentes, ſed tamen à dicto numero non excludit Clericos forinſecùs advenientes, quoties valeant intrà ipſum numerum comprehendi: reſervat enim inibi poteſtatem tàm Patriarchæ, quàm Imperatori, Clericos aliundè illùc migrantes admittendi, & datâ loci vacatione, illos cum reliquis Baſilicę Divæ Sophię famulantibus, aggregandi: *Si verò*, inquit textus, *& aliquandò talem quandam migrationem tua beatitudo, aut per tempora imperium, fieri perſpexerit: non alitèr hoc agi, antequam ad prædictum à nobis numerum, cauſa redigatur, ut migratio in officium decedentis fiat &c.* (*i*). Concilium ergò Conſtantinopolitanum, quamvis decernat, non eſſe promovendos ad Officia *magnę Eccleſię* Clericos, *qui de foris ſunt*; Non tamèn irritam fecit prędfatam paginam Imperialem, ſed potiùs cum illâ fœdus, & uniformitatem ſervavit: ergò Concilium admiſit extraneos, vel jam tenore dictę legis patriarchali Clero aggregatos, vel qui, datâ vacatione intrà numerum, vi prefatæ legis, ejuſdem Eccleſię Clero poterant aggregari. Ergò per canonem Concilii Conſtantinopolitani, à Contradictoribus allegatum, prò eo quod probetur Extraneorum reprobatio ab eccleſiaſticis beneficiis; potiùs ſuadetur eoſdem, datâ vacantiâ loci nu-

(h) *Vid. ſupr. in hoc cap. n.* 12. *&* 13.
(i) *Authent. dudum, Ut determ. ſit num. col.* 1. *tit.* 1.

meralis

meralis, eſſe ad ipſamet beneficia ſacra admittendos.

24. Reſpondetur *ſeptimò* ad argumeutum, quod ſi ſtandum eſt decretis Concilii Conſtantinopolitani IV. melius eſt dimittere canonem 13. utpotè vel nihil, vel non niſi nubilosè, & confusè nobis obſiſtentem; & alium ex eodem Concilio decerpere, clarè, atque dilucidè perorantem: is eſt canon 18. ſingulis quibuſque Eccleſiis ſua privilegia relinquens, & ſub his terminis exaratus: *Placuit ſanctę, & magnæ Synodo, ut res, vel privilegia, quæ Dei Eccleſiis ex longâ conſuetudine pertinent, & ſivè à divę recordationis Imperatoribus, ſivè ab aliis Dei cultoribus in ſcriptis donata, & ab eis per annos triginta poſſeſſa ſunt, nequaquàm à poteſtate Pręſulis quæcumque perſona ſæcularis per poteſtatem ſubtrahat, aut per argumenta quælibet auferat, ſed ſint omnia in poteſtate, ac uſu Præſulis Eccleſiæ, quęcumque intrà triginta ſpatium annorum ab Eccleſiis poſſeſſa noſcuntur. Qui contrafecerit ut ſacrilegus judicetur, & donèc talia privilegia, & res reſtituerit, anathema ſit* (*a*). En quod quibuslibet Eccleſiis voluit Concilium ſua jura intemerata relinqui, ut quidquid per triginta annos poſſediſſe inveniuntur, ſivè jura ſint, ſivè privilegia, ſivè alia, nullâ eis poſſint ſæcularis poteſtatis cavillatione abſcindi, vel violentiâ perturbari. Nunquid autèm non eſt intèr jura eccleſiaſtica facultas conferendi ſacras præbendas & beneficia, vel ad ea nominandi, tùm Clericos indigenas, tùm extraneos?

25. Proculdubiò ità eſt: Nàm ſivè Papa, ſivè Epiſcopi, ſivè inferiores Ordinarii, præbendas, & beneficia conferant, ea nomine Eccleſiæ conferunt. Sivè Imperator, ſivè Reges, ſivè alii Clerici, aut Laici, delegati beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, beneficia conferant, aut reſpectivè ad illa præſentent; ſemper nomine Eccleſiæ conferunt, nominant, aut præſentant, & jus eccleſiaſticum exercent, ſibi ab Eccleſiâ conceſſum, vel privilegio peculiari, vel indulto generali, in corpore Juris clauſo, & totam ſuam vim ab ipſius Eccleſiæ approbatione trahente. Jus autem hoc uſque nùnc fuit liberum, & nedùm à trigintà, ſed etiàm à trecentis, quingentis, & millenis annis, & ultrà, tamquàm liberum ab Eccleſiâ poſſeſſum eſt, ut ſemper, ab initio Eccleſię uſque ad hanc ętatem, fuerit in libertate Collatorum, vel Nominatorum, eccleſiaſtica beneficia, tam Clericis extraneis, quàm indigenis prò eorum libito contradendi. Ergò vi canonis pręfati, non debet modo hoc jus Eccleſiæ violari, & antiqua ejus libertas novis cavillationibus coarctari. Aliàs ſivè Princeps, ſivè Doctor, ſivè Miles, ſivè alius, aut calamo prævalens, aut gladio, hanc libertatem impugnet, à Concilio *ut ſacrilegus judicatur, & donec talia privilegia, ſivè res reſtituerit*, anathematis fulmine ſauciatur. Itàque ex Concilio Conſtantinopolitano, nedùm non probatur intentum Contradictorum, ſed imò potiùs ſententiâ noſtrâ comprobatur: totâque rerum ſummâ computatâ, quam hucuſque appoſitè ad canonem Conſtantinopolitanum à Contradictoribus allegatum, ſeptiformi reſponſione produximus, abundè verificata remanet libertas Eccleſię pręficiendi beneficiis unà cùm indigenis, etiam Clericos extraneos. Nunc ad alia Concilia ſex prioribus Chriſti Sæculis celebrata opportunè tranſeamus.

26. *Arguunt ſecundò* Contradictores *ex Concilio Eliberitano*, habito Illiberi (quæ urbs erat olim florentiſſima Hiſpanię Bęticæ, à Plinio commendata (*b*), nùnc diruta, cujus Sedes Epiſcopalis ad Granatam translata eſt) ibi, inquam, habito circà annum Chriſti 305. tempore Marcelli Papę I. & Conſtantii Chlori, atque Galerii Armentarii Imperatorum, juxtà opinionem Baronii (*c*): licèt illud anteà tentum eſſe contendat Fernandez Mendoza (*d*), confluentibus ad illud 19. Epiſcopis (*e*), qui inter cęteros canones, hunc ediderunt, *omnes qui peregrè fuerint baptizati, eò quod eorum minimè ſit cognita vita; placuit, ad Clerum non eſſe promovendos in alienis provinciis* (*f*). Si ergò, inquiunt Contradictores, peregrini prohibentur in alienis provinciis ad ordines promoveri, prohibentur etiam ad præbendas ſacras admitti: quippè idem eſt, & pari paſſu procedunt, ordines, & beneficia

(a) *Concil. Conſtantinopol. 4. cap. 18.*

(b) *Plinius, lib. 3. cap. 3.*

(c) *Card. Baron. an. 305. n. 38. & 40.*

(d) *Cabaſut. ad Concil. Eliberitan. n. 3.*

(e) *Caranz. & Baill. ad Concil. Eliberitan.*

(f) *Concil. Eliberitan. c. 24.*

nanciſci; ab initio ſiquidem Eccleſiæ, omnes Clerici, eo ipſo quod ad ordines admittebantur, inſcribebantur etiàm matriculę Eccleſiæ, ut ab illâ ſportulas, & ſtipendia Clericalia conſequerentur, in quorum locum nunc ſuccedunt eccleſiaſtica beneficia. Peregrini autem, & extranei, ſub diverſis nominibus, & ſynonimis vocibus, idem ſunt: ergò vigore Concilii Elibertani extraneis eſt interdictum poſſe beneficia, & præbendas eccleſiaſticas adipiſci.

27. Reſpondetur *primò* negando ſuppoſitum, nempè quod idem ſit, idemque univerſalitèr olim fuerit, Ordines Eccleſiaſticos, & beneficia, ſeù ſtipendia clericalia nanciſci: quoniàm, licet ut plurimùm admiſſi alicubi ad Clerum, matriculæ quoque inſcriberentur eorum, qui ab illâ Eccleſiâ ſtipendia clericalia, & ſportulas accipiebant; & ſic in eis idem eſſet ordines, & beneficia conſequi, vel præbendas; tamen perplures etiàm erant in totâ Eccleſiâ, vel fortè etiàm in ſingulis Eccleſiis Clerici, qui ad titulum proprii patrimonii promovebantur, & hi carebant ſportulis, ac beneficio, quippè ſportulas ſibi ex proprio patrimonio conſciſcebant, hujuſque fructus prò mercede ſui laboris eligebant, & Eccleſiæ ſub ſtipendio proprii patrimonii ſpondebant deſervire. Patet hoc ex Concilio Chalcedonenſi, vetante (juxtà quod eſt Juris Corpori inſertus ſextus illius canon) nè quis ordinetur, *niſi manifeſtè in Eccleſiâ ſuæ Civitatis, ſivè poſſeſſionis, aut in Monaſterio, hic, qui ordinatur, mereatur Ordinationis publicæ vocabulum* (*a*): Ubi per verbum *poſſeſſionis*, titulus Patrimonii intelligit Gloſſa (*b*), de quo etiàm titulo in aliis canonibus (*c*), & noviſſimè in Concilio Tridentino, actum eſt, & approbatus fuit ad ordines ſuſcipiendos (*d*). Quoàd ordinatos ergò ad titulum ſui patrimonii, non eſt, nec fuit unquàm idem, ordines, & ſtipendia eccleſiaſtica, vel ſportulas, ſivè beneficia ſacra adipiſci.

(g) *Concil. Chalcedonenſ. c. 6.*
(b) *Gloſ. in cap. neminem V. poſſeſſionis diſt. 70.*
(c) *Cap. tuis extr. de præben. c. cum ſecundum cap. ſi Epiſc. eodem tit. in 6.*
(d) *Concil. Trid. ſeſ. 21. cap. 2.*

28. Quinimò tantum abeſt, ut olim eſſet idem ordines, & beneficia ſortiti, quin potiùs convincatur oppoſitum, ex eo quod Clerici antiquitùs, tametſi ſacris Ordinibus inſigniti, prohibebantur ſtipendia clericalia ſuſcipere, quandò habentes aliundè reditus, ex quibus vivere poſſent, eccleſiaſticis facultatibus non egebant. Audiatur Divus Hieronymus: *Clericos illos convenit Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum, & propinquorum nulla ſuffragantur bona. Qui autèm bonis parentum, & opibus ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegium profectò committunt, & per abuſionem talium, judicium ſibi manducant, & bibunt* (*e*). Conſentit S. Proſper de vitâ contemplativâ, ſic ſcribens, *Paſtor Eccleſiæ iis, quibus ſua ſufficiunt, non debet aliquid erogare &c. nec illi, qui ſua poſſidentes, dari ſibi aliquid volunt, ſinè grandi peccato ſuo, undè pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis quidem dicit per Prophetam Spiritus Sanctus, peccata populi mei comedunt, ſed ſicut nihil habentes proprium, non peccata, ſed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt; ità poſſeſſores, non alimenta quibus abundant, ſed aliena peccata ſuſcipiunt* (*f*). Et antiquioribus ſæculis, tùm canones Apoſtolici (*g*), tùm Concilium Antiochenum (*h*), fermè iiſdem verbis determinant, reditus eccleſiaſticos Clericis non indigentibus non eſſe dandos, & nec ipſum Epiſcopum, eorum diſpenſatorem, poſſe ſibi quidquam accipere, niſi ſub præciſâ conditione, quod agat: *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum ergà omnes, qui indigent, cum ſummâ reverentiâ, & timore Dei. Participet autem & ipſe quibus indiget, ſi tamen indiget, tàm in his, quàm in fratrum, qui ab eo ſuſcipiuntur, neceſſariis uſibus profuturis &c.* Si ergò non licebat Clericis fructuum eccleſiaſticorum eſſe participes, quandò eis gentilitii reditus ſufficiebant; ad evidentiam patet, quod olim idem non fuit, & multò magis nùnc non eſt idem, ordines, & beneficia ſacra adipiſci. Quapropter, quidquid ſit de canone Eliberitano, ex adverſo allegato, cum ipſe loquatur de ſolâ collatione ordinum, & noſtra quæſtio ſit de ſuſceptione beneficiorum, nec una ſit eadem cum aliâ, ſed infinito inter ſe ſpatio quoàd præſens negotium ſint diſtantes; argumentum ex ſe nullum gradum probationis inducit.

(e) *S. Hieron. epl. ad Damaſ. rel. in cap. illos 1. qu. 2.*
(f) *S. Proſper. de vit. contempl. l. 2. c. 9. & 10*
(g) *Canon. Apoſt. c. 41.*
(h) *Concil. Antiochen. can. 25.*

29. Re-

29. Reſpondetur *ſecundò* iterùm negando aliud ſuppoſitum, nempè quod Concilium Eliberitanum loquatur de extraneis, faltèm ſolis: loquitur enim non minùs de extraneis, quam de indigenis, aliorſum, quam in Eccleſiâ propriâ baptizatis. Conſtat ſiquidem cunctis ſacræ eruditionis peritis, olim Baptiſmum non fuiſſe in pueritiâ, ſed ut plurimum in adultâ ætate ſuſceptum, adeò ut & quibuſdam Hæreticis viſum ſit, nullum eſſe Baptiſmatis in puerili ætate capacem, tamquam rationis expertem, & fide carentem (*a*). Contrarium tamen docente ſemper Eccleſiâ, per traditionem, uſque à temporibus Apoſtolorum deductam: de quâ rè Sancti Pontifices Clemens, Siricius, & Innocentius (*b*): Sacraque Concilia generalia Lateranenſe IV. Viennenſe, ac Tridentinum (*c*), nec non alia Concilia, Milevitanum, Carthagiuenſe, Africanum, & Gerundenſe (*d*): Antiquiores demùm Patres Dionyſius, Cyprianus, & Origenes (*e*), atque Sancti Gregorius Nazianzenus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Bernardus, & Auguſtinus (*f*), ut alios omittamus, de hac rè tractantes. Quamvis autem Baptiſmus, quantum in ſe eſt, non ſit differendus, uti probat D. Thomas in ſummâ (*g*); tamen pro modo illorum temporum, uſque ad provectam ætatem differri conſueverat, clamantibus SS. Patribus adversùs hujuſmodi abuſionem, & præſertim in Occidente Divo Ambroſio (*b*), & in Oriente SS. Gregorio Nazianzeno, & Baſilio. Quodque magis eſt, aliqui non in patriâ baptizabantur, ſed hùc illùc peregrè proficiſcentes, juxtà temporum, & occaſionum coutingentias, baptiſma, ubi eis erat opportunius, ſuſcipiebant: & ità D. Hieronymus Dalmata Romæ baptizatus eſt (*i*): S. Hilarius Pictavienſis itidem Romæ (*l*): S. Auguſtinus Afer Mediolani (*m*): Florianus Hiſpalenſis pariter Mediolani (*n*): Severus Antiochenus Tripoli in Syriâ (*o*): Maximus Alexandrinus Conſtantinopoli in Thraciâ (*p*): S. Paulinus Nolanus Burdigalæ in Galliâ (*q*), & alii alibi longè à patriâ Sacrum Lavacrum Baptiſmatis ſuſceperunt. Sed contingebat interdùm, quod aliqui ſe extrà patriam baptizatos eſſe ſimulabant, moribuſque in perfidiâ ſolidatis, ſe pro correctis, & compoſitis venditabant, ſicque ad propriam redeuntes Eccleſiam, ibi ordines ſuffurabantur, prout feciſſe refertur Xenajas quidam Perſa, Antiochiæ conſiſtens, qui non ſuſcepto baptiſmate, quem pridem gyrovagando ſe adeptum eſſe mentiebatur, Clericatum à Calendione Epiſcopo Antiocheno ſuſcepit (*r*), à quo poſteà è Clero depulſus fuit, ſed à Petro Cnapheo, ſive Fullone Pſeudoepiſcopo ejuſdem Eccleſię receptatus, & Presbyteratu etiam auctus eſt, atque in Epiſcopum Hierapolis conſecratus (*s*). Ad has ergò fraudes eliminandas, Concilium Eliberitanum vetuit, ne peregrè baptizati poſſent ad Clericatum admitti, tùm ob incertitudinem ſuſcepti baptiſmatis, tùm ob defectum notitiæ de moribus cum Baptiſmo mutatis. Et eo modo, quo interdictâ ad Clericatum promotione illorum, qui in infirmitate Baptiſmi Sacramentum ſuſceperant (*t*), nedùm extranei, ſed etiam indigenę in ſtrato baptizati, ab ordinibus arcebantur; ſic excluſis ab ordinum ſuſceptione viris peregrè baptizatis; non minùs indigenæ ità loti, quam extranei, fiebant à Clericali corpore extorres. Igitur canon Eliberitanus, vel nihil probat, quia ad extraneos non ſe extendit: vel nimiùm probat, quia nedùm extraneos, ſed etiam indigenas à ſacrâ ordinatione repellit.

30. Reſpondetur *tertiò* retorquendo argumentum. Nàm Concilium Eliberitanum, quatenùs etiam de ſolis extraneis eloquatur, non prohibet eos omnes abſolutè ordinari, ſed ſolùm illos, *qui peregrè fuerant baptizati, eo quod eorum minime ſit cognita vita* (*u*). Ergò extraneorum, non peregrè baptizatorum, & quorum erat cognita vita, per illud non vetabatur promotio, ſicque vi præfati Concilii, licitum erat, eritque omnibus, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, eccleſiaſtica beneficia Clericis extraneis elargiri, non quidem illis, qui peregrè baptizati ſunt, & quorum vita ignoratur; ſed aliis, non peregrè baptizatis, & quorum vita eſt ipſis cognita. Sufficiet ergò, quod largitoribus beneficiorum ſit benè nota vita extraneorum, & tùnc poterunt ex ratione, ſeu

(a) *Seraphin. Cappon. in S. Thom. 3. par. de ſacr. qu 9. art. 9. Valent. eod loc. diſp. 4. quæſt. 3. pũ. 2. §. hoc autem. Alphonſ. à Caſtr. de Hæreſ. V. Baptiſmus Hæreſ. 5.*

(b) *S. Clemens l. 6. Conſtit. Apoſt. cap. 15. Siricius ep. 1. ad Himer. epiſ. Tarracon. Innoc. epiſtol. ad Concil. Carthag.*

(c) *Concil. Later. IV. c. 1. Conc. Viennenſ. c. 1 Concil. Trid. ſeſ. 5. c. 4. & ſeſ. 7. c. 13.*

(d) *Concil. Milevit. c. 2. Conc. Carth. epiſt. ad Innoc Conc. Afric. c. 78. Conc. Gerund. c. 4.*

(e) *S. Dionyſ. de Eccl. Hier. c. ult. S. Cyprian. l. 3. ep. 8 Orig. in cap 6. epiſt. ad Roman.*

(f) *S. Greg Nazian. orat. in S. Lavacrum S. Cyril. Hieroſ. Catech. Myſtag. 1. S. Bernard. ſer. 66. in Cant. S. Auguſt. l. 10. in Geneſ. c. 23. l. 4 de bapt. con Donatiſt. c. 24. & alibi.*

(g) *S. Thomas 3. p. de Sacram. qu 9. art. 3.*

(h) *S. Ambroſ. ſerm. de ſanct. & in aliis locis.*

(i) *S. Hieronymus ep. 57.*

(l) *Vide ſupra Tom. 1. Sæcul. 4. c. 8. n. 3.*

(m) *S. Auguſt. contr Julian. l. 1. c. 9. Poſſid. in vit. S. Auguſt. c. 1.*

(n) *Vide ſupra Tom. 1. Sæcul. 6. c. 13. n. 7.*

(o) *Evagrius hiſt. lib. 3. cap. 33.*

(p) *Gregor. Presbyt. in vit. S. Gregor. Nazianz. vid ſupra Tom. 1 Sæcul. 4. cap 7. n. 15.*

(q) *Vit. S. Paulin p. 1 §. pueritiam. Eſt poſt ejus Opera.*

(r) *Nicephor. hiſt. lib. 16. cap. 27.*

(s) *Cardin. Baron. ann. 485. n. 15.*

(t) *Concil. Neocæſarienſ. c. 12.*

(u) *Concil. Eliberitan. c. 34.*

Digitized by Google

ſeu auctoritate Concilii, à Contradictoribus allegatâ, ſine ullo ſcrupulo ipſis extraneis eccleſiaſtica beneficia concedi. Comprobat hanc illationem Concilium Aurelianenſe IV, diſertè Clericos peregrinos à beneficiis ſacris excludens, ſed tamèn illos admittens, quos etſi peregrinos, Epiſcopus approbaverit: *In Oratoriis*, inquit, *Domini Clericorum, nemo contrà votum Epiſcopi, ad quem territorii ipſius privilegium noſcitur pertinere, peregrinos Clericos intromittat, niſi forſitan quos probatos ibidem diſtrictio Pontificis obſervare præceperit* (a).

(a) Concil. Aurelian. 4.c.7.

31. Notabile eſt, quod ubicumque prohibentur extranei, & peregrini ad ordines promoveri, non nudè nominantur extranei, ſed eis adjungitur, quod ſint *incogniti*, vel *ignoti*, vel per verba æquivalentia, promotoribus non perſpecti. Sic Gelaſius Papa I. ſcribens Cleto, & populo Brunduſino, improbanſque peregrinorum provectionem, ait: *quod etiam de peregrinis, atque incognitis, vel competentibus cavere debebit* (b). Sic Concilium Chalcedonenſe decrevit: *extraneos Clericos, & ignotos in aliâ Civitate &c. nuſquàm ullo modo miniſtrare permittantur* (c). Sic Concilium Ravennatenſe diſpoſuit: *eos, qui ad hoc vocantur, oportet eſſe irreprehenſibiles, & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris etiam ſunt. Statuimus, prohibemus, & inviolabilitèr ſervari præcipimus, ne aliqui, præſertim peregrini, & incogniti, in Provinciâ noſtrâ ordinentur* (d). Alia conſimilia adduci poſſent documenta, quæ libentèr intermittimus, brevitati ſtudentes, cum ex allatis pateat, quod ordinatio extraneorum, ſeù extravenientium ad Clericatum admiſſio (præciſo reſpectu defectus juriſdictionis in admittente) reprobata fuit, non ex præciſâ, & nudâ ratione extraneitatis, ut ſic, ſed ob defectum notitiæ morum ipſius viri, ad ordines promovendi: quâ eâdem ratione, & de extraneis peregrè baptizatis idem vetuit Concilium Eliberitanum. Sicque quotiès occurrebant extranei, quorum vita eſſet Collatoribus ordinum, vel beneficiorum nota, & non peregrè Baptiſmum ſuſcepiſſent; hi omnes, quantum in ſe erat, poterant promoveri, & ideò argumentum non contrà nos, ſed pro nobis potiùs perorat.

(b) Deuſdedit Card. c.46.in tom. 4. Concil.
(c) Concil. Chalcedon. c.13.
(d) Concil. Ravennat. 1314.c.3.

32. Reſpondetur *quartò*, intentum Concilii Eliberitani, ut innuimus, non fuiſſe extraneos, quà extraneos, ab ordinibus ablegandi, ſed quà incognitæ fidei, & religionis incertæ. Non deerant etenim Veteratores, primis illis Eccleſiæ ſæculis, qui Gentilem vitam agentes, lavacro baptiſmali ſe animo ſimulatitio tingebant, vel illud ſe recepiſſe fingebant, ut ad quaſcumque Eccleſias diverterent, ibi ſacris alimoniis dapſilitèr fruerentur, & de figmento religionis mercaturam facientes, ex patrimonio Chriſti ſibi divitias corrogarent. Memorat Lucianus flagitia, & præſtigias cujuſdam peregrini, cognomine Protei, *qui ſe aliquandò Chriſtianum finxit, eoque dolo non modò frequentium peregrinationum certiſſimum viaticum retulit, ſed etiàm innumera fabricans mendacia, multas divitias, ex liberalibus Chriſtianorum officiis, quorum tandèm Communione (detectis impoſturis) ejectus, ſe ad priſtinam gentilitatem reduxit* (e). Ut has ergò fallacias caveret, noluit Eccleſia Clericalium honorum eſſe participes, viros ignotæ vitæ, & aliorsùm peregrè baptizatos. At hæc vel nihil ad cauſam noſtram faciunt, vel uti ſuprà tetigimus, nobis favent, quatenùs probant optimè poſſe viros extraneos beneficiis eccleſiaſticis inſigniri, quandò ſint Collatoribus cogniti, & non peregrè baptizati.

(e) Vid. Cabaſut. Notit. Eccleſ. ſæc. 3. diſſert.7.n.3.

33. Si ad modum Contradictorum, minutiores omnes quiſquilias gratum nobis eſſet congerere, ut illas eorum dictis opponeremus, poſſemus hìc adjungere, quod Canones Eliberitani non tantæ, nec tam approbatæ ſunt fidei, ut non de erroneitate quatiantur: *de ejus enim auctoritate*, inquit Bail, *Scriptores mirificè variant. Quod 1.2.6.8.12.17.18. &c. canones, lapſis Communionem in fine vitæ adimentes, Novatiano; Quodque 34. canon Vigilantio; 36. Iconomachis favere videantur. Nonnulli etiam viri doctiſſimi hanc Synodum, vel reprobatam, vel erroneam eſſe cenſuerunt. Melchior Canus lib.5. de locis cap.4. ſcribit canonem 36. hu-*

jus

jus Concilii erroneum eſſe. Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Imagin. cap. 9. ait, Concilium hoc Provinciale fuiſſe, & minimè confirmatum, frequentèr erraſſe, ideò quod lapſos, alioſque plures peccatores graves, licèt pæniteant, ne quidem in mortis articulo abſolvi concedat &c. (*a*). Cardinalis quoquè Baronius huic Concilio Novatianiſmi ſuſpicionem inurit (*b*). Alii alias maculas, alii alios ei nęvos opponunt: quos tamen omnes, nos hic prætermittimus, & Contradictoribus non obiicimus, ipſi Concilio ſuum honorem, utcumque illi competat, obſervantes, & contenti vim argumenti, ex eodem Concilio Eliberitano petiti, quadruplici jam datâ reſponſione ſoluiſſe. Summa eſt, quod Concilium hoc, vel nihil facit ad cauſam, vel ſi quid probat, probat libertatem Eccleſiæ in diſtributione ſuarum præbendarum. Sicque pro eo quod corruat, magis potiùs fulcitur noſtra ſententia, defendens libertatem ipſius Eccleſię admittendi ad ſacras præbendas etiam Clericos extraneos, dummodò benemerentes, & dignos.

(a) *Bell. ad Concil. Eliberitan. in fine.*
(b) *Cardin. Baron. ann. 56. n. 119.*

34. *Arguunt tertiò* Contradictores, *ex Concilio Chalcedonenſi* Generali IV. habito anno Chriſti 451. tempore S. Leonis Papæ I. & Marciani Imperatoris. In eo pręcipitur, ut in ſingulis Eccleſiis Oeconomus de ipſius Eccleſiæ Clero deligatur, hicque bona eccleſiaſtica ſub Epiſcopali auctoritate adminiſtret: *quia*, inquit, *in quibuſdam Eccleſiis, ut rumore comperimus, Epiſcopi, prætèr Oeconomos, facultates Eccleſiæ tractant, placuit omnem Eccleſiam, habentem Epiſcopum, habere Oeconomum de Clero proprio, qui gubernet Eccleſiæ res cum arbitrio ſui Epiſcopi, ut non ſine teſtimonio ſit gubernatio ipſarum rerum eccleſiaſticarum, & ex hoc deveniat, diſpergi ejuſdem res Eccleſiæ, & Sacerdotali dignitati obtrectatio generetur* (*c*) Conſentiunt Concilia Hiſpalenſe (*d*) Toletanum IV. (*e*) Valentinum (*f*), & alia idipſum ſtatuentia: ſed pręcipuè dicti Concilii Chalcedonenſis attendenda eſt Sanctio, utpotè cujus magna ſemper in Eccleſiâ fuit auctoritas, quippè ejus canones vim legis habere juſſit Juſtinianus (*g*), & S. Gregorius eum parilem cum Evangeliis auctoritatem voluit obtinere (*h*). Si ergò officium Oeconomi, quod nihil à beneficiis, ſaltèm ſimplicibus differt, nonniſi alicui Clerico de gremio Eccleſiæ, & ſic indigenæ, poteſt committi; etiam beneficia eccleſiaſtica, quantumvis ſimplicia, & reſidentiæ debito denudata, non poterunt niſi Clericis indigenis, & de gremio Eccleſiæ conferri, extraneis per conſequens ab eorum aſſecutione repulſis.

(c) *Concil. Chalcedon. c. 25.*
(d) *Concil. Hiſpalenſ. cap. 9.*
(e) *Concil. Toletan. IV. c. 48.*
(f) *Concil. Valentin. cap. 2.*
(g) *Juſtinian Novel. 113. c. 1.*
(h) *S. Greg. l. 2. indict. 11. epiſt. 10.*

35. Reſpondetur *primò* negando conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quod inter Beneficiarium, & Oeconomum nulla intervenir æquiparatio nec in naturâ, nec in ratione, nec in aliis utriuſque conditionibus; ſed magna, & immenſa diverſitas, quæ facit, ut nec ſtatuta pro Oeconomo afficiant Beneficiarium, nec decreta pro Beneficiario alligent Oeconomum. Sane Officium Oeconomi non fuit unquàm collatum in titulum, proùt confertur beneficium: neque fuit unquàm perpetuum, proùt eſt iſtud: imò cum potuerit vel Epiſcopus ex ſe ſolus, vel unà cum Clero Oeconomum mutare; & ipſe Oeconomus, maximè Eccleſiæ viduatæ præfectus (*i*), deberet, ex Concilio Valentino, futuro Epiſcopo ſuæ adminiſtrationis rationem reddere (*l*), patet, hoc officium fuiſſe tranſitorium, & amovibile, non perpetuum. Paritèr Oeconomi officium nunquàm contulit ei dominium fructuum Eccleſiæ, ſed merum miniſterium; beneficium verò dat Beneficiario plenum dominium redituum ſuæ præbendæ, ut ejus fructus faciat ſuos, proùt colligitur ex Concilio Tridentino pluribus in locis (*m*): ex Bullâ S. Pii Papæ V. quæ incipit *Ex primo* (*n*): & ex aliis Canonibus (*o*), jamque hęc ſententia, inquit Cardinalis de Lugo, eſt *hodie communis, & probabilior &c. quam latiſſimè probavit Sarmiento contrà Navarrum 4. part. de reditibus c. 1. & ſequent. Sotus, Covarruvias, Adrianus, & Corduba, quos affert, & ſequitur Vaſquez, num. 28. Arboreus, Alcozer, Tabiena, Simancas, Gerſon, Abulenſis, Honcala, Turrecremata, Præpoſitus, Angles, & Arragonius, quos affert, & ſequitur Thomas Sanchez ubi ſuprà n. 2. Molina, aliis relatis, primo tomo tract. 2. diſp. 143. Leſſius lib. 2. cap. 4. dub. 6.*

(i) *Concil. Chalcedon. can. 24. in fin.*
(l) *Concil. Valentin. cap. 2.*
(m) *Concil. Trid. ſeſ. 23. c. 1. & ſeſ. 22. c. 4.*
(n) *S. Pius PP. V. Conſt. 138.*
(o) *Cap. unic. de Cler. non reſid. cap. commiſſa de elect. l. 6.*

Digitized by Google

dub.6.Lorca 2.2.ſect.3.diſp.40.num.23. Coninchus diſp.27.de fide, ſpe, & charitate dub. 11. num. 185. & alii Doctores recentiores, ferè omnes communitèr, quorum plures affert, & ſequitur Filliuccius in appendice tract. 41. cap. 6. quæſt. 9. (a).

36. Itèm officium Oeconomi non eſt, nec fuit unquam neceſſariò unicum, ſeu uni ſoli commiſſum, prout committitur beneficium, ſed alicubi duo, vel plures Oeconomi conſtituti fuerunt. Nàm S. Auguſtinus de sè dicit: *ſcripſi Presbyteris, ut ſi quid minus fuerit, compleant ex eo, quod habet Eccleſia* (b), oſtendens, in ſuâ Eccleſiâ non unicum, ſed plures fuiſſe Presbyteros, officio Oeconomi defungentes. Concilium quoque Epheſinum, depoſito Neſtorio, de illo ſcripſit, *reverendiſſimis Presbyteris, & Oeconomis, cæteriſque religioſiſſimis Clericis* Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ (c). Igitùr officium Oeconomi toto cœlo diſtat, à beneficio, & beneficiario, nec ſtatuta pro primo habent quid facere cum ſecundo. Et licet Oeconomus decernatur eligendus de proprio Eccleſiæ Clero, poſtpoſitis extraneis; non tamen ideò infertur, quod etiam beneficia debeant alicui de Clero propriæ Eccleſiæ conferri, extraneis ablegatis: ſeu ex eo, quod olim officium Oeconomi eſſet alicui Clerico de gremio Eccleſię collatum, non magis probatur, beneficia eſſe ſolis Clericis de gremio Eccleſiæ tradenda, quam ſi ex eo quod officium Camerarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſoli alicui Presbytero, vel Diacono Cardinali confertur; vellet concludi; ergò omnia beneficia eccleſiaſtica Sanctæ Romanæ Eccleſiæ debent alicui Cardinali conferri. Ridicula ſunt hujuſmodi argumenta, & locutiunculæ, paginas quidem ad pompam ſaginantes, & loquentium ora replentes, ſed viris doctis nullatenùs perſuadentes, aut potius debilitatem cauſæ Arguentium oſtendentes, quę tàm levibus innitatur fulcris, & adeò abjectis probatiunculis ſit ſuffulta.

37. Reſpondetur *ſecundò* explicando verba Concilii Chalcedonenſis, & aliorum quarumcumque, mandantium electionem Oeconomi fieri de *proprio Clero*. Verba illa ſtant non taxativè, ſed demonſtrativè, eo modo, quo dùm in ſacris canonibus præſcribitur Electio Epiſcopi *de gremio Eccleſię*, ly *de gremio Eccleſiæ*, ſtat quidem demonſtrativè, oſtendens, expedire, convenire, honeſtum eſſe, ut eligatur Epiſcopus de viduatę Eccleſiæ corpore, & gremio; non tamèn taxativè, ut neceſſario de ipſo gremio ſit aſſumendus Epiſcopus, talitèr, quod ſi extrà gremium eligatur, electio ſit irrita, illegitima, nullumque prorſus conſequatur effectum (d). Ergò dum Concilium Chalcedonenſe jubet eligi Oeconomum *ex proprio Clero* (e): Concilium Toletanum IV. *de proprio Clero* (f): Concilium Berythenſe *ex Clero ordinatos* (g): Concilium Valentinum *ex Epiſcopali Sede* (h): Concilium Hiſpalenſe *ex proprio Clero* (i), & ſi quæ alia ſunt idem ſonantia, de quibus in Nomocanone Photii (l); Verba illa *ex proprio Clero*, ſeù illis ęquipollentia, non taxativè ſe habent, ſed demonſtrativè, ità ut congrueret quidem eligi Oeconomum de proprio Clero, non tamen electio aliundè facta, eſſet nulla. Certè, quis credat, Patres, in his Conciliis congregatos, voluiſſe, ut minùs pateret extraneis acceſſus ad officium Oeconomi, quam ad dignitatem Epiſcopi, eſſetque hujus quam illius latior deputatio? ſicuti ergò extrà gremium eligi poterat Eccleſię Antiſtes; ità multò magìs eligi poterat Eccleſiæ Oeconomus.

38. Reſpondetur *tertiò* negando abſolutè, quod Oeconomus deberet eſſe neceſſariò ex Clero proprię Eccleſię conſtitutus. Hocque colligimus ex Concilio Rhegienſi, quod mandat, ut mortuo Epiſcopo, Epiſcopus Vicinior ad illius Eccleſiam accedat, *qui ſtatim Eccleſiæ ipſius curam diſtrictiſſimè geret; & nè quid antè ordinationem diſcordantium in novitatibus Clericorum ſubverſione liceret. Itàque cum tale aliquid acciderit, vicinis vicinarum Eccleſiarum inſpectio, deſcriptio, recenſioque rerum mandatur* (m); ex quo datur intelligi, potuiſſe Epiſcopum deſignare, vel ex vacantis Eccleſię, vel ex propriæ Clero, Oeconomum, dum Epiſcopalis Sedes vacabat: Undè & idem potuiſſe fieri rationabilitèr ſubinfertur, ſede repletâ. De quà etiam rè quidquid ſit; ſaltèm deputatio Oeconomi, tùm extra-

nei,

(a) Card. de Lugo de juſt. & jur. diſp. 4. ſec. 1. num. 2.

(b) S. Auguſt. ep. 219.

(c) Conc. Epheſinum Act. 1.

(d) Gloſ. in cap. ne pro defectu V. ipſius 45 de elect.

(e) Conc. Chalcedonenſ. cap. 25.

(f) Conc. Toletan. 4. capit. 48.

(g) Conc. Berythenſ. capit. 9.

(h) Concil. Valentin. cap. 2.

(i) Conc. Hiſpalenſ. cap. 9.

(l) Photius in Nomocan. c. 10.

(m) Cocilium Rhegienſe cap. 8.

Digitized by Google

nei, tùm indigenæ, ritè concluditur ex fine, propter quem ipſius Oeconomi conſtitutio fuit poſita ſub præcepto. Nàm ab initio Epiſcopus erat omnium rerum eccleſiaſticarum plenarius adminiſtrator, & diſpenſator, ut ex Canonibus Apoſtolorum (*a*), & ex Concilio Antiocheno (*b*), ſuprà probavimus: hocque quando nondùm facta erat diviſio bonorum, quæ ad ſingulas Diœceſis Eccleſias, & loca pia, pertinerent: tuncque pro ſuo arbitrio, & conſcientiâ fructus eccleſiaſticarum rerum, vel ex ſe ipſo diſtribuebat, ut non abſcurè ſignificat Gelaſius Papa decernens: *Præſulum authoritas noſtrorum emanavit, ut facultates Eccleſiæ Epiſcopi ad regendum habeant poteſtatem, ità tamen, ut viduarum, pupillorum, atque pauperum, necnon & Clericorum ſtipendia diſtribuere debeant* (*c*): vel Epiſcopus per alium, à ſe deputatum, pro ſingulorum opportunitate, & merito dividebat, quem Concilium Gangrenſe vocat beneficientiæ diſpenſatorem, dicens: *ſi quis dat, vel accipit fructus oblatos prætèr Epiſcopum, vel eum, qui eſt conſtitutus ad beneficientiæ diſpenſationem*, vel ut habet alia lectio, *ad diſpenſandam miſericordiam; & qui dat, & qui accipit ſit Anathema* (*d*). Diſtributor autèm iſte, ab eodem Epiſcopo deputatus, dicitur ab ipſo Concilio *Diſpenſator*: conſonatque S. Hieronymus, de ipſâ rè ſcribens: *ſciat Epiſcopus, cui commiſſa eſt Eccleſia, quem diſpenſationi pauperum, curæque præficiat* (*e*).

(a) *Canon. Apoſtol. can. 41.*
(b) *Concil. Antiochen. c. 25.*
(c) *Gelaſius Papa I. epiſt. 10.*
(d) *Concil. Gangrenſe cap. 7. & 8.*
(e) *S. Hieronym. ep. ad Nepotian.*

39. Verùm ſæpè querulosi Clerici, & Laici ſubſidia eccleſiaſtica ſuſcipientes, ſuos Epiſcopos impetebant, de non rectâ ſacrorum redituum diſpenſatione, ità ut neque Sancti, & juſtiſſimi Antiſtites quandòque potuerint hanc à ſè calumniam declinare, intèr quos S. Joannes Chryſoſtomus, de hujuſmodi fuit crimine expoſtulatus, *quod Eccleſiæ reditus nemo novit quo abeant: quod hæreditatem à Teclâ relictam, per Theodulum vendiderit* (*f*). Aliquandò etiam de facto Epiſcopi reditus eccleſiaſticos malè adminiſtrabant, undè in Concilio Chalcedonenſi carpti ſunt Ibas Epiſcopus Edeſſenus, & Daniel Helenopolitanus, quod bona, & res Eccleſię in ſuos conſanguineos profudiſſent, & in Concubinarum etiam alimenta vertiſſent (*g*): quod & Ibæ quoque in Synodo Berytenſi pridem fuerat objectum, ipſeque idcircò *ex propriâ voluntate promiſit, quod de cæterò ſecundum formam Antiochenæ maximè Civitatis gubernarentur res per Oeconomos, ex Cleroordinatos ab ejus religioſitate* (*h*). Hoc autem, quod ſpontè fuit ab Ibâ Epiſcopo tùnc peractum; Concilium Chalcedonenſe ſubſequenti tempore poſuit ſub præcepto, voluitque, ut inpoſterùm omninò res Eccleſiæ, tùm ad evitanda malorum hominum dicteria, tùm ad evadendas malè adminiſtrantium doloſitates, ab Oeconomis tractarentur. Ergò vel hi Oeconomi ex Clero proprio deligerentur, vel aliundè accerſerentur; conſtat, quod utrimque intento Concilii, & fini deputationis, poterat optimè ſatisfieri, dummodò ipſi Oeconomi, undecumque eſſent, res Eccleſiæ ritè, ac rectè, cum dependentiâ ab Epiſcopo miniſtrarent. Quapropter, licèt deputatio Oeconomi habuiſſet aliquid cum beneficio commune, quod incunctantèr negamus; adhùc tamen non indè probatur, excludendos eſſe à beneficiis extraneos, quemadmodùm non convincitur, officium Oeconomi debuiſſe ſolis indigenis ſinę ambiguitate committi.

(f) *Photius in Bibliothec. cap. 59*
(g) *Conc. Chalcedon. Act. 10.*
(h) *Conc. Berytenſ. cap. 9.*

40. Accedit, quod munus Oeconomi, vel à ſolo Epiſcopo deferebatur, ut legitur de Gennadio Conſtantinopolitano, qui *deſignavit Marcianum Oeconomum* (*i*), vel à toto Clero cum conſenſu Epiſcopi alicui concredebatur, quemadmodum Theophilus Alexandrinus indulſit, *ut totius Sacerdotalis ordinis ſententiâ alius renuntietur Oeconomus, in quo Epiſcopus quoque conſenſit* (*l*). Quocumque modo autem Oeconomus deligeretur; hoc officium non niſi Presbyteris tradebatur. Ità à Liberato memoratur Joannes Talaida Presbyter, & Oeconomus Eccleſiæ Alexandrinæ (*m*). Apud Nicephorum legitur alter Joannes, ipſius Eccleſiæ Alexandrinæ Presbyter, & Oeconomus (*n*). In Concilio Chalcedonenſi nominatur Proterius, ejuſdemmet Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter, & Oeconomus (*o*). Et Charmoſinus itidem Alexandrinæ Eccleſię Oeconomus, atque Presbyter (*p*).

(i) *Theodor. Lector. l. 1*
(l) *Balſam. in Nomocan. Photii c. 9. 10.*
(m) *Liberat. Breviar. cap. 16.*
(n) *Niceph. Calliſt. l. 16 c. 11.*
(o) *Conc. Chalcedon. Act. 3.*
(p) *Conc. Chalcedon. ead. Act. 3.*

Cha-

Chariſſus quoque ibi memoratur Presbyter,& Oeconomus Eccleſię Philadelfię(*a*). Concilium Epheſinum, de Neſtorii depoſitione ſcribit Presbyteris, & Oeconomis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ (*b*), & à Nicephoro memoria fit Cyriaci ejuſdem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Presbyteri, atque Oeconomi (*c*). *Rogatianum Compresbyterum ſuum* tenere ſuos reditus denuntiat D. Cyprianus Clero Eccleſiæ Carthaginenſis (*d*), verum hìc fortè fuit potius Oeconomus, vel depoſitarius ipſiuſmet ſancti Prçſulis, quam Eccleſiæ. Quod ſicubi Oeconomi non erant Presbyteri; ex Diaconorum tamen numero recenſentur. Ità enim Caſſianus ait, in Monaſteriis Ægypti Diaconum eſſe redituum adminiſtratorem (*e*). S. Baſilius recenſet ſe Diaconum ordinaſſe, ut curam rerum cujuſdam Eccleſiæ parochialis providè haberet (*f*). In Concilio Antiocheno dicitur, ab Epiſcopo adminiſtrandas eſſe res Eccleſię, conſciis Presbyteris, ac Diaconibus (*g*). Palladius intèr perſecutores S. Joannis Chryſoſtomi adnumerat Paulum Diaconum Oeconomum, ſive Diſpenſatoris adjutorem (*h*). Oeconomi autem nullius nobis occurrit notitia, qui non Presbyterali, vel Diaconali ordine fuerit inſignitus, quarè patet, Oeconomatum nullum habuiſſe cum beneficio conſortium, quippè beneficium non ſolum Presbyteris, & Diaconis, ſed etiam minoribus Clericis dari poteſt, & olim etiam certum eſt fuiſſe collatum: etenim ſtipendia Clericalia, quibus nunc beneficia ſuccedunt, uſque ab initio Eccleſiæ, nedùm Diaconibus, & Presbyteris, ſed etiam Oſtiariis, & Lectoribus, cunctiſque aliis, in minoribus ordinibus Eccleſiæ famulantibus, debebantur. Ex quibus liquidò apparet, ab Oeconomi officio ad beneficium, nec argumentum valere, nec ſubſiſtere paritatem; & per conſequens, quidquid ſit de Oeconomatu, an extraneis conferri poſſet, nec nè; non bene indè infertur, quod collatio beneficiorum debeat ad ſolos indigenas coarctari.

(a) *Idem Conc. Chalcedon loco cit.*
(b) *Concil. Epheſin. Action. 1.*
(c) *Niceph. Hiſtor. lib. 18. c. 40.*
(d) *S. Cyprian. lib. 3 epiſt 24.*
(e) *Joan. Caſſian. Collat. 21. cap. 1.*
(f) *S. Baſil. epiſt. 412*
(g) *Concil. Antiochen. c. 25.*
(h) *Palladius vit. Chryſoſt. c. 20.*

41. Reſpondetur *Quartò* retorquendo argumentum ex duplici capite, primò quià de facto etiam Extranei poterant Oeconomi officio defungi: nàm intèr cætera eſt apud Sozomenum recordatio Iſidori Peluſiotæ, ſivè Damiatenſis, Oeconomi Eccleſiæ Alexandrinæ, à qua ſinè dubio erat extraneus, cum Peluſium Civitas Epiſcopalis ad oſtia Nili ſita, ab Alexandriâ per 180. mille paſſus diſtaret. Secundò, quià Concilium Chalcedonenſe prçcipit, eligendum eſſe Oeconomum ex proprio Eccleſiarum Clero: ex proprio autem Clero eſſe poterant Oeconomi, licèt alibi nati, quatenùs etiam laici, atque Clerici, ſaltem cum conſenſu propriorum Epiſcoporum, poterant, poſſuntque etiam hodie Clero aliarum Eccleſiarum inſeri, ut jàm pluriès, pluribuſque modis docuimus: ſicque optimè valebant extranei Oeconomi officio perſungi. Et certè dubitari non poteſt, quin extraneus in Clerum alibi cooptatus, cum poſſet uſque ad Epiſcopatum provehi; non valeret in Oeconomum deſignari. Ex ipsâ ergò ratione Contradictorum, cum Oeconomatus officii Clerici extranativi eſſent capaces, ſitque per eos par conditio muneris Oeconomi, & beneficii; eniteſcit, quod ad eccleſiaſtica beneficia Extraneis patebat acceſſus. Et per conſequens ſtat noſtra ſententia, libertatis Eccleſię conferendi beneficia etiam Extraneis.

42. *Arguunt Quartò* Contradictores ex *Concilio Veteris Epiri*, habito anno Chriſti 516. tempore Hormiſdæ Papæ, & Anaſtaſii Imperatoris (*i*), in quo ad Eccleſiam Nicopolitanam provecto Joanne, præfatæ Eccleſiæ Presbytero, illius electio confirmata eſt: Patreſque confertis votis Synodicam ad Hormiſdam Papam direxerunt, rogantes ut ejuſdem promotionem ratam haberet, ac Joanni communionem catholicam impertiret: ipſum non ex eo præſertim commendantes, quod sè ab hæreſis veneno, in illâ generali Orientis contaminatione ſervaſſet, ac virtutes, quibus pollebat, eſſet in Epiſcopatum felicitèr inducturus; ſed ex eo, quod Eccleſiæ Nicopolitanæ uſque à puerili ætàte affixus, eidem ſempèr laudabilitèr deſerviſſet: *qui conſolatus eſt nos*, inquiunt, *per veſtras orationes, demonſtrans Metropolitanæ Civitati in cunctis ſanctiſſimum Joannem, qui à pueritiâ in Eccleſiâ ſinè*

(i) *Card. Baron. ann. 516. num. 40.*

culpâ

culpâ nutritus, imò laudabilitèr in eâ degens, ità ut neque eum in his quiſquam temporibus antecellat, Zelo autem circà orthodoxa, juxtà Apoſtolicas admonitiones veſtras, nulli omninò cedens. Hunc ergò Dei providentiâ ordinavimus Præſulem (a), tanti igitur faciendum eſſe cenſuit Concilium Epiri in Joanne Nicopolitano, eſſe alumnum illius Eccleſiæ, ut de hac vacante non alius, quàm ipſe debuerit provideri: ſicque beneficia docuit non eſſe niſi indigenis conferenda.

43. Reſpondetur *primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod Joannes Nicopolitanus, ideò præcisè in ſolio illius Eccleſiæ fuerit collocatus, quià Urbis, ſivè Eccleſiæ Nicopoleos eſſet indigena. Res enim ità ſe habuit. Mortuo Alcyſone Archiepiſcopo Nicopolitano, in ejus locum ſubrogatus fuit Joannes, vir doctus, & pius, virtutibus abundans, & præſertim catholicæ fidei cuſtos tenaciſſimus, ac totius orthodoxiæ imperterritus defenſor. Diſplicuit ejus promotio Dorotheo Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, Regionis illius Exarcho, & Eutychianorum fautori (b), ad quem ſpectabat Archiepiſcopum Nicopolitanum, jure Primatiali, ſivè Exarchico confirmare (c). Quapropter Dorotheus & Joanni prò poſſe reſtitit, & perſecutiones etiam adversùs illum aſperrimas concitavit (d). Invaluitque magis commotio ex eo quod Joannes, convocatis ad Concilium Epiſcopis Veteris Epiri, Nicopolitanæ Eccleſiæ ſubjectis; fidem catholicam inibi aſſeri, & ſuſtineri fortitèr inſudavit, & profeſſionem Fidei, cum Sydonicâ ad Hormiſdam Papam tranſmitti (e), quam Romam detulit Ruffinus Diaconus, hæc intèr cœtera continentem, quod quatuor Concilia Generalia probabat, atque omnes hæreticos condemnabat, ac eorum ſocium Acacium (f), quem dudùm, ſemel, & bis à Felice Papâ excommunicatione innodatum (g), mors in anathemate abſorbuerat (h), corraſo à ſacris diptychis ejus nomine (i): Dùm igitur Dorotheus adversùs Joannem omnem lapidem movet, ut illum à Nicopolitanâ Sede deturbet; Epiſcopi præfatæ Synodi Hormiſdam de illius probitate commonent, de ipſius benemerentiâ, & legitimâ electione, conſcium reddunt, atque ut eum tueatur, exorant. Patet ergò, quod nèc Joannes fuit inſulis Nicopolitanis ornatus ſub ratione formali indigenatus, ſed quià orthodoxus erat, & virtutibus plenus, nec non ad fidem catholicam ſuſtinendam idoneus; neque à Dorotheo fuit impugnatus, quià extraneus, ſed quià orthodoxus, & eo quod à ſè, tamquàm Regionis illius Primate, non fuerat confirmatus: & ità vel fuiſſet, vel non fuiſſet extraneus, aut indigena, hoc nihil, vel vix quidquam ei contulit ad illam dignitatem aſſequendam, vel ut ab eâdem repelleretur.

44. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm negando aliud ſuppoſitum, nempè quod Joannes eſſet indigena Eccleſiæ particularis Nicopolitanæ: nàm hoc ex verbis, per Contradictores allegatis, dilucidè non infertur: dicunt enim Patres Concilii, quod fuerat *à pueritiâ in Eccleſiâ ſinè culpâ enutritus*, ſed non ſpecificant in quâ Eccleſiâ. Cum autem Patres, præſidium Papæ ex tribus rationibus Joanni præfato implorent, primò quià ab imberbi ætate in Eccleſiâ fuerat enutritus. Secundò quià moribus eccleſiaſticis cunctis ſui temporis excellebat. Tertiò quià Zelo orthodoxæ fidei ſuper cœteros eminebat; cur quæſo, relictis aliis duabus rationibus certis, flammantibus, & dilucidis; promotio Joannis ſoli primæ rationi, confuſæ, & obſcuræ, ſaltèm quantum ad indigenatum, debet referri? Sanè educatio uſque à puerili ætate, in Eccleſiâ, debet ad benemerentiæ titulum imputari: *bonum* enim eccleſiaſtico *eſt viro cum portaverit jugum ab adoleſcentiâ ſuâ* (l), quippè inclinatio, affectio, & applicatio exercitiis, & officiis eccleſiaſticis, à teneris annis incepta, ſpiritum eccleſiaſticum puero infuſum demonſtrant, eumque ſacris ordinibus, & ſacerdotali dignitati docent, quodammodò cœlitùs deſtinatum. Sed non hinc ratio illius provectionis ad culmen Epiſcopale, eſt totalitèr repetenda.

45. Ità in titulum benemerentiæ prò Epiſcopatu Trevirenſi adipiſcendo fuit S. Nicetio Monacho computatum, quod à primordiis ſuæ pueritiæ ſè functionibus eccleſiaſticis addixiſſet, atque naſcens, in capillis formam Coronæ Clericalis haberet (m). Ità S. Athanaſio Epiſcopo Alexandrino plauſus datus eſt ex eo, quod ad-

(a) *Conc.Veter.Epir. ap.Labbe.tom.4.Conc.*

(b) *Baron. ann.517. num.33.& ann. 519. num.124.*

(c) *Idem Card. Baron. an.517.à num.40. ad 45.*

(d) *Idem Card. loc.cit.n.33.*

(e) *Epiſtola Synodica inter epiſtolas Hormiſdæ ap.Binium to.3 Concil. fol.741.*

(f) *Bail. Sum.Conc. tom 1. in Conc.Veter. Epir. an.516.* Binius *loc.cit.f.740.*

(g) *Felix II. ep.4. inter epiſt. Rom. Pont. tom.1.*

(h) *Nicephor. in Chronic.*

(i) *Cardin. Baron. ann.519.n.53.*

(l) *Thren. cap. 3. num.27.*

(m) *S.Gregor.Turonenſ.in Vit.S.Nicetii.*

Digitized by Google

hùc puer, cum coadoleſcentulis ludens officium ſacerdotale exerceret, ſanctaque Sacramenta, non ſecùs ac Sacerdos emeritus, miniſtraſſet (*a*). Ità S. Eugenium Epiſcopum Toletanum collaudat S. Idelphonſus, quod à puero miniſteriis eccleſiaſticis incubuiſſet, in Monaſterio ſub S. Helladio educatus (*b*). Ità S. Carolum Borromæum Auctor ejus vitæ commendat, quod adhùc puer, altariola domi erigeret, atque circà illa in rebus Clericalibus obeundis, ſe totum impenſius applicaret (*c*). Nunquid autem proptèr hoc unum, fuerunt ſancti illi, & famoſi Antiſtites ad Eccleſias ipſas promoti? Non certè. Sed ideò Epiſcopale munus adepti ſunt, quià zelo catholicæ fidei ardentes, vitæ probitate præſtantes, doctrinâ, & virtutibus eminentes, meritis tandem cumulati excelluerunt: proptèr quæ digni Epiſcopali gradu ſunt habiti: quibus ſi carviſſent, nihil eis profuiſſet à tenerâ ætate ſe muneribus eccleſiaſticis addixiſſe. Sic ergò Patres Concilii Epirotici, inter rationes, quas favore Joaunis Nicopolitani Hormiſdæ Papæ expoſuerunt, ut ejus provectionem ratam haberet, eique Communionem Apoſtolicam impertiret, hanc quoque aggregaverunt, quod à primordiis ſuæ pueritiæ fuiſſet ſinè culpâ in Eccleſiâ enutritus: at nunquam ſomniarunt, quod hæc nuda prerogativa, totam ejus benemerentiam, prò Nicopolitano throno adipiſcendo fundaret: ſed quià moribus eccleſiaſticis precellebat, virtutibus abundabat, zelo orthodoxæ fidei prę cœteris æſtuabat; ideò illum dignum Eccleſiâ, quam acceperat, conclamarunt: juraque juribus addendo, non omiſerunt prefatis rationibus hanc paritèr adjungere, quod ab exordio ſuæ vitę sè Clericatui, & ſacris functionibus addixiſſet, ut & hujus quoque rationis meritum Pontifex ponderaret.

(a) *Sozom. Hiſtor. lib. 2. c. 16. Ruffin. l. 1. cap. 14.*

(b) *Card. Baron. ann. 536. n. 16.*

(c) *Vide Vitam Sancti Caroli Borromæi.*

Igitur vel non probatur, Joannem Nicopolitanum fuiſſe adeptæ Eccleſiæ indigenam, vel quatenùs etiam talis fuerit, ejus promotio indigenatui non refertur: aut ad ſummum eſſe indigenam, non ei profuit abſolutè, ſed concomitantèr, atque cœteris paribus. Et ſic omnibus penſatis, quæ in toto hujus Capituli decurſu multiformitèr expoſuimus, inconcuſſa ſubſiſtit libertas Eccleſiæ in præbendo acceſſum etiam Clericis extraneis ad Eccleſiaſtica beneficia.

CA-

CAPUT VI.

In quo aliis Objectionibus reſpondetur, propoſitis ex SACRIS CONCILIIS, *à Sæculo Chriſti Sexto uſquè ad Nonum celebratis, contrà libertatem Eccleſiæ, conferendi Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

SUMMARIUM:

1 Quinta Objectio *ex Concilio* Remenſi, *jubente, ut in Epiſcopum non eligatur niſi indigena loci: idemque ſit faciendum de aliis beneficiis.*

2 *Concilium Remenſe, uti Provinciale, non facit legem communem: ſolum enim Concilium Generale adſtringit totam Eccleſiam.*

3 *Imò nec in ſuâ Provinciâ Concilium Provinciale obligat, niſi ſit à Papâ approbatum: vel juri communi inſertum.*

4 *In Conciliorum Provincialium decretis, præſervata ſemper intelligitur authoritas Papæ, & eorum, qui ab ipſo cauſam habent.*

5 *Non eſt eadem ratio de Epiſcopatibus, ac de beneficiis inferioribus, præſertim merè ſimplicibus: in multis enim intèr sè diſconveniunt.*

6 *Si locum haberet Concilium Remenſe, beneficia nedùm nationalibus, ſed etiam incolis, & præcisè localibus, deberent dari.*

7 *Canon Concilii Remenſis in deſuetudinem abiit, qui eum in ſuâ propriâ Diœceſi non afficiat; multò minus facit legem pro aliis.*

8 *Jura Civilia mutatis temporibus immutantur, ſitque idipſum de Juribus Eccleſiaſticis, quę paritèr debent eſſe tempori conſentanea.*

9 *Sanctio dicti Concilii Remenſis ſolùm locum habuit, quandò, & ubi beneficia per electionem diſpenſabantur.*

10 Sexta Objectio *ex Concilio* Cabilonenſi, *jubente, ut Epiſcopus eligatur à Clero, & populo, atque à Comprovincialibus Epiſcopis, quibus ſit cognitus, adeoque indigena: idemque ſit de aliis beneficiis.*

11 *Etiàm extranei poſſunt eſſe noti Clero, & populo, ac Epiſcopis Comprovincialibus, ſicque eligi ad Epiſcopatum.*

12 *Canones modo jubent electionem Epiſcopi fieri à Clero, & populo, modò à Capitulo Eccleſiæ, modò à Principe, modò alia formâ.*

13 *Cabilonenſis Canon locum habuit ſolùm tempore, quo vigebat forma electionis Canonicæ, & pro Epiſcopatibus, non verò pro aliis beneficiis.*

14 *Laici malis artibus diſpenſantes beneficia compeſcuntur per Concilium Cabilonenſe. Quid circà hoc ſanxerint alii Canones.*

15 Septima Objectio *ex Concilio* Romano, *jubente præfici Eccleſiis Epiſcopos notos, ac deiici à Sede Antiochenâ Macedonium extraneum.*

16 *Etiam extraneus teſtimonium habere bonum poteſt. Macedonius fuit ejectus, quià Monothelita.* Typus *Conſtantis Imperatoris fuit abrogatus.*

17 *Idem Typus, &* Ecthesis *Heraclii, ac Monothelitæ damnantur. Stephanus Dorenſis, & Joannes Philadelphienſis Vicarii Sedis Apoſtolicæ.*

18 *Hæreſis, non extraneitas obfuit Macedonio, ut à Sede Antiochenâ deiicere-tur.*

tur. Obſuit ei quoque fuiſſe promotum ab Hæreticis.

19 Extraneitas in depoſitione Macedonii allegatur concomitantèr, non abſolutè. Exemplum affertur condemnationis Lutheri.

20 Extraneus, decreto, & conſenſu eorum, quorum intereſt, poteſt promoveri. Sicque argumentum favet extraneis.

21 Octava Objectio ex Concilio Lateranenſi, jubente, laicum repentè ad Papatum, vel Epiſcopatum non promoveri &c.

22 Decreta dicti Concilii, ſicut quoàd electionem extranei in Papam non afficiunt, ità & nec quoàd electionem ejuſdem in Epiſcopum.

23 Invitis nullus eſt dandus Epiſcopus. Concilium Lateranenſe non loquitur de beneficio, ſed de ordine: & qualitèr de indigenatu?

24 Patrum ſententiæ innuuntur circà complacentiam populi in Epiſcopo ſibi præficiendo, quæ poteſt concurrere etiam favore Clerici extranei.

25 Concilium præfatum non habuit intentionem excludendi à beneficiis extraneos: nam approbavit electionem Stephani Siculi in Papam.

26 Nona Objectio ex Capitularibus Caroli Magni, jubentibus eligi Epiſcopum de propriâ Diœceſi, quod verum ſit etiam dè aliis beneficiis.

27 Ubinàm, in quibus Conciliis, & quandò ſint edita Decreta Capitularium, & qualitèr in unum collecta?

28 Quanta ſit Capitularium prædictorum auctoritas? Concilium Meldenſe inſtetit, ut ipſa promulgarentur. An habuerint vim legis eccleſiaſticæ.

29 Decretum Capitularium loquitur cæteris paribus, non abſolutè. In æqualitate meritorum indigena eſt extraneo præferendus.

30 Decima Objectio, petita ex Concilio Ticinenſi, jubente, ut Animarum Rectores eligantur à Clero, & populo ex ipsâ Eccleſiæ vacantis plebe.

31 Canon Ticinenſis non facit legem communem: locumque habebat tunc, quandò beneficia per electionem tradebantur, non verò nùnc.

32 Idem loquitur de Parochiis reſidentialibus, & de Jure patronatus populi, non de beneficiis merè ſimplicibus: vel loquitur ex honeſtate.

33 Intentum dicti canonis non fuit extraneos arcere, ſed laicos factioſos compeſcere, qui Presbyteros ignotos Eccleſiis intrudebant.

34 Per ly ex ipsâ plebe, non intelligitur ex Clero, & populo Eccleſiæ vacantis, ſed ex toto ejus Plebenatu.

35 Undecima Objectio ex Concilio Cariſiacenſi, jubente, deiici ab Eccleſiâ Lingonienſi Vulfadum extraneum, ſubrogato ei Iſaaco.

36 Ludovicus Pius ab Epiſcopis, & Proceribus depoſitus fuit, in Concilio Compendienſi, Lothario ejus filio id procurante.

37 Imperator liberatur à Ludovico ejus filio, & in Concilio Metenſi accuſat Ebbonem Remenſem, totius machinæ architectum.

38 In Concilio ad Theodonis Villam Imperator redintegratur, & Ebbo deponitur, ſive ſpontè deponit Archiepiſcopatum Remenſem.

39 Mortuo Imperatore, Ebbo ad Eccleſiam Remenſem redit, & Vulfadum, ac alios Clericos ordinat: indè à Carolo Calvo expellitur.

40 Lotharius Imperator Ebbonem redintegrari procurat. Carolus Calvus obſiſtit: ſit contrà illum Synodus, in quâ ipſe abnuit comparere.

41 Magna contentio in Galliâ, an Vulfadus, & alii ab Ebbone, dicto tempore, validè ordinati eſſent. Quid Concilium Sveſſionenſe ſenſerit?

42 Papa abrogat dictum Concilium, poſtquàm Vulfadus, & Socii ad Sedem Apoſtolicam appellaverant.

43 Hadrianus Papa declarat validam ordinationem Vulfadi, qui poſteà Bituricenſem Archiepiſcopatum adeptus eſt.

44 Vulfadus non fuit repulſus ab Eccleſiâ Lingonienſi, quià extraneus, ſed quià de invalidè ſuſcepto presbyteratu notatus.

45 Item

45 *Item in culpâ erat Vulfadus, quod ſine electione canonicâ intruſus eſſet, & ob alias cauſas, ab extraneitate diverſas.*

46 *In locum Vulfadi ſuffectus eſt Iſaac extraneus. Hilduinus habebat duas Abbatias, à quarum unâ erat extraneus.*

47 *Dictus Iſaac nedùm erat extraneus, ſed etiàm extraprovincialis, ab Eccleſiâ Lingonicâ nec extraneitas ei obſuit.*

48 *Vulfadus demùm Bituricenſium Archiepiſcopus factus eſt: multique extranei hìc notantur beneficiis inſigniti.*

1. ARMA *militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes*, quæ ex Conciliis poſtulantur, & nobis ex adverſo obiiciuntur (*a*). Nàm ad evertendas hujuſmodi oppoſitiones, arma nobis veluti cælitùs porriguntur: quibus exiguitas noſtra, cum ſit naturalitèr deſtituta; ſuccumbere cogeretur; niſi deſurſùm lumen, & præſidium ſibi miniſtrari ſentiret. Hoc adjutorio argumenta ſuperiùs objecta, diſſoluimus: eodem & ſequentia enodaturos eſſe ſperamus, quippè cauſam veritatis agimus, & in eâ Dei cauſam nos defendere cogitamus, qui dat ſibi famulantibus *os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnis adverſarii eorum* (*b*). Igitùr *Arguunt quinto* loco Contradictores, ex *Concilio Remenſi*, habito ſub Sonnatio Archiepiſcopo, anno Chriſti 630, tempore Honorii Papæ I. & Heraclii Imperatoris, ac Dagoberti Francorum Regis, in quo poſt plures canones, de diſciplinâ eccleſiaſticâ pertractantes, ultimo loco ſic legitur conſtitutum: *Item ut decedente Epiſcopo, in locum ejus non alius ſubrogetur, niſi loci illius indigena, quem univerſale, & totius populi elegerit votum, ac Comprovincialium aſſenſerit voluntas. Alitèr qui præſumpſerit, abjiciatur à Sede, quam invaſit, potiùs quàm accepit. Ordinatores autem triennio ab officio adminiſtrationis ſuæ Sedis ceſſare decernimus* (*c*). Cum ergò expreſsè caveat Concilium, ne in vacuis Sedibus Epiſcopalibus alius, quàm loci indigena cooptetur, ſub pœnâ nullitatis, & expulſionis Electi; patet quod extranei prohibentur Epiſcopatibus inſigniri: & quod de Epiſcopatibus dicitur, de cæteris etiam beneficiis verificatur. Nàm, ut benè Abbas notat, licet aliquis canon aliquandò de ſolis *loquatur Epiſcopis; ratio tamen communis eſt ad alia beneficia* (*d*). Conſentitque Barboſa dicens, *rationem communem eſſe ad alia beneficia, etſi litera de Epiſcopis loquatur* (*e*). Igitùr ex Concilio Remenſi, in terminis terminantibus comprobatur, quod ad eccleſiaſtica beneficia, repulſis extraneis, poſſunt ſoli indigenæ promoveri.

(a) *1. Corinth. c. 10. n. 4.*
(b) *Lucæ cap. 21. n. 15.*
(c) *Concil. Remenſ. an. 630. c. ult.*
(d) *Abbas in cap. nullus invitis diſt. 61.*
(e) *Barboſ. l. 2. Vot. 33. n. 4.*

2. Reſpondetur *primò*, Concilium Remenſenſe non fuiſſe Concilium generale, ſed Provinciale, & uti tale nunquam feciſſe legem communem, ab Eccleſiâ univerſalitèr obſervandam, ſed ſolùm jus particulare, prò privatâ Remenſi Provinciâ, extrà quam nullam vim habet, nec unquam habuit obligandi (*f*). Nàm ut ait Bail, *jus particulare cujuſcumque privatæ Eccleſiæ, vel Nationis, non appellatur jus ſimplicitèr, præſertìm in Jure Canonico, & à Summo Pontifice, ſed appellatur ſtatutum Epiſcopi, aut Synodale, vel Provinciale, juxtà cap. 2. cum ſimilibus de Conſtitutionibus in 6.* (*g*). Siquidèm hæc eſt differentia intèr Concilium Generale, & Provinciale, ac alia inferiora, *quod generale Concilium poteſt obligare fideles omnes, tàm in rebus fidei, ad eas credendas, quàm in materiâ morum, ac diſciplinæ, ad eam ſervandam. Minora verò alia Concilia non poſſunt obligare totam Eccleſiam, nec habent juriſdictionem univerſalem, poſſuntque ferre leges accomodatas, & proportionatas juriſdictioni ſuæ, tàm quoàd territorium, quàm quoàd materiam legum, ut in gravioribus Summo Pontifici reſervatis, aut ad univerſalem Eccleſiam ſpectantibus, non ſe immiſceant* (*h*). Et ſicut in politicis, leges Parlamenti, vel Comitiorum alicujus Provinciæ, non obligant extrà illam, nec faciunt Jus commune

(f) *Barboſ. ſum. Apoſtol. deciſ. Collect. 174. n. 4.*
(g) *Bail. ſum. Concil. to. 1. in Apparat. ad Concilia f. 80. §. docet.*
(h) *Idem Bail. loc. cit. §. quod.*

Re-

Regni, nec auctoritatem Regiam complectuntur; ità in rebus eccleſiaſticis, leges Concilii Provincialis extrà Provinciam non obligant, jus commune non faciunt, nec Papæ auctoritatem adſtringunt.

3. Quinimò ipſa Concilia Provincialia omni jure carent quoſlibet obligandi, niſi fuerint à Summo Pontifice approbata: Ità enim ſcripſit Symmachus Papa, *Concilia Sacerdotum eccleſiaſticis legibus quotannis decreta per Provincias, quià præſentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt. Legiſtis inſaniſſimi aliquandò in illis præter Apoſtolici Apicis ſanctionem aliquid conſtitutum: & non de majoribus negotiis ad conſultationem, ſi quid occurrit, præfatæ Sedis arbitrio fuiſſe ſervatum* (a). Nec approbationem ſortiuntur per ſimplicem permiſſionem, qualis eſt illa, quàm nunc ei Sacra Congregatio Cardinalium ſolet impertiri, ſed neceſſarium eſt ſpeciale Diploma, ſeù Breve Pontificium, tenorem ipſius Concilii approbans. Et eo adhuc obtento, Concilium ipſum non niſi intrà propriam Provinciam quemquam adſtringit. Audiatur Barboſa: *Concilium Provinciale non obligat extrà Provinciam, & extrà eam non facit legem, & per approbationem, quæ fit à Sacrâ Concilii Congregatione, non intelligitur confirmatum auctoritate Apoſtolicâ, ſed tantum permiſſum* (b). Si tamen Concilium Provinciale, ſivè aliquod ejus decretum, ſit corpori juris inſertum, quemadmodùm canon Concilii Meldenſis Decretalibus in titulo de Conſtitutionibus eſt aſſutus (c), & plurima alia ſunt à Gratiano in ſuâ Collectione Canonum aggregata; tunc habet vim legis communis, non quà Canon Concilii Provincialis, ſed quà à Pontifice ad faciendum Jus commune approbatus.

(a) *Symmach. PP. in cap. Concilia diſt. 17.*

(b) *Barboſ. ſum. Apoſtol. deciſ. Collect. 198. num. 3.*

(c) *Cap. canonum 1. de Conſtit.*

4. Approbatione autèm Concilio adjectâ, proculdubiò ipſi Concilio magna debetur exiſtimatio (d), ſed cum in ipſis Conciliis generalibus excepta intelligatur Summi Pontificis auctoritas (e), multò magis in decretis Conciliorum provincialium ſempèr intelliguntur præſervata jura Sedis Apoſtolicæ (f): & generalitèr quæcumque in Conciliis Provincialibus dignitati, vel poteſtati Apoſtolicæ detrahentia reperiuntur, auctoritate ipſius Pontificis abrogantur (g). Nèc hoc fit ex novâ Eccleſiæ diſciplinâ, ſed ex veteri ſtylo, antè ipſa D. Gregorii tempora ſubſiſtente, qui de Pelagio Papâ II. Prædeceſſore ſuo ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſcribit: *Synodi, quæ apud vos de fratris quondam, & Conſacerdotis Gregorii causâ congregata eſt, propter nefandum elationis vocabulum, acta diſſolvit* (h). Ipſeque D. Gregorius Euſebium Theſſalonicenſem, atque alios præcipuos Græciæ Epiſcopos, à Joanne Jejunatore ad Synodum convocatos, commonuit: *Pervenit ad nos, quod fraternitas veſtra ad urbem Conſtantinopolim ſit convocata, quamvis &c. ſinè Apoſtolicæ Sedis auctoritate, atque conſenſu, nullas quæcumque acta fuerint, vires habeant. Veruntamèn coram Omnipotenti Deo conteſtor, & admoneo, ut nullus veſtrum illìc quibuslibet ſuaſionibus &c. teneatur aſſenſus: ſed prò æterni judicii conſideratione adversùs prava deſideria ſalubritèr, atquè unanimitèr vos exhibere &c. ne de hac rè, quâcumque ſubreptione, Synodum patiamini, quæ neque legitima quidem, nec Synodus dicenda eſt, celebrari* (i). Igitur cum Concilium Remenſe non ſit à Sede Apoſtolicâ approbatum, neque juris corpori inſertum, neque ad faciendum jus commune deputatum, & aliàs illius canon ſit præjudicialis libertati Summi Pontificis, & Eccleſiæ, ac eorum, qui vel ordinario, vel delegato jure, ab ipſo Pontifice mediatè, vel immediatè, ſortiti ſunt libertatem ipſam, beneficia prò ſuo libito diſpenſandi; ſequitur, quod primò illud extrà propriam provinciam non eſt, nec fuit unquam ullius ponderis, & momenti, ſaltèm quoàd obligandum. Secundò, quod & nec extrà, nec intrà propriam Provinciam, irrita facere potuit jura Pontificis, neque aliorum, qui de ipſis juribus participant, libertatem præfatam concernentibus: Et per conſequens libera remanet, ut fuit ſemper Eccleſia in poteſtate præficiendi unà cum indigenis, etiam Clericos extraneos eccleſiaſticis beneficiis. Cæterùm Concilio Remenſi, decernenti, provehendam non eſſe ad Epiſcopale beneficium *niſi loci illius indigenam*, opponere poſſemus Concilium

(d) *Vid. S. Greg. VII. in Apologet. Rom. Concil. c. 4. ap. Binium to. 7 Concil. p. 2. f. 468.*

(e) *Paſchal. PP. II. ep. 6 cap. ſignificaſti 4. & ibi Gloſ. V. excipiatur de elect.*

(f) *Gelaſ. I. epiſt. 13. Hadrian. I. ep. 6. Cajetan. in D. Thom. 2. 2. qu. 88 art. 12. verſ. dubium 2.*

(g) *Brancat. Epitom. Canon. V. Concilia provincialia.*

(h) *S. Greg. l. 4. ind. 13 epiſt. 38.*

(i) *S. Gregor. l. 7. ind. 2. epiſt. 70.*

cilium Bituricenſe, in eâdem Galliâ celebratum, & ſanciens, electiones Antiſtitum in unaquaque Eccleſiâ libere eſſe faciendas, *de perſonis idoneis, undecumque extiterint oriundæ* (a). Et cum hæc duo Concilia, in eodem Regno celebrata, juſſiones ediderint per diametrum oppoſitas: certumque omninò ſit, quod jura poſteriora derogant prioribus (b); petere poſſemus, cur attendendus ſit canon Concilii Remenſis antiquioris, quam Bituricenſis magis recentis; & cur primum illud Concilium in pretio babendum ſit, utcumquem obſiſtens extraneis, non verò ſecundum, eiſdem favens, & sè Juris communis ſanctionibus uniformans?

5. Reſpondetur *ſecundò* ad argumentum, negando conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quod Concilium Remenſe loquitur de Epiſcopatibus, noſtra autem quæſtio vertitur præcipuè circà minora beneficia, & præſertim circà illa, quæ vocantur merè ſimplicia, non excluſis tamen Epiſcopalibus. Licetque in ſententiâ Abbatis, Barboſæ &c. beneficium in multis cum Epiſcopatu conveniat, & de uno dicta, verificentur de alio; In multis tamen etiam diſconveniunt, & toto Cœlo diſcordant, quoniàm perplura competunt Epiſcopatui, & Epiſcopo, proptèr prerogativam dignitatis, quæ non competunt inferioribus beneficiis, & præbendatis, prout elicitur ex ſacris Canonibus (c), docentque firmitèr Scriptores, tam Thologi (d), quam Juriſconſulti (e). Undè etiam fit, quod ubi inter Epiſcopum, & ſuam Eccleſiam contrahitur propriè ſpirituale conjugium (f), inter beneficiarium tamen inferiorem, & ſuam Eccleſiam, ſive præbendam non propriè ſed ad ſummum impropriè contrahitur matrimonium, ſeù quaſi matrimonium ſpirituale (g). Quarè quantumvìs Concilium Remenſe arcuerit extraneos ab Epiſcopatibus, non tamen benè infertur, illos etiàm à beneficiis merè ſimplicibus protelaſſe, quippè aliæ conditiones, & qualitates neceſſariæ ſunt ad Epiſcopatum conſequendum, quę ad beneficia inferiora, & ſignantèr ad beneficium merę ſimplex adipiſcendum, non exiguntur.

6. Reſpondetur *tertiò*, argumentum nihil probare, quià nimiùm probat. Siquidem ſi beneficia eccleſiaſtica neganda ſunt extraneis, quià Concilium Remenſe dicit, ad Epiſcopatum vacantem provehendum eſſe *loci illius Indigenam*; ſequitur quod non quibuſcumque indigenis, uti ſunt Nationales, & Provinciales, ac Diœceſani; ſed omninò indigenis localibus beneficia eccleſiaſtica erunt tradenda; ſicque beneficia in aliquâ Civitate erecta, ſolis Civibus illius Urbis debebunt committi: fundata in aliquo Oppido, ſolis Oppidanis illius loci: in Eccleſiâ Caſtri, alicujus exiſtentia, ſolis Caſtrenſibus illius loci: in Oratorio aliquo campeſtri ſita, ſolis ruriculis illius loci: beneficia tandem in aliquo vico, vel angulo terræ fundata, ſolis vicanis, vel anguli illius incolis erunt tradenda; quod in primis nihil proficiet ad intentum Contradictorum, agentium pro limitatione beneficiorum ad cunctos indigenas totius ſuæ Nationis, non verò ad ſolos indigenas alicujus privati loci: & poſteà erit res contrà omnem rectum, & ritum ſacræ politiæ ordinem, atque commodum; cum moralitèr impoſſibile ſit in omni vico, loco, caſtro, oppido, & pago, reperire Clericos indigenas, idoneos ad beneficia vacantia. Accedit, quod arctare collationem beneficiorum ad ſolos indigenas, ſeù incolas alicujus loci, idem eſt ac Papam, Imperatorem, Reges, Epiſcopos, alioſque omnes Clericos, & laicos beneficiorum Collatores, vel reſpectivè ad ea Nominatores, ſuâ poteſtate nudare: vel ſaltèm eorum jura tam indiſcretâ captivitate vincire, ut pro dominio, ſpeciem induant ſervitutis, & præter nudum miniſterium, nihil in hac rè poſſideant libertatis. Siquidem limitatio traditionis ad ſolos indigenas faciet, ut Collatores, & Nominatores non ſint liberi, & gratioſi diſtributores beneficiorum, ſed ſerviles eorum porrectores, & nuda inſtrumenta largitionis: ipſaque beneficia non auctoritativè, ſed miniſterialitèr, neque uti præmia virtutis, ſed ut originis fercula conferantur, quo quid poſſumus turpius comminiſci? quid damnoſius adinvenire, juſtitię contrarium, benemerentiæ injurioſum, ac totius ſacræ diſciplinæ harmoniam confundens, & conſonantiam univerſali diſſolutione ſupplantans?

7. Re-

(a) *Concil. Bituricenſ. ann. 1326. Bail. tom. 2. f. 390.*
(b) *Cap. paſtoralis §. quoniam de preſcript.*
(c) *Cap. etſi de ſent. & rè judic. in 6. cap. quoniam 12. de privil. in 6. c. quid periculoſi de ſent. excom. eod. lib.*
(d) *Diana p. 6. tr. 2. reſ. 3. in fin.*
(e) *Taſc. to. 3. lit. E. concl. 27. n. 31. Giurb. conſ. 88. n. 2. Guazin. defenſ. reor. 2. c. 9. n. 23*
(f) *Cap. etſi unanimiter 6. de poſtul. prę lat.*
(g) *Gloſ. & Abbas in dict. cap. etſi unanimiter. Alteſer. in cap. gratum 2. de poſtul. prælator.*

7. **Reſpondetur** *quartò*, **Sanctionem Concilii Remenſis, ex adverſo allegatam, in deſuetudinem abiiſſe, & per novas leges eſſe correctam, nempè per canones** Conciliorum Generalium, Nationalium, & Provincialium, quos in toto præſentis operis decurſu produximus (*a*), ac per alios Juris canones, & Pontificias Conſtitutiones, atque Concordata Nationum cum Sede Apoſtolicâ, quorum vi, ſicuti, non obſtante prçfatâ Remenſis Concilii ſanctione, poteſt Rex Galliarum, & poſſunt Archiepiſcopus, ac Epiſcopi Provinciç Remenſis beneficia eccleſiaſtica tàm extraneis ab illâ Diœceſi, quam indigenis elargiri; ità etiam id poſſunt & Papa, & Epiſcopi, & omnes demùm, tùm ordinarii, tùm delegati beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores: quippe quibus eadem communis eſt ratio, & par jus, vel à propriâ dignitate, vel à lege, vel ex privilegio reſpectivè, dimanans. Nequè ad hoc habere noſcuntur quid reſpondeant Contradictores, niſi quod priſci canones, ſemel ab Eccleſiâ ſanciti, ſunt invariabiles, inalterabiles, immobiles, nec ullâ unquam contrariâ ſanctione convulſibiles: opinio ſanè frigida, & inſipiens, atque ad ſtultitiæ propius, quàm ad ſanæ Doctrinæ limites appropinquans; utpotè quç negat Eccleſiç facultatem condendi leges, & canones prò temporum opportunitate mutandi, quâ nullus exiguus principatus in politicis caret, nec ulla debet in Sacris Eccleſia, territorium habens cum juriſdictione, carere (*b*).

(a) *Vid. ſup. Concilia tom. 1. & 2. in ſingulis ſæculis.*

8. Porrò prò eo, quod ſpectat ad res politicas, prçter alios (*c*) hæc habet Aulus Gellius: *longa ætas, verba, atque mores veteres obliteravit, quibus verbis, moribuſque, ſententia legum comprehenſa eſt &c. Nec ideò contemnas legum iſtarum antiquitates, quod pleriſque ipſis jam Populus Romanus deſiverit: Non enim profectò ignoras legum opportunitates, & medelas prò temporum moribus, & prò rerum publicarum generibus, ac prò utilitatum prçſentium rationibus, quoque vitiorum, quibus medendum eſt, fervoribus, mutari, atque flecti, neque uno ſtatu conſiſtere, quin ut facies cœli, & maris, ità rerum, atque fortunæ tempeſtatibus varietur* (*d*). De ſacris etiam legibus ità ſenſit D. Auguſtinus: *non itàque verum eſt, quod dicitur, ſemel, rectè antè factum nullatenùs eſſe mutandum. Mutatâ quippè temporis causâ, quod rectè antè factum fuerat ità mutari vera ratio plerùmque flagitat, ut cum ipſi dicant rectè non fieri ſi mutetur; contrà, veritas clamat, rectè non fieri, niſi mutetur: quia utrumque tunc erit rectum, ſi erit prò temporum varietate diverſum.* (*e*) Bene ergò poteſt Eccleſia, quod poteſt Reſpublica, leges nempè prò temporum opportunitate mutare (*f*), ritèque, ac rectè, juſtis, ac rationabilibus ſupervenientibus cauſis, potuit Remenſem Canonem antiquare, quem ab initio, contingentiæ illorum temporum popoſcerunt eſſe ſanciendum. *Quæ omnia*, ut ait de Marca, *ſi quis accuratè expendat, non adeò laborabit de diſcrimine antiqui juris, & recentioris, quod rerum, & negotiorum varietas, ab invitis Pontificibus prò utilitate Reipublicæ Chriſtianæ extorſit. Itàque eo ſtatu res Eccleſiç nunc poſitæ ſunt, ut ſi quis de abſolutâ, & integrâ reſtitutione juris antiqui, & novi abolitione contendat, perindè agat, ac ſi Imperium inveteratorum adminiſtrationem ad eam formam revocare velit, quç in ipſis Regnorum initiis obtinebat* (*g*). Alibi de poteſtate mutandi leges, quæ ineſt Eccleſiæ ſumus fuſiùs elocuti: undè illuc benignum remittimus Anagnoſtem (*h*).

(b) *Vid. B. Petr. Chopinæ l. 1 epiſt. 28 §. hoc tamen.*

(c) *Anton. Auguſtin. de Legibus c. 37 f. 27.*

(d) *Aulus Gellius Noct. Attic. l. 2. c. 1.*

(e) *S. Auguſt. in ep. ad Marcellin.*

(f) *Vid. Jacob. Almain de poteſt Eccleſ. c. 2. inter oper Jo. Gerſon. to. 1. in fin.*

(g) *Petr. de Marca de Concord. l. 3. c. 6. n. 4*

(h) *Vid. ſupr to 2. c. 19. n. 3. & 4. & cap. 21, n. 9. ad 10.*

9. Reſpondetur *quintò* Argumentum iterùm nihil probare, quià nimium probat. Etenim Concilium Remenſe loquitur de loco, & tempore, in quibus beneficia eccleſiaſtica per electionem concedebantur; non verò de illis, in quibus jàm vel pleno jure conferuntur, vel ad prçſentationem alicujus traduntur. Certum eſt enim, ut mox innuimus, leges, & canones, ſivè à Papâ in ſuo throno, ſivè à Patribus in Concilio aſſidentibus, accommodè ad contingentias temporum definitas, potuiſſe, variatis temporum circumſtantiis, mutari, *& cum ſit idem Spiritus Sanctus, qui in omnibus lumen ſapientiæ ſuæ infudit, ac eadem Eccleſia heri, hodiè, & ad finem Mundi, & eadem fides, & religio &c. non relinquitur locus, cur antiqua prçferantur noviſſimis* (*i*). Hinc quià poſt formam proviſionis bene-

(i) *Bail. ſum. Concil. to. 1. in Apparat. f. 98.*

Digitized by Google

beneficiorum per electionem, ſucceſſit alia forma proviſionis eorumdem, per pleni juris collationem, vel ad eadem preſentationem; jàm Canones de primâ loquentes, non reſpondens ſecundæ. Et ideò ſi velit attendi canon Remenſis, argumentum, uti diximus, nimium probat, quià decernendo, quod ad beneficium *non alius ſubrogetur, niſi loci illius indigena, quem univerſale, & totius populi elegerit votum, ac Comprovincialium voluntas aſſenſerit* (a); probat beneficia non eſſe amplius à Collatoribus, & Patronis tradenda, ſed à ſolo populo, cum Epiſcoporum Comprovicialium voluntate diſpenſanda. Et ità Epiſcopo Diœceſano inſcio, & inauditis patronis, à beneficiorum fundatoribus deſignatis, beneficia ſivè libera, ſivè juris patronatus, debebunt à lixis, & calonibus diſpenſari: Debebit Ordo jàm à multis ſęculis in Eccleſiâ vigens convelli: Sacra politia interverti: Et Eccleſia velut ad antiquum chaos reduci. Quæ adiendo, quis non inflammeſcat ad fortitèr exclamandum, nè quid innovetùr, & ut Eccleſia ipſa in ſuâ libertate ſinatur, admittendi unà cum indigenis, etiam Clericos extraneos ad eccleſiaſtica beneficia?

(a) *Concil. Remenſ. an. 630. c. ult.*

10. *Arguunt ſextò* Contradictores ex *Concilio Cabilonenſi*, habito anno Chriſti 650. tempore Martini Papæ I. & Conſtantii II. Imperatoris, atque Clodovei II. Galliarum Regis. In quo ex 20. canonibus, unus eſt hæc continens, quæ ſequuntur: *ſi quis Epiſcopus de quâcumque Civitate fuerit defunctus, non ab alio, niſi à Comprovincialibus, Clero, & Civibus ſuis, alterius habeatur electio, ſin alitèr hujus ordinatio irrita habeatur* (b). Si ergò novus Epiſcopus nonniſi à Clero, & Populo Eccleſiæ viduatæ, atque à Comprovincialibus Epiſcopis eligendus eſſe definitur; ex conſequenti nonniſi ſolus indigena poterat eligi, extraneis ablegatis: quippè extranei, tamquàm Electoribus incogniti, ab eis eligi non valebunt. Itàque vigore hujus ſanctionis extraneis acceſſus ad Epiſcopatus non patet, & conſequentèr nec etiam ad cætera beneficia, ob identitatem rationis, de quâ in argumen- præterito ſermo fuit. Nèc parue auctoritatis eſt canon hujuſmodi Concilii, quippè quod in eo concurrerunt Epiſcopi 36. vel 38. præſentialitèr, & 6. per Procuratores (c), ex tribus Provinciis eccleſiaſticis Galliæ, Lugdunenſi, Rotomagenſi, & Viennenſi, in uſu ſuę facultatis adeo prævalentes, ut nihil formidaverint depoſitionem Theodoſio Archiepiſcopo Arelatenſi intimare (d), quamvis Arelatenſis Antiſtes Primatus honore ſuper omnes Eccleſias Galliæ potiretur, uti ex epiſtolâ Symmachi Papę liquet ad S. Cæſarium (e), Vigilii ad Aurelianum (f), Pelagii I. ad Sapaudum (g), & S. Gregorii Magni ad Virgilium Archiepiſcopos Arelatenſes (h).

(b) *Concil. Cabilon. an. 650. c. 20.*

(c) *Vid. Binium Bail. Cabaſut. & alios ad hoc Concil.*

(d) *Vid. epiſt. Conc. Cabilon. ad Theodoſ. Arelat. ap. Sirmond. & ap. Petrum Saxiū in Pontificio Arelatenſi.*

(e) *Symmac. PP. ep. 1. & 6.*

(f) *Concil. Univerſal. 5. collat. 7.*

(g) *Apud Sirmond. tom 1. Concil Gall.*

(h) *S. Greg. l. 4. ep. 50. & 52.*

11. Reſpondetur *primò* retorquendo argumentum. Nàm cum Concilium Cabilonenſe decernat, illum eſſe ad Epiſcopatum vacuum promovendum, quem Epiſcopi Comprovinciales, Clerusque, ac Populus Eccleſiæ vacantis elegerint; iſti autem optimè potuerint nedùm indigenas, ſed etiam extraneos, ſibi tamen notos, eligere, prout millies in hiſtoriis factum eſſe legitur; jam patet, quod vigore iſtius canonis, nedum indigenæ, ſed etiam extranei erant eligibilitatis capaces. Præterquamquod, non una tantum forma, ſed multiplex, diverſæque electionis viæ erant à ſacris Canonibus ad electionem conſtitutę, de quibus cum jam ſuprà fusè locuti ſimus, hìc ad eorumdem repetitione abſtinemus (i). Non ommittimus tamen adnotare, quod neque in ſacris Conciliis adeò conſtans, & inconcuſſa legitur determinata forma, in electionibus obſervanda, ut quæ in uno eſt deſignata, non ſit in alio diverſimodè præfinita. Nàm Concilium Laodicenum jubet, Epiſcopum Eccleſiæ vacantis eligi ab Epiſcopis Comprovincialibus, nullâ factâ mentione Cleri, neque Populi, neque Clericorum de gremio: *Ut Epiſcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Epiſcoporum, qui circumcircà ſunt, provehantur ad eccleſiaſticam poteſtatem, hi videlicèt, qui plurimo tempore probantur, tàm verbo fidei, quàm rectę converſationis exemplo* (l). Concilium Arelatenſe II. decernit, ut à ſolis Clero, & Populo fiat electio; ità ut Epiſcopi Comprovinciales nec poſſint eligendum nomina-

(i) *Vid. ſupr. tom. 2. c. 19. 20. & 21.*

(l) *Concil. Laodicen. cap. 12.*

minare: *Placuit in Ordinatione Epiſcopi hunc ordinem cuſtodiri, ut primo loco, venialitate, vel ambitione ſubmotâ, ab Epiſcopis nec nominentur, de quibus Clerici, vel Laici Cives ergà unum eligendi habeant poteſtatem* (a).

12. Similitèr Concilium Antiochenum præſcribit, ne electio Epiſcopi fiat niſi coràm Metropolitano, & in Synodo Provinciali: *Epiſcopus præter Synodum, & præſentiam Metropolitani, nullatenùs ordinetur* (b). Concilium Carthaginenſe II. ſtatuit, ut non valeat electio Epiſcopi, à Coepiſcopis facta, niſi accedat aſſenſus Primatis: *Ut inconſulto Primate cujuslibet Provinciæ tàm facilè nemo præſumat, licèt cum multis Epiſcopis, in quocumque loco, ſinè ejus, ut dictum eſt, præcepto, Epiſcopum ordinare* (c). Concilium Aurelianenſe III. mandat, ut ab Epiſcopis, cum conſenſu Cleri, & Populi, fiat electio: *Metropolitanus à Comprovincialibus Epiſcopi (ſicut decreta Sedis Apoſtolicę continent) cum conſenſu Cleri, vel Civium eligatur. De Comprovincialibus verò ordinandis cum conſenſu Metropolitani, Cleri, vel Civium, juxtà priorum canonum ſtatuta, electio, & voluntas requiratur* (d). Concilium Toletanum XII. Regi Hiſpaniæ, & Galliciæ dat munus Epiſcopos diſignandi, à Toleti Archiepiſcopo comprobandos: *Placuit &c. ut licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoſcumque Regalis poteſtas elegeris, & jàm dicti Toletani Pontificis judicio dignos eſſe probaverit, in quibuslibet Provinciis, & in præcedentium ſedibus præficere Pręſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores* (e). Concilium Remenſe voluit, ut Epiſcopi electio à ſolo Clero, & Populo fiat: *Ne quis ſinè electione Cleri, & Populi ad regimen eccleſiaſticum provehatur* (f). Concilium Pariſienſe determinat, ut electio à ſolis capitulum Eccleſiæ componentibus, & de ipſo capitulo habeatur: *Capitulis Eccleſiarum Conventualium diſtrictè præcipimus, ut cum electionem Prælati facere debent, ſi in ſuo Collegio idoneum non invenerint, extrà eligant, & promoveant in Prælatum* (g). Alitèr ab aliis Conciliis invenitur eſſe decretum, indeque apparet, nullum momentum, vel vim facere Concilium Cabilonenſe, à Contradictoribus allegatum, cum tot alia Concilia diverſimodè definierint: nec propter eorum varietatem magis ſtandum ſit definitioni unius, quam alterius.

13. Reſpondetur *ſecundò* ad argumentum pluribus modis, alibi fuſius extenſis, & hìc brevitèr complicatis: primò, quod Canon Cabilonenſis ad ſummum potuit habere vigorem ubi, & pro eo tempore, quo vigebat forma proviſionis beneficiorum per viam electionis canonicæ: Nùnc autem, cum loco electionis ſucceſſerit jus plenariæ collationis, vel nominationis; jàm canon præfatus, cum ipsâ electionis formâ diſperiit. Secundò, quod canon Cabilonenſis loquitur de Epiſcopatibus, non verò de beneficiis inferioris ordinis, & præſertim de merè ſimplicibus, circà quę vertitur cardo præcipuus noſtræ difficultatis, non excludens tamen beneficia ordinis Pontificalis: *diverſas* autem, & relevantes occurrere rationes diſconvenientiæ inter beneficia minora, & Epiſcopatus jam ſuprà docuimus. Tertiò, quod argumentum nihil probat, quià nimium probat: probat ſiquidem, quod ſi beneficiarii eligendi ſunt à Clero, & Populo, juxtà canonem Cabilonenſem; jam erunt ſpoliandi omni jure, quo hucuſque potiti ſunt, per multa ſæcula, & Papa, & Imperator, & Reges, & Epiſcopi, aliique omnes Clerici, & Laici, tam ordinarii, quam delegati beneficiorum Collatores, vel ad ea reſpectivè Nominatores, & tota poteſtas de beneficiis eccleſiaſticis diſponendi erit transferenda in Clerum, & Populum: quod idem eſt ac Papam, & Prælatos, Imperatorem, & Reges, atque Proceres præfatos ſuis honoribus denudare, ut eorum decremento minutus populus, & plebs vilior invaleſcat: abſque eo, quod hæc novitas ad praxim poſſit reduci, ſinè totius Eccleſiæ convulſione, & Chriſtianæ pacis diſpendio, & jurium ſupremorum Principum decremento (h).

14. Reſpondetur *tertiò* canonem Cabilonenſem non fuiſſe editum ad ſupprimendas legitimas, & ab Eccleſiâ determinatas, formas, in proviſionibus beneficiorum tenendas; ſed ad exterminandam violentiam Magnatum, & Potentum,

qui

(a) *Concil. Arelatenſ. 2. cap. 35.*

(b) *Conc. Antioch. cap. 19.*

(c) *Concil. Carthagin. 2. can. 12.*

(d) *Conc. Aurelianenſ. 3 cap. 3.*

(e) *Conc. Toletan. 12. cap 6.*

(f) *Concil. Remenſe an. 1049.*

(g) *Conc. Pariſienſ. an. 1212.*

(h) *Vide ſuprà in hoc capit. n. 5. 6. &c.*

qui vel vi, vel artibus, vel factionum præpotentiâ, vel aliis illegitimis modis, Eccleſiis Epiſcopos intrudebant. Decernendo enim, quod mortuo Epiſcopo, ſucceſſor, non ab alio, niſi à Comprovincialibus Clero, & Civibus ſuis eligatur, per ly *non ab alio*, illùc Synodum proſpexiſſe cognoſcitur, ut Laicos refrænaret, & Potentes coerceret, qui irregulari modo Eccleſiis Epiſcopos admovebant. Sanè uſque à tempore, quo Canones Apoſtolici ſunt procuſi, peſtis hæc in Eccleſiâ Dei inceperat inſilire, ut Viri factioſi, & præpotentes, præbendas, & beneficia ſacra pro eorum arbitrio diſpenſarent. Eſt namque in eis definitum: *Si quis Epiſcopus, ſecularibus poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat; deponatur* (a). Sed vitium, quod tùnc exili germine pullulabat; tempore Concilii Cabilonenſis in magnam creverat arborem, adverſus quam conati ſunt Patres ſecurim eccleſiaſticam elevare, clamantes: *ſuccidite arborem, & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus, & diſpergite fructus ejus: fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt* (b). Nàm paulò anteà Concilium Pariſienſe decreverat: *Nullus, Civibus invitis, ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi, & Clericorum electio pleniſſimâ quæſierit voluntate. Non Principis Imperio, neque per quamlibet conditionem contrà Metropolis voluntatem, vel Epiſcoporum Comprovincialium ingeratur. Quod ſi per ordinationem Regiam honoris iſtius culmen pervadere aliquis, nimiâ temeritate præſumpſerit, à Comprovincialibus loci illius Epiſcopis recipi nullatenùs mereatur, quem indebitè ordinatum agnoſcunt* (c). Alia pariter Concilia adverſus hujuſmodi Potentum abuſionem fortitèr dimicarunt: Et cum eis etiam Concilium Cabilonenſe in aciem proſilivit, canonem edendo, de quo tractamus. Cum autem ejus intentum non fuerit jura eccleſiaſtica vulnerare, ſed tantummodò violentiam virorum Præpotentum compeſcere; nullum ex eo ſibi ſubſidium quærere Contradictores valent, contrà libertatem Eccleſiæ, in admittendo cum indigenis Clericos etiam extraneos ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Canon. Apoſtolor. canon. 31.*

(b) *Danielis cap. 4. num. 11.*

(c) *Conc. Pariſienſ. 3. cap. 8.*

15. *Arguunt ſeptimò* Contradictores ex *Concilio Romano*, habito in Baſilicâ Lateranenſi, anno Chriſti 649. tempore Martini Papæ I. & Conſtantis Imperatoris, in quo poſt plura, adverſus Monothelitas peracta; Martinus ipſe vices ſuas Joanni Epiſcopo Philadelphiæ commiſit, ut Eccleſiis miniſtros præficeret, hæreſis expertes, & bonæ converſationis exemplo præſtantes, indigenas, & locales; ac ſignantèr Macedonium deponeret falſum Antiochiæ Epiſcopum alienigenam, & ignotum, illi ſedi temerè intruſum: *Ejus verò*, inquit, *qui falsò Epiſcopatus nomen ſibi affinxit, Macedonii dico, importunas literarum minas, ſive proteſtationem fortitèr deſpuito, ut rabidi canis, & temerarii latratus &c. Hunc enim Epiſcopum Catholica Eccleſia nullo modo novit, non ſolum quod is prætèr canones in externâ regione, ſinè conſenſu, & abſque ullo decreto, hanc ſibi appellationem uſurpavit &c.* (d). Si ergò Pontifex, & Concilium voluit præponi Eccleſiis miniſtros indigenas, & Macedonium deponi, quià extraneum; jam patet, eos in illo ſenſu fuiſſe, ut nollent poſſe beneficia eccleſiaſtica à Clericis extraneis poſſideri.

(d) *S. Martinus Papa I. epiſt. 1.*

16. Reſpondetur *primò*, negando antecedens quoàd primam partem, & quoad ſecundam negando ſuppoſitum. Nàm reſpectu primæ, nullibi Martinus generalitèr mandavit Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, quibus Eccleſias provideri præcepit; eſſe locales, & indigenas; licet eos tales eſſe voluerit, *qui per propriam eorum converſationem in omnibus bonis teſtimonium haberent* (e): bonum namque teſtimonium habere poterant, Clerici, etiam ſi indigenæ in Eccleſiis, quibus præficiebantur, non eſſent. Reſpectu autem ſecundæ partis, perperàm ſupponitur, Macedonium fuiſſe ab Antiocheno ſolio dejectum, eo quod ab illâ Eccleſiâ eſſet extraneus. Res quippe ità ſe habuit. Invaluerat hæreſis Monothelitarum, unicam in Chriſto voluntatem fatentium, quibus Conſtans Imperator apprimè favens (f) Epiſcopatus, & Magiſtratus præcipuos, ſolis hujus viæ viris largiebatur, quos inter Paulum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præficit (g): hujuſque demùm perſuaſione ſolemne promulgavit edictum, nomine *Typum*, quo ſilentium in cauſâ unicæ,

(e) *S. Martin. PP. I. epiſt. 5.*

(f) *Card. Baron. an. 641. n. 2.*

(g) *Idem Baronius loc. cit.*

vel duplicis in Chriſto voluntatis, omnibus intimavit (*a*): Theodorus Papa, his auditis, ipſum *Typum* auctoritate Apoſtolicâ condemnavit, Monothelitas confixit, & Paulum à Patriarchatu depoſuit (*b*). Qui & ſucceſſivè Pyrrhum quoque, in eandem hæreſim relapſum, condemnavit, atque depoſuit (*c*), Sanguine Chriſti, de ſacro Altari in atramentarium, ad ſententiam conſcribendam infuſo (*d*), quod nunquàm aliàs factum fuiſſe legimus in eccleſiaſticis monumentis.

(a) *Vide Act. S. Maximi Martyris.*
(b) *Anaſtaſ. Bibliothec. in Theodor.*
(c) *Theophan. Annal. Græc. an. 20 Heraclii S. Maxim epiſt. ad Monac. Siculos.*
(d) *Theophan. ubi ſuprà Anaſtaſ. Biblioth. loc. cit.*

17. Indè Martinus Papa I. illius in Pontificatu ſucceſſor, Synodum 105. Epiſcoporum in Laterano collegit, quam & univerſalem vocavit (*e*), ubi *Typum* Conſtantis, & *Ecthesin* Heraclii Imperatorum ſolemniter circumſcripſit (*f*), Pyrrhum, & Paulum præfatos, atque Cyrum Alexandrinum; necnon Theodorum Pharanitanum, & Sergium Conſtantinopoleos, Monothelitarum Athletas, & reſpectivè fautores, ac ſequaces impiæ hujuſce inſaniȩ, anathemate, & execratione confixit (*g*). Quorum ſic geſtorum epiſtolâ Conciliari omnes totius Orbis Provincias, & Antiſtites commonuit (*h*). Deindè ſicuti pridem Stephanus Dorenſis fuerat creatus Apoſtolicæ Sedis in Palȩſtinâ Vicarius, ad eiiciendos hȩreticos, qui Epiſcopatus, Patriarchatui Hieroſolymitano ſubditos, occupaverant (*i*); Ità Martinus Joanni Epiſcopo Philadelphiȩ ſimile munus injunxit, ut Epiſcopos hȩreticos, qui Eccleſias Aſiȩ, Patriarchatui Antiocheno ſuffragantes, invaſerant, ab uſurpatis Sedibus deturbaret, atque Antiſtites Catholicos eiſdem legitimè ſubrogaret (*l*).

(e) *S. Martin. I. epiſt. ad Amandū, & Act. S. Maxim. Mart.*
(f) *Card. Baron. ann. 649. n. 23. & 48.*
(g) *Idem Card. ann. 649. n. 23.*
(h) *Vid. Binium Labbè Bail. & alios ad Conc. Rom. an 649.*
(i) *Conc. Roman. an. 649. Act 2. Baron an. 641 num. 13. & an. 649. num 15.*
(l) *Card. Baron an. 649. n. 59.*

18. Nominatim autem Martinus deponi mandavit Macedonium, invaſorem Cathedræ Antiochenæ, non quià extraneum, uti Contradictores ſupponunt, ſed quià hæreticum, & ab hæreticis intruſum, quem Papa in epiſtolâ ad Eccleſiam Hieroſolymitanam ità nominat: *Macedonium hæreticum, quem contrà canones ſibi finxerunt falſum Antiochiȩ Epiſcopum prædicti hæretici &c.* (*m*). Profectò cum vigeret Antiochiæ fides catholica apud Sacerdotes, Clericos, Monachos, atque laicos permultos, quibus Martinus Papa condemnationem Macedonii, & Monothelitarum anathemata denuntiavit (*n*), illorum erat, non hæreticorum, Antiochenum Antiſtitem promovere. At quià Macedonius fuerat illi ſedi temerè intruſus, ideò, inquit Papa, *hunc Epiſcopum Catholica Eccleſia nullo modo novit* (*o*). Ex hac ergò prȩciſâ cauſâ, quod Macedonius non erat verus Epiſcopus, neque catholicè promotus, ſed hæreticus, hæreticorum fautor, & ab hæreticis ſubintruſus; ideò bene Pontifex illum de Antiocheno throno prȩcipitandum eſſe mandavit. Et licèt in epiſtolâ Martini enuntietur de Macedonio, *quod prætèr canones in externâ regione, ſinè conſenſu, & abſque ullo decreto, hanc ſibi appellationem uſurpaverat* (*p*); non hæc tamen fuit ratio formalis depoſitionis illius: etenìm in hujuſmodi verbis duo debent conſiderari, eſſe *externum* ut ſic ſimplicitèr ſumptum; *& ſinè conſenſu*, ac *decreto*, in regione extraneâ promoveri. Primum nunquàm fuit ſub interdicto poſitum. Secundum verò ſemper fuit illicitum. Nam centies canones promotionem Clericis extrà propriam Diœceſim, ſinè conſenſu ſui Præſulis vetaverunt: centies etiam ſumptionem Epiſcopatuum, & beneficiorum reſidentialium, ſinè conſenſu, ac decreto ſivè Concilii, ſivè Cleri, & populi, ſivè illorum, ad quos pertinebat electio, ſacræ leges interdixerunt. Quià ergò canonibus conculcatis, ſinè ſui Antiſtitis conſenſu, & ſinè eorum, quorum erat Epiſcopum deputare, Macedonius Patriarchatui Antiocheno ſè impudentèr intruſerat, junctâ huic prȩvaricationi hæreſi, & hæreticorum communicatione; benè Macedonius, ſivè extraneus eſſet, ſive indigena, meruit ab uſurpatâ cathedrâ deturbari: Sicque extraneitas non ei obfuit, ſed hæreſis, & defectus conſenſus, & electionis Canonicæ.

(m) *S. Mart. Papa I. epiſt. 12.*
(n) *Card. Baron. an. 649 n 69.*
(o) *S. Martin. Papa I. epiſt. 5.*
(p) *Idem loco citat.*

19. Nec obeſt, quod in epiſtolâ Pontificis, computetur Macedonio prò cauſâ depoſitionis eſſe alienigenam; nàm ut innuimus, extraneitas non ibi memoratur uti ſimplicitèr accepta, ſed uti concomitantèr cum aliis præcipuis defectibus conglobata: ſicque hæc non dedit cauſam depoſitioni, ſed ſolum enuntiativè, ſivè ad ſummum cumulativè, tamquàm jura juribus addendo, fuit cum aliis cauſis adducta,

ne

nè quid omitteretur, Macedonii connotans impudentiam, & ut extraneitas quoque ad notitiam facti, veris cauſis depoſitionis adjungeretur. Eo modo quo, verbi gratia, Leo Papa X. in condemnatione Lutheri, poſt recenſitos 41. articulos ejus falſę doctrinæ, hæreticos, & reſpectivè temerarios, ac ſcandoloſos (a), innuere non omittit, ipſum Lutherum pluribus vituperiis Romanam Curiam, & Romanos Pontifices laceſſiſſe (b). Non quod ob hæc dicteria illum Papa condemnaverit, ſed quod ad facti notitiam, bonum erat, ut omnes intelligerent, anathemata in Lutherum proptèr hęreſes jaculata, honeſtari etiam ex ejus linguæ impudentiâ, quâ tàm petulantibus invectivis, os in Cœlum mittere auſus erat, & præfatis conviciis Romanos Præſules lacerare. Ità ergò & dùm Martinus Papa I. in ſuâ epiſtolâ memorat, Macedonium fuiſſe extraneum ab Urbe Antiochiæ; id non ad titulum condemnationis, ſed ad notitiam facti ſuggeſſit, & cum veris cauſis depoſitionis, hunc defectum quoque connexuit, ut appareret, quantâ procacitate Antiocheno Patriarchatui ſè intruſiſſet, ac quàm juſtè, ac congruentèr, eſſet ab uſurpato Solio protelandus.

(a) *Leo Papa X. conſtit. 40*
(b) *Idem loc. cit. §. 6.*

20. Reſpondetur *ſecundò* retorquendo argumentum: nàm cum vim faciant Contradictores in illis Martini Papæ verbis, de Macedonio pronuntiatis, quod *in regione externâ, ſinè conſenſu, & abſque ullo decreto* (c), appellationem ſibi Antiſtitis uſurpaſſet; apparet quod non extraneitas in culpam ipſum vocavit, ſed defectus *conſenſus*, & *decreti*: Sicque ſi conſenſus, & decretum adfuiſſent, optimè potuiſſet ad Antiochenam Cathedram promoveri. Ergò ſaltem quoties conſenſus, & decretum in viro extraneo concurrunt, liberum erit illi beneficia ſacra elargiri, hocque nobis ſufficit ad intentum, cum non negemus debere extraneum conſenſu, vel tacito, vel expreſſo ſui Prę̨ſulis conſtipari, & decreto eorum, ad quos pertinet, beneficia conferre, canonicè roborari. Stat igitur noſtra ſententia de libertate Eccleſię, nec ei quidquam detrahit Concilium Romanum, exadverſo allegatum, quominùs admittere valeat cum indigenis etiam extraneos ad eccleſiaſtica beneficia.

(c) *S. Martin. Pap. I epiſt. 5.*

21. *Arguunt octavò* Contradictores ex alio *Concilio Romano*, ſive *Lateranenſi*, habito ſub Stephano Papâ IV. quem alii tertium appellant, anno Chriſti 769. In eo poſt depoſitum Conſtantinum, qui pręcipiti ordinatione, de laico in Presbyterum verſus, à Totone Duce Nepeſino fuerat in Pontificatum intruſus (d), decretum eſt, *ne quiſpiam laicus, niſi per gradus eccleſiaſticos aſcendiſſet, ad Summum deinceps Pontificatum provcheretur, ſub anathematis pænâ* (e). Poſtmodùm promulgata eſt Sanctio, ut qui Epiſcopatus dignitatem tempore Conſtantini conſecuti fuerant, Magiſtratu ſe abdicantes, ad priſtinos ordines remearent (f), niſi Epiſcopatum retinere meruiſſent, ex eo quod *placibiles fuiſſent coram populo Civitatis ſuæ, denuò facto decreto electionis more ſolito cum Clero, & plebe ad Apoſtolicam veniſſent Sedem, & ab eodem Santiſſimo Stephano Papâ benedictionis ſuſcepiſſent conſecrationem* (g). Notentur, inquiunt ad hęc Contradictores, notentur illa verba, *Si placibiles fuiſſent coràm populo Civitatis ſuæ*, quæ documento ſunt, Epiſcopos non niſi gratos, & concives eligendos eſſe, ſicque ſolis indigenis beneficia epiſcopalia, & conſequentèr etiam alia minoris ordinis, eſſe imprę̨varicabilitèr conferenda.

(d) *Platin. in Steph. III. Foreſt. in Steph. IV.*
(e) *Joannet. in Steph. III. cap. 91.*
(f) *Platina in Stephan. Papa III.*
(g) *Anaſtaſius in Stephan. IV.*

22. Reſpondetur *primò*, decretum hoc Lateranenſis hujus Concilii non fuiſſe, nec eſſe majoris roboris, ac momenti, quàm ſit aliud, in eâdem Synodo promulgatum, ne quiſquam ad Summum Pontificatum poſſit aſſumi, niſi ſit S. Romanæ Eccleſię, vel Presbyter, vel Diaconus Cardinalis (h). Non enim credendum eſt, quod Concilium majorem ſollicitudinem habuerit prò indigenatu virorum promovendorum ad inferiores Epiſcopatus, ac habuerit prò ſublimandis ad Apoſtolicam celſitudinem. Et tamen ſicuti, non obſtante dicto decreto, licitè potuit, & poſſet etiam nunc eligi ad Summum Pontificatum extraneus, qui de Collegio Presbyterorum, & Diaconorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium non ſit, ut docet

(h) *Bail. in Concil. Romano an. 769.*

Soto

Soto de Juſtitiâ, & Jure (*a*), & nos alibi in hoc opere patefecimus ità, non obſtante alio decreto, nobis objecto, potuerunt, & poſſunt extranei ad Epiſcopatus dignitatem aſſumi, & multò magis ad minoris ordinis beneficia. Quarè oportet dicere, quod ambo illa decreta Concilii Lateranenſis, vel non fuerunt pręceptiva, ſed merè conſultiva: vel non fuerunt uſu recepta: aut ſaltem jam à longo tempore in deſuetudinem abjerunt, & conſequentèr ex hoc Concilio non probatur arctatio libertatis Eccleſiæ in collatione beneficiorum ad ſolos indigenas, extraneis relegatis.

(a) *Dom in. Soto de juſt. & jur. l. 3. queſt. 6.*

23. Reſpondetur *ſecundò* negando ſuppoſitum, nempè, quod Concilium loquatur de beneficiis eccleſiaſticis, & decernendo retentionem Epiſcopatuum, favore eorum, qui fuerant à Conſtantino promoti, *ſi placibiles fuiſſent coram populo Civitatis ſuę*, per hoc extraneos excluſerit, ſolis indigenis approbatis: nam idem, quod de Epiſcopis; etiam de Presbyteris, & Diaconibus definivit, ut auctor eſt Auxilius, à Morino editus, ſub hoc themate: *de Presbyteris verò, & Diaconibus præfixum eſt, ut ſi Civium ſuorum electio vellet, in eoſdem gradus, à quibus depoſiti ſunt, iterùm à Papâ Stephano conſecrarentur* (*b*). Concilium autem loquitur manifeſtè, non de beneficio, ſed de ordine Epiſcopali, ſicuti loquitur non de beneficio, ſed ordine Diaconali, & Presbyterali. At dato etiam, ibi ſermonem eſſe de beneficiis; penſanda ritè ſunt verba Concilii, non in ſolo cortice recenſenda: quippè ſicut per illa Concilium requirendo in Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus, à dicto Conſtantino promotis, novam conſecrationem, uon exegit novam manuum impoſitionem, neque iteratam ſacri Olei perfuſionem, ſed ſolùm nudam, & meram exteriorem approbationem; quatenùs Conſecratio Epiſcoporum, facta à Conſtantino, erat valida, quamvis illicita, & ideò non poterat iterari; ità requirendo in Eoiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus, quod eſſent *placibiles coram populo Civitatis ſuæ*, per ly *Civitatis ſuæ*, non Urbem cujuſque nativam intellexit, ſed Civitatem, vel beneficium, quę ſibi ad regendum ſub Epiſcopali, vel beneficiali titulo obtigerant, & per ly *placibiles*, non exegit indigenatum Promovendorum, ſed meram complacentiam, & ſatisfactionem populi ſibi commiſſi. Certum eſt enim nullum invitis eſſe dandum Epiſcopum, ſed quantum fieri poteſt, virum ſemper gratum, & acceptum eſſe populis præficiendum, ut jam ſolemnitèr definivit Cœleſtinus Papa I. *Nullus invitis detur Epiſcopus: Cleri, plebis, & ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur* (*c*), ut tantò meliùs Antiſtes auctoritatem, & Populus obedientiam exerceat, quantò firmiùs eos utriuſque mutua complacentia ſociavit.

(b) *Auxilius apud Morin. de ſacr. ord. 2. cap. 4.*

(c) *S. Cœleſt. Papa I epiſt. 2. cap. 5.*

24. Porrò in eloquio, quod coràm centum quinquaginta Epiſcopis, Conſtantinopoli congregatis, habuit S. Gregorius Nazianzenus, Eccleſiam illius Urbis deſerens, ſic intèr alia peroravit, *alium ſubrogate &c. qui omnibus in rebus vobis obſequi, curaſque eccleſiaſticas ſimul perferre poſſit &c.* (*d*). Talis quippè fuit perſuaſionis, ut in Epiſcopatuum proviſione, Cleri, & populi Eccleſiæ vacantis, plena deberet concurrere ſatisfactio: de quâ poſtmodùm S. Leo in epiſtolâ ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem: *cum de Summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus prӗponatur, quem Cleri, plebiſque conſenſus concorditèr poſtulaverint &c. tantum ut nullus invitis, & non petentibus ordinetur, nè Civitas Epiſcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religioſa quam convenit, cum non licuerit habere, quem voluit* (*e*). Sed in primis hujuſmodi populi conſenſus, nec olim tamquàm de jure divino, requirebatur, nec hodiè paritèr eſt neceſſarius (*f*). Sed ſolum ex abundanti, & ad exuberantiam poſtulari poteſt: ſicque electionem, ſeù promotionem Antiſtitis ad indigenas non coarctat. Secundariò, cum gratus eſſe poſſit Civitati non minùs extraneus, quàm indigena; imò ſæpiùs gratior habeatur Antiſtes, alibi natus, quàm Conterraneus, & Concivis, juxtà notum Chriſti Salvatoris noſtri proloquium, *non eſt Propheta ſinè honore, niſi in patriâ ſuâ, & in domo ſuâ, & in cognitione ſuâ* (*g*): hinc eſt, quod Concilium Latera-

(d) *S. Greg. Nazianzen. orat. 32. f. 251. A.*

(e) *S. Leo Papa I. ep. 88. c. 5.*

(f) *Philibert. Man. elem. de ord. p. 2. tr. 1. cap. 4. n. 27.*

(g) *Marci c. 6. n. 4.*

Digitized by Google

teranenſe, exigendo, ut ſuprà, in Epiſcopis complacentiam Urbium ſuarum, ſeù Eccleſiarum, quas in titulum nacti erant; nec indigeneitatem neceſſariò popoſcit, nec extraneitatem excluſit.

25. Reſpondetur *tertiò* retorquendo argumentum; nàm Concilium Lateranenſe ideò Conſtantinum à Pontificatu dejecit, ut Stephanum ritè electum in Solio Apoſtolico confirmaret: At Stephanus, Ciaconio teſte, non fuit indigena Romanæ Urbis, ſed ab illâ totaliter extraneus, uti Sannites è Valle Sicilianâ in Aprutio, vel, ut ait Platina, *natione Siculus; Patre Olibo* natus, *vir certè doctus, atque eruditus, & in rebus agendis, maximè verò eccleſiaſticis, ſtrenuus admodùm, ac conſtans* (a). Ergò Concilium mentem ſuam patefecit in eo verſari, ut crederet, qualitatem indigenatus, vel nihil, vel parum eſſe in provectione ad apicem Apoſtolicum attendendam: ergò nec etiam in promotione ad inferiores Epiſcopatus voluit ipſam afficere: à quibus poſtmodùm regulando diſpenſationem minorum beneficiorum, enaſcitur ſubſiſtentia libertatis Eccleſiæ in admittendo etiam Clericos extraneos ad eccleſiaſtica beneficia. De quâ libertate, ex hujuſmet ſerie Concilii deductâ, cum ſuprà etiam ex propoſito egerimus (b), nil proficit ulteriùs hìc ſuperaddere.

(a) *Platina in Steph. PP. III.*

(b) *Vid. ſupr. Tom. 1. Sæcul. 8. cap. 18. à n. 4.*

26. *Arguunt nonò* Contradictores ex *Capitularibus Caroli Magni*, quæ Sacrorum Conciliorum poſſe, inquiunt, catalogo recenſeri, ex eo, quod perplurimi canones his inſerti, ſtatuti ſunt in Concilio Aquiſgranenſi, habito anno 802. cui & Legatus Pontificius interfuit, & ad conſultum Leonis Papæ de Epiſcoporùm cauſis tractatum eſt, uti memorat Hincmarus Remenſis (c). In ipſis autèm Capitularibus ità conſtitutum legitur, ut ſubſequitur: *Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine S. Eccleſia ſuo liberiùs potiatur honore, aſſenſum ordini eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicèt Epiſcopi per electionem Cleri, & populi, ſecundùm ſtatuta canonum de propriâ Diœceſi, remotâ perſonarum, & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo, & verbis, ſibi ſubjectis uſquequàque prodeſſe valeant* (d). Hunc canonem Gratianus ſuæ Collectioni interſeruit (e): & cum in eo præſcribatur electio Epiſcopi ex propriâ Diœceſi; ex eâ autem eſſe non poſſit, niſi ſit indigena, ſequitur, quod beneficia ſive Epiſcopalia, ſive alterius ordinis ſolis indigenis conferenda ſunt, extraneìs ablegatis.

(c) *Hincm. Remenſ. epiſt. 46.*

(d) *Capitular. Carol. Magn. cap. 2.*

(e) *Cap. ſacrorum 34 diſt. 63.*

27. Reſpondetur *primò*, dato tranſeat quæſtioni, an Capitularia, exadverſo allegata, parilitatem aliquam habeant cum Conciliis: & an decretum in Objectione poſitum ullam rationem præſeferat Synodalis actionis; argumentum hinc deductum diſſolvi eiſdem reſponſionibus, quibus ſuprà Objectionem ex canone Concilii Remenſis diluimus, & diſſipavimus. Oculum ergò retrotrahat benignus Lector ad initium hujus Capitis, & ſibi ſatisfactum inveniet (f). Cœterùm hìc non omittimus advertere, non niſi divinando, ac veluti per ſpeculum in ænigmate conjectari, canones Capitularium fuiſſe in Concilio Aquiſgranenſi ſtatutos, habito, dum imperaret Carolus Magnus, anno 802., cum potius, ex Sirmondo, canones ipſi temporibus Ludovici Pii ſint tribuendi (g), quamvis alii Conciliis tempore Pipini celebratis (h), alii Concilio ad Theodonis Villam (i), aliiſque Conciliis, ſub Carolo Magno habitis, ſint referendi: alii demùm ad alia pertineant Concilia, quæ fuerunt ſub Caroli Succeſſoribus celebrata: æquumque fuit, inquit Auctor libri de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, *ut quæ ab illis Principibus conſtituta ſunt de Prælatorum ſententiâ, & plerumque cum aſſenſu Romani Pontificis, ad confirmandam, vel ad reparandam diſciplinam Canonicam plurimùm valerent* (l). Horum primus collector fuit Anſegiſus Abbas Cœnobii Laubienſis, Diœceſeos Cameracenſis (m), & poſteà Archiepiſcopus Senonenſis, qui eos in quatuor parvos libros digeſſit (n): Et quià manca ſatis erat ejus Collectio; Benedictus Levita, juſſu Concilii Meldenſis, Canones deficientes circumcarpſit, & in tres libros diſtribuit, quos quatuor Anſegiſi libris adjunxit (o).

(f) *Vid. ſupr. in hoc cap. à n. 2.*

(g) *Sirmond. tom. 2. Concil. Galliæ f. 230. ad 254. & 435.*

(h) *Charlaſ. de Libert. Eccleſ. Gallic. l. 1. c. 31. n. 2.*

(i) *Concil. ad Theodon. Vill. ann. 805.*

(l) *Anton. Charlaſ. loc. cit. n. 5.*

(m) *Petr. Annati Apparat. ad Theolog. l. 6 art. 1.*

(n) *Bail. ſum. Conc. to. 2. f. 530. C. Charlaſ. loc. cit. Baron. an. 845. n. 38.*

(o) *Card. Baronius, & Bail. loc. cit.*

28. Hęc

28. Hęc Capitularia, ſeù eorum canones, olìm in Galliâ magno in pretio fuiſſe notat Baluſius (*a*), nec deeſt Auctor, qui ea primum Codicem Francicum progreſſus eſt nominare (*b*). Sed tamèn antè Concilii Meldenſis tempus, anno 845. convocati, nullam auctoritatem publicam adhuc habuiſſe, indicio eſt interpellatio Patrum ejuſdem Synodi ad Carolum Calvum Galliæ Regem, ut Capitularia præfata promulgaret, & promulgata faceret obſervari (*c*). Quibus obſtitere Principes Regni, *magnâ importunitate apud Regem agentes, ne cunctos ille Canones, in hoc Meldenſi Concilio ſancitos, acciperet, ſed paucos dumtaxàt, aliis rejectis, ex ipſis ſuſcipiendos eſſe decerneret* (*d*). Dè facto Carolus Calvus præfata Capitularia non niſi poſt octo annos promulgavit (*e*), ſed ea vim eccleſiaſticę legis nullatenùs obtinuerunt, niſi quatenùs, & pro parte, quâ fuerunt à Romanis Pontificibus approbata (*f*). Horum volumen quædam inter cœtera Judaiſmum redolentia, in ſe continet: ut cum prohibet, ne invento nido, mater cum pullis capiatur (*g*). Ipſumque Codicem non fuiſſe uſu receptum, teſtatur Duvallius (*h*): & in Galliâ, ubi natus eſt, non obſervari, ipſa quotidiana praxis oſtendit: norunt quippè, *qui Regni illius modernos uſus perſpectos habent, ac cum antiquis illis legibus contulerunt, quantum inter ſe diſtent* (*i*). Hęc adnota voluimus, ut intelligat eruditus Lector, quam exigua vis fieri poſſit à Contradictoribus ſuper decretis Capitularium, quorum certa origo neſcitur: quandonàm acceperint auctoritatem publicam ignoratur: an verè ſint leges eccleſiaſticæ, an autem ſolùm laicales, problematicum eſt: in Eccleſiâ generali non fuerunt uſu recepta: ipſaque Gallia, quæ illis ortum dedit, eorum obſervantię non ſe adſtringit: tandem ſi quid eſt in eis auctoritatis, à ſolius Romani Pontificis approbatione dependet: Nec eſt credibile, nec eſt omninò tenendum, Papam tale illis robur infudiſſe, ut non potuerint Concilia, pręſertim generalia, neque potuerint Pontifices, novis legibus Libertatem Eccleſię in conferendo ſacra beneficia, tùm extraneis, tùm indigenis impertiri: quatenùs etiàm in eiſdem Capitularibus approbaſſet coarctationem collationis prębendarum ad ſolos indigenas, quod negamus, per ea quę in hoc capitulo ſuprà diximus num. 3. & 4. cum ſequent.

(a) *Stephan. Baluſius in præfac. ad Capitular.*
(b) *L. Abbè Commendataire c.11.*
(c) *ex Concil. Meldenſ. Baron. ann. 845. n.37.*
(d) *Bail. tom. 2. ad Conc. Meldenſ. an. 845. f. 319. E.*
(e) *Card. Baron. ann. 845. n. 38.*
(f) *Bened. Levit. in præfac. ad Capitular.*
(g) *Capitular. libr. 6. c. 42.*
(h) *Andreas Duvallius de Sum. Pontif. poteſt. p. 3 qu. 2.*
(i) *Anton. Charlaſ. de Libert. Eccl. Gallic. lib. 1. c. 21. n. 7.*

29. Reſpondetur *ſecundò* ad Argumentum, quod canon, ſive decretum ex Capitularibus allegatum, non loquitur abſolutè, ſed cœteris paribus: jubet namque, ut quotiès provectio Epiſcopi facienda eſt; conquiratur vir idoneus in Diœceſi, ſi adeſt, & is præficiatur Epiſcopali Cathedræ, non abſolutè quà Diœceſanus eſt, ſed comparativè, quatenùs cœteris paribus eſt magis idoneus. In æqualitate namque meritorum, Diœceſanus proculdubiò cenſendus eſt magìs idoneus, quàm extraneus, quià, ut ait D. Thomas, *ille, qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, ut in pluribus conſuevit eſſe utilior quantùm ad bonum commune, quià magìs diligit Eccleſiam, in quâ eſt nutritus* (*l*). Nos autem ſuprà jam pluriès admiſimus, in concurſu intèr extraneum, & indigenam, hunc eſſe cœteris paribus, præferendum. Sed paritatem meritorum diximus eſſe à largitoribus beneficiorum dijudicandam, qui conſideratis perſonis, loco, tempore, opportunitatibus Eccleſiæ generalis, & Eccleſiarum quoque particularium, pro eorum prudentiâ, & conſcientiâ definiant, quiſnam ſit, hic, & nùnc cœteris paribus, pro magìs idoneo reputandus. Et quod hìc ſit ſenſus decreti Capitularium, patet ex gloſsâ illi adjectâ in Volumine Gratiani, ſub his verbis, *nota quod examinandi ſunt omnes de Diœceſi, priuſquàm eligatur extraneus, ut dixi 61. diſt. nullus* (*m*). Capitularia ergò non repellunt extraneum, ſed illi tantùm indigenam præferendum eſſe definiunt, quod & nos conſentimus: ex ipſiſque optimè infertur, quod quotiès beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, penſatis penſandis, & conſideratis conſiderandis, cenſent, hìc & nùnc, extraneum eſſe indigenæ præferendum, optimè illum poſſunt præferre, & ſic eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiri.

(l) *S. Thomas 2. 2. qu. 63. art. 2. ad 4.*
(m) *Gloſ. in cap. Sacrorum V. Diœceſi diſt. 63.*

30. *Arguunt decimò* Contradictores ex *Concilio Ticinenſi*, habito anno Chriſti

ſti 855. tempore Leonis Papæ IV. & Ludovici II. Imperatoris: in quo varia de diſciplinâ eccleſiaſticâ ſtatuta ſunt, & intèr cœtera hoc fuit editum Synodale decretum: *Primum quidèm ipſius loci Presbyteri, vel cæteri Clerici idoneum ſibi Rectorem eligant: deindè populi, qui ad eandem plebem aſpicit, ſequatur aſſenſus. Si autèm in ipsâ plebe talis inveniri non potuerit, qui illud opus competentèr peragere poſſit; tùnc Epiſcopus de ſuis, quem idoneum judicaverit, inibi conſtituat* (a). Agitur in hoc Concilio de Archipresbyteratibus, dignitatibus, & beneficiis eccleſiaſticis, præſcribiturque, ne hæc aliis, quam Civibus, & indigenis conferantur, etiam mediocritèr idoneis, dummodò beneficii onus *competentèr* valeant exercere, Alienigenis, & extraneis, quamvis dignioribus, omninò repulſis, niſi in mero caſu, quo intèr indigenas nullus reperiretur ſufficiens, & ad ipſum beneficium idoneus: ergò abſolutè loquendo, extranei ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi.

(a) *Concil. Ticinenſe cap. 4.*

31. Reſpondetur *primò*, Concilium Ticinenſe nunquàm feciſſe, neque facere legem generalem, quâ tota Eccleſia univerſalitèr obligetur, cum fuerit ſimplex Concilium Provinciale, vel ad ſummum Nationale, ſed ex ſolis Epiſcopis Ciſalpinis conſertum, quorum & nec apud Auctores valdè acclamata eſt methodus, in geſtis Synodalibus obſervata (b), & ideò ut ut voluerit decreta ſua ediderit, hæc extrà eorum Provinciam non afficiunt, uti fuſiùs ſuprà probavimus (c). Sed quatenùs etiam vis Conciliaris decreti ad dandam toti Eccleſiæ normam poſſet extendi; replicamus, illum fuiſſe accommodatum mori temporum tùnc currentium, nempè quod beneficia eccleſiaſtica per electionem diſpenſarentur. Quarè quidquid ſit, an tempore, quo Clerici præficiendi ſacris beneficiis per electionem deſignabantur, locum haberet canon Ticinenſis, nec nè; certè nunc, cum jam alia forma diſtributionis beneficiorum in Eccleſiâ eſt à multis ſæculis introducta, & totius Eccleſiæ praxi, atquè obſervantiâ roborata; Concilium Ticinenſe, ſi quid etiam tùnc habuiſſet roboris, nùnc amiſit.

(b) *Card. Baron. an. 855. n. 3. & 4.*
(c) *Vid. ſupr. in hoc cap n. 3. 4. 5.*

32. Reſpondetur *ſecundò*, Argumentum loqui extrà ſtatum quæſtionis: nàm Concilium Ticinenſe diſponit, non de beneficiis generalitèr, ſed de ſolis parochialibus, & de locis, ubi parochi à populo deliguntur, ſeù tamquàm jure patronatus populus Epiſcopo Presbyterum inſtituendum nominat, & præſentat, prout ſentibus etiam temporibus in aliquibus orbis partibus eſt in uſu: noſtra autem quæſtio, ſaltèm principalitèr, non verſatur circà beneficia parochialia, neque circà alia reſidentialia, ſed potius circà ea, quæ dicuntur merè ſimplicia, nullo debito ſervitii perſonalis adſtricta: non excluſis tamen ipſis Parochialibus, & Pontificalibus, aliiſque reſidentialibus. Undè, dato etiam, quod vi Canonis Ticinenſis beneficia parochialia eſſent indigenis conferenda; non indè tamen infertur, idem eſſe in beneficiis merè ſimplicibus obſervandum, proptèr differentiam rationum intèr utraque beneficia vertentium, maximè extrà loca, in quibus beneficia non ſunt de jure patronatus populi. Et quatenùs etiam diſpoſitio Concilii Ticinenſis ad omnia beneficia indifferentèr ſè extenderet; adhùc tamen dicimus, Concilium loqui non abſolutè, ſed cœteris paribus; neque ex debito, ſed ex honeſtate, & de congruo, uti ex ipsâ textus lecturâ coniicitur, & praxis locorum probat, in quibus beneficia per electionem diſtribuuntur; omniaque jura clamant, declarantia, exceptionem electionis extrà gremium, tamquàm frivolam non attendi (d), prorſuſque viribus vacuari.

(d) *Cap. cum inter 22. de electiòn.*

33. Reſpondetur *tertiò*, Argumentum nihil probare, quià nimiùm probat, proptèr rationes in hoc Capitulo allegatas num. 2. & 5. quas hìc, brevitatis gratiâ, intermittimus, illùc benigni Lectoris intuitum tranſmittentes. Cœterùm intentum Concilii Ticinenſis non eò tetendit, ut à beneficiis eccleſiaſticis repelleret extraneos, ſed ut eorum traditionem de manu laicorum recuperaret. Invaluerat enim per illa tempora mos perditiſſimus, ut Principes, & Magnates, electionis canonicæ jure compreſſo, vel tumultu, & factionibus in populo ſuſcitatis, Eccleſias Parochiales, imò & Epiſcopales, Laicis, vel Clericis ignotis, & indignis conferrent,

rent, de quo abuſu S. Bonifacius Moguntinus ad Zachariam Papam ſic ſcripſit, *modo maximâ ex parte per Civitates, Epiſcopales Sedes traditæ ſunt laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis, Scortatoribus, & Publicanis ſæculariter ad perfruendum* (a). Et de Parochiis individuè Concilium Cabilonenſe II. hæc habet, *inventum eſt, quod multi, arbitrii ſui temeritate, & quod eſt gravius, ducti cupiditate, Presbyteris quibuslibet, abſque conſenſu Epiſcoporum, Eccleſias dant, vel auferunt. Undè oportet, ut canonicâ regulâ ſervatâ, nullus abſque conſenſu Epiſcopi cuilibet Presbytero Eccleſiam det &c.* (b). Adversùs hujuſmodi abuſionem Concilium Arelatenſe VI. altè clamavit (c), nec vitio adhùc ſuppreſſo, Concilium Taurinenſe canonem, de quo nunc effamur, ſancivit. Parum ergò ſua intereſſe putavit Concilium, an indigena, an verò extraneus ad parochiale munus aſſumeretur, dummodò non à laicis vir ignotus, & immeritus intruderetur, ſed per canonicam electionem, tunc vigentem, vir notus, & benemeritus, ac populo gratus, & acceptus Eccleſiis præficeretur, & laici à præpotentiâ ceſſarent, qua ſibi parochos ſubigebant, & quam etiam Concilium, canone mox ſequenti vetavit, ſanciens: *removenda quorundam laicorum procacitas, qui hoc ſolo obtentu, quod ad electionis conſortium admittuntur, Archipresbyteris ſuis dominari præſumunt* (d).

(a) *S. Boniſ. epiſt. ad Zachar. PP. art. 2.*

(b) *Concil. Cabilonenſ. II. c. 42.*

(c) *Concil. Arelatenſ. VI. an. 813. c. 4.*

(d) *Concil. Ticinenſ. cap. 5.*

34. Reſpondetur *quartò*, negando ſuppoſitum, & retorquendo argumentum. Suppoſitum eſt, quod Concilium Ticinenſe, decernendo, ut ex *ipſâ plebe* eligatur Archipresbyter, per ly ex *ipſâ plebe* intelligat indigenam loci, ubi erectum eſt beneficium, cum ità non ſit: ſi etenim ſeriò examinentur verba Concilii; diſtinguunt intèr Clericos loci, cui dandus eſt Rector, & Plebem, cujus populus debet electioni aſſentiri: & per Plebem, non niſi Plebanatum intelligunt, ſeù plures populos, & Eccleſias parochiales, Eccleſiæ Archipresbyterali ſubordinatas. Ità hęc exponit Thomaſſinus, dicens, *intelligendum eſſe hunc canonem de Archipresbyteris, qui Rectores plebium hic vocantur, quod eis committerentur Eccleſiię, baptiſmo dando, accipiendoque deſtinatæ, & vulgò* plebes *tàm quidem dictæ. In hoc enim verò canone voces eæ*, plebs, & populus *diſtinguuntur, pluresque populi ad eandem plebem colliguntur, hoc eſt ad eandem Eccleſiam baptiſmalem &c. Alioqui verò eccui facilè perſuadeatur, in unaquàque parochiâ plures fuiſſe Presbyteros, à quibus celebrari poſſet Parochi electio* (e)? Igitùr vi præfati Concilii non jubetur eligi Incola loci beneficii, ſed Clericus ex plebe, ſeù ex toto plebanatu, qui Eccleſiæ Archipresbyterali, jure quodammodò ſuffraganeo ſubjacebat: ergò ipſe canon Ticinenſis in oppoſitum allegatus retorquetur adverſus Contradictores, quippè concedendo, quod quilibet Presbyter undequaque ex cunctis parochiis, eundem Plebanatum componentibus, poſſet præfici vacanti Eccleſiæ, tametſi ex ejuſdem parochia non eſſet, ſed ex aliâ ipſius Plebanatus, ſatis docuit, Extraneum à loco beneficii potuiſſe ad illud admitti, & conſequentèr beneficia eccleſiaſtica non eſſe ſolis indigenis loci, ſed etiàm extraneis conferenda.

(e) *Thomaſſ. nov. & vet. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 35. n. 3. §. porrò.*

35. *Arguunt undecimò* Contradictores ex *Concilio Cariſiacenſi*, habito anno Chriſti 856. tempore Benedicti Papæ III. & Ludovici II. Imperatoris, atque Caroli Calvi Gallorum Regis. In eo cum Vulfadus, Eccleſiæ Remenſis Clericus, in Eccleſiæ Lingonienſis Sedem ſe inſinuaſſet; Patres Concilii interpellarunt Carolum Regem, ut eo pulſo, alium inibi conſtitueret Epiſcopum: rèque à Carolo ad Synodum remiſſâ; Patres votis concordibus in Iſaac Hilduini diſcipulum, convenere: *Cum Synodo Epiſcoporum*, inquit Flodoardus, *apud Cariſiacum habitâ, ſcribit Hilduino, Caroli Regis Archicapellano, & prò Eccleſiâ Lingonicâ, quam Vulfadus, Eccleſię Remenſis alumnus, contrà canonum occupaverat decreta. Undè ſuggeſſerat eadem Synodus Regi, ut alterum ad regendam præfatam conſtitueret Eccleſiam, & Rex juſſerat, ut Epiſcopi quærerent talem, qui poſſet in Epiſcopali miniſterio eidem Eccleſię pręfici: eorumque vota in Iſaac Hilduini diſcipulum convenerant, obſervantes hujus in hoc Hilduini conſenſum, & depreca-*

catio-

Digitized by Google

tionem ipſius pro eo ad Regem (*a*). Itàque tanti exiſtimarunt Patres Cariſiacenſes, inquiunt Contradictores, in Vulfado eſſe ab Eccleſiâ Lingonienſi extraneum, ut ab adeptâ Sede citò mereretur expelli, implorato ad hoc ſæcularis Principis brachio. Ergò ex eorum facto innoteſcit, beneficia eccleſiaſtica non eſſe extraneis conferenda, ſed ſolis indigenis.

36. Reſpondetur *primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod Vulfadus ideò fuerit à Lingonienſi Eccleſiâ repulſus, quià indè eſſet extraneus. Res ut benè innoteſcat, eſt ad hiſtoriam recurrendum. Sciendum eſt ergò, adversùs Ludovicum I. Romanorum Imperatorem, cognomento Pium, excitatos olim quoſdam Imperii, ac Regni Gallici Proceres, atque Antiſtites, quorum Anteſignanus fuit Ebbo Remenſis Archiepiſcopus; ut rem gratam facerent Lothario ipſius Ludovici filio, ad Imperium anhelanti, in Conciliabulo, apud Compendium acto, anno Chriſti 833. eundem Ludovicum temerariè depoſuiſſe, ac cilicio indutum, impudentèr in Monaſterio detruſiſſe (*b*). *Lotharius verò*, ait lacrymoſis verbis Theganus, *duxit ſecum patrem ad Compendium palatium, & ibi valdè afflixit eum cum Epiſcopis, & cæteris nonnullis. Juſſerunt enim eum ire in Monaſterium, & ibi eſſe omnibus diebus vitę ſuę. Quod ille renuens, non conſenſit voluntati eorum. Omnes Epiſcopi moleſti fuerunt ei, & maximè hi, quos ex ſervili conditione honoratos habebat, cum his, qui ex barbaris nationibus ad hoc faſtigium perducti ſunt. Elegerunt tùnc unum impudicum, & crudeliſſimum, qui dicebatur Ebbo Remenſis Epiſcopus, qui erat ex originalium ſervorum ſtirpe, ut eum immanitèr afflixiſſet cum confinctionibus cæterorum. Inaudita locuti ſunt: inaudita fecerunt, quotidiè improperantes ei. Abſtulerunt ei gladium de femore ſuo, judicio ſervorum ſuorum, induentes eum cilicio. Tunc impletum eſt elogium Jeremię Prophetæ, dicentis: Servi dominati ſunt noſtri &c.* (*c*). Ebbo in præmium iniquitatis Abbatiam S. Vedaſti Diœceſis Atrebatenſis à Lothario obtinuit (*d*), quâ ei poſtmodùm à Carolo Calvo detractâ; Abbatiam aliam S. Richarii, ac illam S. Columbani in Italiâ ſuſcepit (*e*).

37. Accurens interim patri Ludovicus, ipſius Ludovici Pii Imperatoris filius ſecundogenitus, vi, & armis, Cæſarem ſuæ reddidit libertati: *hoc audiens coadunatâ multitudine, ſecutus eſt eos, qui eum non longè abeſſet ab eis, Lotharius dimiſit Patrem, & receſſit ab eo cum Conſiliariis ſuis impiis. Ludovicus verò filius ejus pervenit ad eum, & honeſtè ſuſcepit, & reduxit iterùm ad Aqais ſedem ſuam, & Deo jubente, reſtituit eum in regnum, & locum ſuum. Et ibi ſimul ſanctum Paſcha Domini celebrarunt. Hoc audiens Ebbo ſtatim fugam iniit, ſed comprehenſus, coactus perductus eſt ad præſentiam Principis, qui commendavit eum ad cuſtodiendum* (*f*). Tùm Imperator, convocato Concilio in Urbe Metenſi anno 835. Ebbonem, ob depoſitionem, & excommunicationem ſibi illatas, accuſat, & ſe abſolvi depoſcit, uti latiùs in Chronico Cameracenſi legitur: *Imperator præ cunctis Ebbonem accuſat, quod eum falsò fuerat criminatus, & iiſdem falſis criminibus appetitum, è Regno dejecerat, armiſque ablatis, nec confeſſum, nec convictum, contrà regulas Eccleſiaſticas ab Eccleſiis aditu eliminaverat: qui objecta erubeſcens, ſeque malè feciſſe recognoſcens, ut in Synodo omnia legalitèr implerentur, ſecundum Africanos canones, ſibi Judices Epiſcopos delegit, inter quos etiàm Theodoricum Epiſcopum convocavit* (*g*).

38. Succeſſivè Imperator aliam convenire Synodum fecit apud Theodonis Villam, anno 835. in quâ abrogata ſunt omnia, quæ biennio antè adverſus ipſum in Compendienſi Pſeudoſynodo ſunt peracta. Cumque Ebbo, tùm à fautoribus Cæſaris, uti perduellis, tùm à ſibimet adhærentibus, objurgaretur, uti totius temeritatis primus architectus, & auctor; vel depoſitionis pœnam metuens, vel ſuæ famæ proùt meliùs poterat conſulens, pœnitentis ſpecie, ſe coràm Concilio, ſpontè Archiepiſcopali honore abdicavit (*h*), quem ſententialitèr fuiſſe depoſitum refert Hincmarus dicens, *Accuſatus Ebbo ab ipſo Auguſto in Generali Synodo, habitâ in Palatio Theodonis Villa, inducias petiit, & ſecundùm Canonicam*

(a) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. l. 3. c. 24.*

(b) *Concil. Compendienſ. ant. 833. Annal. Franc. apud Pithoeum.*

(c) *Thegan. ap. Pithoeum n. 43 f. 124.*

(d) *Flodoard. lib. 2. c. 20.*

(e) *Thomaſſin vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 3. l. 3. c. 13. n. 8.*

(f) *Thegan. de geſt. Ludovic. n. 48 f. 129.*

(g) *Chronic. Cameracenſ. l. 1. c. 41.*

(h) *Concil. apud Theodonis Villam an. 835.*

inſtitutionem elegit ſibi per conſenſum Synodi Epiſcopos judices peccatorum ſuorum, quos canones Electos appellant &c. & ſic ab omnibus Epiſcopis accepit ſententiam (*a*). Ità Ebbo, Galliis excedens, Remenſi Sede amiſsâ, aliam alibi conquiſivit, & Hildeſenheimenſem adepus eſt, fautore Ludovico Germaniæ Rege, & approbante Gregorio Papâ IV. cujus rei memoria in Concilio Tricaſſino eſt, ad Nicolaum I. Papam ſcribente, *non longè à vicinitate finium Normannorum, quibus à Paſchali Papâ, prædicator fuerat deſtinatus, Epiſcopium Hildeſenheim vacans obtinuit; ubi etiàm auctoritate cujuſdam privilegii, nobis oſtenſi, à Gregorio Papâ ſibi collati, cohibente ſupra memorata, ſuâ reſtitutione miniſterium Pontificale finetenùs excrcuit* (*b*).

(a) *Hincm. Remenſ. to. 2. f. 568.*

(b) *Sirmond. Concil. Galliæ tom. 3. f. 356.*

39. Verùm defuncto Imperatore Ludovico Pio, anno Chriſti 840. Lotharius ejus filius, & in Imperio ſucceſſor, Ebbonem, ſui causâ è Remenſi Sede dejectum, ad priſtinam Eccleſiam recuperandam confovit: in unum quippè adunatis 20. Epiſcopis, in Palatio Engilenhemnenſi, ejuſdem redintegrationem ad Remenſis Eccleſiæ clavum propoſuit, & illam tandèm fecit cunctorum Antiſtitum approbatione decerni, & ſubſcriptionibus roborari (*c*). Tùnc Ebbo Remos rediit, & amiſſæ pridèm Eccleſiæ adminiſtratione ſuſceptâ, ibi multas Clericorum fecit ordinationes, de quibus, an validè eſſent, gravis exindè agitata eſt controverſia. Intèr autem ſic promotos ab Ebbone, unus fuit Vulfadus, Eccleſiæ Remenſis Oeconomus, de quo ad præſens eſt quæſtio (*d*). Carolo Calvo interim Gallorum Rege, & Ebbonis hoſte, in Belgium properante, Ebbo, cum jam rueret annus ſui regreſſus, abſceſſit, & ad Lotharium ſe contulit: Carolus verò Concilium Epiſcoporum Regni ſui Bellovaci collegit, anno Chriſti 845. *in quo de Eccleſiæ Remenſis deſolatione agere cæpit, quam Fulcus Presbyter diù uſurpaverat, & poſt eum Nothoſnus ſucceſſor. Quarè Epiſcopi illi, & Clerus, & Populus Hincmarum Monachum Sancti Dionyſii in Franciâ, ob præclara ſcientiæ, & virtutum merita, eligunt, & eidem Eccleſiæ preficiunt, cujus electionem Carolus gratiſſimam habuit* (*e*).

(c) *Cabaſut. Notit. Eccl. ſęcul. 9 de Concil. in Cauſ. Ebbonis n. 2.*

(d) *Hincm. Remenſ. l. 2. de prædeſtin.*

(e) *Bail. in Concil. Bellovac. ann. 845. ex Flodoard. hiſt. Remenſ. lib. 3 cap. 2.*

40. Comprobavit Sergius Papa II. dejectionem Ebbonis, & provectionem Hincmari (*f*), ſed nibilominùs poſt hujus ordinationem *Lotharius Imperator, pro contentione Regni, quam ergà fratrem ſuum Carolum habebat, cujus obſequiis idem Præſul* (Hincmarus) *fidelitèr adhærebat, contrà eum commotus, epiſtolas à Sergio Papâ exegit pro reparando judicio de Ebbonis depoſitione. Undè idem Papa literas Carolo Regi mittens præcepit, ut Gunsboldum Rotomagenſem Epiſcopum, cum cæteris Epiſcopis Regni ſui, quos ipſe Gunsboldus ad hoc ſibi eligeret, Legatis ejus obviam Treveris ad hanc diſcutiendam querelam dirigeret, & Hincmarum Epiſcopum ad ipſam Synodum venire faceret. Ipſe quoque Gunsboldo literis mandavit, ut cum poſt diem Sanctæ Domini Reſurrectionis miſſos ſuos in ſervitium Imperatoris mitteret, ipſe cum Epiſcopis prædictum locum hanc cauſam definituros adiret, ſed & ipſi Hincmaro literas miſit, ut ad idem veniret Concilium. Legatis itàque Sergii Papæ juxtà condictum non venientibus, Gunsboldus, annitente Rege Carolo eum Epiſcopis Synodum condixit, ad quam Ebbonem per literas, & Legatos ex auctoritate prædicti Papæ convocavit. Quo tamèn Ebbo, neque veniſſe, neque vicariam pro ſe perſonam, vel literas canonicas miſiſſe traditur. Gunsboldus tamen, & cæteri Epiſcopi, qui apud Pariſios tunc convenerant, Venilo ſcilicet Eccleſiæ Senonicæ Metropolitanus cum Diœceſanis ſuis, Latrannus Turoneſis cum ſuffraganeis ſuis, & ſpecialitèr Hincmarus cum omnibus Remenſis Diœceſeos Coepiſcopis, literas ſuas ad eum miſerunt, ac Diœceſim Remenſem interdicentes, ut non haberet dein licentiam ex ea quempiam ſollicitare, nec ſcripto, nec verbo, nec miſſo aliquo, donèc ſecundum juſſionem Sergii Papæ ipſis occurreret, & juxtà canonica, & Apoſtolica ſtatuta diffinitionis ſententiam ab ipſis coràm generali conventu perciperet. Sed ille ad nullam Synodum, vel ad Sedem Apoſtolicam vocem poſteà reclamationis, vel repetitionis de Sede Remenſi, aut de ordine ſuo emiſit. Qui etiàm poſtquam res geſtas*

(f) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. l. 3. c. 2.*

Digitized by Google

ſtat Leoni Papæ referentibus Epiſcopis, & Regalibus inſupèr epiſtolis, ordinatio Hincmari, quandò fidei quoquæ ſuæ tenorem miſit rata eſt, & cum largitione pallii comprobata, per quinque circitèr annorum curricula ſupervixiſſe fertur in corpore, uſque ad annum videlicèt Incarnationis Dominicę 851. (*a*).

41. Mortuo Ebbone, invaluerunt diſſidia, quę totam penè poſt ſe Galliam rapuerunt: cauſaque contentionis indè fluebat, quod Hincmarus abnuebat in ſuis ordinibus acceptare Vulfadum, aliosque Clericos, ab Ebbone tunc promotos, quando ad Remenſem Sedem, extincto Ludovico Pio, redierat, & in eâ per annum circitèr ſe conſoverat. Ideò Hincmarus Concilium Sueſſionenſe apud S.Medardum celebrari curavit, anno Chriſti 853. & in eo pronuntiari, ſe legitimè Remenſibus infulis decoratum: Ebbonem verò juſtè depoſitum, & Clericos ab hoc, per memoratum intervallum temporis promotos, Clericalium Ordinum eſſe expertes, utpotè qui nihil recepiſſent, nec recipere potuiſſent, ab Ebbone (*b*), qui à Concilio abundantis numeri Epiſcoporum depoſitus fuiſſet, vel ſe ibi Epiſcopatu ſpontè abdicaſſet, atque ad Communionem laicam fuiſſet à Sergio Papâ II. Apoſtolicâ auctoritate redactus (*c*). Quarè cum Ebboni ad Remenſem cathedram reditus non pateret, pręſertim ſinè numeroſioris Synodi decreto; ſi ipſe in eâ Sede sè per annualis ſpatii curſum inſinuaverat; hoc temere aggreſſus fuerat, & ad ordinationem ſuam Vulfadum, aliosque Clericos admittens, non eis ordines contulerat, ſed ſolos profani auſus effectus: quatenùs ipſi Ebboni, non jam Epiſcopo, ſed mero laico, tota, & totalis deerat poteſtas ſacros ordines conferendi. Res tunc erat non parùm ambigua:nec minùs dubia quoàd jus, quàm quoàd factum perplexa. Nàm quoàd factum, Ebbo rediens ad Remenſem ſedem, *jactabat odio ſe potiùs ceſſiſſe Ludovici Pii, quàm canonico cecidiſſe judicio* (*d*): Sicque redeundo ſe recuperare corpore videbatur, quod nunquàm animo dereliquerat. Quoàd jus etiam, in obſcuris deliteſcebat veritas, quià nondùm in Eccleſiâ Dei emerſerant diſtinctiones illæ à Thomiſtis, & Scotiſtis felicitèr excitatæ, quid eſſet in Epiſcopo poteſtas ordinis, & juriſdictionis, & qui utriuſque effectus: ac quid ſit valide, atque quid licitè ad ordines promoveri (*e*).

(a) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. l.3.c.2.*

(b) *Binius Bail. & alii in Concil. Sueſſion. ann 853.*

(c) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. l.3.c.11.*

(d) *Thomaſſin. Vet. & Nov Eccl. diſcipl p.2. l.2.c 63. n.2 9. poſt.*

(e) *Bail. ad Concil. Sueſſion. ann. 866. to.2. f.329 & 335.*

42. Magna erat Hincmari in hoc negotio Vulfadi, & aliorum promotorum ab Ebbone, inſiſtentia, ut à Concilio Sueſſionenſi definiretur, illos nihil ordinis ſuſcepiſſe, quippè ſi valida eorum ordinatio pronuntiaretur; invalida ex conſequenti declarabatur ipſius Hincmari ad Remenſem Sedem provectio, tamquàm qui illam, Ebbone adhùc vivo, & ipſius Remenſis Eccleſię jura apud ſe retinente, illegitimè ſe intruſiſſet: Nec enim duo Epiſcopi ſimul ac ſemel poterant in eâdem Sede conſiſtere. Definitione autem Conciliari prò voto Hincmari prolatâ, *oppoſuerunt, ſe illi Clerici, & ad Pontificem appellaverunt* (*f*). Hincmarus quoque, repetitis legationibus Concilii ſententiam à Leone Papâ IV. confirmari ſategit (*g*), quod cum non obtinuiſſet, Benedictum III. Leonis ſucceſſorem de eodem negotio ſollicitavit, falſiſquè narrationibus impetravit ab eo reſcriptum non integrè ſibi gratum, quod ille, deletis quibuſdam verbis, quibuſdam aliis adjunctis adulteravit, & Papalem ſyngrapham ſuę intentioni adaptavit (*h*). Quæſtione demùm ordinationis Vulfadi, & Sociorum diutiùs agitatâ; Nicolaus tandèm Papa I. memoratam Sueſſionenſem Synodum abrogavit, & Herardo Turonenſi Archiepiſcopo ſcribens, aliud Concilium ad 13. Kalendas Septembris anni 866. in ipsâ urbe Sueſſionenſi celebrari præcepit, in eoque varia rei momenta examinari, atque ad ipſum mitti, auctoritate Apoſtolicâ, definienda (*i*).

(f) *Bail. in Conc. Sueſſion. an. 866. to. 2 f. 335 E.*

(g) *Nicolaus PP. I. epiſt. 46.*

(h) *Card. Baron. an. 853. n. 15.*

(i) *Bail. loco mox citato.*

43. Nèc tantum hanc Synodum in Urbe Sveſſionenſi, ſed & aliam in Tricaſſinâ mandavit Pontifex convocari (*l*), quorum acta, dum Romam mittuntur examinanda, Nicolaus Papa I. moritur, eique ſuffectus Hadrianus Papa II. tandem ſententialitèr definivit, Vulfadum, aliosque ab Ebbone promotos, validè ordines ſuſcepiſſe, & nedùm non exauthorandos, ſed imò eſſe ſuis honoribus reſtituendos (*m*). Cui definitioni acquievit humilitèr Hincmarus Remenſis, finemque habuit tumultuoſa

(l) *Concil. Tricaſſin. ann. 867.*

(m) *Card. Baron an. 868. n. 10 Conc. Tricaſ. loco citat.*

tuoſa illa quæſtio, quæ per multos annos totam Galliam in varia vota diviſerat, & pro varietate affectionum, in contrarias opiniones ingenia diſſidentium pertraxerat. Non deerant enim qui Hincmaro, invidiâ Vulfadi; nec qui Vulfado, odio Hincmari, ſe favere profitebantur: politicis quoque rationibus pondus opinionum varietati præſtantibus, quas ſic tangit Flodoardus, de actis Concilii Tricaſſini deponens, *quidam Epiſcopi, ut aſſolet, gratiâ Regis Caroli, Vulſado faventes, quædam contrà veritatem, & canonum ſacrum auctoritatem, adverſus Hincmarum moliri cœperunt. Sed idem Hincmarus eorum molitionibus, ratione, & auctoritate obvians, plurimorum ſententiâ prævalente, rerum geſtarum ordinem, de quibus agebatur, communi conſenſu epiſtolâ ſcriptâ per Actardum venerabilem Epiſcopum Nannetenſem, Papæ Nicolao, Epiſcopi, qui convenerant, tranſmiſerunt* (*a*). Hincmaro etiam ſemper obſtitiſſe, donec in vivis fuit, Ebbonem Epiſcopum Gratianopolitanum, Ebbonis Remenſis Nepotem; apud Hiſtoricos eſt perſpicuum (*b*). Unum autèm eſt, Vulfadum, ab Ebbone Remenſi promotum, fuiſſe auctoritate Hadriani Papæ II. ſuo ordini reſtitutum, ac ſucceſſivè ad Archiepiſcopatum Bituricenſem, Caroli Regis adjutorio, provectum, cui & idem Pontifex Pallium Archiepiſcopale tranſmiſit (*c*). Alia de Vulfado ſuperiùs memoravimus Sæculo Chriſti nono, ad quæ doctum remittimus Anagnoſtem (*d*).

44. Hiſque ad facti notitiam ex hiſtoriâ neceſſariò recenſitis; Reſpondetur *primò* ad Argumentum, ex Concilio Cariſiacenſi propoſitum, negando ſuppoſitum, nempè quod Vulfadus ideò fuerit ab Eccleſiâ Lingonenſi repulſus, quià indè eſſet extraneus. Nàm, uti ex allatæ hiſtoriæ ſerie pateſcit, defectus Vulfadi non in extraneitate ſiſtebat, ſed in opinione tùnc vigente, quod accipiendo ab Ebbone, Remos reverſo, ſacros ordines, nihil penitùs recepiſſet, quatenùs cenſebatur, Ebbonem, ſive ſpontè, ſive Synodali auctoritate, depoſitum, & ad Communionem laicam à Romano Papâ redactum, ab Epiſcopali ad merè laicalem ſtatum recidiſſe, ſicque nec potuiſſe amiſſam ſedem repetere, nec Remenſibus Clericis ſacros ordines impertiri. Adversùs ergò Sanctiones canonicas officium Pontificale in Eccleſiâ Lingonienſi Vulfadus occupaverat, quià quod eſſet legitimè promotus ad ſacros ordines non conſtabat: & ideò benè Patres Concilii Cariſiacenſis pro illius remotione ab illâ Sede apud Principem inſtiterunt (*e*), quià juſtum non erat, ut Epiſcopalis faſtigii munus impleret is, quem adhùc erat ambiguum, an ritè, & rectè fuiſſet Presbyteratu, & aliis ordinibus initiatus propter perſuaſionem, tùnc temporis in hominum opinione vigentem, quod ordinatus ab Epiſcopo depoſito ſacri ordinis non reciperet characterem, quâ de rè ſuprà locuti ſumus (*f*).

45. Reſpondetur *ſecundò*, invaſionem Sedis Lingonicæ, per Vulfadum contrà canones factam, non percutere extraneitatem, ſed alios defectus, ſacris canonibus obſiſtentes. Nàm Eccleſia illa paulò pridèm fuerat à Theutboldo Lugdunenſi ſuſcepta: in adminiſtrationem, an in commendam neſcimus; hoc ſcimus, quod in alio Concilio Cariſiacenſi, habito contrà Goteſcalchum, anno 849. inter alios Epiſcopos, Theutboldus adfuit, qui Lugdunenſis, & Lingonici Epiſcopi titulo denotatur (*g*). Huic ergò Eccleſiæ inhiavit Vulfadus, quæſitâque opportunitate, non illam uſitato modo electionis canonicæ, ſed Principis potentiâ, cujus gratiam poſſidebat, occupavit potiùs, quam legitimè adeptus eſt. Rursùs imputabatur Vulfado ab Hincmaro, quod Epiſcopatum ſuſcepiſſet, *inconſultâ Remenſi Eccleſiâ*, quod duplicitèr contrà canones erat; primò quià Clericus unius Eccleſiæ, ad aliam tranſeundo, conſenſum, ſeu veniam debebat à ſuo Epiſcopo poſtulare. Secundò quià nullus, inconſulto Metropolitano, poterat Epiſcopatum in ejus provinciâ obtinere. Vulfadus, inquiebat Hincmarus, in quarto libello, ſeu ſchedulâ prolatâ in Concilio Sveſſionenſi III. *inconſultâ Remenſi Eccleſiâ, extrà provinciam ejus, in quâ baptizatus, & in Clericum tonſus, atque per plures annos in Eccleſiâ publicè Sacras Scripturas legit, ubi ſicut Africanum decrevit Concilium capit. 58. poſtquam ſemel legit ab aliâ Eccleſiâ inconſultè recipi non debuerat, ſicut idem Concilium*

(a) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. l. 3. c. 17.*

(b) *Bail. in Concil. Tricaſſin. ann. 867*

(c) *Baron. an. 868 n. 23. Bail. in Conc. Sveſſionenſ. ann. 866.*

(d) *Vide ſuprà to. 3 ſæcul. 9. c. 24. n. 7. 8. 14*

(e) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. l. 3. cap. 24.*

(f) *Vide ſuprà tom. 1 ſæcul. 9. cap. 22. n. 11.*

(g) *Hincm. Remenſ. de Prædeſtin. lib. 2*

cilium cap. 21. manifeſtè demonſtrat, Lingonenſem Eccleſiam Paſtore viduatam, ut ibi ordinaretur Epiſcopus, ſub nomine vocati Epiſcopi uſurpare præſumpſit (a). Igitùr quod in Concilio Cariſiacenſi anni 856. de Vulfadi repulſione ab illâ Eccleſiâ *contrà canones occupatâ* ſtatutum eſt, per ly *contrà canones*, non proſpicit defectum indigenatus, ſed omiſſionem canonicę electionis, & conſenſus Metropolitani, nec non incertitudinem præſuſcepti Presbyteratus, interpoſitionem laicæ poteſtatis, debitæ tandèm formę præteritionem, in ſuſcipiendis Epiſcopatibus adhibendæ. Sanè Flodoardus, qui rem narrat, aſſerit expoſtulatam fuiſſe à Synodo abjectionem Vulfadi, qui Eccleſiam *contrà canonum occupaverat decreta* (b). Cum autem contrà canones ſit, ad Epiſcopatum provehi virum, cujus incerta ſit inferiorum ordinum aſſecutio: contrà canones eſſet ad Epiſcopatum ſinè conſenſu Metropolitani, & ſinè electione canonicâ pervenire: contrà canones ſit Principum laicorum potentiâ Epiſcopalem aſſequi dignitatem; Ex oppoſito autem contrà canones non ſit Epiſcopalem honorem in loco, ubi quis eſt extraneus, adipiſci (c), neſcimus videre, quarè intervertendus ſit ordo rerum, & imputandum ſit extraneitati id, quod aliis cauſis debet adſcribi. Denominatio, inquiunt leges, ſemper ſumitur à potiori (d); Cur autèm hìc contrarium ſuccedat, & referenda ſit Vulfadi dejectio cauſæ imbecilliori (ſi adhùc cauſa dici poteſt) non autem cauſis urgentioribus, & potioribus; Contradictores doceant, & eruditus Lector dijudicet.

46. Reſpondetur *tertiò*, retorquendo argumentum. Nàm poſtquam fuit inſtitum apud Carolum Calvum à Patribus Concilii Cariſiacenſis, ut à Sede Lingonicâ abiiceretur Vulfadus; Rex, teſte Flodoardo, juſſit, *ut Epiſcopi quærerent talem, qui poſſet in Epiſcopali miniſterio eidem Eccleſiæ præfici: eorumque vota in Iſaac ipſius Hilduini diſcipulum convenerunt, obſervantes in hoc ipſius Hilduini conſenſum, & deprecationem ipſius pro eo apud Regem* (e). Iſte Hilduinus erat Abbas S. Dionyſii Diœceſis Pariſienſis, & ſimul S. Medardi Diœceſis Sveſſionenſis, de quo in Annalibus Francicis apud Pithęum: *Hilduinus Abbas Monaſterii S. Dionyſii Romam mittens, annuente precibus Eugenio Apoſtolicæ Sedis tùnc Præſule, Oſſa Beati Martyris Chriſti Sebaſtiani accepit, & ea apud Sveſſonam Civitatem in Baſilicâ S. Medardi collocavit* (f). Idem officio Archicapellani Regii potiebatur, eique tamquam tali Eccleſia Senonenſis epiſtolam ſcripſit, quę adhùc ſuperſtes eſt, ut tueretur electionem Metropolitani ibidem canonicè factam (g). Hic ergò vel in unâ, vel in alterâ Abbatiâ erat extraneus: Nàm utrâque denudatus, ob iram Ludovici Pii Imperatoris contractam, in Saxoniam exulavit, donèc iterùm progreſſu temporis fuit utrique Abbatiæ felicitèr reſtitutus, de quo idem Flodoardus, *cum offenſam Auguſti adeò cum aliis Regni primoribus incurriſſet, ut ablatis ſibi Abbatiis in Saxoniam fuerit relegatus &c. donec ab exilio revocatus duarum fuerit Abbatiarum prælationi reſtitutus* (h). Hujus autèm Hilduini erat diſcipulus Iſaac præfatus, nempè erat Monachus, vel S. Dionyſii, vel S. Medardi, ſicque beneficium Monachale in alterutro ex Monaſteriis ipſis tenebat, quatenùs, uti diximus, Monachatus eſt quædam ſpecies eccleſiaſtici beneficii, ob ſtipendia victus, & veſtitus, quæ Monachus ex Eccleſiæ bonis acquirit (i).

47. A Cœnobio poſtmodùm Iſaac ad ſervitium Eccleſiæ Laudunenſis perrexit, in quâ Diaconi, ſive Archidiaconi officio functus eſt, & uti Diaconus Parduli Epiſcopi Laudunenſis, Concilio Cariſiacenſi, habito anno 849. pro causâ Goteſcalchi Monachi interfuit (l), prout patet ex Hincmaro, qui recitatis nominibus Venilonis Senonenſis, Ragenarii Ambianenſis, Parduli Laudunenſis, & aliorum Epiſcoporum, qui præfatæ Synodo interfuerunt, adjungit, interfuiſſe etiam alios, tùnc in minoribus conſtitutos, jam verò Epiſcopali honore fulgentes, *qui nùnc Dei gratiâ Epiſcopi ordinati, tùnc autem jam dictæ Synodo cum Epiſcopis ſuis ſecundum morem fuerunt, Vvenilo ſcilicèt tùnc cum Patre ſuo Ragenario, nùnc autem Rotomagenſis Archiepiſcopus &c. Iſaac Diaconus Parduli, & nùnc Lingonicæ Civitatis Epiſcopus &c.* (m). Igitur Iſaac, Vulfado illegitimè Lingonienſi Cathe-

drę

(a) *Sirmond. Conc. Gall. tom. 3. f. 290.*

(b) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. l. 3. cap. 24.*

(c) *Cap. cum inter 21. de elect. & ibi Barboſ. n. 1. Navar. conſ. 6. n. 1 eodem titul.*

(d) *Leg. cum ex aliqua ff. de acquir. rer. domin. l. quæritur ff. de ſtat. homin. leg. 1. ff. de verb. oblig.*

(e) *Flodoard. hiſt. Remenſ. l. 3. c. 24.*

(f) *Annal. Franc. ap. Pithæum an. 826.*

(g) *Sirmond. tom. 2. Concil. Galliæ f. 650.*

(h) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. l. 3. c. 1.*

(i) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 1. l. 3. c. 13. n. 1. & p. 2. l. 4 c. 8. num. 5. Barboſ. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n. 69*

(l) *Sirmond. Concil. Galliæ tom. 3. f. 66.*

(m) *Hincm. Remenſ. l. 2. de Prędeſtin.*

Google

dræ intruſo, legitimè ſubrogatus, nedùm erat extradiœceſanus à Lingonicâ Eccleſiâ, ſed etiam erat extraprovincialis. Nàm ſi conſideretur uti Monachuss S. Dionyſii Diœceſis Pariſienſis, erat ex provinciâ Senonenſi: ſi uti Monachus S. Medardi Diœceſis Sveſſionenſis, erat ex provinciâ Remenſi: ſi uti Diaconus Parduli Laudunenſis, erat ex eâdem provinciâ Remenſi, Epiſcopatus verò Lingonienſis ſuberat Metropoli Lugdunenſi; ergò primò non potuit expelli à Sede Lingonienſi Vulfadus, tamquam extraneus; ſi ei fuit ſubſtitutus Iſaac, magis extraneus, quam ipſe Vulfadus. Secundò, ergò ſi idem Iſaac Monachus Laudunenſi Archidiaconatu, & ſucceſſivè Epiſcopatu Lingonienſi, ritè potuit inſigniri; jam ex ipſo Contradictorum aſſumpto patet, extraneos potuiſſe, & poſſe præbendas eccleſiaſticas adipiſci.

48. Reſpondetur *quartò*, iterùm retorquendo argumentum, èx alio capite. Nàm Vulſadus, qui ab Eccleſiâ Lingonienſi repulſam paſſus eſt, ad Archiepiſcopatum tandèm Bituricenſem pervenit (*a*), operâ Caroli Calvi Regis, cujus ſunt Epiſtolæ de hâc re ad Nicolaum Papa I. in quibus illum præconiis afficit, aſſerens etiam, ſe illam Eccleſiam eidem interim *commendaſſe* (*b*). Hæſit aliquantò Pontifex, an Vulfadi provectionem deberet admittere, Carolo reſcribens: *Quomodò nùnc irreprehenſibilitèr agi poteſt, quod de præfato viro* (Vulfado) *depoſcitis, quando penes nos tam de illo, quam de ordinatione ipſius diverſa ſcripta rejacent: quædam hos accuſantia, quædam etiam defendentia? Pro quibus examinandis &c. Synodum &c. in Regno veſtro juſſimus celebrari* (*e*). Rè demum exactè diſcuſſâ, Hadrianus Papa II. electionem Vulfadi ad Metropolim Bituricenſem approbavit, ac eidem Pallium Archiepiſcopale conceſſit (*d*). Porrò ipſemet Vulfadus à beneficio Archiepiſcopali Bituricenſi non minùs erat extraneus, quam à Cathedrâ Lingonienſi: ergò & non fuit ab hac dejectus quià extraneus, & non ad illud provectus eſt quià indigena, ſicque vì hujus eventus extraneis optimè ad præbendas ſacras patet acceſſus. Cęterùm omittimus, quod ex totâ hiſtoriâ ſucceſſus Vulfadi, ſuperiùs recenſitâ, multimodis convincitur, extraneos potuiſſe ad beneficia extrà patriam pervenire, dum de facto ad ea ipſos perveniſſe invenitur. Etenim ex Thegano, perplures Epiſcoporum, qui Ludovici Pii depoſitioni cooperati ſunt, *ex barbaris nationibus ad hoc faſtigium perductiſuerant* (*e*). Ebbo eorum Anteſignanus Archiepiſcopatum Remenſem adeptus erat, *ex originalium ſervorum ſtirpe* (*f*), qui deindè Epiſcopatui Hildesheimenſi pręſedit, ac Abbatias S. Vedaſti, & S. Columbani poſſedit. Alter Ebbo, nepos Ebbonis Remenſis, Epiſcopatum Gratianopolitanum obtinuit. Hincmarus eidem Remenſi Eccleſiæ poſt Ebbonem ſuffectus eſt, cum Abbatiæ S. Germani Diœceſis Pariſienſis pręeſſet, Vulfadus ex Clero Remenſi ad Archiepiſcopatum Bituricenſem conſcendit. Iſaac ex Diacono Laudunenſi eſt Sedem Lingonicam aſſecutus. Vvenilo ex Presbytero Ambianenſi, Rotomagenſium Archiepiſcopus factus eſt. Hilduinus binas Abbatias in diverſis Diœceſibus, & provinciis retinuit. Quid hæc autem ſunt, niſi cuneus probationum, ex ipſo facto demonſtrantium, poſſe extraneos beneficia ſacra extrà patriam adipiſci? Et ſi tot præclari viri Epiſcopatus, & Abbatias extrà eorum nativa loca ſunt aſſecuti, quorum provectionibus cooperati ſunt, & Papę, & Epiſcopi, & Epiſcoporum Concilia; nil aliud reſtat inferre, niſi quod liberum ſemper fuit Eccleſię, & eſt, & erit, beneficiis eccleſiaſticis nedùm Clericos indigenas, verùm etiam extraneos præficere, dummodò benemerentes, & dignos.

(a) *Card. Baron. an.* 868 *n.* 13.

(b) *Apud Sirmond. tom.* 3. *Conc. Galliæ f.* 300 359, *&* 614, *& apud Hincm. Remenſ. intèr ejus epiſtol. f.* 510

(c) *Sirmond. Concil. Galliæ tom.* 3. *f.* 616

(d) *Sirmond. ubi ſuprà to.* 3. *f.* 363, *&* 366

(e) *Thegan. de geſtis Ludovic. c.* 43. *ap. Pithęum f.* 124.

(f) *Theganus loco citat. cap.* 44.

CA-

C A P U T VII.

In quo rursùs aliis Objectionibus reſpondetur, propoſitis ex Sacris Conciliis, *habitis à Sæculo Chriſti Nono, uſquè ad Concilium Tridentinum, contrà libertatem Eccleſiæ, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia tùm Clericis extraneis, tùm indigenis.*

S U M M A R I U M.

1 Duodecima Objectio, *petita ex Concilio* Duziacenſi, *quod depoſuit Hincmarum Laudunenſem, quià acceperat Abbatiam, à quâ erat extraneus.*

2 *Odium ingens refertur Hincmari Remenſis adverſus Hincmarum Laudunenſem ejus Nepotem: & eur adeò infremuerit contrà eum.*

3 *Diſſidia intèr Carolum Calvum, & Carolomannum ejus filium. Hincmarus Laudunenſis in Conciliabulo Duziacenſi deponitur.*

4 *Laudunenſis depoſitus, carceratus, & execeatus fuit, non propter extraneitatem, ſed ob alios prætextus ei oppoſitos.*

5 *Varii Epiſcopi memorantur, quicontrà multos ſimul homines excommunicationem, vel maledictionem fulminarunt.*

6 *Perperàm inculpatus fuit Laudunenſis de inobſervantiâ in Regem, & de inobedientiâ ſua Metropolitana.*

7 *Cauſa depoſitionis Hincmari Laudunenſis, non ab extraneitate prodivit, aliàs involuiſſet etiàm Metropolitanum, & Regem.*

8 *Hadrianus Papa depoſitionem Hincmari Laudunenſi improbat. Joannes VIII. eum excarcerari fecit, & Miſſam ſolemnitèr decantare.*

9 *Concilium Duziacenſe, latrocinale dictum fuit, ob depoſitionem Hincmari Laudunenſis, factam tyrannicè.*

10 *Concilium Trecenſe rogat Papam, ut adminiſtrationem ſuę Eccleſiæ Hincmaro Laudunenſi reſtituat. Quid egerit Pontifex?*

11 *Idem Hincmarus erat extraneus ab Eccleſiâ Laudunenſi, & tamèn propter hoc non fuit in culpam vocatus.*

12 Tertiadecima Objectio *ex Concilio* Magdunenſi, *& ex* Londinenſi, *jubentibus, ut Abbates ex gremio Monachorum eligantur.*

13 *Dicta Concilia non faciunt legem communem: & quoàd ſuprà ſtatuta, hęc fuerunt privilegia localia, & particularia.*

14 *Abbates Monaſteriis olim præficiebantur, non per electionem Monachorum, ſed per deputationem ab Epiſcopis factam.*

15 *Inceperunt Monaſteria impetrare diplomata ab Imperatoribus, & Papis, eligendi ſibi Abbatem, vel Epiſcopalis Juriſdictionis excutiendæ.*

16 *Poſt obtentam exemptionem ab Epiſcoporum poteſtate, factum eſt de jure communi, ut electio Abbatis fieret à Monaſterio.*

17 *Electio extranei in Abbatem eſt valida: quid juris circà hoc fuerit in Oriente. Cœnobitæ differunt ad Eremitis.*

18 *Abbatis electio, ut de toto corpore Monaſticę Religionis fiat, jubet S. Gregorius. Ex privilegio alitèr alicubi factum eſt.*

19 *Hodiè Abbates, non de gremio Monaſterii, neque à Monachis illius, ſed à Capitulo generali, & ex toto corpore Religionis eliguntur.*

20 *Nova forma licitè potuit introduci distribuendi Abbatias, & cætera beneficia, hæcque forma ſervanda eſt.*

21 Decimaquarta Objectio *ex alio Concilio* Remenſi, *à quo delatus eſt Archiepiſcopatus Remenſis Arnulpho, quià erat indigena.*

22 *Refertur hiſtoria aſſumptionis Arnulphi ad dictum Archiepiſcopatum operâ Hugonis Regis Franciæ.*

23 *Cujus Regis etiam operâ fuit carceri mancipatus, & depoſitus, ob ſuſpicionem proditionis, non ratione extraneitatis.*

24 *Arnulphus habuit beneficia etiam alibi, ubi erat extraneus. A Ludovico Tranſmarino Rege Franciæ deſcendebat.*

25 *Depoſito Arnulpho, Archiepiſcopatus Remenſis collatus eſt Gerberto extraneo, & qui habuit plura beneficia in diverſis locis.*

26 *Papa deiici facit Gerbertum, & Arnulphum ſuæ ſedi reſtitui, celebratis circà hoc Conciliis Moſonienſi, & Remenſi.*

27 *Gerbertus fuit Archiepiſcopus Ravennæ, & deindè Papa Silveſter II. Arnulphus verò Remenſem ſedem recuperavit.*

28 Quintadecima Objectio, *ex Concilio* Pariſienſi, *ac ex Romanis, jubentibus Epiſcopos eligi de gremio Eccleſiæ.*

29 *Electio ibi jubetur fieri de gremio, non præceptivè, & ex debito, ſed directivè, & ex honeſtate.*

30 *Etiàm electio Papæ præcipitur in Conciliis, quod fiat de gremio, & tamèn valeret electio extranei, qui non ſit Cardinalis Romanæ Eccleſiæ.*

31 *Plures extranei, à Sacro Collegio electi in Summos Pontifices recenſentur; & quid circà hoc ſentiant Doctores?*

32 *Nec eſt ſupponendum tùnc non adfuiſſe in Collegio Apoſtolico ullum dignum Papatu, ſed expediebat eligere extraneam.*

33 *Si non fuiſſent idonei in Collegio, adfuiſſent alii idonei in Clero ſæculari, & regulari, & his deficientibus, adfuiſſent laici idonei.*

34 Sextadecima Objectio *ex Concilio* Tridentino, *jubente, ut qui ordinantur, aſſigantur ſervitio alicujus Eccleſiæ, ſicque ſint indigenæ.*

35 *Concilium Tridentinum loquitur de ordinum, non de beneficiorum collatione, ut infertur ex Canone Chalcedonenſi, quem citat.*

36 *Ordinati ad titulum patrimonii aſſiguntur ſervitio Eccleſię, & tamèn non ſunt beneficiati. Extranei de conſenſu proprii Epiſcopi promoveri poſſunt.*

37 *Rationes, ob quas ordinati aſſiguntur ſervitio Eccleſiæ ex Conciliis Arelatenſi, & Nicæno primo.*

38 *Alia Concilia de eâdem rè decernentia referuntur, & præſertìm Hiſpalenſe in Hiſpaniâ.*

39 *Itèm alia Concilia, & Patres de ipſâmet rè decernentes. Tranſmigratio Clericis interdicitur alicui Eccleſiæ affixis.*

40 *Cur Eccleſię olim dicerentur* Tituli. *Adſcribi ſervitio Eccleſię eſt velut ibi intitulari. Cardinales præſunt Eccleſiis ſui Tituli.*

41 *Adſcriptio Clerici ſervitio alicujus Eccleſiæ debet fieri, non præceptivè, ſed directivè. Quæ ſi prætermittatur, culpam non infert.*

42 *Plures Sancti, & Patres nulli Eccleſię fuerunt affixi. Aliqui Epiſcopi ſunt, nulli ſedi alligati.*

Qui-

Digitized by Google

1. QUEMADMODUM *ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilii (a)*, ſic & nos pergimus exultentes à conſpectu Conciliorum, per Contradictores uſque nùnc multimodè in oppoſitum allegatorum, ut ad alia tranſeamus in contrarium adhùc propoſita, & eadem tantâ felicitate diluamus, quanta enodavimus prætergreſſa. Igitur *Arguunt duodecimò* Contradictores ex Concilio *Duziacenſi*, habito anno Chriſti 871. tempore Hadriani Papę II. & Ludovici II. Imperatoris, regnante in Galliâ Carolo II. cognomine Calvo. In eo depoſitus eſt, inquiunt, Hincmarus Laudunenſis, ex eâ præſertìm ratione, quod Abbatiam in tertiâ Provinciâ ultrâ Remenſem, ubi erat extraneus, accepiſſet (*b*), cui ſtatim ſubſtitutus eſt Hedenulfus, ex eâdem Eccleſiâ Laudunenſi progenitus, de quo ſcribitur in vitâ Caroli Calvi: *Itaque curante Metropolitano Remenſi, Clerus, & plebs Laudunenſis Hedenulfum eligunt, Eccleſiæ ſuæ filium, & in illâ ſuffragantibus ſtipendiorum meritis, ad onus uſque Sacerdotale promotum, vitâ, ac moribus, ac ſacrâ converſatione approbatum; ſic enim de illo prædicant in ejus electionis decreto* (*c*). Hocque Hincmarus Remenſis, non privatâ fecit auctoritate, ſed Joannis Papæ VIII. mandato, ità illi ſcribentis: *noli ergò jam nùnc Eccleſiam Laudunenſem viduatam, & ſinè regimine paſtorali dimittere, ſed indifferentèr electum, & de Laudunenſis Eccleſiæ Clero Virum idoneum, & in quo omnium vota conſentiant, eidem Eccleſię præfice prorſùs Epiſcopum* (*d*). Igitùr ſi Patres Concilii Duziacenſis dignum depoſitione pronuntiarunt Hincmarum Laudunenſem, ex hoc, quod extrà propriam Provinciam beneficium Abbatiale contrà canones ſuſcepiſſet; evidentèr infertur, nec Abbatias, nec cœtera beneficia eccleſiaſtica eſſe Extraneis, ſed ſolis Indigenis conferenda.

2. Reſpondetur *primò* negando ſuppoſitum: quod tamèn antequàm indicemus, liceat hìc Poetæ Maronis binos verſiculos adaptare: *infandum Regina jubes renovare dolorem, Trojanas ut opes, & lamentabile Regnum, eruerint Danai* (*e*). Vix in decem, & octo Eccleſię Sæculis aliud eſt reperibile exemplum immanitatis, & effrenati odii, quo Epiſcopus in Epiſcopum, Patruus in Nepotem, efferbuit, quod poſſit cum ſucceſſu utriuſque Hincmari coæquari. Hincmaro Remenſi & factis, & ſcriptis adversùs jura Summi Pontificis reſultanti, Hincmarus Laudunenſis ejus Nepos, non zelo minùs, quàm doctrinâ præclarus, ſalutaria monita oppoſuit; quibus in irritum à Patruo ſuſceptis; Nepos doctrinas congeſſit, & eidem objecit, quibus Apoſtolicæ Sedis, & jura tuebatur, & auctoritatem firmabat (*f*). Infremuit ad hæc Hincmarus Remenſis, odioque in Laudunenſem concepto, tempus illud depromendi quęſivit. Accidit autèm ut Hincmarus Remenſis, cenſuras quaſdam intorſerit adversùs Carolomannum, Caroli Regis filium, quas conſenſu ſuo firmare poſtulatus Hincmarus Laudunenſis; aſſenſum tali facinori denegavit, eo quod Carolomannus ſuper negotio ſuæ cauſæ Romani Pontificis auctoritatem appellationis voce imploraverat (*g*), jamque Pontifex, literis ad Galliæ Præſules directis, mandaverat, ne Cenſuras adversùs Carolomannum propriâ auctoritate vibrarent (*h*).

3. Fovebat autèm impenſiſſimè Carolus Rex Hincmarum Remenſem, ut Carolomannum filium ſuum Cenſuris eccleſiaſticis innodaret; quippè quem infeſtum ſibi eſſe autumabat, & tanto odio in eum ſucceſſivè inſanivit, ut de illo hęc ſtet in Annalibus Francicis ignobilis recordotio: *Carolus Gallię Tyrannus, paternâ miſeratione depoſitâ, Carolomannum filium ſuum, in Diaconatus officio poſitum, excęcari pręcepit* (*i*). Auxit Hincmari Senioris odium in Juniorem novus eventus, quod Junior Normannum quendam ſententiâ excommunicationis implicuit, eo quod bona eccleſiaſtica in beneficium à Carolo Rege ſuſcepiſſet, & illa pertinaciùs reſtituere recuſaret: qui ne excommunicaretur, Hincmarus Senior tenacitèr obſiſtebat (*l*). Ob hæc ergò irâ inflammatus Hincmarus Senior, ſivè Remenſis; excidium Hincmaro Laudunenſi Nepoti ſuo eſt, non tàm irreligiosè, quàm crudelitèr, machinatus, excitatoque adversùs illum Carolo Calvo Rege, tria Concilia cele-

(a) *Actorum cap.5. num.41.*

(b) *Hincmar. Remenſ. in Accuſ. adv. Hincmar. Nepotem.*

(c) *Auctor. vit. Caroli Calvi §. 19.*

(d) *Joannes Pap.8. epiſt.314.*

(e) *Virgilius. Æneid. lib.2. in princ.*

(f) *Cabaſut. Notit. Eccleſ. Sæcul.9. in Synodis in cauſa Rhotadi Sueſſion. & Hincm. Laudun.*

(g) *Flodoardus lib.3 cap.16.*

(h) *Card. Baron. an. 870. n. 30.*

(i) *Annal. Franc. apud Pithæum ann. 873. f. 112.*

(l) *Bail. in Conc. Vermerienſ. an. 870. tom. 2 Cabaſut. loc. cit. n. 2.*

(a) Concil. Vermerienſe ann. 870.
(b) Concil. Attiniac. ann. 870.
(c) Concil. Duziacenſ. ann. 871.

celebrari fecit, nempè Vermerienſe (*a*), Attiniacenſe (*b*), & Duziacenſe (*c*), in quibus variè Hincmarum Laudunenſem accuſationibus impetivit, & ut ab Epiſcopali honore deponeretur inſtetit. Res porrò prò illius voto ſucceſſit, namque, captis Antiſtitum animis, ſivè ſuis aſtutiis, ſivè Caroli Regis præpotentiâ; hoc tandèm obtinuit, ut Hincmarum juniorem, ſivè Laudunenſem, Nepotem ſuum, fruſtrà ad Pontificem appellantem, humique proſtratum, & diſpreſſis ulnis rogantem, ut ſibi tempus, & modus prò defenſionibus agendis permitteretur, non confeſſum tandèm criminis, neque convictum; deponi fecerit, vinculiſque ferreis alligari, in carcerem detrudi, &, quod omnem crudelitatem ſuperat, excæcari. Lugubris hęc hiſtoria fuſiùs in libello Concilii Trecenſis habetur, anno poſt octavo celebrati, quem videre eſt apud Baronium (*d*).

(d) Card. Baron. ann. 870. n. 36.

4. Adeò enormi facinore audito, ſimul Oriens, & Occidens totus obſtupuit, reſque ipſa tàm compaſſione in Laudunenſem, quàm in Remenſem execratione, cunctorum animos inclinavit: & oh utinàm intèr obſtruſiora oblivionis receptacula conſepultum, cum ſuo ortu perpetuum inveniſſet interitum: nec ad poſteriora Sæcula perveniſſet, exceſſus, nunquàm ſinè probro ſuorum Auctorum, & ſinè eccleſiaſticæ dignitatis contumeliâ nominandus. Attamèn quià Contradictores illum in præſidium ſuæ cauſæ producunt; nos, uti pridem innuimus, ad id negamus ſuppoſitum, nempè quod Hincmarus Laudunenſis fuerit in Concilio Duziacenſi damnatus, ob eccleſiaſtica beneficia extrà patriam acquiſita, ſivè proptèr Abbatiam, in tertiâ Provinciâ ſuſceptam. Nàm Hincmarus Remenſis in epiſtolâ apologeticâ, quam de hac rè conſcripſit, & cui acta Synodi Vermerienſis, prò ſuo arbitrio hùc illùc tracta interſervit, ſummam damnationis Hincmari Laudunenſis ad has cauſas redegit: quod non eſſet obediens Metropolitano ſuo, & quod ob privatas injurias in omnes Laudunenſes excommunicationis tela vibraſſet, Clericoſque multos illius Urbis ſuſpenſionis ſpiculo perculiſſet (*e*). In Concilio quoque Attiniacenſi, quod Pſeudoſynodi, & Conventiculæ latrocinalis infame nomen adeptum eſt, crimina Hincmaro Laudunenſi imputata hæc ſunt: quod jura Sedis Apoſtolicæ adversùs ſenſum ſui Metropolitæ explicuiſſet, atque ſcriptis luculentèr editis roboraſſet (*f*), quod contrà jusjurandum fidelitatis Carolo Regi præſtitum, hunc apud Pontificem accuſaſſet, de bonis eccleſiaſticis, quæ in laicos fuerat diſpertitus, ac de hoc ſinè Regali veniâ, ipſi Papę ſcripta miſiſſet (*g*). Hæ ſunt cauſæ, ſivè obtentus, ſaltem potiores, quibus Hincmari Laudunenſis depoſitio velata eſt; non autem poſſeſſio Abbatiæ extrà patriam Provinciam: cujus ſi quandoque facta eſt memoria; non ideò prò cauſâ depoſitionis eſt habita, ſed cum aliis quiſquiliis omnibus eſt collecta, quibus aliqua umbratilis ſpecies tranſgreſſionis canonum ei quoquo modo videretur ineſſe, ut eidem poſſet intentatum facinus obvelari: cum rè verâ tota, & intima ratio injuriæ, Laudunenſi irrogatę, à tuitione jurium Sedis Apoſtolicæ promanaverit, quas Hincmarus Senior exoſas habebat, utpotè Anarchiæ affectator, Autocephaliæ promotor, & ſubjectionis, Romano Papæ debitæ, excuſſor. In propatulo verò poſita ratio (loquimur de principali) fuit ſuppoſita inobedientia ergà proprium Archiepiſcopum, in Concilio Duziacenſi exaggerata, de quâ Aimoinus hæc habet: *intereà poſt de multis impetitus, præcipuè autem de inſubjectione, & inobedientiâ ergà ſuum Archiepiſcopum, Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, ut ſe ab impetitis expediret, in Synodo Epiſcoporum decem Provinciarum, libellum propriâ manu ſubſcriptum porrexit* (*h*).

(e) Concil. Vermerienſ. ann. 870.
(f) Card. Baron. an. 870. n. 35.
(g) Concil. Attiniac. ann. 870.
(h) Aimoin. Hiſt. lib. 5. c. 24.

5. Et quidèm, quod Hincmarus Laudunenſis ſubditos ſuos Cenſuris eccleſiaſticis innodaſſet, cauſa condemnationis eſſe non potuit, neque debuit: nam nunquid non centies in Eccleſiâ Dei Cenſuris ſuppoſita fuerunt integra Regna? Quid mirum ergò, quod urbs Laudunenſis, vel ejus pars, Cenſuris involveretur, juſtâ de causâ à ſuo Antiſtite intortis? Nonnè etiam viri ſancti juſtâ occurrente causâ, id fecerunt? S. Meletius Epiſcopus, & martyr, ſuæ Civitati, in Perſide conſtitutæ, ſolemnitèr maledixit (*i*). S. Maclovius cunctos Britanniæ Incolas maledictionibus irre-

(i) S. Petrus Damian. lib. de abdicat. Epiſcopatus.

Digitized by Google

irretivit (*a*), S. Radbodus Epiſcopus Trajectenſis turbam ſimùl Danorum excommunicatione ligavit (*b*). S. Eligius Epiſcopus Noviomenſis quinquaginta homines uno ſimùl maledictionis gladio confodit (*c*). Quid plura? Nonnè Robertus Archiepiſcopus Rotomagenſis, totam *Normandiam Pontificali Anathemate percuſſit* (*d*)? Et ut alia plura his conſentanea intermittamus, nonnè Eliſeus Propheta Domini multos inſimùl pueros, temerè ſibi inſultantes, diris devovit, *& maledixit illis in nomine Domini*, tantâ virtute, ut illicò quidam urſi, prodeuntes de ſylvâ, quadraginta duos ex ipſis infantibus laceraverint (*e*)? Quid ergò habuit in sè criminis quod Hincmarus Laudunenſis, plures ſimùl ſibi ſubjectos execrationibus illaqueaverit? Hoc ſinè causâ feciſſe non eſt credendum Hincmarum ipſum, virum pium, & prudentem, ac tantæ doctrinæ, ut intèr Collectores ſacrorum Canonum numeretur (*f*). At detur id feciſſe improvidè, ac ſinè ratione gladium eccleſiaſticum exemiſſe; Detur, ictum ſinè diſcretione vibraſſe: detur, vera eſſe, quæ Hincmarus Senior ei verbis hiſce amplificantibus exprobravit, *ſinè aliquâ ratione, vel culpâ objectorum, contrà omnem auctoritatem trecenti, vel quadringenti, ſivè quingenti, ſolo tuo furore, & causâ injuriarum tuarum ſunt abjecti* (g); Demus hoc totum eſſe verum; quid inde? Certè non aliud indè licet inferre niſi quod poterat Hincmarus Remenſis, tamquàm Metropolitanus, poterat quoque Concilium Provinciale, causâ cognitâ, in gradu appellationis, Cenſuras, à Laudunenſi latas, irritas facere, omniſque effectus prorsùs vacuas pronuntiare: non tamen ideò licebat eis Laudunenſem exauthorare, carceri mancipare, ferreis vinculis innectere, ac quod barbariem ſapit oculorum effoſſione mulctare: hæcque facere poſt appellationem, ab eo ad Pontificem interpoſitam, & à Papâ, expreſſis decreto, & literis, jam admiſſam (*h*).

6. Paritèr juſta cauſa condemnationis Hincmari Laudunenſis eſſe non potuit violatio juramenti, Carolo Regi præſtiti, & obedientiæ Hincmaro Remenſi Metropolitano ſuo promiſſæ. Nàm quoàd Carolum; ecquamnam culpam Hincmarus Laudunenſis contraxerat, Pontifici denuntiando id, quod de Abbatiis, & bonis eccleſiaſticis à Rege laicis in beneficium collatis, jam Synodus Meldenſis ipſi Regi exprobraverat, & in eo tota Gallia per orbem univerſalitèr proclamaverat (*i*). Et undenàm juramentum Principi exhibitum, prohibet, de ejuſdem ſacrilegiis cum aliis loqui, vel ea ſummo Eccleſiæ Antiſtiti denuntiare? Quoàd Hincmarum etiam Remenſem, non ei erat inobediens Hincmarus Laudunenſis; ſi non juſta præcipienti, ſed impia adversùs Sedem Apoſtolicam tentanti, non deferebat. Non ergò prævaricatus fuerat in ſuum Jusjurandum Hincmarus Laudunenſis, ſed ſua potius violaverant juramenta, & Rex Carolus, & Hincmarus Remenſis, Eccleſiæ libertatem, & jura Sedis Apoſtolicæ vellicando, quę ſpoponderant incontaminata ſervare. Nèc poterat Concilium Duziacenſe Hincmarum Laudunenſem de inobedientiâ, ſivè Regi, ſivè Metropolitano, damnare, quando in ipſo Concilio fidelitatem, & obedientiam utrique eſt pollicitus, ſub hâc formulâ: *Ego Hincmarus Eccleſiæ Laudunenſis Epiſcopus, amodò, & deinceps Domino Seniori meo Carolo Regi ſic fidelis, & obediens ſecundùm miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo Seniori, & Epiſcopus per rectum ſuo Regi eſſe debet, ac privilegio Hincmari Metropolitani Remorum Eccleſiæ, ſecundum ſacros canones, & decreta Sedis Apoſtlicæ, ex ſacris canonibus promulgata, prò ſcire, & poſſe, me obediturum profiteor* (*l*).

7. Si ergò ſincera loqui volumus, & acu veritatem attingere, oportet aſſerere præallegatas cauſas, non verè cauſas promeritæ depoſitionis fuiſſe, ſed ratiunculas, & prætextus commentitios, ad colorandum facinus divulgatos, eo modo, quo Arriani, ad tegendum flagitium depoſitionis Sancti Athanaſii, ei & ſtuprum, mulierculæ illatum (*m*), & ſciſſionem manus Arſenii ad magicas operationes, & alia piacula enormioris ordinis, apponebant (*n*). Totaque ratio, ut innuimus, condemnationis Hincmari Laudunenſis fuit, Summo Pontifici fidelitèr inhæſiſſe, & jura Sedis Apoſtolicæ defendiſſe (*o*). Nèc credatur, quod Concilium Duziacenſe,

cui

(a) *Sigebert. in vita S. Maclovii.*

(b) *Surius in vita S. Radbodi tom. 6.*

(c) *In vit. S. Eligii Noviomenſ.*

(d) *Vuillelm. Gemmeticenſ. Hiſt. Norman. l. 6. c. 3.*

(e) *4. Regum cap. 2. num. 24.*

(f) *Card. Baron. an. 865. n. 6.*

(g) *Hincmar. Remenſ. to. 2.*

(h) *Card. Baron. an. 870. n. 36.*

(i) *Concil. Meldenſe ann. 845.*

(l) *Aimoinus l. 5. cap. 24.*

(m) *Theodoret. hiſt. lib. 1. c. 30.*

(n) *Sozom. hiſtor. l. 2. cap. 24.*

(o) *Card. Baron. an. 870. n. 33. & 35.*

Digitized by Google

cui depoſitio, carceratio, & excæcatio Hincmari Laudunenſis communitèr adſcribitur (*a*), tametſi prò hoc Concilio apologiam texat Cellotius; non, inquam, creditur Concilium conſideraſſe prò causâ depoſitionis in Hincmaro Laudunenſi, recepiſſe Abbatiam extrà patriam Provinciam (*b*), quippe illius Accuſatores tàm in Concilio Attiniacenſi, quàm in eodem Duziacenſi, fuerunt & Carolus Rex, & Hincmarus Remenſis: quomodò autem Carolus accuſaſſet Laudunenſem de Abbatiâ ſuſceptâ, ſi ipſemet illi eandem detulerat, & deferendo, parem culpam eum ſuſcipiente incurriſſet? Rursùs ſi Carolus Abbatias nedùm extraneis, ſed etiam barbaris Normannis concedebat, quorum unum Hincmarus Laudunenſis excommunicationis mucrone trajecerat (*c*), hincque accepit fomentum diſſenſio intèr Hincmaros Patruum, & Nepotem (*d*); quomodò, quæſo, poterat Laudunenſem in culpam vocare, quod beneficia ſuſcepiſſet in loco, undè erat extraneus? Hincmarus quoque Remenſis, quo auſu poterat Nepoti hoc vitium improperare, & accuſationis in eo proſequi judicium, cum ipſe, licèt extraneus, prout ſuprà fusè probavimus (*e*), Remis tamèn ſupremum Archiepiſcopatus beneficium retineret?

8. Reſpondetur *ſecundò* ad argumentum, iterùm negando aliud ſuppoſitum; nempè quod Papa depoſitionem Laudunenſis Hincmari ratam habuerit, & approbaverit. Nàm Hadrianus Papa II. quo regnante, habita ſunt tria illa Conciliabula Vermerienſe, Attiniacenſe, & Duziacenſe, nedùm depoſitionem præfatam non approbavit, ſed imò adversùs eam altis vociferationibus exclamavit, & ut Laudunenſis Hincmarus Romam proficiſci permitteretur, ad proſequendam appellationis cauſam, inſiſtere non omiſit (*f*), Regique Carolo, atque Hincmaro Remenſi, nec non Conciliabulo, ab eis actò, petentibus, ut liceret novum Epiſcopum Laudunenſi Eccleſiæ præficere, aſſenſum Apoſtolicum denegavit (*g*). Verùm tamen quidem eſt, quod Hadriano ad ſuperos tranſgreſſos, Joannes Papa VIII. ejus in dignitate, ſed non in animi magnanimitate ſucceſſor, vir ab aliquibus reputatus, vecors, & verſatilis, talitèrque fœminili volubilitate præditus, ut locum dediſſe credatur Hæreticis fabulam Papiſſæ ſub ejus nomine confingendi (*h*), factum depoſitionis Hincmari Laudunenſis, vel non requirens, vel non benè perſpectum habens, Hincmarique Remenſis fictionibus dementatus, Regis demum Caroli officiis circumventus, cujus etiam operâ indigebat ad Saracenos ex Italiâ depellendos (*i*), depoſitionem Laudunenſis tamquam illegitimam ab initio non reputavit, quinimò & Hincmaro Remenſi ſcripſit: *Carolus invictiſſimus Imperator à nobis diligentiſſimè percunctatus, circumſtantiam judicii à beatitudine tuâ, Coepiſcopiſque tuis in Hincmarum dudùm Laudunenſem Epiſcopum prolati, Apoſtolatui noſtro retulit: agnovimus juſtum omninò fuiſſe judicium: neque enim tantus Princeps niſi veritate fultum, quidquam poterat affirmare: Undè nefas eſſe duximus ejus relationi non præbere incunctantèr auditum* (*l*). Vel nimia ergò credulitas, vel deficiens circumſpectio Joannem Octavum Papam fefellit: qui tamèn poſteà, narratorum falſitate detectâ, factum improbavit, & ad urbem Trecenſem ſe conferens, Hincmarum Laudunenſem vinculis ſolvi fecit, ab Epiſcopis Synodi, veluti à tot Clericis, Pontificalibus veſtibus operiri; ab eiſque cum canticis, & orationibus circumduci, ut manu extensâ populo benediceret, ac Miſſam tandem ſolemnitèr decantaret (*m*). Hoc ſit ſatis ad oſtendendum, an Pontifex, rerum conſcius, condemnationem Hincmari Laudunenſis approbaverit, vel reprobaverit. Quantâ autem confuſione honorem Nepoti, à Pontifice cum Concilio Trecenſi, collatum, ejuſque abſolutionem, Hincmarus Remenſis ejus patruus intellexerit; quiſque prudens lector conſideret (*n*). Uno ore cenſemus tunc adversùs Remenſem, & Carolum Regem, totius iniquitatis Auctores, fuiſſe ab omnibus conclamatum, *induantur qui detrahunt ei, pudore, & operiantur ſicut diploide confuſione ſuâ* (*o*).

9. Reſpondetur *tertiò*, denuò negando aliud ſuppoſitum; nempè quod condemnatio Hincmari Laudunenſis fuerit Synodalis, & à Concilio legitimo facta, libero,

(a) *Cabaſut. notit. Eccleſ. Secul. 9. in Cōc. habit. in cauſ. Hincm. num. 1.*
(b) *Hincmar. Remēſ. in accuſ. adv. Nepot.*
(c) *Cabaſut. loc. cit. num. 2.*
(d) *Vid ſupr. in hoc cap. n. 3.*
(e) *Vid. ſupr. tom. 1. cap. 23. à n. 22.*
(f) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. lib. 3. c. 21. Baron ann 871. n. 83. 92.*
(g) *Cabaſut. ubi ſupr. n. 5.*
(h) *Card. Baron. an. 879. n. 5.*
(i) *Idem Baron. ann. 876. n. 36. & 877. n. 1.*
(l) *Joannes PP. 8. epiſt. 314.*
(m) *Concil. Trecenſ. ann. 878. ap. Sirmond. tom 3.*
(n) Baron. ann. 878. num. 20. 24. 26.
(o) *Pſalm. 108. n. 29*

Digitized by Google

ro, canonico, & vota ſua prò conſcientiâ largiente. Nàm uti diximus Concilium Duziacenſe, cui depoſitio ipſius Hincmari communitèr adſcribitur (a), quidquid ab aliis ipſa in Attiniacenſe Concilium refundatur (b), Latrocinii nomen à ſacrâ antiquitate recepit: Depoſitionem illam Hadrianus Papa damnavit, & Hincmarum Laudunenſem, ut Romam pergeret evocavit, quemadmodùm ex ejus literis, ad Carolum Calvum Regem datis elucet (c). In eo tandem acta, à vì cauſam habuiſſe, violentiâ Regis Caroli Calvi, & technis Hincmari Remenſis, cuncta molientibus, Epiſcopis verò in Synodo congregatis, gemebundè operantibus, ac metu pejorum, minus malum permittentibus; habetur ex verbis Hincmari Laudunenſis, coràm Joanne Papâ VIII. ſic in Synodo perorantis, *Judicium præfatus Archiepiſcopus ſuper me impoſuit, ut ab Epiſcopali removendus eſſem officio. Sed alii gemebant, flebantque, inter quos nullum merebar pati inimicum. Scripta quidem ab eodem Archiepiſcopo ipſis impoſita manibus tenentes, ſed ore proferre volentes inviti vix verba ſingultiebant, aditum tamen ad Sedem Apoſtolicam minimè ſperantes mihi poſſe denegari. Undè, ſalvo per omnia Sedis Apoſtolicæ judicio, ipſi finem lectionis terminavere. Poſt hæc tranſmiſſus ſum in exilium, in quo per duos annos ſanus, ſed aliquanto tempore ferro vinctus cuſtoditus ſum. Duobus annis fermè peractis inſupèr cæcatus ſum, & uſque modo retentus, ad veſtræ Serenitatis piiſſimam præſentiam, mox ut venire dimiſſus potui, protinùs acceſſi* (d). Hæc Laudunenſis in Concilio Tricaſſiuo, præſentibus pluribus Epiſcopis, qui dictis Conciliabulis interfuerant, & illum vel inviti damnaverant (e). Non ergò liberè, ſed violentèr, ac tyrannicè Hincmarus Laudunenſis fuit condemnatus: non à Concilio libero, ſed meticuloſo; ſuffragia non juſtitiæ, ſed impietati præbente. Sicque quantumvis etiam cauſa depoſitionis Hincmari fuiſſet ſuſceptio Abbatiæ extrà patriam Provinciam; adhùc tamen nihil indè poteſt concludi, quippè depoſitio fuit illegitima, iniqua, & ſinè ordine juſtitiæ, ac ſinè regula judiciali, nefariè tandem, temerè, atque latrocinalitèr eò effectum perducta.

(a) *Sirmond. Concil. Galliæ tom. 3. fol. 397. Cabaſut. notit. Eccleſ. Sæcul. 9. in Concil. fact. in cauſ. Hincmar. n. 3.*
(b) *Vid. Card. Baron. an. 870. n. 36.*
(c) *Hadrian. II. epiſt. 28. ap. Sirmond. tom. 3. Conc. Gall. f. 400.*
(d) *Conc. Trecenſ. ann. 878. Vid. Sirmond. to. 3. Concil. Gall. f. 482*
(e) *Joann. Cabaſut. loc. cit. n. 6.*

10. Reſpondetur *quartò* retorquendo argumentum. Nàm Patres Concilii Tricaſſini, teſte Aimoino, inſiſtentèr egerunt apud Pontificem, ut pulſo à Sede Laudunenſi Hedenulpho, quem Hincmarus depoſitus acceperat Succeſſorem, eidem Hincmaro liceret ſuæ Eccleſiæ regimen adipiſci (f). Et ipſe quoque Hedenulphus à Joanne Papâ licentiam poſtulavit, acceptam Sedem refutandi, ac Monaſterium ſubeundi (g). Verùm cum Joannem puderet hujuſmodi reſtitutionis, utpotè quæ priori ſuo decreto diametralitèr obſiſtebat; Cæcitas etiam Hincmari magno illi futura eſſet incommodo ad regimen animarum; redintegrationi quidem ejus ad honorem priſtinum aſſenſum præbuit; at ad regimen Eccleſiæ ſuum beneplacitum denegavit: aſſignatâ nihilominùs ipſi Hincmaro magnâ parte fructuum Laudunenſis Eccleſiæ, ut eiſdem, donec viveret, frueretur (h). Præciſâ ergò utràque hac ratione politicâ, cognovit Papa, cognoverunt Epiſcopi Concilii Trecenſis, cognovit Hedenulphus, Hincmarum Laudunenſem fuiſſe injuſtè depoſitum: ſicque quatenùs etiam per hypotheſim, quam negamus, Hincmarus ipſe fuiſſet proptèr ſuſceptam in alienâ Provinciâ Abbatiam, condemnatus; adhùc tamen cùm & Papa, & Concilium Trecenſe, & Hedenulphus injuſtitiam illius damnationis agnoverint, & ipſius Hincmari redintegrationem promoverint; patet, quod prò legitimâ habuerunt ſuſceptionem dictæ Abbatiæ, quantùmlibet ab eâdem eſſet extraneus. Undè ex hoc facto non probatur excluſio, ſed potiùs admiſſio extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia.

(f) *Aimoinus hiſt. contin. l. 5. c. 37.*
(g) *Ado in fin. Chronic. Aimoin. loc. cit.*
(h) *Baron. an. 878. num. 24 Sirmond. to. 3. Conc. Gall. f. 486.*

11. Reſpondetur *quintò* iterùm retorquendo argumentum. Etenim Hincmarus, junior non minùs erat extraneus ab Eccleſiâ Laudunenſi, cujus Epiſcopatum ſuſceperat, quàm ab Eccleſiâ alienæ Provinciæ, cujus Abbatiam adeptus erat. Nàm ipſum communem Patriam cum Hincmaro Seniore ſortitum eſſe oportuit, tamquàm ejus Nepotem. Hincmarum autem Seniorem jam vidimus fuiſſe Remis extraneum (i). Tamèn Patruo ad Remenſem Sedem promoto, Nepos in illâ Ec-

(i) *Vid. ſup. tom. 1. cap. 23. à n. 22.*

cleſiâ

cleſiâ ſtipendia Clericalia promeruerat, ac in eâdem fuerat enutritus, quemadmodùm ei, ferventibus diſſidiis, Rex Carolus exprobravit: *prius tè dignum duco monere, ut Clerum, & plebem tibi commiſſam, qui tè, nullo cogente, ſed ſpe ducti, quià prò amore tui Avunculi, qui & nobis, & Regno, ac Eccleſiæ Regni noſtri in multis profuit, mè videbant te diligere, & quià putabant, tè illius veſtigia ſecuturum, & conſiliis obediturum, & quoniam Laudunenſe Municipium Remenſi Eccleſiæ, in quâ nutritus fuiſti, unitum antiquitùs fuerat, devotè elegerunt &c.* (*a*). Sicque Hincmarus aliorsùm natus, in Remenſi primò Eccleſiâ beneficium clericale obtinuit, indè hinc ad Epiſcopatum Laudunenſem migravit. Cujus Urbs licèt olim unum cum Remenſi componeret territorium; tamen jàm Eccleſię utriuſque Urbis erant diſtinctæ, & per conſequens indigena unius, ab Eccleſiâ alterius erat extraneus. Quarè dictus Hincmarus Junior, ſi verum eſſet ſuppoſitum Contradictorum, ter beneficia extrà patriam ſuſcepiſſet, nempè primò in Eccleſiâ Remenſi, ſecundò in Laudunenſi, & tertiò in Abbatiali tertię Provinciæ. Si ergò Conciliabulum Diziacenſe culpam, depoſitione dignam, volebat ex causâ hujuſmodi ſuffurari; debebat Hincmaro improperare ſuſceptionem Epiſcopatus Laudunenſis, potiùs quàm memoratæ Abbatiæ; quod cum nedùm non fecerit, ſed imò Concilium Trecenſe, ac Papa, eundem ad priſtinum honorem, & reditus Eccleſię Laudunenſis redintegraverit; convincitur, nec Hincmarum fuiſſe ob extraneitatem in beneficiis, depoſitum, nec extraneitatem cuique obſtare ad ſuſcipienda eccleſiaſtica beneficia.

(a) Carol. Calu. lib. 55. cap. c. 51.

12. *Arguunt decimotertio* Contradictores ex Concilio *Magdunenſi* ad Ligerim, celebrato anno Chriſti 891. tempore Formoſi Papæ, & Imperatoris Arnulphi, Odone Pariſienſi Gallorum Regnum tenente, in quo Monachi S. Petri Senonenſis conqueſti ſunt, *ſe plurimum ex revolutis temporibus diſcriminis jacturam toleraſſe enormitèr, id circò quod eis à ſuis Pontificibus, Senonenſis videlicèt Eccleſiæ Pręſidibus, multi ex aliis Cœnobiis in prælaturam regiminis Abbates conſtituerentur* (*b*). Quibus auditis Patres Concilii decreverunt, *ut nullus deinceps ordinaretur Pater Monaſterii, niſi quem ipſi ſuâ diſpoſitione, & libitu voluntatis, ex ſuis eligerent* (*c*). Idem Sæculo ſubſequente decrevit favore Monaſterii Gloſtonienſis in Angliâ Concilium Londinienſe, habitum anno 970. ſub his verbis: *Nullus niſi ejuſdem loci Monachus, ibi fungatur Abbatis nomine, vel officio: quod ſi alterius loci Abbatem, vel Monachum eidem loco pręfici neceſſitas ingruerit, tamen ne hoc fiat, obſervato omnimodo, ſi ibidem quiſpiam, vel extremus Congregationis, illi officio aptus reperiri potuerit* (*d*). Hoc decretum Joannes Papa XIII. ſui diplomatis adjectione roboravit; qui etiam ſimile privilegium anno ſequente Monaſterio S. Mariæ Glaſtenſeburi conceſſit, ad petitionem Edgari Regis Angliæ (*e*). Quid plura? Pulſis ad Epiſcopatu Vvintonienſi Clericis, ſubſtituti ſunt Monachi, quibus, petente ipſo Rege Edgaro, Joannes Papa prædictus diploma contulit, cavens, *ut paſtore, ad laboris ſui præmium vocato, non aliundè quàm ex illâ Congregatione alter in locum regiminis ſuccedat, quam ſi impedientibus, quod abſit, peccatis, ad hoc Pontificale officium in eâdem Congregatione idoneum inveniri minimè poſſe contigerit &c. ex aliâ Congregatione, qui dignus inventus fuerit Monachus aſſumatur* (*f*). Igitur Monachis illicitum eſſe definitur, alium quam ex proprio gremio, etiam *extremum* Monaſterii, ſibi in Abbatem præficere, vel reſpectivè in Epiſcopum deſignare, pulſis indè alienigenis: ergò cum id, quod de Abbatiarum, & Epiſcopatuum proviſione ſtatutum eſt, ex paritate rationis locum habeat etiam in aliarum præbendarum diſpenſatione; concludendum eſt, beneficia eccleſiaſtica non niſi indigenis, & Clericis de gremio Eccleſiæ conferri poſſe, extraneis ablegatis.

(b) Dacherius in Spicilegio tom. 2.

(c) Idem Dacherius

(d) Concil. Magdunenſ. ann. 970.

(e) Concil. Romanum ann 971.

(f) Joannes PP. XIII. ep. 2.

13. Reſpondetur *primò* dando tranſeat quæſtioni, an valeat paritas, & teneat conſequentia ab Epiſcopatibus, & Abbatiis Regularibus ad inferiora beneficia. Nàm quod electio Antiſtitum, & Abbatum ſimili, vel æquo paſſu procedant, plu-

res

res docent Auctores (*a*), legimus quoque Nicolaum PP. I. Carolo Calvo Regi ſcripſiſſe, quod *ergà Monachos eadem profectò regula, quæ circà Clericos, qui promovendi ſunt, conſervanda ſit* (*b*). Tamen inter Epiſcopatus, & Abbatias Conventuales ex unâ, & beneficia inferiora ex aliâ parte, proculdubiò ingens diverſitas intercurrit. Verùm dato tranſeat huic rei, nunc ad doctrinas exadverſo productas, negamus ſuppoſitum, nempè quod decreta Concilii Magdunenſis in Galliâ, & Londinenſis in Angliâ, fuerint jura generalia, jus commune, & univerſale facientia, quod in totâ, & totali Eccleſiâ neceſſariò debeat obſervari. Nàm fuerunt leges, non generales, ſed particulares, & privilegia limitata ad illa præciſa Monaſteria, quorum favore ſunt edita (*c*). Hocque patet ex facto. Nàm cum indiguerint ſpeciali diplomate Pontificio, earum confirmatorio; convincitur, ipſas non fuiſſe Juri communi conſonas, ſed adverſas: & uti exorbitantes à Jure, opus habuiſſe, ut Pontifex tùnc regnans, eaſmet Apoſtolico præſidio, per ſuæ poteſtatis plenitudinem, roboraret. Quodque mirum eſt, Concilium Londinenſe, ſive Anglicanum, à S. Dunſtano Archiepiſcopo Cantuarienſi fuit convocatum, & in Actis S. Oſualdi Epiſcopi Vigornienſis, *Concilium generale* appellatur, quatenùs in eo cuncti Angliæ Epiſcopi conſederunt (*d*). Monaſterium quoque Glaſtingeberi Edgarus Rex Angliæ, & S. Dunſtanus præfatus erexerant, ac pluribus opibus ditaverant: Et tamèn non valuit eorum auctoritas ad repellendos Abbates extraneos, niſi Summi Pontificis poteſtas accederet (*e*), qui, teſte Vvillelmo Malmesburienſi, *ſancita ab eis firmavit, ſcribendo Apoſtolicæ auctoritatis præceptionem, terribilitèr intorquens in violatores, ſi qui fortè emerſerint, perpetui anathematis ultionem* (*f*). Non ergò de jure fuit repulſio extraneorum à præfatis Abbatiis, ſi nec Concilium generale Angliæ, nec Magdunenſe Galliæ, nec Rex, & Archiepiſcopus Primas Anglorum, fundatores memorati Monaſterii valuerunt, ſine privilegio Apoſtolico, electionem Abbatum ad ſolos indigenas coarctare. Ut quid etenim Galli, & Angli Privilegium à Pontifice popoſciſſent, pro adimplemento legis, in corpore Juris clauſæ, vel Juris communis ſanctionibus conſentaneæ? Pontifex quoque quomodò tamquam privilegium conceſſiſſet id, quod placita Eccleſiæ generalia, & Jus ipſum commune, quo totus Mundus regitur, poſtularent? Privilegium non eſt, quod aliquid contrà Jus commune alicui non concedit (*g*), & fruſtrà precibus impetratur, quod de jure competit univerſis (*h*). Igitur ex iiſdemmet Decretis Conciliaribus, & Privilegiis Apoſtolicis, in oppoſitum allegatis, oculari inſpectione cognoſcitur, fuiſſe, & eſſe non de Jure communi, ſed ex lege particulari, excluſionem extraneorum ab Epiſcopatibus, & Abbatiis inibi memoratis, ipſaque Decreta, & Privilegia, uti non facientia legem communem, nil prorsùs probare, quo beneficiorum largitio debeat ad ſolos indigenas coarctari.

14. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm negando aliud ſuppoſitum; nempè quod omnes Abbatiæ olim providendæ eſſent, & nunc etiam ſint per viam electionis Canonicæ. Nam ſi res repetatur à ſuo principio, cum olim Monachi eſſent immediatè ſubjecti Epiſcopo Diœceſano, & ità ſit de Jure communi (*i*), etiam Abbates Monaſteriorum non eligebantur à Monachis, ſed deputabantur ab Epiſcopis (*l*), quod eſt adeò verum, ut S. Gregorius Monaſterio Neapolitano quendam Barbatianum præficiendum eſſe ſatagens, illum Fortunato ejuſdem Urbis Epiſcopo, ſub iſtâ cautione tranſmiſerit, *ut ſi ejus vita tuæ Fraternitati placuerit, hunc poſt aliquantum temporis, eorum patrem debeas ordinare* (*m*): qui quoniam à conceptâ de sè ſpe deviavit; S. Gregorius eundem Fortunatum his increpationibus objurgavit: *Nunquid non vobis ſcripſimus, ut priùs eum probaretis, & tunc ſi aptus eſſet, Abbatem facere deberetis? Vel nunc ergò circà eum, quem elegiſtis, eſtote ſollicitì. Nam vos, illo delinquente, delinquitis &c.* (*n*). Patet hoc etiam ex Concilio Turonenſi II. in quo datur Epiſcopo facultas deponendi Abbates, & alios ſubrogandi, dummodò id fiat in Synodo Diœceſanâ (*o*). In Con-

(a) *Tamburin de jur. Abbat. tom. 2. diſp. 5. qu. 5. n. 3. Barboſ. jur. Eccleſ. univ. l. 3. c. 37. n. 5.*

(b) *Nicol. I. ep. 54. in tom. 3. Conc. Gall. f. 273.*

(c) *Vid. Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 1. l. 2. c. 93. n. 19.*

(d) *Surius in vit. S. Oſvald. die 15. Octobr.*

(e) *Baron an. 973. n. 1. Bail. in Conc. Rom. an. 973.*

(f) *Willelm. Malmeſbur. l. 2. c. 8.*

(g) *Abbas in c. Abbate 25. n. 7. de verb. ſignif. Barboſ. ibidem num. 4.*

(h) *L. 1. C de theſaur. l. 10. c. ult. 25 qu. 1. Barboſ. in c. in his 30. n. 2. de privil.*

(i) *Sylveſt. V. religio 3. § 4. Barboſ. in c. nullam 9 n. 3. 18 qu. 2. & de off. Epiſcopi alleg. 105. n. 1.*

(l) *Vid. Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 1. l. 2. c. 93 n 19. & l. 3. c. 32. n. 6 § hæc.*

(m) *S. Gregor. PP. I. lib. 7. epiſt. 92.*

(n) *S. Gregorius l. 8. epiſt. 23.*

(o) *Concil. Turonenſ. II. cap. 7.*

Concilio quoquè Toletano IV. adſcribitur Epiſcopis hæc poteſtas in Monaſteriis, *Monachos ad converſationem ſanctam præmonere, Abbates, aliaque officia inſtituere, atque extrà regulam facta corrigere (a)*. Et licèt gloſſa interpretetur hujuſmodi facultatem, quod *inſtituere* ſignificet confirmare, vel Monachorum non eligentium idoneum Abbatem negligentiam ſupplere (*b*); Nos tamen ex fonte Concilii vim illius Canonis depromentes, cenſemus Synodum loqui de verâ, & propriâ electione, atque deputatione Abbatis, reſpectu Monaſteriorum, quibus non jam jus electionis fuerat acquiſitum, aut libertas, & exemptio ab Epiſcoporum Juriſdictione collata.

15. Ab ipſo namque Divi Gregorii tempore aderant aliqua Monaſteria, jure prædita eligendi ſibi Abbatem, ab Epiſcopis approbandum: ſcribit enim Joanni Subdiacono Ravennę, *Venientes Monachi Monaſterii quondam Abbatis Claudii, petiverunt ſibi Conſtantium Monachum Abbatem debere conſtitui: quos valdè ego in ſuâ petitione deteſtatus ſum, quià mihi terrenę mentis eſſe omninò apparuerunt, quià terrenum nimis hominem Abbatem quæſiverunt habere &c. Ab hoc igitur recedentes Cancellarium quendam, nomine Maurum petiverunt &c. Tua itàque experientia ſollicitè requirat, & ſi ejus vita ad locum regiminis digna eſt, à reverendiſſimo Fratre, & Coepiſcopo noſtro Mariniano hunc Abbatem ordinari faciat (c)*. Aderant & Monaſteria exempta ab Epiſcoporum juriſdictione, quorum plurimis hoc indulſit privilegium Juſtinianus Imperator (*d*), ſolitus non ſemèl miſcere ſacra profanis. Patriarchæ quoque Conſtantinopolitani exemptionem Monaſteriis concedebant, ubilibet per eorum Patriarchale territorium erectis, præſertim ſub Stauropegio Patriarchali, nempè ubi crux fuiſſet ab eiſdem defixa (*e*). Qui mos duravit donèc Michael Paleologus Imperator, in odium Joannis Vecchi Patriarchæ, Conſtantinopolitanos Præſules hac adeo effusâ auctoritate nudavit (*f*). Juſtiori autem titulo hac poteſtate utebantur olim, & modò utuntur Summi Pontifices. Porrò plura Cœnobia exemit ab Epiſcoporum juriſdictione prælibatus D. Gregorius, ut ex ejus literis innoteſcit (*g*). Nec deſunt, qui cenſent, ab hoc Sancto Pontifice Privilegium generale libertatis cunctis Monachorum Cœnobiis fuiſſe conceſſum (*h*), quod tamen alii non verum eſſe opinantur (*i*), & ità res videtur ſe habuiſſe de facto, quidquid fuerit de aptitudine. Multa & alii Pontifices hujuſmodi exemptionis diplomata contulerunt, quę ſibi parum placere S. Bernardus (*l*), Petrus Bleſenſis (*m*), Ivo Carnotenſis (*n*), & alii Patres ſuis ſcriptis inſinuarunt. Itàque talibus conceſſionibus freti Monachi, ſibi Abbates eligere incęperunt, non ex Juris communis diſpoſitione, ſed particularium privilegiorum intuitu, ad Monaſteria non extenſo, quæ indulto compari non gaudebant. Porrò ipſius Divi Benedicti tempore Abbates alicubi ab Epiſcopis eligebantur (*o*). Ætate quoque Concilii Turonenſis II. quod anno Chriſti 570. coalvit, & Concilii Toletani IV. quod anno 633. eſt celebratum, idem, ut innuimus, fiebat. Imò etiam tempore S. Bernardi, qui anno poſt Chriſtum 1130. floruit; erant Epiſcopi, poteſtate præditi Abbates Cœnobiis præficiendi, de quibus ipſe ad Eballum Catalaunenſem Epiſcopum ſcribit: *Certè duobus Monaſteriis, Sancti videlicet Petri, & S. Urbani, paſtorali aliquandò ſolatio ſimilitèr deſtitutis, bonæ memorię prædeceſſor veſter Dominus Vuillelmus, non longi itineris laborem, non hyemis reputans aſperitatem, bis, ni fallor, Cluniacum, ſemèl Divionem per sè ipſum adiit, hincque virum bonum Dominum Hugonem, qui poſt defunctus eſt; illìnc virum venerabilem, qui adhùc supereſt, Dominum Radulphum, vix multis precibus impetratos abducens, ſingulum ſingulo præpoſuit Monaſterio (p)*.

16. Ità res ab initio ſe habebant: Epiſcopi Abbates Monaſteriis præficiebant: ſed indultis poſteà Summorum Pontificum, Imperatorum Conciliorum &c. pro jure electionis Cœnobiis Monachorum collatis, ipſiſque demùm Monachis totalitèr ab Epiſcoporum juriſdictione ſublatis; jus eligendi Abbatem ad eoſmet Monachos tranſmigravit, ac factum eſt de Jure communi, ut Abbates à Monachis eligerentur.

(a) *Concil. Toletan. IV. cap. 7.*

(b) *Gloſ. in c. hoc tantum V. inſtituere 18. qu. 2.*

(c) *S. Gregor. l. 10. ep. 22.*

(d) *Juſtinian. Imper. Novel. 123.*

(e) *Juris Orient. lib. 3. f. 235.*

(f) *Pachymeres lib. 6. c. 31.*

(g) *S. Gregor. lib. 4. epiſt. 41. & 43. & lib. 7. epiſt. 15.*

(h) *Binius in Concil. Roman. an. 601. tom. 4. fol. 151.*

(i) *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi par. 3. alleg. 105. nu. 11. & in cap. quam. ſit n. 1. 18 qu. 2.*

(l) *S. Bernard. de Conſider. l. 3. cap. 8.*

(m) *Petrus Bleſenſis epiſt. 68.*

(n) *Ivo Carnotenſ. epiſt. 95.*

(o) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. l. 2. c. 93. n. 8.*

(p) *S. Bernard. epiſt. 58.*

De jure, inquam, communi, de quo in *cap. Abbas 2. cap. Abbatem 3. & 4. cauſ. 18. quæſt. 2. cap. cum Monaſterium 13. de electione: faventque Hoſtienſis in ſum. tit. de election. §. quis poſſit eligere, verſ. ſi non apparet. Panormit. in c. officii n. 1. de election. Felyn. in c. ad petitionem n. 1. de accuſation. Navar. lib. 1. conſ. 3. n. 3. de election.* Quâ de rè qui plura deſiderat, videat Tamburinum de jure Abbatum (*a*), & Emanuenſem Rodriquez in quęſtionibus Regularibus (*b*). Verùm nec ſic adhùc ubilibet facta eſt de Jure communi deputatio Abbatis per electionem, ſed in illis tantùm Cœnobiis, ubi tale jus locum habuit: nàm in Conſeſſu Fraucfordienſi, quod habitum eſt ſub Othone I. Imperatore, inſtituto de hac materiâ ſermone, facta eſt diſtinctio intèr Abbatias, jure electionis prædita, & alias illo carentes: *nuendum eſt,* inquit, *præfato Regi, ut nulla Abbatia, quæ per ſe electionem habet ad Monaſterium, nec alicui in proprium poſſit donari. Illæ verò, quæ electione carent, Regis donatione, & privilegio ad illud Monaſterium, quod ſub ejus Mundiburdio conſiſtit, ſubrogari poſſint* (*c*). At quamquàm de Jure communi factum ſit, ut Abbas à Monachis Monaſterii eligeretur; nunquàm tamen factum eſt de Jure communi, ut Abbas deberet neceſſariò de ipſo gremio, & corpore Monaſterii deſumi: quod patet tùm ex defectu textus Canonici, hoc dilucidè præcipientis: tùm ex neceſſitate, quâ ducta ſunt Monaſteria impetrandi ſuper hoc ſpeciale, & individuum privilegium; ità enim Monaſterium S. Sophiæ Beneventanæ *in Italiâ*, hoc indultum à Leone Papâ IX. impetravit: *liceat quoque ipſis Monachis ex eâdem Congregatione eligere Abbatem ſibi, ſi inibi idoneum ad hoc officium invenerint* (*d*). Ità Monaſterium Corbejenſe *in Galliâ*, hoc diploma à Chriſtophoro Pontifice poſtulavit: *eligendi ſibi Abbatem de ſuis, ſemper habeant poteſtatem* (*e*). Ità Monaſterium Gloſtonienſe *in Angliâ* literas in formâ Brevis ſub hoc themate obtinere à Joanne XIII. Papâ ſategit: *ipſi quoquè Monachi de ſuis ibi adhibeant Paſtorem* (*f*), quæ & alia Monaſteria hæc, & conſimilia Diplomata procurantia, non id feciſſent, ſi de Jure communi eſſe agnoviſſent, ut electio Abbatis deberet indiſpenſabilitèr peragi de corpore Monaſterii.

(a) *Tamburin. de jur. Abbat. tom. 1. diſp. 5. qu. 1. n. 1.*
(b) *Eman. Rodriq. qu. Regul. tom. 2. qu. 63. art. 1.*
(c) *Regino Append. 1. c. 53.*
(d) *S. Leo PP. IX. ep. 19.*
(e) *Chriſtopher. PP.*
(f) *Joan. PP. XIII. apud Baron. an. 971. n. 2.*

17. Sed quod rem ponit in claro, eſt Decretum Cœleſtini Papæ III. in cap. cum Monaſterium 13. de electione, ubi audito, quod *Monachi Cænobii de Pelliciâ, in quendam, qui cum fratribus ſuis in Eremo erat laudabilitèr converſatus, boni teſtimonii virum, unanimitèr conſenſerant, cum in Abbatem totis viribus poſtulantes*; ipſiuſmet Eremitæ promotionem laudat, & Apoſtolicâ auctoritate confirmat. Magna porrò intervenit diſcrepantia intèr Monachos Conventuales, qui Cœnobitæ ſunt; & inter Anachoritas, ſeù Eremitas (*g*). Horumque à primis diverſum eſſe ſtatum, regulam, atque vitam ex D. Petro Damiani verbis dilucidiſſimis innoteſcit (*h*). Attamèn ſi licitam pronuntiavit Epiſcopus Diœceſanus, & uti talem Pontificali auctoritate confirmavit Cœleſtinus Papa electionem, ſive poſtulationem præfati Eremitæ, alibi commorantis, à Monachis Pellicienſibus factam, in ſuo Cœnobio regularitèr conviventibus; patet, quod nec fuit, nec eſt de Jure communi, ut electio Abbatis fiat de corpore Monaſterii, ſed imò potius de Jure communi eſt, ut Monaſterio licitè poſſit præfici extraneus. Non negamus tamèn quin aliquandò in Oriente, ubi intèr Monaſteria perſeveravit nulla eſſe connexio, ità ut unumquodque eorum fecerit ex sè proprium corpus; ab altero non dependens; ſeverior aliqualitèr viguerit diſciplina. Etenim in Jure Orientali hujuſmodi legitur diſpoſitio: *ſcias, tempore Patriarchæ Lucæ Synodale Decretum factum eſſe, ut ſine præjudicio conſtituantur Præfecti in Monaſteriis, Patriarchæ territorio ſubjectis, quæ non habent Monachos idoneos, & præſint alteri Monaſterio, quo eſt ejuſdem Regionis, etiam ſi Statuta eorum caveant, nè Xenochorites, hoc eſt qui in externo Monaſterio tonſus eſt, fiat eorum Præfectus* (*i*). Sed & hìc excluſio extranei Abbatis, à proprio, & particulari Monaſteriorum ſtatuto dicitur provenire, non à Jure communi: Et cum extraneos ad Abbatis officium decernatur poſſe transferri, quotiès in aliquo Monaſterio non eſſet idoneus; hìc verò

(g) *Gloſ. in cap. cum Monaſterium V. in eremo 13. de elect.*
(h) *S. Petrus Damian. lib. 6. epiſt. 12.*
(i) *Jur. Oriental. f. 222.*

Digitized by Google

caſus vix unquàm poſſet accidere, ſi ſecundum Contradictores infimus, & extremus Cœnobii filius, erat extraneo magis idoneo præferendus; veroſimile eſt, hujuſmodi obſervantiam non fuiſſe adamuſſim executioni demandatam.

18. Sed, quidquid fuerit in Oriente, certè in Occidente, præſertim poſtquam Monaſteria non jam amplius ſunt inter ſe divulſa, & ſegregata, ſed in varias Congregationes agglomerata, & connexa, ità ut illa, quæ militant ſub eâdem Regulâ, unum corpus intèr ſe conflent ejuſdem Religionis, & Sectæ; nunquàm legimus de Jure communi fuiſſe, nec eſſe, ut Abbates ex ſolo gremio Monaſterii eligantur. Sanctus Gregorius, qui in teſtem hujuſce rei proponitur, favore Monaſterii Claſſitani, Mariniano Epiſcopo Ravennati ſcripſiſſe reperitur: *defuncto verò Abbate cujuſcumque Congregationis, non extraneus, niſi de eàdem converſatione, quem ſibi propriâ voluntate concors fratrum ſocietas elegerit &c. ordinetur: quod ſi aptam inter ſè perſonam invenire nequiverint; ſolertèr de aliis Monaſteriis ſibi ſimilitèr eligant ordinandum &c. Invito ejuſdem Monaſterii Abbate ad ordinanda alia Monaſteria &c. tolli exindè Monachi non debeant: Sed ſi abundantes fuerint &c. Abbas cum devotione de his, qui ſuperfuerint, offeras quos dignos coram Deo invenire potuerit. Quod ſi ſufficientèr habens, dare noluerit, tunc Ravennas Epiſcopus, ad ordinanda alia Monaſteria de his, qui ſuperſunt tollat* (*a*). Hìc apertè S. Gregorius non de Monaſteriis particularibus, ſed de totius ordinis Monaſtici latitudine, illiuſque Cœnobiis, Abbates poſſe aſſumi decernit: ſicque ex hoc textu intentum Contradictorum nullatenùs comprobatur. Alia clariora Pontificum Decreta in Objectionibus Legalibus aggregabimus, electionem paſſivam Abbatum ad ſolos Alumnos Monaſteriorum localium coarctantia, quæ conſonant cum aliis hìc in argumento axadverſo allegatis (*b*). Verùm cum hæc ſint privilegia particularia, & ad determinata Cœnobia reſtricta, non faciunt, ut innuimus, legem communem, ſed privatam, & peculiarem, quę non poteſt de loco ad locum extendi. Et quià etiàm non probant, quod Abbates ſint de gremio Monaſterii, ubi viget regularis obſervantia, ubilibet eligendi; multò minùs id probant pro Abbatiis ſæcularibus, & aliis beneficiis minoribus, maximè reſidentiæ debito denudatis.

(a) *S. Gregor. lib. 7. epiſt. 18.*

(b) *Vid. infrà in hoc tom. c. 14. n. 10.*

19. Reſpondetur *tertiò* retorquendo Argumentum: quod antequàm expediatur, pręſtat hìc audire Tamburinum de jure Abbatum, ſic affatim eloquentem, *licèt de jure communi verum ſit, Abbatum, tàm generalium, quàm localium, electionem ſpectare ad Religionem, ſeu Conventum, de cujus Prælati electione agitur; nihilominùs hodiè Abbates locales apud Monaſtias, & etiam Canonicorum regularium Congregationes, ferè omnes non ampliùs à Religioſis illius Conventus, cui præficiendus eſt Prælatus, ſed per ſuffragia Generalium, vel Provincialium, & ſuorum Definitorum, eliguntur, ut patet ex uſu, & videre eſt ex ſpecialibus ipſarum Congregationum Conſtitutionibus, quæ ab ipſis Regularibus præcipuè attendendæ ſunt, non autem illæ generales Juris communis diſpoſitiones, quià generi per ſpeciem derogatur cap. generi de regulis juris in 6. quæ Conſtitutiones ſpeciali Sedis Apoſtolicæ privilegio munitæ eſſe debent, cum ſint correctoriæ Juris communis* (*c*). De facto videmus apud Canonicos Regulares Lateranenſes, S. Salvatoris, Præmonſtratenſes, & alios; nec non apud Monachos Caſſinenſes, Camaldulenſes, Cęleſtinos, Vallumbroſanos, Silveſtrinos, & generalitèr apud omnes Religiones, quarum Cœnobia reguntur ab Abbatibus, electionem Abbatum non ſecundùm jus commune à Patribus, & de Patribus Monaſterii celebrari, ſed Abbates à Superioribus in Generali Capitulò deputari, & hùc illùc ad regenda Monaſteria tranſmitti, quamvis indè ſint origine, & profeſſione prorſus extranei.

(c) *Tamburin de jur. Abbat. to. 1. diſp. 5. qu. 1. n. 3.*

20. Quibus ità ſe habentibus, retorquetur, inquam, argumentum. Nàm ſi, non obſtante, quod ſit de jure in ſententiâ Contradictorum, ut Abbates eligantur de ſolo gremio Monaſterii, & à ſolis Religioſis, componentibus Monaſterium, adhùc tamen huic formæ pręficiendi Abbates licitè potuit, ſivè per particula-

culares Ordinum Conſtitutiones, ſivè alio modo, à Sede Apoſtolicâ comprobato, nova forma ſubſtitui, quâ eligantur Abbates, non à Capitulo Cœnobiali, neque de ſolo gremio Cœnobii, ſed à Capitulo generali totius Religionis, & de Corpore totius Ordinis, ſivè indigenæ ſint, ſivè extranei à Monaſterio, cui Abbatiali titulo præficiuntur; ità non obſtante, quod olim eſſet de jure, in pari ſententiâ Contradictorum, ut ad eccleſiaſtica beneficia ſoli Clerici promoverentur de gremio Eccleſiæ vacantis; adhùc tamèn licitè potuit, auctoritate Apoſtolicâ introduci nova methodus, jam per plura ſæcula vigens, ut beneficia non ſolis Clericis de gremio, ſed quibuſlibet indifferentèr, ſub Clericali vexillo militantibus, conferantur. Cui novæ formæ cum jàm per centenos, & millenos annos tota acquieſcat Eccleſia; ſtultum eſt profectò nunc velle de illius legitimitate diſputare, & ſub prætextu diverſæ diſpoſitionis Juris communis, totam hanc Eccleſiæ diſciplinam evertere: non ſecus ac prò ingenti ſtultitiâ haberetur, ſi quis modum præficiendi Abbates Monaſteriis Regularibus revoluere conaretur, & ſub prætextu Juris Communis, diverſimodè præcipientis, obſiſteret, ne Abbates eligerentur à Capitulis Generalibus Ordinum, nec alii quam indigenæ Abbatiale onus, & honorem in ſingulis Cœnobiis ſuſciperent. Itaque argumentum à ſimilitudine Abbatum per Contradictores propoſitum, non probat excluſionem, ſed potiùs admiſſionem extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia. Alibi de hàc materiâ Abbatum, & Abbatum, alia diximus, & alia etiam infra dicemus: illuc ergò benignum Lectorem remittendum (*a*).

(a) *Vid. ſupr. to. 1. c. 14 à n. 23. & to. 2. c. 6. à n. 14. & infr. in hoc to. c. 13. n. 14. à n. 20.*

21. *Arguunt decimoquarto* Contradictores ex alio *Concilio Remenſi*, habito anno Chriſti 989. tempore Joannis Papæ XV. & Othonis III. Imperatoris, regnante in Galliâ Hugone Capeto, Comite Pariſiorum. In eo delatus eſt Arnulpho, Lotharii Regis filio naturali, Archiepiſcopatus Remenſis, habitâ ratione ipſius indigenatus, quatenùs Arnulphus erat Clericus Laudunenſis: Remorum autem, & Laudunenſis territorii, erat unum quodammodò corpus. *Hunc*, inquiunt Patres, *dicimus Laudunenſis Eccleſiæ filium, & ut verum fateamur, Remenſis. Ea quippè Civitas Remenſe territorium, Remenſis parochia eſt: nec ſic à B. Remigio diviſa, ut fieret aliena. Nimirùm ille Deo placens, unitatem appetens, non ſciſſionem affectans, ſic ſcidit, ut cohæreret, ſicùt pars in toto, & quis, & quantus futurus eſſet intelligens, natale ſolum beavit Sacerdotii dignitate. Eligimus ergò hunc Arnulphum, hinc ortum, hinc educatum* (*b*). Si igitur, inferunt Contradictores, ex hoc uno titulo Remenſis Archiepiſcopatus obtigit Arnulpho, quià illius Urbis indigena erat; convincitur, quod beneficia eccleſiaſtica non ſunt extraneis, ſed ſolis indigenis conferenda.

(b) *Concil. Remenſ. ann 989.*

22. Reſpondetur *primò* negando ſuppoſitum, nempè apud Arnulphus ex hoc uno motivo fuerit Remenſi Archiepiſcopatui immiſſus, quià ibi eſſet indigena, propter Eccleſiam Laudunenſem, cujus erat Clericus, Remenſi quodammodò copulatam. Non enim ex hoc motivo Archiepiſcopales illas infulas ſortitus eſt, ſed quià Hugo Capetus, regimine Galliæ, ob inertiam Ludovici V. ultimi ex Carolinghis, aſſumpto, Coronâque Regni poſt hius mortem receptâ, gratum animum cunctis ex deſcendentibus Caroli Magni ſe velle oſtendere ſignificabat, vel ſaltèm ſimulabat, eos muneribus, & beneficiis demerendo (*c*). Hoc enim præciſo intuitu Arnulphum, ex Regali Carolingorum ſanguine deſcendentem, Ludovici V. fratrem nothum, & filium Lotharii, virum probum, doctrinâ, & pietate florentem (*d*), fecit in Remenſi Solio collocare, atque ad deliniendos Remenſes, ut Arnulphum ſibi præfici quiete paterentur, datumque Archiepiſcopum prompti, ac libentes acciperent; proponi eis fecit, quod dum in Arnulphum conſentiebant, uni quodammodò ex ipsâ eorum Eccleſiâ ſuffragabantur: quippè cum Laudunenſis Eccleſia aliquâ ratione eſſet una, & eadem cum Remenſi; jam Arnulphus ad Remenſis Eccleſiæ conſortium pertinebat, & in ejus promotione, non tàm meritum Antiſtitis præmiabatur, quam convenientiæ Remenſium ratio habebatur, cum ex ejus

(c) *Card. Baron. ann. 990. n. 7.*

(d) *Baron. ann. 991. num. 6.*

ejus corpore, per quandam, vel juris fictionem, vel apprehenſionem intellectus, novus Archiepiſcopus aſſumeretur.

23. Ità fauſtis auſpiciis ad Remenſem Cathedram perrexit Arnulphus. Sed vix ſex menſibus evolutis, cum Carolus, Ludovici frater, & Arnulphi patruus, Urbem illam, vel dolis, vel vi bellicâ ſuſcepiſſet, incuſatus eſt proditionis Arnulphus apud Hugonem, ab eoque captus, & carcerali tædio maceratus, quamquàm ſe cunctis, quibus potuit modis, purgaſſet, cenſuris etiam contra eos, qui talia perpetraſſent, intortis (*a*). Hugo nihilominùs illum fecit Archiepiſcopali dignitate, in Remenſi Pſeudoſynodo denudare. Audiatur Eginhardus: *In illis diebus in Remenſium Civitate erat Archiepiſcopus vir bonus, & modeſtus, frater Lotharii Regis ex Concubinâ, nomine Arnulphus. Hugo autem Rex invidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharii Regis. Congregansque in urbe Remenſi Synodum, in eum locum idem Hugo Rex invitavit Archiepiſcopum Senonicæ urbis, nomine Seguinum, cum ſuffraganeis ſuis: in quo Concilio fecit degradari Dominum Arnulphum Archiepiſcopum Remorum, dolo Nepotis ſui, quem tenebat in carcere, dicens, non debere eſſe Epiſcopum natum ex Concubinâ* (*b*). Nec ergò Arnulphus ad præcelſum Remenſis Eccleſiæ Solium convolavit, quià ibi eſſet indigena: nec ab eo eſt præcipiti depoſitione dejectus, quià ibi eſſet extraneus: Sed ad illud promotus eſt intuitu meritorum, doctrinæ, ac morum, quibus pollebat, & quià Rex illi gratificari velle oſtendebat. Ab ipſo autâm throno eſt depoſitus, non quià eſſet extraneus, ſed ſub prætextu, quod illegitimis eſſet ortus natalibus: & rè verâ ob politicam machinationem, propter inanem proditionis ſuſpicionem, cujus obtentu Rex illum perdere concupivit, nihil attento, quod eſſet indigena, vel extraneus.

(*a*) *Concil. Silvaneċtenſ. ann. 990.*

(*b*) *Aimoin. de geſt. Francor. l. 5. c. 46.*

24. Reſpondetur *ſecundò* retorquendo argumentum adversùs Contradictores. Nàm Arnulphus non erat natus Lauduni, neque Remis, ſed Lugduni: Siquidèm mortuo Ludovico IV. Galliæ Rege, vocato communitèr *Tranſmarino*, Gerberga Saxonica ejus Uxor, Lotharium, & Carolum filios duxit Lugdunum, ut ibi ſub Magni Ugonis (cujus filius fuit Hugo Rex) præſidio, ac directione tuti conſiſterent (*c*). Porrò Lotharius primogenitus ibi Regnum Gallicum tenuit, Carolus verò Lotharingiam ab Othone II. Imperatore ſuſcepit, vel poſt ſuſceptam ei ligium exhibuit Juramentum (*d*). Arnulphus autem ex Lothario, & Concubinâ Lugduni ortum accepit: qui ſi licitè de Lugdunenſi Urbe, & Provinciâ, potuit ad Laudunenſem Eccleſiam, quæ in Remenſi Provinciâ eſt, pertranſire, ut ibi Clericale munus obiret, atque à Clericatu Laudunenſi in Remenſem Cathedram valuit proſilire; luce meridianâ clarius eſt, quod Arnulphus bis beneficium accepit in Eccleſiis, à quibus erat extraneus. Sicque, ſi ex facto Arnulphi cauſa judicanda eſt, quam tractamus; oportebit ſtatuere, quod extranei, nedùm extradiœſani, ſed etiam extraprovinciales, licitè poſſunt beneficia ſacra nanciſci: & quod ipſi Adverſarii arma prò tuitione cauſæ noſtræ miniſtrant, ut ab omnibus ſit fatendum, ineſſe Eccleſiæ libertatem præficiendi beneficiis etiam extraneos.

(*c*) *Foreſt. Mappam. Hiſtor. in Lothario III. Reg. Franc.*

(*d*) *Idem loc. cit. & in Hugone Reg. Franc.*

25. Confirmatur hoc totum ex facto ſubſequente: nàm depoſito Arnulpho per Conciliabulum Remenſe, ſuffectus eſt illi Gerbertus Natione Belga (*e*), vel ſecundùm alios Aquitanus (*f*), ex Provinciâ Burdigalenſi progenitus, Monachus primo Cœnobii Floriacenſis, Aurelianenſis Diœceſeos, Provinciæ Senonenſis (*g*), & deindè Abbas quoque Monaſterii Bobienſis in Inſubriâ, Provinciæ Mediolanenſis (*h*), & toto Cœlo extraneus ab Eccleſiâ, Diœceſi, & Provinciâ Remenſi: De quo ſuprà uberior factus eſt ſermo (*i*), ac ad eo Eginhardus hæc habet: Hugo Rex in loco Arnulphi, *conſecrari fecit Dominum Gerbertum Monachum, Philoſophum, qui Gerbertus magiſter fuit Roberti Regis, filii iſtius Hugonis &c. Arnulphum autem mancipari cuſtodiæ in Aurelianâ Civitate. Venerabilis autem Seguinus Archiepiſcopus non conſenſit in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti: juſſo autem Regis urgebat. Alii verò Epiſcopi, licèt inviti, tamen*

(*e*) *Foreſt. Mappam. Hiſtor. in Silveſt. II.*

(*f*) *Joann. Gualterius Chron. Chronicor. in Catalog. Pontif. German. n. 3 fol. 1602.*

(*g*) *Platin. & Joannes. vit. Pontif. in Silveſt. II*

(*h*) *Hieron. Fabri. Memor di Raven. p. 2. in Gerbert. f. 471. Card. Baron. ann. 1003. n. 5.*

(*i*) *Vid. ſup. 10. 1. ſecul. 10. c. 25 à n. 14.*

mòn propter timorem Regis, degradaverunt Arnulphum, & ordinaverunt Gerbertum &c. Cum magno itàque dedecore expelli juſſit Arnulphum de Eccleſiâ B. Mariæ Genitricis Remenſis, & ſic alligatum retrudi in carcerem Aurelianæ civitatis, ubi detinebatur Nepos ejus Carolus, manſit ibi annis tribus (*a*). Quis ergò credat, quòd à Patribus, in Conciliabulo Remenſi unà cum Rege conſiſtentibus, fuiſſet Archiepiſcopatu illo donatus Gerbertus, tanto intervallo indè extraneus; ſi neceſſarium cognoviſſent in Arnulpho, eſſe Remenſis urbis indigenam?

26. Porrò tàm Hugo Rex, quàm Epiſcopi, Remis congregati, apud Joannem Pontificem inſteterunt, ut Arnulphi depoſitionem, & Gerberti aſſumptionem auctoritate Apoſtolicâ confirmaret (*b*). Sed ipſe, ab Eriberto Epiſcopo Meldenſi, Arnulphi patruo, & Caroli Lotharingiæ Ducis fratre, vel, ut aliis placet, hujus ſocero (*c*), de omnibus certior factus, conſtantiſſimè recuſavit (*d*), miſſoque in Gallias Leone Abbate S. Bonifacii, Concilium Moſonienſe celebrari fecit (*e*), in quo, teſte Papyrio Maſone, *Gerbertus, qui exauctorato Arnulpho ſuffectus erat; patientiſſimè auditus eſt* (*f*). Indè eodem anno in Remenſi urbe aliam Synodum convocavit, cujus ſic meminit Appendix Aimoini, Præſul Romanus, *valdè indignatus ſuper hoc facto, interdixit Sacris omnibus Epiſcopis, qui Arnulphum dejecerant, & Gerbertum ordinaverunt. Miſit quoque Leonem Abbatem à Sede Apoſtolicâ ad Dominum Seguinum Archiepiſcopum urbis Senonicæ, qui vice ſuâ in urbe Remenſi Synodum congregaret, mandans illi, ut ſinè dilatione revocaret de carcere Arnulphum, & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio iteràm in urbe Remenſi, ex juſſione Apoſtolicâ, revocatus eſt Arnulphus de cuſtodiâ, & cum honore magno receptus in propriâ Sede, Gerbertus autem, intelligens quod injuſtè Pontificalem ſuſcepiſſet dignitatem, pœnitentiâ ductus eſt* (*g*).

27. Itàque Arnulphus fuit ſuæ Sedi honorificè reſtitutus, perorante pro eo, & cauſam illius ſtrenuè defendente, S. Ebbone Abbate Floriacenſi, atque Martyre, cum duobus aliis Abbatibus, ad hoc ſpecialitèr deputatis (*h*). Gerbertus autem à Remenſi Sede dejectus, paulò poſt ad Aulam Othonis III. Imperatoris tranſgreſſus, ejus operâ, & Theophaniæ illius matris, Archiepiſcopatum Ravennatenſem adepus eſt (*i*), ac paulò poſt etiam Summum Pontificatum eſt feliciter aſſecutus, ſub nomine Silveſtri PP. II. (*l*). Igitùr Arnulphus, tùm ab Eccleſiâ Remenſi, tùm à Laudunenſi erat extraneus, & tamen in hac ſtipendia Clericalia, & in illâ Pontificale beneficium accepit. Gerbertus paritèr, tam à Monaſterio Floriacenſi, quam à Bobienſi, atque ab Eccleſiis Remenſi, Ravennatenſi, & Romanâ, erat extraneus, & tamen hìc Monachatus, ibi Abbatiæ, alibi Archiepiſcapatus, & Papatus beneficia ſuſcepit. Joanneſque Papa, Otho Imperator, Hugo Rex Franciæ, Monachi Floriacenſes, & Bobienſes, Epiſcopi Conciliorum Remenſium, & alii, omnes, inquam, unâ voce, unoque voto deciſivo ſucclamant, extraneos quoque Clericos eccleſiaſticorum beneficiorum eſſe capaces.

28. *Arguunt quintodecimo* Contradictores ex *Concilio Pariſienſi*, habito anno Chriſti 1212. tempore Innocentii Papæ III. & Othonis IV. Imperatoris, regnante in Galliâ Philippo II. Cognomine Auguſto, in quo, intèr alia peregregiè ſtatuta, hic editus fuit canon: *Præstereà Capitulis Eccleſiarum Conventualium diſtrictè præcipimus, ut cum electionem Prælati facere debent, ſi in ſuo Collegio idoneum non invenerint, extrà eligant, & promoveant in Prælatum* (*m*). Cui conſonant, quæ pridem Nicolaus Papa II. in Concilio Romano conſtituerat, ſub his verbis, *eligant autem de ipſius Eccleſiæ gremio ſi reperitur idoneus, vel ſi de ipsâ non invenitur, ex aliâ aſſumatur* (*n*). Corroborant & id, ſancita paulò poſt in Concilio Lateranenſi IV. ſub his terminis, *ſtatuimus, ut ultrà tres menſes, Cathedralis, vel Regularis Eccleſia Prælato non vacet, infrà quos, juſto impedimento ceſſante, ſi electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerat, eligendi poteſtate careat eâ vice &c. Is verò, ad quem devoluta fuerit poteſtas &c. non differat &c. Eccleſiam de perſonâ idoneâ ipſius quidem Eccleſiæ, vel alterius, ſi digna non reperiatur in illâ,*

cano-

(a) *Eginhard. in Auctar. ap. Aimoin.*

(b) *Gerbert. in Concil. Remenſ. Baron. an. 991. n. 1.*

(c) *Aimoin. l. 5. c. 44 Foreſt. Map. Hiſtor. in Hugon. Capet. Reg. Franc.*

(d) *Baron. anno. 991. n. 1. & 992. n. 7.*

(e) *Concil. Moſonienſ. an. 995. Baron. an. 992. num. 7.*

(f) *Papyr. Maſſo l. 3 Annal. Franc.*

(g) *Aimoin de geſt. Francor. l. 5. c. 46.*

(h) *Glaber. & Sigebertus.*

(i) *Fabri Memorie di Ravenna part. 2. in Gerbert. f. 471.*

(l) *Ciacon. Platina Joannet. in Silveſtr. PP. II.*

(m) *Concil. Pariſ. ann. 1212. c. 17.*

(n) *Concil. Roman. ann. 1059.*

(a) *Concil. Lateran. 4. cap. 23.*

canonicè ordinare &c. (*a*). Jure ergò Concilii Pariſienſis, antecedente, & ſubſequente Romanorum Conciliorum auctoritate ſtipati, electio Prælati debet fieri de alumnis Eccleſię vacantis, inquiunt Contradictores: ergò etiam collatio inferiorum beneficiorum debet fieri alumnis Eccleſiæ vacantis, & ſic ſolis indigenis beneficia conferenda ſunt, extraneis ablegatis.

(b) *Vide hic infrà c. 12, 13, & 14*

29. Reſpondetur *primò*, huic Argumento, ſeù illius Aſſumpto, proùt ex ſacris Canonibus allegato, nos in Objectionibus Legalibus decem reſponſionibus ſolutionem daturos, quas videre benigum lectorem deprecamur, ut totam argumenti vim exinanitam reperiat, & rationem funditùs reſolutam (*b*). Hìc ſolum ergò opportunè adnotamus, neque Concilium Pariſienſe, neque Romanum ſub Nicolao II. fuiſſe Generalia, ſed particularia, & idcircò nunquàm feciſſe, neque nùnc facere legem communem, & ſic, quidquid ipſa decreverint, nihil ad nos, qui particularium legum vinculis non ligamur. Sed quatenùs etiam feciſſent legem communem, prout facit Concilium Lateranenſe IV. ſuperiùs memoratum; dicimus hujuſmodi ſanctiones, ſivè ſanctionem, quoàd electionem beneficiarii de gremio Eccleſiæ vacantis non eſſe præceptivam, & neceſſariò adimplendam, ſed ſolummodò directivam, & conſultivam, ac non niſi de congruo, & honeſtate obſervandam: quod probamus ex ipſo decreto Concilii Lateranenſis, in corpore Juris relato (*c*), ubi Gloſſa, ponderans illud verbum, *ipſius*, dicit: *Hìc præcipitur, ut de eâdem Eccleſiâ eligat, ſed nonnè ad Metropolitanum devolvitur idem jus, quod habuit Capitulum? ſed Capitulum potuit eligere undecumque vellet, ſupr. eod. cum inter Canonicos, & c. cum nobis, & c. in cauſis; ergò & Metropolitanus. Dico, quod primò debet inquirere perſonas Eccleſiæ vacantis, & eligere de gremio ipſius Eccleſiæ, & illud debuit fieri per illa jura 61. diſt. c. obitum, & c. nullus, & 18. qu. 2. quam ſit. Sed ſi hoc non fecerit, nihilominùs valebit electio &c. & nuſquam invenies, quod per hoc caſſetur electio* (*d*).

(c) *Cap. Nè pro defectu 4. de elect.*

(d) *Gloſ. in capit. ne pro defectu V. ipſius 41. de elect.*

30. Reſpondetur *ſecundò*, Concilium Romanum ſub Nicolao Papâ II. ex adverſo allegatum, diſponere de electione Summi Pontificis; Pariſienſe verò, & Lateranenſe decernere de electione Præſulum inferiorum: certum eſt autem, non majoris eſſe ponderis, nec majorem involuere obligationem, decreta Conciliaria, quæ præſcribunt modum tenendum in electione Pręſulum inferiorum, quam illa, quę dant formam, in electione Summi Pontificis obſervandam. Et quidem electionem Papę de gremio Romanæ Eccleſiæ fieri debere, ſancivit Concilium Romanum prǫmemoratum, hoc modo: *quià verò Sedes Apoſtolica cunctis in orbe terrarum præfertur Eccleſiis, atque ideò ſuper ſè Metropolitanum habere non poteſt; Cardinales Epiſcopi proculdubiò Metropolitani vice funguntur, qui videlicèt electum Epiſcopum ad Apoſtolici culminis apicem provehant. Eligatur autem de ipſius Eccleſię gremio ſi reperitur idoneus, vel ſi de ipſâ non invenitur, ex aliâ aſſumatur* (*e*). Aliud quoque Concilium Romanum, ſub Stephano Papâ III. celebratum, hæc edixit: *Oportebat, ut hæc Sacroſanta Romana Eccleſia (juxtà quod à Beato Petro, & ejus Succeſſoribus, inſtitutum eſt) ritè ordinaretur, & in Apoſtolatus culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis conſecraretur* (*f*). Tuncque, inquit Anaſtaſius, *tùnc allatis ſacratiſſimis Canonibus, eiſque liquidè perſcrutatis, prolata eſt ſententia ab eodem Sacerdotali Concilio, ſub anathematis interdicto, ne ullus unquam laicorum, neque ex alio ordine, niſi per diſtinctos gradus aſcendens, Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad ſacrum Pontificatus honorem poſſit promoveri* (*g*). At quamvis adeò inſiſtentèr hìc paſſiva electio Pontificis coarctetur ad ſolos Presbyteros, vel Diaconos Cardinales de gremio Romanæ Eccleſię; electio tamen extranei in Summum Pontificem ſuſtinetur: itàut ſanctio illa ſit directiva, non præceptiva.

(e) *Concil. Later. ſub Nicol. Papa II. cap. in nomine Domini diſt. 23.*

(f) *Conc. Rom. ſub Steph. 3. act. 3. capit. oportebat 3. diſt. 79.*

(g) *Anaſt. Biblioth. in Steph. 2. alias 3.*

31. Etquidem, eligi poſſe in Summum Pontificem Clericum, qui non ſit de Cardinalium Collegio, docet ex Theologis Soto, ità loquens: *Nunquàm rumorem illum perſuadere mihi potui, videlicèt ſtatutum illis* (Cardinalibus) *eſſe, non poſſe*

deli-

Digitized by Google

deligere, niſi ex ſuo gremio, & tandèm ab ipſis Dominis Cardinalibus audivi falſum eſſe (*a*). Pariter Svarez hàc de rè, ità effatur. *Crediderim ſi aliquis extrà Collegium Cardinalium legitimè eligeretur, electionem fore ratam, & firmam, quià non video, quo jure ità revocata ſit electio paſſiva ad perſonas Cardinalium, ut aliàs nulla ſit habenda* (*b*). Ex Canoniſtis verò Decius (*c*), ac ante illum Abbas, hæc habens: *Nota quartò caſum, in quo removetur omnis exceptio: contrà electum ergò à duabus partibus non poterit opponi, quod non ſit de Collegio Cardinalium, licèt aliud jura antiqua viderentur innuere, ut in cap. oportebat 79. diſt. & cap. ſolet* (*d*). Eandem opinionem tenent Iſidorus Moſconius (*e*), Joannes Azorius (*f*), Auguſtinus Barboſa (*g*), cum aliis. Sed & ipſe textus capituli in nomine Domini 1. diſt. 23. admittit ad Papatum extraneos. Quodque textus, & Doctores admittunt, comprobatur ex factis: Si quidèm pluriès viri extranei ad Summum Pontificatum electi ſunt. Eugenius III. è Piſis in Etruriâ, ex ſimplici Abbate ordinis Clarevallenſis, Pontifex factus eſt (*h*). Cœleſtinus V. Iſernienſis in Samnio, ex ſimplici Eremitâ, thronum Pontificium aſcendit (*i*). Clemens II. ex Epiſcopo Bambergenſi, Teutonicus, tiaram induit Apoſtolicam (*l*). Silveſter II. Aquitanus, ex Archiepiſcopo Ravennate, clavibus Petri manum appoſuit (*m*). Leo IX. Burgundus, ex Epiſcopo Tullenſi, ad Papatum provectus eſt (*n*). Clemens V. Aquitanus, ex Archiepiſcopo Burdigalenſi, in Summum Pontificem mutatus eſt (*o*). Urbanus IV. Trecenſis Gallus, ex Patriarchâ Hieroſolymitano, eſt Pontificium ordinem aſſecutus (*p*). Gregorius X. Inſuber, vel ut aliis placet, Belga, ex Archidiaconatu Leodienſi, in Pontificalem Cathedram eſt locatus (*q*). Urbanus VI. ex Archiepiſcopo Barenſi, eſt in Vaticanâ Cathedrâ collocatus. Hi profectò cum eſſent extranei à cętu Collegii Apoſtolici, ſive extrà gremium Romanę Eccleſiæ, culmen nihilominùs Primatus Pontificii nacti ſunt, de quibus idem Iſidorus Moſconius ità effatur: *Præferendus eſt unus de numero Cardinalium, cæteris non Cardinalibus, quià Cardinalium ſtatùs judicatur aptior, & peritior in regimine Eccleſiæ, ex quo in illo verſati ſunt, & de omnibus negotiis ſunt effecti certiores, & in eorum executione qualitèr ſit procedendum ſunt experti, necnon quià dignitas illa majorem diſpoſitionem in omnibus ad Papatum oſtendit, & illi magis adhæret: proptereà in omnibus aliis anteponendi ſunt ex debito honeſtatis: ex debito autèm conſilii non repellendus, qui dignior, & aptior extrà Collegium reperiretur ex Flor. in d. cap. 2. §. 7. & Sot. qu. 6. art. 2.* (*r*). Si ergò, non obſtantibus præceptis Conciliaribus, & Canonicis, eligibilitatem Summi Pontificis ad Presbyteros, & Diaconos Cardinales de gremio Romanæ Eccleſiæ coarctantibus, poteſt, & potuit toties ritè, ac licitè eligi in Pontificem extraneus; multò minùs decreta Conciliaria, & Canonica, eligibilitatem ad inferiora beneficia adſcribentia Clericis de gremio Eccleſiæ, tanti erunt ponderis, ut non poſſit ad illa provehi extraneus.

32. Nèc dicatur, electos fuiſſe in Papas dictos extraneos, quià tùnc in Sacro Collegio deerant idonei, *ex quâ ſolâ cauſâ*, inquit Chriſtianus Lupus, *Canones permittunt Epiſcopum eligi ex alienâ Eccleſiâ* (*s*): Ità enim & cum Benedictus VIII. Joannes XX. & Gregorius VI. tricipitis Schiſmatis auctores, ab Henrico II. Imperatore dejecti ſunt, atque in Petri Sede locatus Svidgerus Saxo Epiſcopus Bambergenſis, Clementis Papę II. nomine accepto (*t*); Id factum eſſe tradit Leo Oſtienſis, quià *poſt factam diligentem inquiſitionem, nullus alius tanto munere, & officio dignus inventus eſt* (*u*). Cui conſonat Deſiderius Caſinenſis, hoc aſſerens eveniſſe, *quià in Romanâ Eccleſiâ non erat tùnc talis reperta perſona, quæ dignè poſſet ad tanti honorem ſufficere Sacerdotii* (*x*). Non inquam id dicatur, quià hoc objecticulum jam ſatis per ea, quæ accommodè ad præſentem rem ſuperiùs allegavimus, evaneſcit, cum ex D. Petro Damiani evidentèr conſtet oppoſitum (*y*). Et omiſſo quod videtur, utrumque hunc Auctorem nimium detuliſſe Cæſari, Gregorium deiicienti, non quà illicitè aſſumptum, ſed quà ſinè Imperiali aſſenſu provectum (*z*), oportet ipſos hallucinatos eſſe; quippè incredibile eſt in tantâ Eccleſiâ, qualis eſt Romana, nullum fuiſſe

(a) *Soto de inſtit. & jur. l. 3. qu. 6. art. 2.*

(b) *Svarez de fide diſput 10. ſect. 5. n. 19*

(c) *Decius in c. licet n. 11. de election.*

(d) *Abbas in c. licet 6 n. 4. de elect.*

(e) *Moſcon de Majeſt. milit. Eccl. l. 1. c. 3*

(f) *Joan. Azorius inſt. moral to. 2. l. 4. c. 5. q 6.*

(g) *Barboſ in capit. oporteat n. 1. diſt 69.*

(h) *Ciacon & Platiu. in Eugen 3.*

(i) *Binius Joannet. & alii in Cæleſt V.*

(l) *Platiu. & Foreſt. Map. Hiſt. in Clem. II.*

(m) *Hieron. Fabri Memor. di Ravenna Ciacon. & alii in Silveſtr. II.*

(n) *Card. Baron. an. 1049. num. 1. Binius in Leon. IX.*

(o) *Raynal. an. 1305 n. 5 Ciacon. in Clem. V.*

(p) *Raynal. an. 1261 num. 7. & 8. Binius in Urban. IV.*

(q) *Joannes Platin. Foreſt. in Greg. X. Raynald. ann. 1271. nu. 7. 9.*

(r) *Moſcon. de Majeſt. milit. Eccl. l. 1. c. 3. § præferendus*

(s) *Chriſtian. Lupus in Concil. Sutrin.*

(t) *Card. Baron. ann. 1046. n. 1. 2. 3. Binius, & Ciacon in Clem. II.*

(u) *Leo Oſtienſ. in Chron. Caſſin. l. 2. c. 78. alias 80.*

(x) *Vide ſuprà to. 2 Sæcul. XI. cap 28. n 8. & 9, & cap. 29. n. 6.*

(y) *Deſider. Caſſinenſ. l. 3. Dialog.*

(z) *Foreſt. Map. hiſt. in Greg. VI f. 444. n 4.*

Digitized by Google

indigenam, nullum extraneum illius Corpori inſertum, Tiarâ Petri dignum, quandò Clemens II. ad Romani Pontificatus apicem convolavit. Niſi dicamus, quod uterque Auctor, aſſerendo, nullum tùnc adfuiſſe in Romanâ Eccleſiâ *dignum* Pontificatu, per ly dignum, intellexerit *opportunum*: quatenùs, cum tunc Sacrum Cardinalium Collegium ex paucorum hominum numero conſtaret, nullus erat intèr eos, qui eſſet opportunus contingentiis illorum temporum, tametſi alioquin non deeſſent, qui extrà illas rerum circumſtantias fuiſſent Pontificali Tiarâ meritiſſimi, prout defacto aliqui ſucceſſivè illam adepti ſunt. In reliquis generaliter loquendo, & extrà caſum præfatum, nos putamus, copiam potiùs, quàm inopiam Cardinalium, Sacro Camauro dignorum, difficultatem electionis de illorum gremio produxiſſe, quandò ad extraneos eſt concurſum: & impoſſibile remur, ſaltèm phiſicè, poſſe, vel potuiſſe unquàm dari caſum, quod in toto Eccleſiæ Romanę Corpore nullus ſit Pontificali dignus honore, quidquid ſit de opportuno, hocque juſtiori ratione verum eſſe cenſemus, quam id crediderit impoſſibile in Eccleſiâ Senonenſi Nicolaus Papa I. pro adipiſcendo illius Sedis Præſulatu, cum ſcripſit, *quod de Eccleſię Senonenſis Clericis, qui ordinaretur, nullus dignus inventus eſt, eveniſſe non credimus &c. maximè cum ſit Metropolis, & Clericorum numeroſitate non careat* (*a*).

(a) *Nicol Papa I. ep. 54. ap. Sirmond. Conc. Gall. tom. 3. f. 273.*

33. Sed quamvis, per hypotheſim, defuiſſent de Romanæ Eccleſiæ gremio, ſeu de Sacro Cardinalium Collegio Presbyteri, & Diaconi idonei, qui Apoſtolicis infulis inſignirentur, quando Clemens II. Cœleſtinus V. Leo IX. Urbanus IV. Gregorius X. & alii alienigenę, ſuperiùs recenſiti, in Summos Pontifices electi ſunt; certè extrà Collegium Cardinalium, in toto gremio, ſeu corpore Romanæ Urbis, ejuſque Diœceſis, non deerant Parochi, Canonici, Clerici, Monachi, Abbates, aliique viri Eccleſiaſtici, tantæ dignitatis capaces. Et ſi etiam in toto Clero nullus adfuiſſet idoneus; aderant certè tamèn laici digni, & digniſſimi, quos oportuiſſet Clericis extraneis præferre, ſi eligibilitas fuiſſet neceſſariò limitata ad indigenas, uti alibi non ſemèl oſtendimus, & hìc breviter perſuademus canone Concilii Ticinenſis, pręcipiente, ut ex plebe loci Eccleſiæ vacantis ſuſcipiatur promovendus, antequàm ad id extraneus deligatur: *Si autem*, inquit, *in ipsâ plebe talis inveniri non potuerit, qui illud opus competentèr peragere poſſit; tùnc Epiſcopus de ſuis, quem idoneum judicaverit, inibi conſtituat* (*b*), ſi enim ibi prò *plebe* velit intelligi populus loci, quem laici componunt (& ſi vox illa potiùs alium referat ſonum) habebimus, provehendos fuiſſe laicos in deficientiâ Clericorum. Verùm & laicis Romanis, & viris eccleſiaſticis, extrà Collegium Apoſtolicum conſtitutis, & ipſis Cardinalibus ex corpore Collegii prætermiſſis; extranei præfati ad Summum Pontificatum promoti ſunt, quià forma electionis de gremio illius Eccleſiæ, à memoratis canonibus conſtituta, nunquàm cenſita eſt præceptiva, ſed merè directiva; non neceſſitatem continens, ſed ſolam honeſtatem involuens; juxtà circumſtantias locorum, perſonarum, & temporum regulandam. Itàque ſi electio de gremio Eccleſiæ non eſt indiſpenſabilitèr obſervanda in promotione ad Papatum, multò minùs erit neceſſaria in provectione ad Rectorias inferiores, & ad beneficia merè ſimplicia: ſicque ſi Belgis, Gallis, Burgundis, Neapolitanis, Teutonicis, Aquitanis, Samnitibus, & Etruſcis, univerſis tandèm omnium Urbium, & Oppidorum Clericis, patet acceſſus ad Summum Pontificatum, licèt ſint à Romanâ Eccleſiâ extranei, & nullo modo ejuſdem corpori inſerti; multò fortiùs eis patere debet acceſſus ad inferioris ordinis beneficia. Cumque Canones, & Concilia, electionem de gremio Eccleſię, ſive pro Romanâ Eccleſiâ, ſive pro aliis præſcribentia, ad arcendos extraneos non ſufficiant, ſemper in ſuâ veritate ſubſiſtit, quod liberum eſt Eccleſiæ Clericis etiam extraneis ſua committere beneficia.

(b) *Concil. Ticinenſe cap. 4.*

34. *Arguunt* Sextodecimo Contradictores *ex Concilio Tridentino*, celebrato ab anno Chriſti 1545. ad 1563. tempore Pauli III. Julii III. & Pii IV. Pontificum, atque Caroli V. & Ferdinandi I. Imperatorum. In eo, intèr alia ſalutaria ſacrę diſci-

ſciplinæ decreta, hoc legitur conſtitutum: *cum nullus debeat ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſiis; Sancta Synodus, veſtigiis ſexti canonis Concilii Chalcedonenſis inhærendo, ſtatuit, ut nullus inpoſterùm ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate, aut utilitate aſſumitur, non aſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quod ſi locum, inconſulto Epiſcopo, deſerverit, ei ſacrorum exercitium interdicatur* (a). Ideò autem affigendi ſunt Clerici ſervitio alicujus Eccleſiæ, ut illi deſerviant, & prò mercede ſui laboris, ſtipendia ex bonis eccleſiaſticis conſequantur, nempè prębendas, & beneficia eccleſiaſtica adipiſcantur. Si ergò hæc debent Clericis, qui deſerviunt ſuis Eccleſiis, ſeu titulis conferri; jam ab eis extranei repelluntur, utpotè qui alibi commorantes, nec ſunt affixi, nec deſerviunt Eccleſiis, à quibus ſunt extranei: ſicque beneficia eccleſiaſtica non extraneis, ſed ſolis ſunt indigenis conferenda.

35. Reſpondetur *primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod Concilium Tridentinum diſponat de beneficiis eccleſiaſticis: loquitur enim non de beneficiis, ſed de ordinibus ſuſcipiendis, quod patet evidentèr ex Concilio Chalcedonenſi, ab eo citato, ſic edicente: *neminem abſolutè ordinari jubemus Presbyterum, neque Diaconum, nec quemlibet in eccleſiaſticâ ordinatione conſtitutum, niſi manifeſtè in Eccleſiâ ſuæ Civitatis, ſive poſſeſſionis, aut in Martyrio, aut in Monaſterio, hic, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicæ vocabulum. Eos autèm, qui abſolutè ordinantur, decrevit Sancta Synodus vacuam habere manus impoſitionem* (b). Concilium, inquam, Chalcedonenſe loquitur de ordinum, non de beneficium ſuſceptione: cumque idem non ſit ſacros ordines, & beneficia nanciſci; patet, quod nec decretum Tridentini, ex adverſo allegatum, neque canon Chalcedonenſis, quidquam juvat opinionem Contradictorum ad extraneos à beneficiis eccleſiaſticis repellendos.

36. Reſpondetur *ſecundò*, retorquendo argumentum. Nàm olim etiam laici extranei poterant alibi abſolutè ad ordines promoveri, uti ſuprà ex Sanctis Patribus luculentèr oſtendimus (c), ità S. Martinus Turonenſis (d), S. Auguſtinus Hipponenſis (e), S. Paulinus Nolanus (f), S. Fulgentius Ruſpenſis (g), S. Florianus Hiſpalenſis (h), Clemens Alexandrinus (i), Origenes (l), Paulinianus (m), & alii, cum adhùc laici eſſent, extrà patriam fuerunt ſacris ordinibus inſigniti. Sed & nùnc etiam, tam Laici, quam Clerici, poſſunt, de conſenſu propriorum Epiſcoporum, extrà ſuam Diœceſim ſacris ordinibus inſigniri, & admiſſi ad eos, aſſignatis titulis, ſeu ſervitio determinatarum Eccleſiarum affiguntur: ſi ergò idem eſſe contendatur, ordines, & beneficia nanciſci; jam ex ipſo Contradictorum aſſumpto convincitur, poſſe quemlibet extraneum, ſaltèm proprio annuente Epiſcopo, extrà nativam patriam beneficiis eccleſiaſticis munerari. Accedit quod tam à Concilio Tridentino (n), quam à Chalcedonenſi (o), admittuntur ordinationes Clericorum ad titulum proprii Patrimonii; hique ſic promoti, affiguntur quidêm ſervitio alicujus determinatæ Eccleſiæ (p), ſed ab eâ ſtipendia clericalia, ſeu beneficia eccleſiaſtica non percipiunt. Quarè affixio ad ſervitium alicujus Eccleſiæ, nec infert debitum conferendi Clericis eccleſiaſtica beneficia, nec probat eorum collationem limitari potius ad indigenas, quam ad extraneos; maximè cum infiniti ſint in cunctis orbis Eccleſiis ſic promoti, Eccleſiis determinatis affixi, & tamèn nullo beneficio eccleſiaſtico decorati.

37. Reſpondetur *tertiò*, perperàm à Contradictoribus, ex prąallegato canone, ſenſum Concilii Tridentini expiſcari, nec opus eſſe à conſimilium textuum obſcuritate, apertum ejus ſenſum circà formam diſtribuendi eccleſiaſtica beneficia, velut eliquamen quoddam exprimere, quando nos de illo ex propoſito agentes, cujuſnam mentis fuerit Concilium ipſum clariſſimis ejus dictis, & factis poſuimus in propatulo: Illùc lectorem remittimus, nec hìc, quæ ſemel ibi diximus, iteratâ vice loquamur (q). Et interim brevitèr examinamus rationem, ob quam promoti ad

(a) *Conc. Trident. ſeſ.23.de refor.c.16.*

(b) *Concil.Chalced. cap.6.*

(c) *Vide ſuprà to.2. Sæcul.5.c.9.à.n.2, & à num.26.*

(d) *Vide ſuprà to.1. Sæcul.4.c.8.n.4.*

(e) *Vide ſuprà loco citato num.7*

(f) *S. Paulin. Nolanus epiſt.23*

(g) *Vita S. Fulgent. cap.15.ap Surium.*

(h) *Jo.Gualt Chron. Chronicor.in Archiepiſc.Mediolan.n 27*

(i) *Vide ſuprà to.1. Sæcul.2.c.3.n.25.*

(l) *Thomaſſin.vet.& nova Eccl.diſc.p.2.l.1. cap.1 num 10*

(m) *Idem par.2.l.1 cap.1.n 9 ſ locus*

(n) *Concil. Trid ſeſ. 21.cap.2,*

(o) *Conc. Chalc.c.6. relat.in c.neminem,& ibi Gloſ.V. poſſeſſionis diſt.70.*

(p) *Barboſ.ad Conc. Trid ſeſ.23.c.16.n.3.*

(q) *Vide ſuprà to. 2 ſec.16.c.5.à num.31.*

Digitized by Google

Sacros Ordines, ſervitio alicujus Eccleſiæ peculiaritèr affiguntur. Antiquiſſimus eſt iſte mos in Eccleſiâ, cum Concilium Arelatenſe I. anno Chriſti 314. celebratum, ejuſdem hanc faciat honorato eloquio mentionem: *de his, qui in quibuſdam locis ordinati fuerint miniſtri, in ipſis locis perſeverent* (a). Et infrà, *de Presbyteris, aut Diaconibus, qui ſolent dimittere loca ſua, in quibus ordinati ſunt, & ad alia loca ſe transferunt, placuit, ut his locis miniſtrent, quibus præfixi ſunt. Qui, ſi relictis locis ſuis, ad alium locum ſe transferre voluerint, deponatur* (b). Secutum eſt Concilium Nicænum I. anno Chriſti 325. ſic decernens: *quicumque temerè, aut periculosè, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoſcentes eccleſiaſticam regulam, diſcedunt ab Eccleſiâ, Presbyteri, aut Diaconi, vel qui ſub regulâ prorsùs exiſtunt, hi nequaquàm debent in aliam Eccleſiam recipi, ſed omnem neceſſitatem convenit illis imponi, ut ad ſuas parœcias revertantur. Quod ſi non fecerint, oportet eos communione privari* (c).

38. Acceſſit Concilium Chalcedonenſe anno 451. canonem edens, quem hìc paulò antè retulimus (*d*). Poſt hoc invenitur Concilium Hiſpalenſe II. habitum anno 619. quod ſic ſtatuit: *Ad nos oblata præcatio eſt à reverendiſſimo fratre noſtro Cambrane Italicenſi Epiſcopo, prò quodam Clerico Iſpaſſando, qui deſerens Eccleſiæ cultum ſuæ, in quâ dicatus ab exordiis infantiæ ſuæ fuerat, ad Eccleſiam Cordubenſem ſe contulit, quem elegimus, ut ſi nihil proponeretur de eo, citrà dilationis objecta proprio reformaretur Epiſcopo. Scribitur enim in lege mundiali de colonis agrorum, ut ubi eſſe jàm quiſque cœpit, ibi perduret. Non alitèr & de Clericis, qui in agro Eccleſiæ operantur canonum decreto præcipitur, niſi ut ibi permaneant, ubi cœperunt. Ideòque placuit, ut ſi quis Clericus, miniſteriis propriæ Eccleſiæ deſtitutis, ad aliam tranſitum fecerit, compellente ad quem fuerit Sacerdote, ad Eccleſiam, quam priùs incoluerat, remittatur: qui verò eum ſuſceperit, nec ſtatìm ſinè ullo nixu exceptionis, ad propriam Eccleſiam remittendum elegerit: quandiù eum reſtituat, communione ſe privatum agnoſcat. Deſertorem autem Clericum cingulo honoris, atque Ordinis ſui exutum, aliquo tempore Monaſterio delegari convenit, ſicque poſteà in miniſterio eccleſiaſtici ordinis revocari* (e).

39. In Conciliis paritèr, quæ in Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii allegantur, ſic decernitur: *Itèm in eodem Concilio, ut nullus abſolutè ordinetur, & ſinè pronuntiatione ſtabilitatis loci, ad quem ordinatur* (*f*): & infrà, *Clericum permanere oportet in Eccleſiâ, cui ab initio ab Epiſcopo prætitulatus eſt, & revocari debere ſtatuimus, in quâ primitùs ordinatus eſt, & ibi tantummodò miniſtrare. Si quis hanc definitionem tranſgreſſus fuerit, decrevit S. Synodus è proprio gradu excidere* (*g*). In Concilio Claromontano, habito anno Chriſti 1095. brevitèr definitur, *ut omnis Clericus ad eum titulum, ad quem primùm ordinatus eſt, ſemper ordinetur* (*h*). Conſonant alia Concilia, & præſertìm Turonenſe III. (*i*), Francfordienſe (*l*), Vveſtmonaſterienſe (*m*), Meldenſe (*n*). Conſonant epiſtolę Sancti Leonis (*o*), S. Auguſtini (*p*), & Sancti Hieronymi (*q*). Conſonant tandèm & alii canones, quorum quandam anacephalæoſim conſerit Concilium Triburienſe (*r*). Ratio autem, quarè tranſmigratio Clericis interdicitur ad alias Eccleſias, ab eis, quibus primò affixi ſunt; non eſt, quià ad promerenda ſacra beneficia, ſeù eccleſiaſtica ſtipendia, debeant inibi deſervire, & apud Eccleſiam ſibi adſcriptam perſonalitèr reſidere, ſed primò quià ſapit negotiationem, de minori ad majorem Eccleſiam tranſitum facere, nàm ut benè advertit Concilium Sardicenſe, *nullus in hac rè inventus eſt, qui de majori Civitate ad minorem tranſiret: Undè apparet avaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni ſervire* (*s*). Secundò quià intèr Clericum, & Eccleſiam intervenit ſpirituale conjugium (*t*), quod in Clericis inferioribus dicitur quaſi matrimonium ſpirituale (*u*). Et ſicut carnale matrimonium eſt indiſſolubile, ut non poſſit ſponſus uxorem ſemèl acceptam dimittere, ſic præſtat Eccleſiam ſemèl à Clerico adeptam, ab ipſomet non relinqui (*x*). Tertiò quià ad ſacræ diſciplinæ rectum ordinem pertinet, ut Clerici locum habeant, quemadmodùm

(a) Concil. Arelatenſe I. c. 2.
(b) Concil. Arelatenſ. I. c. 22.
(c) Conc. Nicæn. I. cap. 16.
(d) Concil. Chalcedon. c. 6.
(e) Concil. Hiſpalenſ. II. c. 3.
(f) Capitular. lib. 1. cap. 26.
(g) Ibidem lib. 2. cap. 28.
(h) Concil. Claromontan. cap. 13.
(i) Concil. Turonenſ. III cap. 14.
(l) Concil. Francford. c. 28.
(m) Concil. Veſtmonaſt. c. 8.
(n) Concil. Meldenſe cap. 30.
(o) S. Leo. I. ep. 84. cap 8.
(p) S. Auguſt. ep. 140 & 141.
(q) S Hieron. ep. 83. ad Oceanum.
(r) Concil. Triburienſ. c 28.
(s) Concil. Sardicenſ. cap. 1.
(t) C. etſi unanimitèr 3 de poſtul prælat.
(u) Gloſ. in d cap. etſi unanimitèr & ibi Abbas de poſt. prel.
(x) S. Hieron. ep. 83. ad Ocean.

dùm loquitur Concilium Tridentinum, *ubi ſuis fungantur muneribus, nec incertis vagentur ſedibus* (a). Quæ omnia cum reſpectivè nihil, vel parum commune habeant cum eccleſiaſticis beneficiis; & verificari poſſint tàm in extraneo, quàm in indigenâ; concurrereque valeant non minùs in Clerico beneficiato, quàm in promoto ad ſolum titulum proprii patrimonii; ſequitur quod debitum affigendi Clericum ſervitio alicujus Eccleſiæ non probat debitum excludendi Viros extraneos à beneficiis eccleſiaſticis conſequendis.

(a) *Concil. Trid. ſeſſ.23.cap.16.*

40. Reſpondetur *quartò* iterùm negando aliud ſuppoſitum, nempè quod per ly *adſcribatur* Concilii Tridentini, ſuper quo ſit vis Objectionis, intelligatur onus reſidendi, quotidianè miniſtrandi, & inibi ſub quâdam inſolubili captivitate degendi, Clericis ordinatis injectum: hoc enim non ſubſiſtit in facto: ſed quià Eccleſiæ, ut ex Baronio deducit Thomaſſinus, olim *proptereà Tituli dicebantur, quod Presbyteri, penès quos earum cura erat, titulum indè ducerent, & nomen*; hinc alicui Eccleſię *adſcribi*, videtur idem eſſe ac *intitulari* (b), eâ quodammodò formâ (etſi alioquin valdè diſpari) quà Domini Cardinales S. Romanæ Eccleſiæ ſunt intitulati, affixi, aſſignati, & adſcripti quibuſdam Eccleſiis Presbyteralibus, & Diaconalibus, à quibus nullos percipere ſolent fructus, ſed tantùmmodò ab eis denominantur, denotantur, & diſtinguuntur, illiſque præſunt, ut poſſint, ſi velint, ibi ſuis fungi muneribus, & exercere officium, & juriſdictionem ſimilem Epiſcopali (c); abſque eo quod teneantur ibidem perſonalitèr reſidere, & miniſtrare: undè egregiè de affixione Clericorum ſervitio alicujus Eccleſię, ità diſſerit Bail: *Non itàque videtur juris eſſe Divini ſic Clericos ad certos titulos ordinari, ut iis totâ vitâ compedes injecti videantur ad vivendum miſerè cum tædio ſuæ ordinationis: Sed Epiſcoporum eſt de iis ſtatuere, habitâ ratione locorum, ac temporum, & cum decore ſtatus Sacerdotalis, non ſic alligando Presbyteros loco ſuæ nativitatis* (d). Igitur ex debito affixionis Clericorum ſervitio alicujus Eccleſię nihil omninò probatur, quod extraneos à beneficiis, atque à præbendis ſacris excludat.

(b) *De quâ rè vid. Gloſs. in cap. dudum 54. V. intitulatum de elect.*

(c) *Thomaſ. del Bene de immunit. cap. 4. dub. 9. n. 6. Fagnan. in cap. 2. de major. & obed. n. 15. Card. de Luca de juriſd. diſc. 34. num. 11.*

(d) *Ludovic. Bail. Sum. Concil. to. 2. ad can 6. Concil. Chalced.*

41. Reſpondetur *quintò*, denuò negando aliud ſuppoſitum, nempè quod affixio, ſeù adſcriptio Clerici ſervitio alicujus Eccleſiæ, ſit ex debito, ſeù ex neceſſitate facienda. Eam namque dicimus non præceptivè, ſed ſolum directivè præſcribi, hocque colligimus ex Tridentino, nullam pœnam definiente, ſi hujuſmodi affixio prætermittatur: quamvis poſt adſcriptionem jam factam ſuſpenſio intentetur *locum inconſulto Epiſcopo deſerentibus* (e). Sanè olim, teſte Cabaſutio, *Clerici &c. non inſerebantur Canonì, ſeù albo miniſtrorum ejus Eccleſiæ, in quâ ordinabantur, niſi ſe inſeri conſentirent, ità ut libertas eis relinqueretur aliò commigrandi, ut conſtat ex Paulini Epiſtolis 6. & 45.* (f). Nùnc quoque præfata adſcriptio fieri quidem debet, ſed debet fieri in ipsâ promotione ad ordines (g): Talitèr ut ſi omninò prętermittatur, nullâ pœnâ canonicâ, tàm Ordinatus, quàm Ordinans adſtringantur. Imò ſi adſcriptio prælibata in actu promotionis fuerit omiſſa, poſt ſuſceptos ordines ampliùs fieri non poteſt, & ità decreviſſe Sacram Congregationem Concilii memorant Garcias de beneficiis (h), & Barboſa in ſuis Collectaneis (i). Quapropter hìnc apertè convincitur, ipſam affixionem non eſſe prçceptivam, & de neceſſitate, ſed directivam, & de merâ honeſtate.

(e) *Concil. Trident. ſeſ. 23. c. 16. de reform.*

(f) *Cabaſut. ad Concil. Laodicen. c. 15. in fin.*

(g) *Barboſ. ad Concil. Trid. ſeſ. 23. c. 16. num. 2.*

(h) *Garcia de Benef. p. 2 c. 5. n. 101.*

(i) *Barboſ. ſum. Apoſt. deciſ. Collectan. 45. n. 3*

42. Neque hæc eſt nova aliqua diſciplina, vel moderna canonum relaxatio, ſed methodus antiqua, totius Eccleſiæ praxi conformis. Nunquid enim non inveniuntur in eccleſiaſticis monumentis & Clerici, & Epiſcopi nulli particulari Eccleſiæ defixi? S. Gregorius Nazianzenus ad Presbyteratum in Eccleſiâ Nazianzenâ promotus, ab eâ ſtatim diſceſſit, & in Ponti ſolitudinem ſe recepit: *Genitor*, inquit de sè ipſo, *per vim ſecundis collocat me in ſedibus, quę mihi tyrannis tàm gravis menti fuit, ut mox ſodales, mox parentes, & meos, mox & propinquos deſerens, patriam, & larem, ut ſævo aſili ſpiculo puncti boves, in Pontum abirem, pellerem ut curas graves* (l). S. Paulinus Nolanus Barcinone Sacerdotio inſignitus, eidem Eccleſię noluit alligari (m). S. Hieronymus Antiochię ad Presbyteratum promo-

(l) *S. Gregor. Nazianz. carm. de vit ſua.*

(m) *S. Paulin. ep. 6. ad Sever. vid. ſupr. hic tom. 1. Sæcul. V. c. 9 à n 26.*

tus

tus, determinatam cujuſcumque Eccleſiæ repulit affixionem (*a*). Nepotianus Presbyteratu in ſuâ Eccleſiâ ſuſcepto, ab aliorum oculis avolavit (*b*). Origenes nulli Eccleſię fuit affixus (*c*). Paulinianus frater S. Hieronymi, fuit ab hoc ipſo onere exemptus (*d*). Alios conſimili modo ſe gerentes, legere eſt in Hiſtoriis. Concilium Lateranenſe memorat Archidiaconum, præbendâ carentem (*e*). In Concilio Antiocheno ſit mentio Epiſcoporum vacantium (*f*). Sozomenus recenſet tres Monachos Barſen, Eulogium, & Lazarum, Epiſcopali unctione honorariè, ac ſinè Sede perfuſos, qui *creabantur*, inquit, *Epiſcopi non Vrbis alicujus, ſed honoris causâ, qui veluti vitæ præanteactę compenſatio in propriis Monaſteriis illis deferebatur* (*g*). In Monaſterio S. Dionyſii Pariſienſis, ſemper eſſe ſolebat Monachus Epiſcopali charactere inſignitus, ſed Sede carens (*h*). Sampſonem Epiſcopum honorificè ſolum eâ dignitate decoratum, nullique Sedi affixum legere eſt apud Hiſtoricos (*i*). Balſamon fuit Epiſcopus merè titularis Antiochiæ (*l*). Infiniti alii Epiſcopi creabantur olìm, & creantur quotidiè, ſolo titulo tales, de quibus etiam fit mentio in Conciliis Ancyrano (*m*), Viennenſi (*n*), Ravennatenſi (*o*), Vernenſi (*p*), Vermerienſi (*q*), Matiſconenſi (*r*), Trullano (*s*), & aliis: licètque ſint alicubi intitulati, nullum tamen ſuæ Eccleſiæ impendebant, neque impendunt obſequium. Monachos tandèm ad Presbyteratum evectos, nullo adjecto onere, nullâque ſpè datâ, ut in Eccleſiis, ubi ordinem ſuſceperant, miniſtrarent, commemorat Theodoretus (*t*). Ex facto ergò eniteſcit, Clericorum affixionem ſervitio alicujus Eccleſiæ non eſſe de neceſſitate, ſed de merâ honeſtate ordinationis, nec vim præceptivam, ſed directivam ſpectaſſe: Nequè ſemper fuiſſe, neque eſſe ab ordinibus indiviſam (*u*): & conſequentèr ex eâ nullatenùs infertur extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis excluſio. Sicque rè totalitèr, & in ſuo eſſe penſatâ, cunctiſque tandem, quæ in præſenti capitulo recenſita ſunt unà ſimul collectis & conglobatis, defenſa in contradictorio ſubſiſtit libertas Eccleſiæ in præficiendo Clericos tùm indigenas, tùm extraneos eccleſiaſticis beneficiis.

(a) S. Hieron. ep. 61. ad Pammach. vid. ſup. to. 1. Sæc. V. c. 9. & n. 3.
(b) S. Hieron. in epitaph. Nepotiani.
(c) Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. par. 2. l. 2. c. 1. § 10. Vid. ſupr. Sæc. III. c. 4. n. 15
(d) Vide ſupr. to. 1. Sæc. V. c. 9. n. 5.
(e) Concil. Lateranenſ. III. c. 7.
(f) Concilium Antioch. c. 16.
(g) Sozomen. lib. 6. cap. 34.
(h) Sirmond. Concil. Gall. tom. 3. f. 113.
(i) Laurentius Surius die 28. Julii.
(l) Baron. ann. 1191. num. 50.
(m) Concil. Ancyran. c. 17.
(n) Clementin. In pleriſq. de electiou.
(o) Concil. Raven. ann. 1311. c. 24. & an. 1311. c. 4.
(p) Concil. Vernenſ. ann. 755. n. 13.
(q) Concil. Vermerienſ. ann. 752. c. 21.
(r) Concil. Matiſcon. II. in ſubſcription.
(s) Concil. Trullanum cap. 37.
(t) Theodoret apud Thomaſſi vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 1. l. 3. cap. 13. n. 19.
(u) Cabaſut. ad Conc. Laodicen. c. 15. in fin.

R E S P O N S I O

OBJECTIONIBUS EX SANCTIS PATRIBUS.

C A P U T VIII.

In quo reſpondetur Objectionibus, petitis ex doctrinâ, & geſtis SANCTORUM PATRUM, *contrà libertatem Eccleſiæ in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

S U M M A R I U M.

1 Prima Objectio ex S. Auguſtino, *quod non ſit impugnandum id, quod tota frequentat Eccleſia, quale eſt beneficia ſolis indigenis conferre.*

2 *Electuario Mithridatico, apto contrà omnia venena, ſimilitudinem habet dicta objectio, vaga, & de communi, quæ nihil afficit.*

3 *Quæ ſunt in ſacris literis definita, debent uniformitèr ubique obſervari: alia verò, quæ ad diſciplinam ſpectant, poſſunt variari.*

4 *Perperàm dicitur quod in pluribus locis, & Regionibus repellendi ſint extranei, niſi in locis, Indulto Apoſtolico munitis.*

5 *Ubi Apoſtolicum Privilegium deeſt, extranei excludi non poſſunt, & ibi agendum eſt id, quod docet S. Auguſtinus, nempè ut ſervetur mos loci.*

6 *Non licet Clericum extraneum recipere, ſinè literis ſui Ordinarii, ut innoteſcat quis, & qualis ſit. Agitur de literis Formatis.*

7 *Clericus extraneus, Commendatitiis ſui Ordinarii vallatus, poteſt ubilibèt admitti ad beneficia; poterant olim laici prævenıri ad ordines à quocumque.*

8 *Laicus præſentando vi jurispatronatus, debet præferre indigenam, cæteris paribus. Epiſcopus patronus poteſt extraneum Eccleſiæ præficere.*

9 Secunda Objectio ex D. Cypriano, *quod Epiſcopi, & Clerici eligendi ſint præſente Clero, & Populo, hocque fieri non poſſit, niſi pro indigenâ.*

10 *Ab ordinibus ad beneficia proportio non currit æquo pede. S. Cyprianus loquitur de praxi locali, non totius Eccleſiæ.*

11 *Vel*

11 Vel loquitur de methodo aſſiciente prò locis, & prò tempore, quo viguit mos diſponendi de beneficiis per viam electionis Canonicæ.

12 S. Cyprianus non facis legem communem, ab omnibus obſervandam: imò plura fecit, & ſcripſit, omninò non imitanda.

13 Non omnia, quæ olim licitè facta ſunt; debent fieri etiàm nunc: aliàs oporteret Miſſam poſt cœnam celebrare, in altari ligneo conſecrare &c.

14 Variæ formæ obſervatæ ſunt in provectione Clericorum ad beneficia. Nùnc forma electionis eſt reſtricta ad ſolam Germaniam.

15 Ad Collatores, ſeù Nominatores beneficiorum ſpectat nùnc inveſtigare de meritis promovendi ad beneficia, uti olim faciebat Clerus, & Populus.

16 Nèc dicta, nèc facta Sanctorum regulam faciunt, neceſſariò obſervandam: aliàs nimia ſequerentur incommoda.

17 Præſente Clero, & Populo, Candidatos eligebat D. Cyprianus, & benè faciebat: alii Epiſcopi è contrà operabantur, & benè ipſi quoquè faciebant.

18 Etiàm nunc Epiſcopus conſultat cum Clero, & Populo ſuper meritis Ordinandorum, ut patet ex monitione in Pontificali contentâ.

19 Hujuſmodi conſultatio tàm poteſt fieri de indigenis, quàm de extraneis, modò cognitis. Cæterùm Ordinatio eſt quid diverſum à beneficio.

20 Populus in Electionibus olim non habebat jus ſuffragandi, ſed ſolùm conſentiendi. Plura Concilia referuntur, & Patres de hàc rè loquentes.

21 Quidquid faceret S. Cyprianus; Epiſcopi poſſunt promovere Clericos abſque Cleri, & populi aſſenſu, qui nec olim Epiſcopos arctabat.

22 Doctrinâ S. Cypriani eſt cum aliâ ejuſdem conferenda. Ipſe promovit ad Lectoratum Celerinum, & Aurelium, nullius prærequiſito aſſenſu.

23 Idem fecit in provectione Numidici ad Præsbyteratum. Liberum ergò ei erat Cleri, & populi adhæſionem adhibere, vel non.

24 Tertia Objectio ex D. Athanaſio, depoſito ab Arrianis, & improbante ſuffectionem Gregorii Cappadocis in Eccleſiâ Alexandrinâ.

25 Euſebius Emiſſenus ad Alexandrinam Eccleſiam fuerat deſtinatus. Cui ſuffectus fuit Gregorius Cappadox, impugnatus ab Athanaſio, non quià extraneus, ſed alias ob cauſas.

26 Si Gregorius fuiſſet Alexandriæ notus, etiàm ſi ortu extraneus, non fuiſſet impugnatus ab Athanaſio, neque à Julio Pontifice.

27 S. Athanaſius plures ex Eremo ad Epiſcopatum evexit, & Eccleſiis præfecit, à quibus erant extranei.

28 Julius I. Papa improbat electionem Gregorii Cappadocis, non præcisè quà extranei, ſed ex pluribus aliis cauſis.

29 Multas cauſas objectas Julius Papa provectioni Gregorii, quarum præcipua erat, quod viventi Epiſcopo, non debebat alius ſuperintrudi.

30 Alia cauſa erat, militaris ejuſdem Gregorii introductio in Eccleſiam Alexandrinam, veluti per vim facta, non verò cum ſolitis hymnis, & canticis.

31 Mores particularis Eccleſiæ Alexandrinæ in promotione ſuorum Epiſcoporum, referuntur à Sanctis Hieronymo, & Epiphanio.

32 Etiàm ſi Gregorius fuiſſet repulſus ut extraneus, tamèn hoc non haberet locum in aliis Eccleſiis, talibus moribus non præditis.

33 Germinii Cyziceni, & Cecropii Laodiceni translationes improbatæ fuerunt, quia factæ ſolius Conſtantii Cæſaris auctoritate.

AURI-

1\. **A***URIBUS noſtris audivimus, Patres noſtri annunciaverunt nobis* (*a*), doctrinâ eorum, quam ſingulis ſeculis allegavimus, libertatem Eccleſiæ in conferendo eccleſiaſtica beneficia Clericis, tùm extraneis, tùm indigenis: ſed quià adversùm doctrinam ipſorum Patrum, aliâ doctrinâ Patrũ inſurgunt Contradictores,& ut ad ſolos indigenas beneficiorum collationem coarctent, Patrum doctrinam exhibent, quandóque extrà propriam ſignificationem pertractam,ut quoquo modo illam ſibi favere contendant;hic opus eſt eorum argumenta diſſolve, re,ut eniteſcat,doctrinam Patrum ità ſententiæ noſtrę adſtipulari, ut nullum cauſæ Contradictorum patrocinium approprìet. Igitur *Arguunt primo loco* Contradictores ex Divo Auguſtino, dicente: *Si quid tota per Orbem frequentat Eccleſia, quin ità faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimę inſaniæ eſt* (*b*). Sed tota, inquiunt, per Orbem frequentat Eccleſia, ut beneficia eccleſiaſtica ſolis indigenis conferantur, repulſis extraneis; ergò inſolentiſſimę inſaniæ eſt diſputare, an ubilibet beneficia eccleſiaſtica ſint ſolis indigenis conferenda. Minor probatur hoc modo: videmus, inquiunt, quod in Hiſpaniâ beneficia illius Regionis ſolis ſunt Hiſpanicis conferenda (*c*), Gallica Gallis (*d*), Aragonica Aragoniis (*e*), Hungaris Hungarica (*f*), & Luſitanica Luſitanis &c. (*g*). Item in Boemiâ (*h*), in Poloniâ (*i*), in Hiberniâ (*l*), in Siciliâ (*m*), in Helvetiâ (*n*), in Sileſiâ (*o*), Navarrâ (*p*), Valentiâ (*q*), Cataloniâ (*r*), in ditionę Venetâ (*s*) &c. excluduntur à beneficiis extranei, ut patet ex Auctoribus in margine citatis. In Epiſcopatibus Calaguritano, Palentino, Burgenſi (*t*), Extradiœceſani non admittuntur ad beneficia; ergò tota per orbem frequentat Eccleſia, ut beneficia eccleſiaſtica ſolis indigenis conferantur. Quodque hæc fuerit mens D. Auguſtini, colligi poteſt ex ejus ſermone ad Populum: *Hortamur Chriſtianitatem veſtram juxtà Sanctorum Canonum inſtituta,ut in Eccleſiis, à vobis fundatis, aliundè veniens Presbyter non ſuſcipiatur, niſi à veſtræ fuerit Eccleſiæ conſecratus Epiſcopo, aut ab eo per Commendatitias literas ſuſcipiatur* (*u*).

2\. Reſpondetur *primò*,quod hoc argumentum reſpectu ad primam illam ſententiam Auguſtini,poteſt comparari Alexipharmaco notiſſimo, quod Mithridaticum appellatur, à Mithridate Rege Ponti compoſitum,& in ejus ſcriniis à Pompeo Magno repertum, uti refert Plinius (*x*), quod adverſus omnia cujuſcumq; generis venena, ſivè frigida, ſivè calida; ſivè corroſiva, ſivè narcotica prævalebat: adeò ut eodem pharmaco refectus Mithridates, cum à Pharnace filio obſeſſus, veneno hauſto, mortem appeteret, mori non potuerit; ſed à Milite ſe fecerit enecari: de quo Electuario Galenus (*y*), Oroſius (*z*), Serapion (*aa*), & alii. Nàm ſicuti Mithridaticum opponi poteſt omnibus venenis, ſic & auctoritas illâ D. Auguſtini, tamquàm vaga verſatilis, & uti dicitur de communi; poteſt generaliter infinitis propoſitionibus objectari. At nihil officit, niſi ubi de ſubjectâ ſibi materiâ loquitur, & de articulo per Divum Auguſtinum controverſo. Sanctus autem Auguſtinus certe in ipsâ primâ auctoritate ſuperiùs allegatâ,nec de præbendis, nec de beneficiorum collatione pertractat, ſed de quibuſdam obſervationibus eccleſiaſticis, quæ diverſo modo, prò varietate locorum, & Eccleſiarum, ad praxim diverſimodè perducuntur.

3\. Januarius enim, cui Epiſtola D. Auguſtini ſcripta eſt, hæc à S. Doctore ſciſcitabatur: *Quæris his verbis quid per quintam feriam ultimæ hebdomadis Paſchæ fieri debeat. An offerendum ſit manè, & rursùs poſt cænam, propter illud quod dictum eſt, ſimilitèr poſtquam cænatum eſt. An jejunandum, & poſt cænam tantummodò offerendum. An etiam jejunandum, & poſt oblationem, ſicuti facere ſolemus, cænandum. Ad hæc itàque ità reſpondeo, ut quid horum ſit faciendum, ſi divinę ſcripturę præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum, quin ità facere debeamus,*

(a) *Pſalm. 43. n. 1.*

(b) *S. Auguſt. epiſt. 118.*

(c) *Guttierez prac. qq. l. 3. qu. 17. n. 72. & c.*

(d) *Gloſ. in Pragmat. ſanction.*

(e) *Ramirez de lege Regia § 26. n 64.*

(f) *Toloſ. Syntagm. p. 2. l. 17. c. 6. n 42.*

(g) *Acuna in cap. neminem diſt. 70.*

(h) *Bertold. Pontan. Boemię piæ lib. 7.*

(i) *Renat. Coppin. poſt lib. 3. de Demanio Franciæ.*

(l) *Card. Oſſat. epiſtol. 55.*

(m) *Rocch. Pirrhus Sicil. Sacr. to. 1. in Eccl. Meſſan. an. 1418.*

(n) *Stumphius.*

(o) *Schiforde gherus.*

(p) *Perez l. 1. ordinam. tit. 3 l. 18.*

(q) *Valdaura par. 1. obſer 6.*

(r) *Portoles, & alii.*

(s) *Addent. ad Panormit. in cap. proponente de reſcrips.*

(t) *Ric. prax. part. 3. reſ. 279. n 3.*

(u) *S. Auguſt ſerm. ad popul. relat in cap. hortamur 8. diſt. 71.*

(x) *Plinius lib. 23. c. 8.*

(y) *Galenus de uſu Theriacæ cap. 6.*

(z) *Oroſius lib. 6.*

(aa) *Serapion. lib 7. pract. c. 8.*

mus, ut legimus: ut jàm non quomodo faciendum, ſed quomodò Sacramentum intelligendum ſit, diſputemus. Similitèr etiàm ſi quid horum totâ die per orbem frequentat Eccleſia: Nàm hoc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Sed neque hoc, neque illud eſt in eo quod tu quæris (a). Totus ergò eſt D. Auguſtinus, ut probet, quod ea, quæ expreſsè ſunt in ſacris literis definita, debent unanimitèr obſervari: *Alia verò, quæ per loca terrarum, regioneſque variantur, ſicut eſt, quod alii jejunant Sabbato: alii verò non: alii quotidiè communicant Corpori, & Sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur: alibi Sabbato tantùm, & Dominico. Alibi tantùm Dominico. Et ſi quid aliud hujuſmodi animadverti poteſt, totum hoc genus rerum, liberas habet obſervationes. Nec diſciplina ulla eſt in his melior, gravi, prudentique Chriſtiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quamcumque fortè devenerit. Quod enim neque contrà fidem, neque contrà bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & prò eorum, intèr quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt* (b). Sed hæc quid commune habent cum collatione beneficiorum? & quid probant prò admittendis ad ea, vel ab eiſdem repellendis extraneis?

(a) *S. Auguſt. epiſtol. 118. ad Januar.*

(b) *S. Auguſt. loc. cit. poſt princ.*

4. Reſpondetur *ſecundò* negando minorem: ad cujus probationem, dicimus, gratis aſſeri, quod in omnibus locis, Regnis, & Regionibus, ibi nominatis repellantur à beneficiis extranei. Nàm in aliquibus tantum id accidit, & quidem paucis. Nèc Auctores ibidem in margine notati, qui cum aliis à Contradictoribus allegantur, probant hanc excluſionem, cum imò aliqui nec per umbram de illâ loquantur, prout legentibus illos patere poterit. Quos quia ſingularitèr recenſere, & minutatim excutere, longum eſſet, ac perſcrutari, an loquantur de jure, an verò de facto: quâ auctoritate ſua dicta communiant: & an illa referant ad leges eccleſiaſticas, legitimè, ac à poteſtate legitimâ promulgatas; an verò ad ſanctiones laicales, injuſtas, & ſolius præpotentię humanæ viribus innitentes; nunc ſuſpenſum relinquimus judicium, de quibus, & qualibus ex præfatis Regionibus, verè locum habeat extraneorum excluſio ab eccleſiaſticis beneficiis. Hæc namque determinatio non ità in abſtracto fieri debet, ſed in concreto, in caſibus practicis, & individuis, in quibus, rè ventilatâ, perpenſiſque fundamentis Auctorum, de aliquo particulari loco loquentium, & viſis videndis, atque conſideratis conſiderandis, pronuntiandum ſit, an præfata excluſio, reſpectu talis, ac talis loci, ſubſiſtat, nec nè. Quantum etenim ad præſens negotium ſpectat, nobis, qui in toto hoc opere probavimus, & probamus efficaciſſimè libertatem Eccleſiæ admittendi unà cum indigenis, etiam extraneos ad beneficia; ſatis eſt negare præfatam minorem, illiuſque probationem, ac dicere hanc non verificari, nec citatos Auctores, de illâ reſpectivè loquentes, vera profari, niſi qui ſermonem habent de locis, Apoſtolico privilegio communitis.

5. Hocque poſito, retorquetur argumentum adverſus Contradictores. Etenim quoàd loca illa, in quibus frequentat Eccleſia, ut ab eorum beneficiis extranei repellantur, non hoc ibi fit veluti de precepto juris communis, neq; ex naturali conditione beneficiorum, ſed ex mero privilegio Apoſtolico, arctante juriſdictionem eorum, qui beneficia conferunt, vel ad illa præſentant, ne viros extraneos ad præbendas illas admittant. Cum autem privilegium ſit ſtricti juris, nec pertrahatur de loco ad locum (c), exceptioque, ex notiſſimis firmet regulam in contrarium (d), patet, quod frequentatio largitionis beneficiorum ſolis indigenis, excluſioque extraneorum, ubi privilegium non eſt, non habet locum, ſed ibi beneficia ſunt eque extraneis, ac indigenis conferenda. Et quià ubi deeſt præfatum privilegium; tota per orbem frequentat Eccleſia, ut beneficia eccleſiaſtica, non ſolùm indigenis, verùm etiam extraneis diſpenſentur; ex ipſo Contradictorum argumento eniteſcit, quod beneficia ſunt ſinè diſtinctione, tùm indigenis, tùm extraneis conferenda. Oſtendant ergò Contradictores privilegium Apoſtolicum, pro locis, à quibus geſtiunt extraneos ablegare, aliàs aquieſcant his, quæ D. Auguſtinus, ab ipſis invocatus,

(c) *Sylveſt. V. Privilegium qu. 3. Azor. l. 5. c. 21 qu. 2. diſp. 1. qu. 2. Bonac. tom. 2. diſp. 2. pun. 7 § 1. n. 5. & 13. 15*

(d) *L. nam quod §. fin. de pen. leg. l. quæsitum § de fund. inſtrument. Barboſ. Axiom. 85. n. 4*

catus,

catus, adjungit, *faciat ergò quiſque, quod in eâ Eccleſiâ, in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contrà fidem eſt, aut contrà mores, ſi hinc, vel indè meliores &c. Ipſa quippè mutatio conſuetudinis, etiam quę adjuvat utilitate, novitate perturbat: quapropter, quę utilis non eſt, perturbatione infructuoſâ, conſequentèr noxia eſt* (*a*).

(a) *S. Auguſt. epiſt. 118 poſt medium.*

6. Reſpondetur *tertiò*, verba illa D. Auguſtini, *in Eccleſiis à vobis fundatis aliundè veniens presbyter non ſuſcipiatur &c.* non excludere Clericum extraneum, quà extraneum, ſeu quà aliundè natum, vel alibi morantem, ſed ſolum quà carentem literis dimiſſorialibus proprii Epiſcopi. Cum enim ex Conciliis Carthagineoſi (*b*), Nicæno (*c*), Sardicenſi (*d*), Milevitano (*e*), Chalcedonenſi (*f*), & aliis per nos alibi reproductis, non liceret Epiſcopo Clericum alterius Epiſcopi ad sè trahere, & ſuæ Eccleſiæ inferere, ſinè proprii Ordinarii literis Miſſivis, neque liceret ex decreto Concilii Antiocheni *ullum abſque Formatâ, quam Gręci epiſtolam dicunt, peregrinorum Clericorum, ſuſcipere* (*g*), ne ignoti Clerici, peregrini, & gyrovagi, hùc illùc errabundi pergentes, reciperentur, ſinè literis Formatis proprii Epiſcopi, de quibus literis actum eſt, & contesſerata formula in Concilio I. Nicæno, cum inſertione primorum elementorum, harumque vocum invariabilium, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & Petrus*, atquè cum aliis notis variabilibus (*h*); Ideò benè D. Auguſtinus monuit fideles, fundatores Eccleſiarum, ne aliundè venientem Presbyterum in Eccleſiis fundatis reciperent: ne fortè accideret, ut Presbyter aliquis Sarabaita, profugus, & contumax, cujus nec vita, nec peritia ſciretur, ipſis præficeretur Eccleſiis: vel ut inquit D. Cyprianus, *ne quis ad Altaris miniſterium, vel ad Sacerdotalem locum indignus obreperet* (*i*). Sed hoc nihil probat, quod D. Auguſtinus excluſerit ab Eccleſiis Clericos extraneos, hoc præciſo titulo, & ſub conceptu formali, quod aliundè eſſent exorti: uti etiam latiùs in toto hoc opere demonſtravimus.

(b) *Concil. Carthag. 3. c. 21.*
(c) *Conc. Nicæn. 1. cap. 16.*
(d) *Concil. Sardicenſ. c. 18. & 19.*
(e) *Concil. Milevitan. cap. 15.*
(f) *Concil. Chalcedonenſ. c. 13 & 20.*
(g) *Concil. Antioch. capit. 7.*
(h) *Card. Baron. an. 325 n. 62. Card. Bellar. de Pontif. l. 1. c. 24.*
(i) *S. Cyprian. epi. 68*

7. Reſpondetur *quartò*, iterùm retorquendo argumentum ex alio capite. Nàm in verbis D. Auguſtini, in oppoſitum allegatis, expreſsè dicitur, poſſe Presbyteros extraneos à fundatoribus Eccleſiarum ſuſcipi (quod hìc valeat, pro beneficiis eccleſiaſticis inſigniri) ſi ſint vel ab Epiſcopo illius Diœceſis conſecrati, vel à Diœceſano, cum literis Commendatitiis proprium eorum Antiſtis, receptati. En verba D. Auguſtini: *In Eccleſiis à vobis fundatis, aliundè veniens presbyter non ſuſcipiatur, niſi à veſtrę fuerit Eccleſię conſecratus Epiſcopo, aut ab eo per Commendatitias literas ſuſcipiatur* (*l*). Ergò vir extraneus, ſi Clericus erat, poterat, obtentis literis Commendatitiis proprii Epiſcopi, ab alio Epiſcopo ſuſcipi, & ab eo ad Eccleſias, ſeu beneficia eccleſiaſtica promoveri. Rursùs alibi oſtendimus etiam ex doctrinâ D. Auguſtini, laicum extraneum potuiſſe à quocumque Epiſcopo pręveniri, ordinibus inſigniri, & proprio Clero inſeri, ibique ſtipendia Clericalia mereri (*m*): *recenſe*, inquit, *Concilium, ibi invenies de ſolis Clericis fuiſſe ſtatutum, non etiam de laicis* (*n*). Et quidèm ipſe Auguſtinus, laicali adhùc in ſtatu conſiſtens, fugiebat ab Eccleſiis Paſtore carentibus, ne ad illas acceptandas adurgeretur (*o*), & à S. Valerio Hipponenſi præventus, Presbyterali fuit ordine decoratus, ac ſucceſſivè Epiſcopatu ejusdem Eccleſiæ perauctus (*p*). Ergò saltèm in utroque hoc caſu, ſive laici ordinibus præveniendi, ſive Clerici, literis commendatitiis proprii Ordinarii ſuffulti, poterat Clericus extraneus, ex doctrinâ S. Auguſtini, alibi ad Clerum admitti, & beneficiis eccleſiaſticis inſigniri. Quorum duorum caſuum, licet nunc primus non habeat locum, ob novas leges, quæ promotionem etiam laici extradiœceſani interdixerunt; ſecundus tamèn adhùc optimè viget, ſicque ſatis erit Clerico extraneo, literis commendatitiis proprii Ordinarii vallari, ut poſſit in locis, ubi eſt extraneus, beneficia ſacra ſuſcipere.

(l) *S. Auguſt. ſerm. ad popul. relat. in cap. hortamur. 8. diſt. 71.*
(m) *Vide ſuprà to. 1 Sæcul. 4. c. 8 n. 7.*
(n) *S. Auguſt. ep. 235*
(o) *Poſſidius in Vita S. Auguſt. c. 4.*
(p) *Idem Poſſidius loc. cit. c. 8.*

8. Reſpondetur *quintò*, denuò retorquendo argumentum aliâ de causâ. Nàm ex verbis memoratis D. Auguſtini in ſermone ad populum, compoſitus eſt canon, ſive capitulum *Hortamur.* 8. *diſt.* 71. ubi gloſſa, expendens illas particulas *in Ec-*

cleſiis à vobis fundatis, aliundè veniens Presbyter non ſuſcipiatur, ait *veniens*: *hoc verum eſt, cum ille, qui Clericum præſentat laicus eſt: quià quamdiù idoneus eſt in ſuo Epiſcopatu, non præſentabit extraneum: Epiſcopus enim undecumque poſſet pręſentare, ut in c. Si quis Epiſcoporum 16. qu. 2.* ubi de Epiſcopo ędificante Eccleſiam in alterius Epiſcopi territorio diſponitur: *Ædificatori Epiſcopo hæc gratia reſervetur, ut quos deſiderat Clericos in rè ſuâ ordinari, ipſos ordinet is, cujus territorium eſt: vel ſi ordinati jam ſunt, ipſos habere acquieſcat* (a). Ad quod gloſſa in verb. *deſiderat*, inquit, *privilegium eſt Epiſcopi, ut undecumque velit, poſſit Clericum præſentare*. Undè patet primò, quod ex doctrinâ D. Auguſtini, patronis laicis beneficiorum, non limitatur abſolutè libertas præſentandi Clericos extraneos, ſed ſolùm commendatur, & conſulitur prælatio indigenarum extraneis, cæteris paribus, quam & nos ſuperiùs ſatis laudavimus. Secundò patet, quod, quidquid ſit de laicis patronis beneficiorum, ſaltèm Epiſcopis, eorundem patronis, ineſt facultas, undecumque prodeuntem Clericum beneficiis, à ſuo patronatu dependentibus, præficiendi. Quod autem dicitur de beneficiis Epiſcopalis Juriſpatronatus, locum etiam habet in beneficiis liberę collationis Epiſcopalis, ex identitate rationis. Et ſic ex doctrinâ D. Auguſtini, ſecundum Gloſſam, ut ſuprà intellectâ, eniteſcit, liberum eſſe Epiſcopis beneficia Clericis etiam extraneis impertiri. Et quod licitum eſt Epiſcopis, licitum eſt etiam aliis Ordinariis, vel ab Eccleſiâ delegatis, beneficiorum collatoribus: ideòque à primo ad ultimum viget Eccleſiæ libertas admittendi ad ſacras præbendas etiam extraneos. Quo verò ad mentem D. Auguſtini circà hanc rem, ſuperfluum eſt eam ex verbis, in Objectione propoſitis, expiſcare: quippè nos in probationibus, tam ex ejus factis, quam ex dictis, adeò clarè illam patefecimus, ut qui contendat, quod eadem obſiſtat pręfatæ libertati, non ſapiat, ſed deliret (b).

(a) *Cap. ſi quis Epiſcoporum 16. qu. 2.*

(b) *Vide ſuprà to. 1. Sæcul. 5. cap. 9. n. 17.*

9. *Arguunt ſecundò* Contradictores ex D. *Cypriano*, qui unà cum 35. Coepiſcopis, Felici Presbytero, & Ælio Diacono, ac Plebibus ad Legionem, Aſturiam, & Emeritam conſiſtentibus, de Baſilidis, & Martialis prævaricatorum depoſitione perſcripſit hoc modo: *Videmus de divinâ auctoritate deſcendere, ut Sacerdos, plebe pręſente, ſub omnium oculis deligatur, & dignus, atque idoneus publico judicio, & teſtimonio comprobetur, ſicut in Numeris Moyſi præcepit Dominus, dicens: Prebende Aaron fratrem suum, & Eleazarum filium ejus, & impones eos in montem coràm omni Synagogâ, & exue Aaron ſtolam ejus, & indue Eleazarum, filium ejus, & Aaron appoſitus moriatur illic* (c). *Coràm omni Synagogâ jubet Dominus conſtitui Sacerdotem, ideſt inſtruit, & oſtendit ordinationes Sacerdotales, nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientiâ fieri oportere, ut plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio juſta, & legitima, quę omnium ſuffragio, & judicio fuerit examinata* (d). En ergò, inquiunt Contradictores, quod ex mente D. Cypriani, Epiſcoporum electio fieri debet populo præſente, & publico omnium judicio electum comprobante. Quod & idem in electione Clericorum eſſe obſervandum profitetur idem S. Cyprianus, alibi dicens: *in Ordinandis Clericis, fratres chariſſimi, ſolemus vos antè conſulere, & mores, ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare* (e). Sed hujuſmodi divinæ auctoritatis ritus, nec obſervatur, nec obſervari poteſt in provectione extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia: quià neque Populus, neque Clerus valent publico judicio electum comprobare; ergò ex D. Cypriano, non licet Clericis extraneis officia, ſeu beneficia ſacra conferre.

(c) *Ex Numer. cap. 20. n. 25.*

(d) *S. Cyprian. ep. 65*

(e) *S. Cyprian. ep. 33*

10. Reſpondetur *primò*, negando ſuppoſitum, & quatenùs ſuppoſitum non ſubſiſtat, reſpondetur retorquendo argumentum. Suppoſitum eſt, quod S. Cyprianus in citatis verbis loquatur de provectione Clericorum ad eccleſiaſtica beneficia, cum rè verâ ibi non ſit ſermo niſi de provectione ad ordines eccleſiaſticos, à quibus ad beneficia, non currit paritas, ſaltèm quoàd omnes numeros, & conſequentèr argumentum non concludit intentum Contradictorum. Quod ſi verba S. Cy-

S. Cypriani ad connotanda beneficia eccleſiaſtica pertrahantur; argumentum retorquetur adversùs Contradictores evidentèr: quippè S. Doctor ſuæ epiſtolæ has particulas intermiſcet: *Diligentèr dè traditione Divinâ, & Apoſtolicâ obſervatione ſervandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per Provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad ea plebem, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit* (*a*): notentur illa verba, *ferè per Provincias univerſas*, quę oſtendunt, ritum in epiſtolâ expreſſum, non fuiſſe generalem, & toti Eccleſiæ communem, ſed localem, alicubi quidèm obſervatum, non tamèn ità univerſalem, ut in permultis Provinciis alitèr non perduceretur ad praxim. Quarè D. Cyprianus non dat Eccleſiæ legem generalem, ſed ſolùm loquitur de locis, & prò tempore, quo beneficia per electionem conferebantur: hoc autem nihil ad nos, qui nec de talibus locis, neque de tali tempore ſermonem habemus.

(a) *S. Cyprianus dicta epiſt. 68.*

11. Et quidèm laudabilis, ac juſtiſſima erat methodus tunc adhibita admiſſionis Cleri, & populi ad electiones, quà votis, quà teſtificatione, ſeù comprobatione faciendas, de quâ ſuprà dictum eſt (*b*), quippè cum electio Antiſtitis fieri deberet uniformi Eccleſiæ conſenſu, ſuffragia autem, ſive comprobationis voces, non poſſent viro ignoto conferri, neceſſe erat, ut electio fieret præcognitis meritis viri candidati, *ſub populi aſſiſtentis conſcientiâ*; *ut plebe præſente, vel detegerentur malorum crimina, vel bonorum merita prædicarentur* (*c*), & ità dè facto nùnc fit in Germaniâ, ubi Epiſcopi per electionem ad ſacras Infulas promoventur (*d*). Ibi enim fit electio ab Eccleſiâ, & coràm Eccleſiâ: nempè Clerici ad id deputati ſuffragia conferunt Viro eccleſiaſtico, qui populo etiam, & plebi ſubjectę non diſpliceat: Nec niſi Candidatis, qui ſint Eligentibus benè cogniti, ſpectatæ vitæ, doctrinâ, & moribus præcellentes, vota diriguntur. At hoc licet verificetur in Germaniâ, nullum tamen habet locum in aliis regionibus, ubi Epiſcopatus per viam electionis Canonicæ non conferuntur. Paritèr licet verificetur quoàd Epiſcopatus, non tamen locum habet quoàd beneficia ordinis inferioris, quæ habent diverſos reſpectus à beneficiis Epiſcopalibus. Demùm quatenùs etiam verificatum fuiſſet olim ubilibet, tamen non affecit niſi pro tempore, quo viguit mos Canonicarum electionum, quæ cum jàm ab aulâ receſſerint, & fuerint juſtis de cauſis ſublatæ (*e*), ſubrogato illis alio modo diſtribuendi eccleſiaſtica beneficia, per liberam Superioris collationem, vel ad præſentationem Patroni; jam methodus, in epiſtolâ D. Cypriani propoſita, nullius eſt ponderis, & momenti.

(b) *Vid ſupr. tom. 2. c. 19. d n. 14.*

(c) *S. Cyprian. loc. cit.*

(d) *Azor. Inſt. mor. p. 2 l. 6. c. 14. qu. 1 Barboſ. Jur. Eccl. Univer. l. 1. c. 8. n. 73.*

(e) *Vid. ſuprà tom. 2. cap. 22.*

12. Reſpondetur *ſecundò*, neque facta, neque dicta S. Cypriani eſſe talis auctoritatis, ut faciant legem, ab Eccleſiâ univerſalitèr obſervandam: plura enim optimè, & ſanctiſſimè fecit, & dixit, ſed & plura dixit, & fecit, quæ imitationem non admittunt. Nàm & diſpenſavit aliquandò in voto caſtitatis (*f*), quod à ſolo Summo Pontifice fieri poſſe tradunt Doctores (*g*). Aliquandò Clericos, qui à Diœceſi, non poſtulato ejus aſſenſu, diſceſſerant, beneficiis, ſeu ſtipendiis eccleſiaſticis privavit (*h*), quod an juſtè poſſit nunc fieri, prudens quiſque Lector dijudicet. Errorem rebaptizantium baptizatos ab Hæreticis, quem Agrippinus Carthaginenſis in Africâ introduxerat (*i*), & Firmilianus Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus, atque Dionyſius Alexandrinus inconcuſsè tuebantur (*l*), uſque adeò propugnavit, ut Stephanum Papam, contrarium definientem, de errore imputaverit; ſcribit enim ad Pompejum, *quamquàm plenè ea, quæ dè Hæreticis baptizandis dicenda ſunt, complexi ſumus in epiſtolis, quarum ad te exempla tranſmiſimus; tamen quià deſideraſti in notitiam tuam perferri quid mihi ad literas noſtras Stephanus frater noſter reſcripſerit, niſi tibi reſcripti ejus exemplum, quo lecto magis, ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum cauſam contrà* Chri-

(f) *S. Cyprian. ep. 62. vid. Pamel. not. 9*

(g) *Extrav. ceſſ Dominici de pœnit. & remiſ. Clau Regia l. 6. c. 11. n. 38. Bonac. tom 2. diſp. 4. qu. 2. pu. 7. § 4. num 11.*

(h) *S. Cyprian ep. 28. ad Cler. Carthag.*

(i) *S. Auguſt. l. 2. de Baptiſm. cont. Donatiſt.*

(l) *Vid. epiſt. 75. inter Epiſt. D. Cypriani, & Euſeb. hiſt. l. 7. c. 8.*

Digitized by Google

(a) *S. Cyprian. epiſt. 74. S. Aug. lib. 5. de Baptiſm. cont. Donat. c. 23.*
(b) *S. Auguſt. epiſt. 48. ad Vincentium Donatiſt.*

Chriſtianos, & contrà Eccleſiam Dei aſſerere conatur (a). Nèc invenítur S. Cyprianum hunc errorem correxiſſe, quamquàm piè credendum ſit id egiſſe: *Correxiſſe*, inquit S. Auguſtinus, *iſtam ſententiam non invenitur: non incongruentèr tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit* (b), *&c.* Sicut autem non debet quilibet Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis; privare Clericos, à Diœceſi abſcedentes, beneficiis; rebaptizare baptizatos ab hęreticis; & errorem Pontifici Romano imputare, quià hæc omnia S. Cyprianus effecit; ità non ex eo, quod S. Cyprianus Antiſtites voluerit eligi *ſub populi aſſiſtentis conſcientiâ, & plebe præſente*, & electi merito dijudicante; nunc eadem forma in Epiſcoporum provectionibus ubilibet eſt tenenda: multò minus tenenda eſt in proviſionibus beneficiorum ordinis inferioris.

13. Reſpondetur *tertiò*, non omnia, quæ olim licitè facta ſunt, licitè etiam poſſe nunc executioni mandari: alioquin oporteret miſſam poſt veſperas celebrare, ventreque non jejuno ſacram Synaxim ſumere, ac ſine ſacris veſtibus Myſteria Sacerdotalia peragere. Oporteret in altari ligneo Sacramentum Euchariſtiæ conficere: in cryptis, & ſpeluncis, functiones eccleſiaſticas exercere, & infinita alia facere, quæ Chriſtus, Apoſtoli, & primi Eccleſiæ Patres fecerunt. Quid plura, licita eſſet etiàm nunc polygamia, quià olim licuit plures uxores ſibi conjugio copulare: ſed quis ità deſipit, ut hæc effutiat? Olim plures habere uxores, inquit S. Auguſtinus, *inculpabile erat, quià nulla lex erat, quæ polygamiam prohiberet eo tempore* (c): ſed poſtquàm lex, id prohibens ſupervenit; ab eo tempore illicita fuit. Sic à pari, Antiſtitum, & Miniſtrorum eccleſiaſticorum deputatio per electionem Cleri, & comprobationem populi, olim fuit facienda publico Epiſcoporum judicio, electi provectionem comitante, quià nulla tunc lex erat hujuſmodi electionis formam repellens. At poſtquàm lex ſupervenit, electionis Canonicæ formam abſcindens; jam ab eo tempore illicitum eſt Eccleſias per electionem conferre (præterquàm in locis, ubi methodus ipſius electionis eſt in antiquo ſtatu relicta,) & conſequentèr, abolitâ formâ electionis, ceſſant circumſtantiæ, electionis formam concomitantes, quarum una erat, ut electi meritis, Clerus, & populus, votis, & teſtificatione, ſeù comprobatione complauderent.

(c) *S. Auguſt. de Civit. Dei l. 16. c. 38. & con Fauſtum l. 22. c. 47.*

14. Reſpondetur *quartò*, iterùm negando aliud ſuppoſitum, & retorquendo Argumentum ex alio capite. Suppoſitum eſt, quod publicum judicium Electi meritum comprobare non poſſit, niſi hoc fiat à plebe, vel à Clero, plebe præſente, quæ viri promovendi merita uniformitèr magnificiat: quandòquidem pluriès hujuſmodi publicum judicium, ſecundùm varias formas deputationis Miniſtrorum Eccleſiæ diverſificatum eſt, ut à ſuffragio plebis, ſi illud aliquandò plebem habuiſſe dicatur, quod non concedimus cum Dianâ, & aliis (d), ad ſolum ejus aſſenſum tranſmeatum ſit: ab hujus aſſenſu ad ſolam vocem totius Cleri: à ſolâ voce totius Cleri, ad Clericos tantùm, ſeù Canonicos Cathedralis. Aliquandò ſoli Epiſcopi Comprovinciales, aliquandò hi cum Clero, aliquandò unà cum aſſenſu plebis, & Principis elegerint. Aliquandò ſoli Principes Preſulem nominarent, de quibus diverſitatibus latè ſuprà factus eſt ſermo (e). Et ſicuti potuit electionis forma variari, ità potuit prorsùs ſupprimi, & prorsùs dè facto ſuppreſſa eſt (unicâ Germanicâ Regione exceptâ, & ut audivimus etiam natione Catholicâ Maronitarum.)

(d) *Diana part. 10. trac. 1. reſ. 3. 4. 6. & 7.*
(e) *Vid. ſupr. tom. 2. c. 19. 20. & 21.*

15. Cum abolitione autèm electionis coaſſenſio, & teſtificatio, ſeù comprobatio, & ſuffragatio, quoquè illa abolita eſt, quam dixit D. Cyprianus, debere à Clero, & populo provenire, ſeù ut veriùs loquamur, coaſſenſio ipſa, & ſuffragatio, publicumque judicium, non ceſſavit, ſed tranſlatum eſt: quià ubi anteà Clerus, & populus in percontandis, & dijudicandis meritis Promovendorum incumbebant, id nunc faciunt Papa, Imperator, Reges, & Epiſcopi, Clerici, & Laici, omnes tandem ordinarii, vel delegati, beneficiorum Collatores, vel reſpectivè ad illa Nominatores, qui ex officio totam adhibent ſedulitatem, *ne quis ad Al-*

taris miniſterium, vel ad Sacerdotalem locum indignus obrepat (*a*). Hique cum, congruâ adhibitâ diligentiâ, poſſint perſpectam habere habilitatem, & præſtantiam, non modò Clericorum indigenarum, ſed etiam extraneorum, quemadmodùm perſpectam habuerunt ſufficientiam Sabini, in locum Baſilidis ſuffecti, illi Epiſcopi, *qui de eo literas fecerunt*, apud D. Cyprianum (*b*); jàm retorquetur Argumentum adversùs Contradictores: nam ſicuti quandò Cleri, & populi officio erat commiſſa cura Candidatum eligendi, & reſpectivè in eum conſentiendi; poterat Clerus, & populus, nedùm in indigenas, ſed etiam in extraneos intendere, dummodò illos pro dignis, & benemerentibus reputarent; ità etiam poſſunt nunc Papa, Imperator, Reges, & Epiſcopi, Clerici, & Laici ordinarii, vel delegati beneficiorum Collatores, vel reſpectivè ad ea Nominatores, Clericos quoslibet, non minùs extraneos, quàm indigenas, benemerentes, & ſibi benè cognitos ad beneficia eccleſiaſtica præeligere, præſentare, ac promovere.

16.. Reſpondetur *quintè*, morem in illis D. Cypriani verbis expreſſum: *In ordinandis Clericis &c. ſolemus vos antè conſulere, & mores, ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare* (*c*); præterquàm quod nihil afficit, quià non de beneficiorum largitione, ſed de Ordinum ſolâ collatione proloquitur; fuiſſe ſimplicem ſtylum, & ritum peculiarem, ex proprio genio à D. Cypriano obſervatum (ut ex ipsâ lecturâ textus apparet) non verò formam ab Eccleſiâ præſcriptam, nec obligationem ex debito præciſo generalitèr obſervandam: ſicque cum ille ritus alias non adſtringeret Eccleſias, tempore ipſius S. Cypriani; multò minùs nunc ubilibet obligat, poſtquàm jàm ex lapſu immenſi temporis, & inobſervantiâ omnium orbis Eccleſiarum, eſt totalitèr abolitus. Cœterùm nec dicta, nec facta Epiſcoporum, etſi antiquorum ac etſi Sanctitate ſublimium, ab Eccleſiâ auctoritatem publicam non habentia, ſed ex peculiari eorum paſſione, vel oeconomia aut genio, ſive devotione manantia, regulam faciunt, in totâ Eccleſiâ generalitèr obſervandam, nec ſunt in exemplum trahenda (*d*). Aliàs quià Sanctus Theodorus Siceota Epiſcopus Anaſtaſiopolis lampadem Eccleſiæ propriis manibus accendebat (*e*), quia S. Thomas dè Villanovâ, Archiepiſcopus Valentinus, ex ſe ipſo ſibi femoralia reſarciebat (*f*), quià S. Lupus Epiſcopus Senonenſis, manu ad funem admoto, campanam ſuæ Eccleſiæ pulſabat (*g*), quia S. Petrus Epiſcopus Alexandrinus, non in ſuâ Cathedrâ Patriarchali, ſed in ejus ſuppedaneo sè locabat (*h*), quia S. Adalbertus Epiſcopus Pragenſis nudis pedibus incedebat (*i*), &c. Omnes Epiſcopi debebunt pedibus denudatis incedere: non in throno, ſed in ſuppedaneo ſolii Epiſcopalis ſedere: Campanas ex ſeipſis pulſare: lampades Eccleſiæ propriis manibus accendere: ſibi femoralia reſarcire: quæ quis abſque delirio pronuntiabit? Benè fecerunt ipſi in illis rerum circumſtantiis talia peragendo, ſed non ideò injectum eſt cunctis onus tantundem ſemper, & quandocumque exequendi.

17. Itàque ſolitus eſſet D. Cyprianus dè moribus Ordinandorum cum ſuo Clero, & populo conſultare; tranſeat: hoc agendo benè faciebat, & ut idem in Africâ fieret, benè ſubſequentèr Carthaginenſe Concilium commendavit, decernens: *Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum, Clericos non ordinet: itàut civium conniventiam, & teſtimonium quærat* (*l*). Tunc hoc poterat executioni facilè demandari, quià pauci erant eo tempore, quo fides oriebatur, laici fideles, & pauciores Clerici, cum quibus eſſent conſilia hujuſmodi maturanda: & ideò benè uſque ab initio nacti Epiſcopatus D. Cyprianus eam ſibi regulam præfinivit, quam in epiſtolâ ad Clerum ſuæ Eccleſiæ indicavit: *à primordio Epiſcopatus mei ſtatui nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſilio plebis meæ, privatâ ſententiâ gerere* (*m*). At alii Epiſcopi diverſimodè ſe geſſerunt, Ordinandos ſine Cleri, ac populi conſilio promoventes, & hi quoque benè fecerunt, maximè in tempore, quo jam adulta fides, millia millium laicorum, & Clericorum ingentem numerum Eccleſia complectebatur, à quibus omnibus difficilè erat conſilia poſtulare. Nec quidquam obeſt, quod hi contrarium facerent ejus, quod faciebat D. Cyprianus;

(a) *S. Cypr. epiſt. 68. ſeu l. 1. ep. 4. f. 30.*

(b) *S. Cyprianus loc. citat.*

(c) *S. Cyprianus ep 33.*

(d) *Theodor. Balſam. in epiſt. Concil. Epheſ. f. 322.*

(e) *Eleuſius in vit. S. Theodor. Siceotæ ap. Surium tom. 2. die 22. Aprilis.*

(f) *Vit. S. Thomæ dè Villanova l. 2. c. 14.*

(g) *Vit. S. Lupi Senonenſ. ap. Surium die 1. Sept. tom. 5.*

(h) *Card. Baron. an. 310 n. 14.*

(i) *Vit. S. Adelbert. apud Surium die 23. April.*

(l) *Concil. Carthagin. IV. c. 22.*

(m) *S. Cyprian. ep 6.*

nus: nam adhùc tam iſte, quam illi, oppoſita inter ſe agentes, benè faciebant, quatenùs, teſte Facundo Hermianenſi, *non ſolum diſſentire à ſe invicem, verum etiam laudabilitèr pugnare adverſum sè religioſi, ac rectiſſimi poſſunt, dum eos non ratio divini cultus, ſed alterius alterum latet intentio*, vel alia juſta ratio ad ſic operandum impellit (*a*). Porrò morem hunc ſciſcitandi de meritis Clericorum priuſquàm ordinarentur, laudavit Imperator Alexander Severus apud Lampridium, hocque exemplo ipſe quoque ſolitus fuit illorum nomina palàm proponere, quos ad Præfecturas deſtinabat, ne quiſquis inexploratus promoveretur (*b*). Alii tamen Imperatores hanc diſciplinam non tenuere. Benè ergo fecit Alexander, & benè fecerunt alii Cæſares, unicuique in ſuo ſenſu abundantes. Ità benè ſe geſſit S. Cyprianus operando uti ſuprà, & benè fecerunt alii Epiſcopi, diverſam methodum obſervantes, *totumque hoc genus rerum liberas habet obſervationes &c. Quod enim neque contrà fidem, neque contrà bonos mores injungitur, indifferentèr eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur ſocietate, ſervandum eſt* (*c*).

(a) *Facund. Hermianenſ. l. 7. c. 6.*

(b) *Lampridius in Alexandr.*

(c) *S. Auguſt. epiſt. 118. poſt init.*

18. Reſpondetur *ſextò*, quod quatenùs etiam S. Cyprianus ſit intelligendus de præciſo debito Epiſcopi, ut eum Clericis, & Laicis ſuæ Eccleſiæ ſuper moribus, & meritis Promovendorum conſultet; hoc non minus fit noſtrâ ætate, quam fieret tempore ipſius Cypriani. Nàm Epiſcopus, præter privatas ſciſcitationes, & diligentias, adhuc dum actu provehit Ordinandos ad ſacrum Presbyteratus officium, ſic publicè alloquitur Circumſtantes: *Quoniam fratres cariſſimi Rectori navis, & navigio deferendis, eadem eſt vel ſecuritatis ratio, vel communis timoris; par eorum debet eſſe ſententia, quorum cauſa communis exiſtit. Neque enim fuit fruſtrà à Patribus inſtitutum, ut de electione illorum, qui ad regimen Altaris adhibendi ſunt, conſulatur etiam populus, quià dè vitâ, & converſatione Præſentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, ſcitur à paucis, & neceſſe eſt, ut faciliùs ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui aſſenſum præbueris ordinando &c. Itàque quid ex eorum actibus, aut moribus noveritis, quid dè merito ſentiatis, liberâ voce pandatis, & his teſtimonium Sacerdotii magìs pro meritò, quàm affectione aliquâ tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contrà illos, pro Deo, & proptèr Deum cum fiduciâ exeat, & dicat. Veruntamèn memor ſit conditionis ſuæ* (*d*).

(d) *Pontific. Roman. tit. de ordinat. Presbyteri.*

19. Percontatur igitur Epiſcopus ſenſus Cleri, & populi circumſtantis, ſuper meritis, & benemerentiâ Promovendi, liberumque eſt cunctis, quotquot adſunt, ejuſdem Ordinandi & demerentias proponere, & inſufficientiam obiicere, & nè promoveatur obſtare: ſicque tantundem nunc fit, quantum tempore D. Cypriani adimplebatur. Sed quià hæc provectionem ad ordines concernunt, non electionem ad beneficia; vel nihil habent cum noſtrâ causâ commune, vel ſi quid habent, nihil tamen probant ad excluſionem extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis: quandòquidem ſicuti conſultatio Epiſcopi cum Clero, & populo fieri poteſt ſuper meritis ejus, qui eſt ad Ordines promovendus, tàm ſi ſit extraneus, quàm indigena, modo ſit cognitus; ità & Collatoris beneficiorum, ſive ad ea Nominatoris, conſultatio cum Clero, & populo, fieri poteſt, tàm quoàd extraneos, quàm quoàd indigenas, modo cognitos: ergò per hanc non magìs repelluntur extranei, quàm indigenæ, & ſic argumentum exindè poſtulatum, nihil omninò probat ad intentum Contradictorum.

20. Reſpondetur *ſeptimò*, Argumentum nihil probare, quià probat nimium. Probat etenim quod provectio ad eccleſiaſtica beneficia fieri debeat dependentèr à voluntate ſubditorum, & præſertim populi, quem ſuperiùs probavimus nunquàm in electionibus habuiſſe jus ſuffragii, ſed ſolius juris teſtificationis perhibende fuiſſe compotem (*e*), decernente Concilio Laodiceno: *Non eſt permittendum Turbis electiones eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium provehendi* (*f*), & Concilio Romano, tempore Martini Papæ I. *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur, ſed in judicio Epiſcoporum ſit* (*g*). Sanctus quoque

(e) *Vid. ſupr. tom. 3. c. 19. à n. 18.*

(f) *Concil. Laodicenum c. 13.*

(g) *Concil. Roman. c. 1. relat. in c. non licet 8 diſt. 63.*

que Gregorius, dans formam in Epiſcopi Mediolanenſis Electione obſervandam, ſcribit Joanni Subdiacono: *Suâ nobis relatione Clerus innotuit, in electione sè filii noſtri Conſtantii Diaconi ſui unanimitèr conſenſiſſe &c. & quià multi illìc Mediolanenſium, coacti barbaricâ feritate conſiſtunt, eorum te voluntates oportet convocatis eis in commune perſcrutari. Et ſi nulla eos diverſitas ab electionis unitate diſterminat. Siquidèm in prædicto filio noſtro Conſtantio omnium voluntates, atque conſenſum perdurare cognoſcis, tunc eum à propriis Epiſcopis, ſicut antiquitatis mos exigit, cum noſtræ auctoritatis aſſenſu &c. facias conſecrari* (a). Demum Stephanus Papa VI. in epiſtolâ ad Romanum Ravennatem ſic decernit: *Sacerdotum eſt electio, & fidelis populi conſenſus adhibendus eſt, quia docendus eſt populus, non ſequendus* (b). Ità Clero jus ſuffragii, populo verò ſolum jus datum eſt conſentiendi in electionibus ad Epiſcopatum. In electionibus verò ad ordines, & inferiora beneficia, neque Clero, neque populo jus unquàm fuit ſuffragandi, neque conſentiendi: quidquid ſit dè conſultatione, ſive conſilio.

21. Quarè vel S. Cyprianus eſſet ſolitus de initiandis ad ordines, aut etiam ad ſtipendia eccleſiaſtica promovendis, una cum Carthaginenſi Clero, & populo conſultare, vel non; hoc nihil refert ad cauſam noſtram. Nàm ſi merum *conſilium* à populo exigebat, poterat illud omittere, cum conſilium, ut conſilium reduplicativè, & in ſtatu conſilii non cadat ſub præcepto. *Si ſuffragium* poſtulabat, ejus factum eſt correctum à Conciliis Laodiceno, & Romano, atque ab aliis Canonibus, qui liberam dant Epiſcopis facultatem quoslibet promovendi, abſque eo quod Clerus, & multò minùs populus, Epiſcopalem libertatem poſſint arctare (c). Dato etiam poſteà, ſed non conceſſo, quod Clerus, & populus antiquis illis temporibus partem aliquam, vel dè *jure*, vel dè conſuetudine tunc vigentibus, habuiſſent; adhuc per hoc non excluduntur extranei: quippè Clerus, & populus non minùs extraneis, quàm indigenis poterat, & ſuffragia, & conſenſum, & acclamationem, & quidquid aliud erat, conferre, uti Barcinonenſes Hiſpani S. Paulino Burdigalenſi Gallo contulerunt (d), & Hipponenſes Africani S. Piniano Romano, & Europæo fecerunt (e). Quæ tamèn poſtulationes, ſive acclamationes, aut ſuffragationes, tùm datæ indigenis, tùm extraneis, nullam neceſſitatem Epiſcopis inferebant, quippè quibus liberum erat illas admittere, vel reiicere, prouti de facto Lampius Epiſcopus Barcinonenſis poſtulationem Paulini, à populo, & Clero factam admiſit: Sanctus vero Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis, poſtulationem Piniani, à ſuâ Eccleſiâ factam, liberrimè refutavit.

22. Reſpondetur *octavò*, Doctrinam D. Cypriani eſſe cum aliâ ejuſdem doctrinâ congruè conferendam, ut jura juribus concordentur (f), & factis præcedentibus ritè collatis cum ſubſequentibus, utraque mutuo ſe declarent (g). Alibi tractantes de S. Cypriano ſententiam ipſius Sancti Doctoris in negotio, de quo agimus, uberrimè patefecimus (h). Nunc adjungimus, quod idem S. Cyprianus, aliquandò Clericos, & Presbyteros, nullius prærequiſito aſſenſu, promovit: nam & Celerinum, & Aurelium ad Lectoratus gradum elevans, & Numidicum ad apicem Presbyteratus attollens; de primis in epiſtolâ ad Clerum, & plebem locutus eſt: *Exultate, & gaudete nobiſcum lectis literis noſtris, quibus ego, & collegæ mei, qui præſentes aderant, referimus ad vos Celerinum fratrem noſtrum, virtutibus paritèr, & moribus glorioſum, Clero noſtro non humanâ ſuffragatione, ſed divinâ dignatione conjunctum &c. Jungendus in oratione Aurelio fuerat, cum quo & divini honoris ſocietate conjunctus eſt, cum quo omnibus virtutis, & laudis inſignibus copulatus eſt &c. Hos tamèn Lectores interim conſtitutos ſciatis, quià oportebat lucernam ſuper candelabrum poni, ut omnibus luceat, & glorioſos vultus in loco altiori conſtitui, ut ab omni fraternitate circumſtante conſpecti, incitamentum gloriæ videntibus præbeant. Cæterùm Presbyterii honorem deſignaſſe nos illis jam ſciatis, ut & ſportulis iidem cum presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas, æquatis quantitatibus partiantur* (i).

(a) S. Gregor. relat. in c. quanto & ibi gloſ. V. barbaricâ 10. diſt. 63
(b) Cap. noſſe 12. diſt. 63.
(c) Diana part. 10. tract. 1. reſ. 6.
(d) S. Paulin. ad Alip. inter epiſtolas S. Auguſt. epiſt. 35.
(e) Card. Baron. ann. 409. n. 17. & 25.
(f) Cap. cum expediat. 29. de elect. in 6.
(g) Leg. Julianus §. proinde ff. ad Senat. conſult. maced l. uxori ff. de legat.
(h) Vid. ſupr. Tom. 1. Sæcul. 3. cap. 4. à n 17.
(i) S. Cyprian. lib. 4. epiſt. 5.

23. De Numidico verò ſic S. Cyprianus Clerum, & populum ſuę Eccleſiæ commonuit: *Admonitos vos, & inſtructos ſciatis dignatione divinâ, ut Numidicus Presbyter aſcribatur Presbyterorum Carthaginenſium numero, & nobiſcum ſedeat in Clero, luce clariſſimâ Confeſſionis illuſtris, & virtutis, & fidei honore ſublimis* (*a*). Si ergò & Clericos, & Presbyteros, quandò ſibi melius videbatur, S. Cyprianus ſinè Cleri, & populi conſultatione ordinabat, & quotiès ei alitèr gratum erat, de eorumdem initiatione conſilia à Clero, & populo ſuſcipiebat; patet, hujuſmodi conſultationem, non ex debito, ſed ex merâ illius libertate fuiſſe, modò adhibitam, modò intermiſſam, & ſic fuiſſe arbitrariam, nec proindè tunc ſtatum feciſſe, neque univerſalitèr viguiſſe: neque nunc ad cauſam, quam ventilamus proficere, quia actus facultativi liberi omninò ſunt, & ſtatum non faciunt (*b*). Quarè argumentum, à methodo poſtulatum, quam tenebat D. Cyprianus in ordinando Clericos, & Presbyteros ſuæ Diœceſis, vel nihil afficit quoàd collationem beneficiorum, vel ſi quid afficit, probat potiùs libertatem eorum, à quibus diſpenſantur, quàm intentum Contradictorum, & idcircò ſemper eo magìs invaleſcit ſententia noſtra de libertate Eccleſiæ, admittendi unà cum indigenis, etiam extraneos ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *S. Cyprian. l. 4. epiſt. 10.*

(b) *Card. de Luca de Paroch. diſc. 9. n. 4.*

24. *Arguunt tertiò* Contradictores ex *D. Athanaſio*. Concitati adversùs hunc magnum fidei Catholicæ Athletam Arriani, omnem lapidem commoverunt, ut illum è Patriarchali ſolio Eccleſiæ Alexandriæ deturbarent, & licèt *totius populi ſuffragiis, apoſtolicè, & ſpiritualitèr in Marci thronum fuiſſet evectus*, ut inquit D. Gregorius Nazianzenus (*c*), tamen & ejus electionem impugnare (*d*), & honeſtatem infamare (*e*), & fidem nunquàm impetere deſtiterunt; eumque tandèm in Conciliabulo Tyrio damnaverunt (*f*), & in Pſeudoſynodo Antiochenâ depoſitione mulctarunt (*g*), ſuffecto in ejus locum Gregorio Cappadoce; cujus intruſionem Catholici omnes affatim improbarunt; Julius Romanus Pontifex execratus eſt (*h*), & ipſe D. Athanaſius animoſiſſimè coràm omnibus impugnavit, de Conſtantio Imperatore, ejuſdem intruſionis fautore, declamans: *Hic excogitavit quo pacto legem inverteret, diſſolvens Domini conſtitutionem, per Apoſtolos traditam, & mores Eccleſiæ immutans, novumque excogitans conſtituendorum Epiſcoporum modum. Ex aliis quippè locis, & quinquaginta manſionum intervallo diſſitis, cum militibus Epiſcopos mittit &c.* (*i*). Gregorii quoquè Cappadocis intruſionem, S. Athanaſius bis increpuit improperiis: *iſta ideò patravit, quià neque ſecundum eccleſiaſtica inſtituta creatus erat, neque pro Apoſtolicâ traditione nomen Epiſcopi obtinebat* (*l*). Tota autèm ratio, quarè Athanaſius Gregorii provectionem ità acritèr carpſit, fuit, quia Gregorius erat extraneus, nec Alexandrię natus, nec ibi baptizatus, ſed in Cappadociâ provinciâ Aſiæ progenitus, à quâ Alexandria urbs Africæ in Ægypto, ubi Epiſcopatum invaſerat, per immenſa maris, & terrarum ſpatia, diſſidebat. Eodem ſpiritu ductus improbavit Athanaſius provectionem Germinii Epiſcopi Cyziceni ad Eccleſiam Sirmienſem, & Cecropii Laodiceni ad Eccleſiam Nicomedienſem, operâ ipſiuſmet Conſtantii peractas (*m*). Ex quibus deducunt Contradictores, juxtà Athanaſii doctrinam, viros extraneos non licitè ad Epiſcopatus provehi, & conſequentèr nec etiàm ad eccleſiaſtica beneficia.

(c) *S. Gregor. Nazianz. orat. in laud. Athanaſ.*

(d) *Sozomen. lib. 2. cap. 16.*

(e) *Theodoret. lib. 1. cap. 30*

(f) *Baron. an. 336. num. 2.*

(g) *Sozomen. lib. 3. cap. 5.*

(h) *Julius PP. I. apud S. Athanaſ. Apolog. 2.*

(i) *S. Athanaſ. epiſt. ad Solitar.*

(l) *S. Athanaſ. loco citato.*

(m) *S. Athanaſius ubi ſupra.*

25. Reſpondetur *primò* negando ſuppoſitum, nempè quod electio Gregorii Cappadocis eâ præſertìm cauſâ fuerit improbata, quod eſſet extraneus. Nàm etiam Euſebius Emiſſenus, qui antè Gregorium fuit in locum Athanaſii ad Alexandrinas Inſulas daſtinatus (*n*), erat extraneus, utpotè in provinciâ Oſrohenorum natus (*o*), poſitâ in Meſopotamiâ ultrà Euphratem (*p*), qui refutato Alexandrino Solio, ſubindè fuit ad Emeſenum evectus in Syriâ, abſque eo quod adversùs illum nec Athanaſius, neque alii tantis ejulatibus inclamaverint. Vera ergò cauſa impugnatrix Gregorii, non fuit quià eſſet extraneus à throno Alexandriæ, ſed quià in dubium revocabatur, an rè verâ eſſet Chriſtianus, vel sè pro tali potiùs in illis re-

(n) *Card. Baron. ann. 341 n. 7.*

(o) *Sozomen. Hiſt. lib. 3 c. 5.*

(p) *Ferrar. Lexic. Geograph. V. Oſrohene.*

rum

Digitized by Google

rum circumſtantiis venditaret, prò temporum varietate, ac prò ratione locorum, fidem cum opportunitate commutans (*a*). Et quatenùs etiam vere Chriſtianus eſſet, qualem sè reputandum eſſe exhibebat; obſtabat quod fuerat ab Epiſcopis Catholicis, eum prò tali reputantibus, excommunicationis vinculis irretitus (*b*): Quodque magis adhùc obſiſtebat, erat innocentia Athanaſii, cujus cauſa dùm Romæ in Synodo ad hoc vocatâ pendebat, non poterat, durante appellatione, à paucis Epiſcopis Antiochiæ congregatis reſolvi, prout Julius Papa Arrianis per datas ad eos literas exprobravit (*c*). Quapropter, Athanaſio non ritè depoſito, Sedes Alexandrina non vacabat, nec ei licitè poterat Gregorius Pſeudoantiſtes obtrudi; & ideò benè illum Athanaſius, & calamo, & vocibus impugnavit, & de eo Concilium Sardicenſe paulò poſtmodùm definivit, *Cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, eorum Epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit, agendum ſibi negotium in urbe Româ, alter Epiſcopus in ejus Cathedrâ poſt appellationem ejus, qui videbatur eſſe depoſitus, omninò non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata* (*d*).

(a) *S. Athanaſ. de Synodis.*
(b) *S. Athanaſ. ep. ad Orthodoxos.*
(c) *Julius PP. I. ap. Athanaſ. Apolog. 2.*
(d) *Concil. Sardicenſe c. 4.*

26. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm negando aliud ſuppoſitum, ſcilicet quod S. Athanaſius, vocando Gregorium Cappadocem exterum, ſeù extraneum, intellexerit de extraneo, quà aliundè nato; ſeù in regione alienâ ſuborto: non enim in tali conceptu de eo locutus eſt, ſed dè ipſo, uti peregrino, gyrovago, & incognito verba fecit. Nàm cum indè illum carpat, quod non eſſet neque Alexandriæ baptizatus, neque à Clero, & populo illius Metropolis poſtulatus, proùt & Julius Papa apud ipſum Athanaſium Gregorium memoratum coarguit, tamquàm *peregrinum, & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque poſtulatum à Presbyteris, neque ab Epiſcopis, neque à populis* (*e*); patet, quod ſi Gregorius fuiſſet, vel Alexandrię baptizatus, vel ab Epiſcopis Egyptiis, aut à Clero, & populo poſtulatus, quantumvis ortum alibi ſuſcepiſſet; nec Athanaſius, neque Julius illum aut prò extraneo reputaſſent, aut extraneitatem in illo reprehendiſſent: Sicque clarè Athanaſius non loquitur de extraneo, quà aliundè nato, ſed de eo quâ peregrino, gyrovago, incognito, & irregularitèr introducto.

(e) *Julius PP. I. ap. S. Athanaſ. Apolog. 2.*

27. Et certè S. Athanaſius viſitans Monaſterium S. Pachomii (*f*), & ſolitudinem inviſens, in quâ S. Antonius vitæ anacoritichæ operam dabat (*g*), plures Monachos, ibi aſceticè viventes, ex interiori Eremo ad Epiſcopale faſtiginm evexit (*h*), & Dracontium, qui renuebat Hermopolitanas infulas acceptare, ſtimulavit exemplis Epiſcoporum, è Solitudinis anguſtiis ad Epiſcopale munus obeundum in Urbibus ſibi deſignatis, aſſumptorum (*i*): quarè non eſt credibile, quod S. Athanaſius fuerit à ſeipſo diverſus, modò Monachos Eccleſiis, à quibus erant extranei, præficiendo: modò Gregorium Cappadocem indè arguendo, quod ab Alexandrinâ Eccleſiâ eſſet extraneus. Si dicatur præfatos Monachos, Epiſcopatus gloria perauctos, ſingulos proprias, & nativas Eccleſias moderandas ſuſcepiſſe; hoc eſt à Contradictoribus probandum, non ſupponendum: nam prudentèr, & ſinè affectatione judicium ſuper veritate, ſeù veriſimilitudine dirigendo, non eſt credibile, quod omnes fuerint in Eccleſiis propriæ patrię ad Epiſcopale munus promoti. Qui tametſi cuncti origine fuiſſent Egyptii, quod vix eſt probabile, ſingulique Eccleſias, in Egypto ſitas, dirigendas ſuſcepiſſent; non tamèn extraneitatis vitio non ſuccubuiſſent, niſi in patriâ præcisè officium Epiſcopale ſuſcepiſſent, quippè eo tempore extraneitas, non à nationalitate Regionis, ſed ab Indigenatu patrię petebatur.

(f) *Baron. ann. 318. num. 1 & c.*
(g) *Baron. ubi ſupr. num. 5.*
(h) *Card. Baron. an. 328. num. 23. & c.*
(i) *S. Athanaſ. epiſt. ad Dracont.*

28. Reſpondetur *tertiò*, Extraneitatem in Gregorio Cappadoce non alio modo fuiſſe ab Athanaſio conſideratam, quàm quo eam Julius Romanus Pontifex, & cauſæ cognitor, impugnavit: Julius autem non unam extraneitatis cauſam attendit, ſed plures cauſas ponderans, quæ provectioni Gregorii vitium ingerebant, hanc quoque cum eis aggregavit, conferendo leviores cum gravioribus, & minores

majoribus accumulando, ut ex cunctis ſimùl collectis, multiplex prævaricatio ſacrorum Canonum innoteſceret. Res tota non meliùs deſcribi poteſt, quàm verba Julii ad literam conſcribendo; *Qui ſunt*, inquit, *qui contrà canones agunt? nos nè, qui cum tantis rerum documentis virum recipimus? An qui à triginta ſex manſionibus Antiochiæ quendam velut Epiſcopum, externum hominem ſalutarunt, eumque in Alexandriam miſerunt &c. Non decuit novos iſtos modos contrà Eccleſiam induci. Ubi enim eſt iſte eccleſiaſticus canon, aut iſtiuſmodi traditio Apoſtolica? Ut in pace agente Eccleſiâ, & Epiſcopis concordibus cum Epiſcopo Alexandriæ Athanaſio, immittere Gregorium peregrinum, & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque poſtulatum à Presbyteris, neque ab Epiſcopis, neque à populis, eumque Antiochiæ creare Epiſcopum, atque indè deducere Alexandriam, non cum Presbyteris, aut Diaconis Civitatis, non cum Epiſcopis Ægypti, ſed cum Militibus &c. Si enim in culpâ fuiſſet deprehenſus Athanaſius, non tamen oportuit creationem novi Epiſcopi ità illegalitèr, & pretèr eccleſiaſticum canonem fieri, ſed in ipsâ Eccleſiâ, & ex ipſo Sacerdotali ordine, & ex ipſo Clero Epiſcopos Provinciæ conſtituere: nequaquàm autem Apoſtolorum canones violare* (a).

(a) *Julius PP. I. ep. S. Athanaſ. Apolog. 2.*

29. Videt eruditus Lector, quod motiva, quibus Julius innititur, ad improbandam evectionem Gregorii, non ſunt unum, neque duo, ſed decem, & quindecim: nàm pretèr *extraneitatem*, dicit, quod erat *peregrinus*, natione *Cappadox*, & in loco natus *triginta ſex manſionibus* ab Alexandriâ diſtante: Non *baptizatus* Alexandriæ, non *plebi cognitus*, neque *ab Epiſcopis*, neque *à Presbyteris*, neque *à populis* poſtulatus: Non *in Alexandrinâ Eccleſiâ electus*, neque inibi *conſecratus*: Non *ex Clero* Alexandriæ, neque *ex Sacerdotali ordine* aſſumptus: Non *à Catholicis Epiſcopis*, ſed ab Hæreticis inauguratus: Non Eccleſiæ *vacanti præfectus*, ſed plenæ, *ob non deprehenſum inculpâ* Athanaſium: Nèc tandèm Alexandriam cum Hymnis, & Canticis, prout mos erat, neque *à Clericis*, *& Sacerdotibus ductus*, *ſed à Militibus* armatâ manu introductus. Ex tot cauſis duæ erant potiſſimæ. Una quod ſuperſtite adhùc Athanaſio, nec ritè depoſito, Gregorius fuiſſet Eccleſiæ non vacanti ſuperintruſus; vitium inſanabile, ac nullitatem inſanabilem continens: quippè, ut ait D. Leo, viventi adhùc Epiſcopo alium ſuperinducere, non eſt *ſalubritatem impendere diligentiæ paſtoralis, ſed vim inferre latronis, & furis, dicente Domino, qui non intrat per januam in cortem ovium, ſed aſcendit aliundè, hic fur, & latro eſt* (b).

(b) *S. Leo. epiſt. 89. poſt med.*

30. Alia ratio potiſſima fuit, quod Gregorius, vir ignotus, non Sacrorum miniſtrorum cœtu ſtipatus, ſed militum catervâ circumdatus, fuiſſet Alexandriam introductus: deformis agendi modus, & Eccleſiæ indecens, quem deplorat idem S. Leo ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis, hæc habens: *Militaris manus per provincias ſequitur Sacerdotem, & armatis præſumptione ſuffulto, ad invadendas per tumultum famulatur Eccleſias, quæ proprios amiſerint. Traduntur ordinandi ad hoc officium his, quibus præficiendi ſunt, Civitatibus ignoti. Ut enim notus, qui fuerit probatus, per pacem petitur; ità per vim neceſſe eſt, qui ignotus adducitur imponatur. Obteſtor, & obſecro, & ſub Dei vos invocatione convenio, prohibete fratres talia, & omnem diſſenſionis materiam de veſtris provinciis removete &c. Per pacem, & quietem Sacerdotes, qui præfuturi ſunt, poſtulentur. Teneatur ſubſcriptio Clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conſenſus, & plebis* (c).

(c) *Idem S. Leo loc. citat.*

Quindecim ergò, & ultrà, cauſas allegat Julius adversùs intruſionem Gregorii Cappadocis conclamantes, & cum duabus potiſſimis, etiam alias conglobat minoris momenti, ut oſtendat sè cunctas connotare, & jura juribus cumulare. Sed certè non eas omnes prò talibus habuit, quę ſingularitèr electionem Gregorii invalidam pronuntiarent. Quantâ autem juſtitiâ, & veritate Contradictores, neglectis tot aliis cauſis majoris notæ, minori earum, nempè extraneitati, adſcribant repulſionem Gregorii Cappadocis à Sede Alexandrinâ; prudens, & benignus noſter Anagnoſtes dijudicet.

31. Re-

31. Reſpondetur *quartò*, quod quatenùs etiam de facto Extraneitas Gregorii Cappadocis fuiſſet prò ratione alicujus pręcipui ponderis allegata, hoc profluxiſſet, non ex generali totius Eccleſiæ diſciplinâ, ſed ex particulari, & locali jure Alexandrinæ Eccleſiæ, à D. Hieronymo in Epiſtolâ ad Evagrium indicato: *Quod autem poſteà unus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens, Chriſti Eccleſiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangeliſtâ uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, presbyteri ſemper unum ex ſè electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant: quomodò ſi exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de ſè quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent* (a). Vel etiàm profluxiſſet ex more inconcuſſo, quem viguiſſe teſtatur D. Athanaſius in Eccleſiâ Alexandrinâ, ut ſtatim, vacante Sede, inibi alius ſubrogaretur Antiſtes, ne dilatio anſam præberet Factiones excitandi, & jurgia producendi, cujus conſuetudinis pondus ipſe expertus fuerat Athanaſius, dùm ei *moriens Alexander Epiſcopatum committi mandaverat. Verùm cum hæc ſit Alexandrię conſuetudo, ut poſt Epiſcopi mortem, ſucceſſor non diutiùs differatur, ſed ſubindè pacis tuendæ gratiâ, ne aliis hunc, aliis illum amplectentibus, jurgia in vulgus, & contentiones exiſtant, abſente Athanaſio Achillam ſubſtituere coacti ſunt* (b).

(a) *S.Hieron. ep.85. ad Evagrium.*

(b) *S.Epiphan. hæreſ.69.n.11.*

32. Omittimus hìc referre morem illum, quem Joannes Seldenus ex fragmento Chronici Arabici Eutychii Patriarchæ Alexandrini, ità reddidit in latinum: *Conſtituit Marcus Evangeliſta duodecim Presbyteros cum Ananiâ, qui nempè manerent cum Patriarchâ, adeò ut cum vacaret Patriarchatus, eligerent unum è duodecim Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, & Patriarcham crearent* (c). Omittimus illum, inquam, uti parum caſtigatæ fidei, vel apocryphum, & abſurdum, qualem illum reputat Morinus de Sacr. Ordin. (d), & alii. Omittimus etiàm aliam cæremoniam, à Liberato memoratam, his verbis, *Conſuetudo eſt Alexandriæ, illum, qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo Beati Marci pallium, & tunc legitimè ſedere* (e). Igitur habebat Eccleſia Alexandrina ritus aliquos, in provectione ſuorum Antiſtitum obſervandos, quibus cum extraneitas ſummoperè obſiſteret, nil mirum ſi hæc fuiſſet Gregorio incunctantèr objecta. Sed cum hujuſmodi ritus, & conſuetudines uti peculiares, & locales fuerint illi pręciſæ Eccleſiæ alligati; certum eſt, quod adversùs inconcuſſam omnium Eccleſiarum libertatem, Epiſcopos undùcumque accipiendi, non potuerunt ullatenùs prævalere (f). Undè, quidquid ſit, an Gregorius Cappadox fuerit ab Alexandrinâ Eccleſiâ proptèr ſuam extraneitatem repulſus; non ſequitur, quod alii quoque Extranei, ab aliis Eccleſiis tunc repellerentur, & multò minus quod debeant ubilibet nunc repelli, contrà generalem, & antiquiſſimum totius Eccleſiæ morem, omnes indifferentèr, tùm extraneos, tùm indigenas ad Epiſcopatus admittentem, & ad cuncta etiam beneficia ordinis inferioris.

(c) *Seldenus.*

(d) *Morin. de ſacr. Ordin. p.3. exerc.7. c.1.*

(e) *Liberat. cap. 20. Breviar.*

(f) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. par.1. l.1. c.52. n.8. ad fin.*

33. Reſpondetur *quintò*, quod quantum ſpectat ad Gregorium Cappadocem, adaptari poſſent præſenti argumento plures ex reſponſionibus, quæ datæ ſunt prę teritæ objectioni ex S.Cypriano deſumptę, quas hìc non extendimus, nè ſemèl dicta inutilitèr repetamus: relegat eas lector, & ſingula ſingulis congruè referendo, argumentum uſque ad ſatietatem diſſolvet. Prò quanto autem concernit tranſitum Germinii Cyziceni ad Eccleſiam Syrmienſem, & Cecropii Laodiceni ad Eccleſiam Nicomedienſem; dicimus eorum translationem fuiſſe à D. Athanaſio improbatam, non ut ſic, & ut extraneitatis vitio laborantem, ſed uti ſolâ Conſtantii Cæſaris auctoritate peractam. Cùm enim intèr Epiſcopum, & Eccleſiam ei commiſſam, contrahatur ſpirituale connubium, uti docet S. Hieronymus in Epiſtolâ ad Oceanum (g), & definiunt Canones Eccleſiam regulantes (h): quemadmodùm carnale Matrimonium diſſolutionem vinculi non admittit; ſic neque connu-

(g) *S.Hieron. epiſt. ad Ocean. 83.*

(h) *Cap. etſi unanimitèr 6. de poſtul. prœl.*

bium

bium ſpirituale, de ſui naturâ, quos ſemel in Domino conjunxit, ſeparari unquàm permittit, niſi aliud graves cauſæ depoſcant, non à laicis, ſed ab Eccleſiâ cognoſcendæ, quæ ſervatis ſervandis, decretum prò diſſolutione interponat (*a*). Et ideò in Canonibus Apoſtolorum (*b*), atque adhùc firmiùs in magnâ Synodo Nicenâ fuit conciliaritèr conſtitutum, *proptèr multum tumultum, & ſeditiones, quæ fiunt, omninò viſum eſt, ut conſuetudo, quæ prætèr canonem in nonnullis partibus invenitur, tollatur, ut à Civitate in Civitatem nec Epiſcopus, nec Presbyter, nec Diaconus tranſeat* (*c*), quod & poſteà in Concilio Sardicenſi (*d*), in Carthaginenſi III. (*e*), in Chalcedonenſi (*f*), atque in aliis vetitum eſt, & à D. Leone Papâ I. in epiſtolâ ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem (*g*), eſt ſeverè prohibitum. Improbat ergò Athanaſius Germinii, & Cecropii translationes, tamquàm ſacris Canonibus, & indiſſolubilitati ſpiritualis Matrimonii contrarias, & Conſtantium Imperatorem illarum auctorem, Antichriſto coæquat: ſed nihil indè conſurgit, quod Clericorum extraneorum excluſioni ab eccleſiaſticis beneficiis ſubſerviat. Cęterùm de mente Athanaſii alia ſupra retulimus, ad quæ benignum Lectorem remittimus (*h*).

(a) *Cap. niſi cum pridem de Renunt.*
(b) *Canon. Apoſtol. 14. & 15.*
(c) *Concil. Nicenum I. c. 15.*
(d) *Concil. Sardicenſe can. 1. & 2.*
(e) *Concil. Carthag. 3. c. 8.*
(f) *Concil. Chalced. cap. 5.*
(g) *S. Leo epiſt. 84. cap. 8.*
(h) *Vid. ſupr. tom. 1. Sæcul. IV. c. 7. à num. 1*

CAPUT IX.

In quo aliis Objectionibus reſpondetur, petitis ex doctrinâ, & geſtis SANCTORUM PATRUM, *contrà libertatem Eccleſiæ, in conferendo etiàm Clericis extraneis Eccleſiaſtica Beneficia.*

SUMMARIUM.

1 Quarta Objectio ex D. Leone Magno, *jubente, ut Epiſcopus eligatur ex Presbyteris Eccleſiæ vacantis: quod & verificatur in aliis minoribus beneficiis.*
2 *S. Leo loquitur de modo in electione Archiepiſcopi tenendo. Quilibet Epiſcopus olim dicebatur*, Summus Pontifex, *&* *Summus Sacerdos.*
3 *In Urbibus magnis non deſunt idonei ad Epiſcopatum; poſſuntque nota eſſe Electoribus merita, tùm Extraneorum, cùm Indigenarum.*
4 *In parvis locis aliquandò ordinati ſunt Epiſcopi: quod nè fieret Canones vetuerunt, nè vileſcat dignitas Epiſcopalis.*
5 *Nunquàm opus fuit eligi Epiſcopum ex gremio Eccleſiæ, niſi quatenùs qui eſt de gremio, cæteris paribus præponendus eſt.*
6 *Etiàm Epiſcopatus parvarum Urbium ſuas prærogativas habent: & tàm eſt Epiſcopus qui magno, quàm parvo præeſt loco.*
7 *Romana, Alexandrina, Carthaginenſis, & aliæ primariæ ſedes, ſemper potuerunt extraneos promovere.*
8 *Extranei non fiunt indigenæ loci beneficii, quià ibi reſideant, ſed quià intitulantur; ibique prò civibus habentur.*
9 *Licita eſt pluralitas beneficiorum ex cauſâ, ſuper quà Eccleſia diſpenſat. Hæcque pluralitas favet extraneis.*
10 *Papa poteſt alienos Clericos ad ſe trahere, vel alibi locare, & beneficiorum diſpenſatores ea quibuſque dare valent.*
11 Quinta Objectio ex D. Bernardo, *improbante beneficia poſſideri à Monachis, hoſque illis ſervire per alios.*

12 *Diffe-*

12 Differunt beneficia ſimplicia à reſidentialibus: hæcquè non niſi à reſidentibus haberi poſſunt.

13 Monachi ſunt capaces beneficiorum, Hęc à ſuis Monachis ablegare geſtiit S. Robertus Moliſmenſis, retento opere manuali.

14 Referuntur motiva, propter quæ D. Robertus inſiſtebat, ut Monachi beneficia, & decimas non haberent.

15 Major pars Monachorum ei reſtitit, contendentes, ſe velle vivere illâ formâ, quâ cæteri Monachi Occidentis vivebant.

16 Robertus diſceſſit à Moliſmo, & abiit Ciſtertium, ubi Monaſterium erexit, ſed Urbanus PP. II. eum compulit redire.

17 A Monachis Moliſmenſibus ad alios, paritas non tenebat, quoàd bonorum immobilium poſſeſſionem.

18 Sicùt Monachi, licèt extranei, poſſunt beneficia obtinere, ità multò magis Clerici ſæculares, quamvis extranei.

19 Beneficia à laicis accipere, etiam Monachi non poſſunt. Senſus Arnulphi Lexovienſis, & Concilii Pictavienſis circà hoc.

20 Modum hunc beneficia obtinendi carpit D. Bernardus, non extraneitatem eadem obtinentium.

21 Qui & alibi optimè affirmat, poſſe beneficia à Monachis obtineri; licèt hi ſint extranei ab eis.

22 Sexta Objectio ex D. Gregorio, jubente alii Clericos, ut prædicent, ſoli autèm indigenæ, ſeù reſidentes prędicare valent, & alia.

23 Nedùm Epiſcopi, & Parochi, ſed etiàm Clerici, de licentiâ Epiſcopi poſſunt prędicare, exemplis Origenis, Panteni &c.

24 Subſidia Prædicatoribus debita, longè differunt à beneficiis eccleſiaſticis. Quâ Intentione præfata ſubſidia ſumenda ſint.

25 Quì poteſt mittere Prædicatores ad prędicandum, poteſt etiàm ſtipendia eis debita, vel deſtinata, conferre.

26 Varii Papæ Prædicatores miſerunt in Africam, Siciliam, Angliam, Galliam, Germaniam, Scotiam, Britanniam.

27 Juſtinus Imperator, Pipinus Rex Gallię, Lucius Britannię, Oſualdus Anglię, Prędicatoribus evangelizantibus pręſtò fuerunt.

28 Beneficia Eccleſiaſtica non omnia debentur ſolis Prędicatoribus, ſed etiam aliis, qui alio modo Eccleſię deſerviunt.

29 Sicut Prædicatores aluntur ab Eccleſiâ, ut prædicent, ſic Cantantes alendi ſunt, ut cantent, Orantes, ut orent.

30 Dicit S. Gregorius, minùs idonum tolerandum, ſi melior haberi non poſſit. In foro conſcientię dignior eſt eligendus.

31 Expreſſèque optat pręferri magis idoneum, etſi exterum indigenę minùs idoneo, ut ex ejus verbis.

32 Quod fit ex tolerantiâ, vel ex neceſſitate, non facit legem ab omnibus obſervandam. Multa tolerantur, quæ non approbantur.

33 Ad beneficia congruum eſt præferri, cęteris paribus, Indigenam extraneo, non tamèn id cadit ſub præcepto.

34 Cęterorum paritas non eſt dijudicanda à viris otioſis, ſed à collatoribus beneficiorum, vel nominatoribus ad ea.

Deus

Digitized by Google

1. DEus *plebis Iſrael elegit Patres noſtros* (*a*), ut eſſent nobis eruditores, & quod ab ipſis factum, vel dictum eſſe comperimus, ad noſtram doctrinam editum eſſe ſciremus. Ideòque ità in difficultatibus Eccleſiæ ſentiendum eſt, uti à communi Patrum ſententiâ traditum reperitur: quos non niſi Spiritu Sancto afflante cenſendum eſt ea, quæ fecerunt egiſſe, & quæ dixerunt ingenuè protuliſſe, quando in eundem ſenſum unanimitèr convenerunt. Igitùr ad cauſam noſtram, *Arguunt quartò* Contradictores ex *D. Leone* Magno, dante Anastaſio Theſſalonicenſi formam electionis Epiſcopalis hoc modo: *Metropolitano defuncto, cum in locum ejus alius fuerit ſubrogandus, provinciales Epiſcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt, ut omnium Clericorum, atque omnium civium voluntate diſcuſsâ, ex presbyteris ejuſdem Eccleſiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur, de cujus nomine ad tuam notitiam provinciales referant Sacerdotes, impleturi vota poſcentium, ſi quod ipſis placuit ſibi quoque placuiſſe cognoverint &c.* (*b*). Ex ſolis ergò Presbyteris, & Diaconatu fulgentibus Clericis Eccleſiæ vacantis vult D. Leo novum Epiſcopum deputari, non verò ex aliis gentibus, & nationibus: ergò vult indigenas, non extraneos, ad Epiſcopatus apicem promoveri; Quod autem hìc diſponit de Epiſcopo, in aliis etiàm beneficiariis locum habet, proportione ſervatâ: ergò beneficia eccleſiaſtica non extraneis, ſed indignis, & ſolius viduatæ Eccleſiæ Clericis ſunt indiſpenſabilitèr conferenda.

2. Reſpondetur *primò* hujuſmodi argumentum eſſe inferiùs perpluribus reſponſionibus reſolvendum, ubi de Objectionibus legalibus agemus, undè illùc benevolum Lectorem emittimus (*c*). Attamen ne hic quoque Argumentum jejunè prætereamus, dicimus, S. Leonem, illis verbis, non legem edidiſſe, in omnium Eccleſiarum, & beneficiorum largitione generalitèr obſervandam, ſed ſolam methodum præſcripſiſſe, in electione Metropolitani directivè tenendam. Nàm de Epiſcopis, in eâdem epiſtolâ paulò ſuperiùs edixerat: *Cum de Summi Sacerdotis Electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebiſque conſenſus concorditèr poſtulaverint* (*d*). Nec quià tractat *de Summi Sacerdotis electione*, putandum eſt, loqui de electione Summi Pontificis, cum Anaſtaſius Theſſalonicenſis, cui epiſtola eſt directa, nihil haberet, quo ſe in electione Papæ immiſceret; ſed loquitur de electione Epiſcopi, quem certum eſt aliquandò fuiſſe *Summi Pontificis* nomine decoratum (*e*), ità enim S. Paulinus, ad Romanianum ſcribens, ait: *Tùnc verè ſibi Summus Chriſti Pontifex Auguſtinus videbitur, quià ſe tunc & exauditum ſentiet ab excelſo &c.* (*f*); *Summi* etiam *Pontificis*, vel *Summi Sacerdotis*, aut *Summi Antiſtitis* nomine Epiſcopum appellarunt Melchiades (*g*), & Damaſus, Papæ (*h*): Tertullianus (*i*), & Hincmarus, Patres (*l*): Agathenſe (*m*), & Aurelianenſe, Concilia (*n*), & quod hìc D. Leo nomine Summi Sacerdotis ſolum Epiſcopum intelligat, ex ipſis ejus verbis convincitur, quibus ſubdit: *Si in aliam fortè perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio, is alteri præferatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur, & meritis: tantum, ut nullus invitis; & non petentibus ordinetur, ne Civitas Epiſcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religioſa quàm convenit, cui non licuerit habere quem voluit* (*o*):

3. Clarè ergò D. Leo diſtinguit aliqualitèr intèr electionem Metropolitani, & aliorum Epiſcoporum, definitque, ut electio Metropolitani fiat ex Presbyteris, vel Diaconibus Eccleſiæ Metropolitanæ, quantum poſſibile eſſet; electio verò aliorum Epiſcoporum undecumque fiat, etiàm de non Presbyteris, nec Diaconibus Eccleſiæ, hoc ſolum præſcripto, ut Cleri, plebiſque conſenſus accedat, quem certum eſt potuiſſe perſpectas habere, & benè cognitas virtutes, non minùs Clericorum origine extraneorum, quàm indigenarum, & æquè in unum, ac in alium propriis apicibus conſentire. Hoc totum tamen directivè, non præceptivè præſcriptum eſt. Nàm ſi de facto eligebantur in Archiepiſcopum, vel Epiſcopum aliquis extraneus à Clero Eccleſiæ viduatæ; valida erat electio. Rationem nihilominus

præ-

(a) *Act. Apoſtol. c. 13 num. 17.*
(b) *S. Leo I. epiſt. 84. cap. 6.*
(c) *Vid. infr. in hoc tom. cap. 13 num. 1.*
(d) *S. Leo I. epiſt. 84. cap. 5.*
(e) *Vid. hic infr. cap. 11. n. 18.*
(f) *Paulin. epiſt. ad Romanian. quæ eſt 16. inter epiſt. D. Auguſt.*
(g) *Melchiad. Pap. epiſt. 1.*
(h) *Damaſus I. epiſt. 45.*
(i) *Tertullian. lib. de Baptiſm.*
(l) *Hincmar. epiſt. 4. cap. 4.*
(m) *Concil. Agathenſ. cap. 15.*
(n) *Concil. Aurelianenſ. I. cap. 1.*
(o) *S. Leo PP. I. epiſt. 84. cap. 5.*

Digitized by Google

prę̨fatæ ſanctionis directivæ, per D. Leonem editæ, indè credendum eſt effluxiſſe, quod in Eccleſiis Metropolitanis, tamquàm erectis in Urbibus præcipuis, & peramplis, vix moralitèr poterat deeſſe in Clero, & populo, vir moribus, & doctrinâ prę̨clarus, qui in Epiſcopum eligeretur. Hanc opinionem habuit de Clero Sedium Archiepiſcopalium Nicolaus Papa I. dùm in epiſtolâ ad Carolum Calvum, improbans electionem Egilonis monachi extranei ad Metropolim Senonenſem, ait: *Aut de Eccleſiæ Senonenſis Clericis, qui ordinaretur nullus dignus inventus eſt, quod eveniſſe non credimus: maximè cum ſit Metropolis, & Clericorum numeroſitate non careat; aut certè, his jure minimè reprobatis, aliundè qui eis præponeretur, inventus eſt* (a).

(a) *Nicol. PP. I. ep. 54. ad Carol. Calv. ap. Sirmond to. 3. Conc Gall. f. 276.*

4. In Eccleſiis verò Epiſcopalibus, quę interdùm in Urbibus puſillis, vel etiam mediocribus erant erectæ, facilitèr contingere poterat, non eſſe in promptu viros, ad Epiſcopalem gradum idoneos. Notum eſt enim aliquandò Epiſcopatus fuiſſe in exiguis Urbibus, & in parvis etiam Oppidulis excitatos, uti cum magnus S. Baſilius parvum, & obſcurum Saſimorum locum, in Epiſcopalem Sedem erexit, ut ibi Gregorium Nazianzenum Epiſcopum conſecraret (b): Cum Iſchyrion in agro Alexandrino puſillæ plebi eſt ab Arrianis Epiſcopus ordinatus (c): Cum Antonius in modico Fuſſalę vico, apud Hipponam, à D. Auguſtino eſt Epiſcopali gloriâ decoratus (d). Quod ſanè vitium aliquando in Eccleſiâ ſerpſit, Epiſcopos in locis exiguis deputandi, cumque hoc paulatim invaleſcendo hùc illùc nimiùm pervagaret; oportuit ut & Concilium Laodicenum (e), & Sardicenſe (f), & Carthaginenſe II. (g), interdictione oppoſitâ illud remorarentur. In Africâ pluſquàm alibi ſe olim diffuderat hęc abuſio, obſervatumque fuit ab Alipio, ingentem numerum Epiſcoporum Donatiſtarum, qui ad Collationem, Carthagine habitam cum Catholicis, convenerant, *in fundis, vel in villis eſſe Epiſcopos ordinatos, non in aliquibus Civitatibus* (h). Hæcque abuſio, S. Leonis Papæ I. tempore, tam efferatè sè in Africam dilataverat, ut ei in epiſtolâ ad Epiſcopos Africę, & Maritaniæ coactus ſit hoc obviare decreto: *Illud ſanè quod ad Sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus Canonum ſtatuta ſervari, ut non in quibuslibet locis, neque quibuslibet caſtellis, & ubi antè non fuerunt Epiſcopi, conſecrentur, cum ubi minores ſunt plebes, minoreſque conventus, presbyterorum cura ſufficiat. Epiſcopalia autem gubernacula, non niſi majoribus populis, & frequentioribus Civitatibus oporteat præſidere, ne quod Sanctorum Patrum divinitùs inſpirata decreta vetuere, viculis, & poſſeſſionibus, vel obſcuris, & ſolitariis municipiis tribuatur Sacerdotale faſtigium, & honor, cui debent excellentiora committi, ipſe ſui numeroſitate vileſcat* (i).

(b) *Card. Baron. an. 371. n. 82. & 90.*
(c) *S. Athanaſ. Apolog. 2.*
(d) *S. Auguſt. epiſt. 261.*
(e) *Concil. Laodicenum cap. 57.*
(f) *Concil. Sardicenſe c. 6.*
(g) *Concil. Carthagin. 2. cap. 5.*
(h) *Collation. 1. n. 181 & 182.*
(i) *S. Leo I. epiſt. 87. c. 2. in med.*

5. His ergò talitèr ſe habentibus, nil mirum eſt, quod S. Leo Metropolitanis Eccleſiis, uti populoſioribus, limitaverit electionem Antiſtitis ex earum proprio Clero faciendam, ità tamèn, ut hoc non abſolutè, ſed cæteris paribus, nec prę̨ceptivè, ſed directivè ſolùm eſſet intelligendum: Eccleſiis verò Epiſcopalibus, nullâ limitatione injectâ, libertatem reliquerit undecùmque Antiſtitem aſſumendi, modò cognitum, modò Clero, & populo gratum, modò tandèm à viduatæ Eccleſię communi conſenſione delectum; itaùt in actu electionis *expectarentur vota Civium, teſtimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, & electio Clericorum, quę in Sacerdotum ſolent ordinationibus ab his, qui norunt Patrum regulas cuſtodiri* (l), habitâ nihilominùs ibi quoque attentione, ut in æqualitate meritorum, cæteriſque paribus, Clerici de gremio Eccleſiæ præponerentur extraneis. Porrò abſolutè loquendo, negari non poteſt, quod in pluribus Eccleſiis Epiſcopalibus fuiſſet tunc, & nunc etiam eſſet moralitèr impoſſibile; electiones de gremio proprio celebrare: nam erant olim per orbem, & nunc etiam ſunt alicubi, & prę̨ſertìm in Regno Neapolitano, aliquæ Eccleſiæ, in modicis locis erectę, territorio vel nullo, vel ſatis arcto conſtipatæ, è quibus ſi deligendus eſſet Epiſcopus, non eſt credibile virum idoneum ibi facilitèr reperiendum. Quibus quidèm Eccleſiis

(l) *S. Leo epiſt. 80. in med.*

credimus alios non deeſſe titulos honoris, & decoroſas prærogativas, vel ex antiquitate, vel ex Antiſtitum, qui eas rexerunt, celebritate, vel ex divitiarum largitate, vel ex aliis honorificentiis, quas certum eſt Epiſcopales Sedes, etiàm intèr Urbium deſolatarum rudera retinere: quià *quamvis gloria thronorum per vim exciderit, tamen ſpiritualis gratia non exſoleſcit*, inquit Balſamon (*a*); ſed quod abundent viris, ad infulas Epiſcopales idoneis, quis audeat affirmare?

6. In hunc eundem ſenſum, dùm Epiſcopus Cumitanus Eccleſię Carthaginenſis jura invadere attentaret, ob Carthaginem jam funditus devaſtatam, S. Leo Papa IX. obſtitit, Thomæ Carthaginenſi ſcribens, jura Eccleſiarum, nec cum Urbium mœniis ſtare, neque cum eiſdem corruentibus deperire (*b*): non enim Urbium amplitudo, ſed legitima erectio Sedium epiſcopalium, fulgorem continet, quem ibi aliquandò habuit Sacerdotium: cum aliàs certum ſit ex S. Hieronymo, quod, *Ubicumque fuerit Epiſcopus, ſivè Romæ, ſivè Eugubii: ſivè Conſtantinopoli, ſivè Rhegii: ſivè Alexandriæ, ſivè Tanis, ejuſdem meriti, ejuſdem eſt & Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit* (*c*). Ipſis, inquam, Eccleſiis credimus non deeſſe titulos honoris, ac decoroſas prærogativas: ſed quis credat S. Leonem Papam I. ſi nunc viveret, præceptum, ut ibi electio Epiſcopi de vacantis Eccleſiæ gremio fieret, niſi vellet dicere, hic vel nullus eligatur Epiſcopus, vel immeritus provehatur; vel Deus, qui de *lapidibus potens eſt ſuſcitare filios Abrahæ* (*d*), hic quotidiè renovet mirabilia, quæ fecit, dùm S. Severum Eccleſiæ Ravennati, ex Lanificio Epiſcopum dedit (*e*): Dum S. Eligium ex Aurifice Noviomenſi Sedi pręficit (*f*): dum in cathedrâ Trimituntenſi S. Spiridionem ex paſtore pecorum collocavit (*g*); vel dùm in Eccleſiâ Cumenſi S. Alexandrum, ex Carbonario, in Antiſtitem conſecravit (*h*).

7. Reſpondetur *ſecundò*, quod quamvis S. Leo ſub præcepto poſuiſſet debitum eligendi ſibi Antiſtitem de proprio Eccleſiæ gremio, hocque non ſolis Metropolitanis, ſed cunctis omninò Eccleſiis voluiſſet eſſe commune; adhùc tamen ab hac lege generali, Sedes principales cenſebant ſe nullatenus eſſe adſtractas, quin poſſent undecunque Clericos accipere, ac Eccleſiis vacantibus copulare, cleroque inſerere, tam proprio, quam alieno, uti de *Romanâ* patet exemplis preſertim D. Gregorii ſuperiùs recenſitis (*i*). De *Alexandrinâ*, & *Conſtantinopolitanâ*, aliiſque Patriarchalibus paritèr ſuprà factus eſt ſermo (*l*). De *Arelatenſi* teſtis eſt, quidam Auctor, alioquin cenſurâ gravi nupèr in Romanâ Curiâ pulſatus, dicens, *Ab hac lege diſcedere majoribus Sedibus ſemper licuit &c. Eandem prærogativam ſibi aſſumpſiſſe videtur in Galliis noſtris Arelatenſis Epiſcopus, qui majores Sedes per omnia æmulabatur* (*m*). De *Carthaginenſi* talitèr legitur apud Ferrandum: *Ut ſoli Eccleſiæ Carthaginis liceat alienum Clericum ordinare* (*n*). Et quidem de hoc latè actum eſt in Concilio Carthaginenſi III. cum ſciſcitante à Patribus Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi, quid agendum eſſet, quandò ſibi, Clericum poſtulanti, alibi ordinandum, Epiſcopus ordinarius Clerici illum tradere detractaret, *ego enim*, inquiebat *cunctarum Eccleſiarum ſollicitudinem ſuſtineo* (*o*); reſponderunt Patres, ſivè illorum nomine Numidius, & Epigonius Epiſcopi: *Fuit ſemper hæc licentia huic ſedi, undè vellet, & de cujus nomine fuiſſet conventus, prò deſiderio cujuſque Eccleſiæ ordinare Epiſcopum &c. Undè tibi non poteſtatem damus, ſed etiam aſſignamus, ut liceat voluntati tuę, & ſemper tenere quem voles, ut præpoſitos plebibus, vel Eccleſiis conſtituas, qui poſtulati fuerint, & undè voles* (*p*). Inerat ergò Epiſcopo Cathaginenſi, inerat Arelatenſi, inerat principalium Eccleſiarum Epiſcopis, & præcipuè Romano, poteſtas Clericum undècumque intrà ſuarum ditionum orbitam, accipiendi, & in aliis Eccleſiis locandi, ut illarum Clericus eſſet, illarumque ſportulis aleretur, & conſequentèr in eis beneficio eccleſiaſtico potiretur: quod quid aliud eſt, niſi oſtendere, Clericos omnes poſſe nunc, uti olim potuere, nutu ſupremi Antiſtitis, vel ab eo facultatem habentium, eccleſiaſtica beneficia ubilibet, non obſtante indigenatus defectu incontrovertibilitèr adipiſci?

(a) *Balſam. in Jure Orientali. l. 7.*

(b) *Card. Baron. anno 1053 n. 41.*

(c) *S. Hieron. epiſt. 85. ad Evagrium.*

(d) *Matthæi cap. 3. num 9.*

(e) *S. Petr. Damian. ſer. 1. & 2. de S. Severo*

(f) *Vit. S. Eligii ap. Surium to 6. die 1. Decembr.*

(g) *Vid. Socratem l. 1. c. 8. Sozom. l. 1. cap. 11. Niceph. l. 8. c. 15. & 42 L. poman tom. 5 Surii tom 6.*

(h) *S Gregor Nyſſen. Orat de vit. S. Gregor. Thaumaturg.*

(i) *Vid. ſupr. tom. 1. ſæcul 7. c. 14 à 4. 12.*

(l) *Vid ſupr. tom. 1. ſæcul 4. cap 9. à n. 21. & infr. hoc to 3. c. 19. à num 33.*

(m) *Queſnel. in notis ad epiſt 84 S Leonis.*

(n) *Ferrandus cap. 230.*

(o) *Concil. Carthagin. 3 cap. 45.*

(p) *Ibid. & vid ſup. to. 1. ſæc. 4. c. 6 an. 15.*

8. Neque, ad eludendam vim hujus fortiſſimæ rationis dicatur, talem Clericum, ex unâ in aliam Eccleſiam tranſplantatum, poſt tranſlationem non eſſe ibi ampliùs extraneum: ſed indigenam, tamquàm ibi incardinatum, & illi Eccleſię actualiter alligatum, Epiſcopali, vel Presbyterali, aut Diaconali officio functurum. Non inquam hoc dicatur, nam talis reſponſio nihil ad rem facit: libenter enim aſſentimur, Clericos extraneos, dùm beneficia eccleſiaſtica, etiam merè ſimplicia, extrà patriam conſequuntur, non ibi ampliùs prò extraneis reputari, ſed prò indigenis (*a*), quatenùs & Eccleſiæ illius ſtipendia capiunt, & ad titulum illius beneficii poſſunt ab Epiſcopo Diœceſano ad ordines promoveri, ſi cætera neceſſaria non deſint, etiam ſi eiſdem Eccleſiæ non perſonalitèr, ſed per alios deſerviant. Non enim Clerici extranei fiunt indigenę Eccleſiæ, ad quam traducuntur, quià ibi perſonalitèr deſerviant, ſed quià in illâ intitulantur, & incardinantur, ut vel perſonalitèr deſerviant, ſi in officio Epiſcopali, vel Parochiali, aut aliàs reſidentiali, collocantur: vel per interpoſitam perſonam ſuo muneri ſatisfaciant, ſi in gradu non reſidentiali cooptantur: tàm ſiquidèm beneficio reſidentiali potientes, quàm non reſidentiali, dicuntur verè intitulati, & incardinati in Eccleſiâ, in quâ erectum eſt beneficium, quià beneficium ipſum in titulum ſuntadepti, & idcircò in eâ non minus iſti, quam illi ſunt rè verâ indigenę, & pro indigenis reputandi, maximè quoàd aliquos effectus, etiam ſi beneficium ſit ſimplex, tenue, ac exilis valoris (*b*).

(a) *Bartol. in leg. 1. ff. ad municipal. Felynus in cap. Rodulphus n. 18 de reſcrip. Bertaz. conſ. 443. n. 7 Bellet. diſquiſ. Cleric. p. 2. de diſcipl. Cleric § 2. n. 15 Barboſ. de off. & poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 4. n. 43 46.*

(b) *Barboſ. ubi ſupr. alleg. 4. n. 44.*

9. Sed quid ſi unus, & idem plura habeat beneficia, in Diœceſibus, imò, & in Regionibus diſſitiſſimis conſtituta? Certum eſt quod nulla lex prohibet, nè quis plura beneficia, præſertim compatibilia valeat adipiſci, de quâ rè infrà, Deo dante, fuſiùs agemus (*c*), cum imò Concilium Tridentinum expreſsè admittat illorum pluralitatem, quoties unum non ſufficit ad congruum ſtatum ejus, qui illud poſſidet (*d*): congruum, inquam, judicio prudentis viri, conſideratis qualitatibus perſonarum, temporum, & locorum (*e*). Quâ etiam ſufficientiâ concurrente, adhùc ligata non eſt poteſtas Pontificis, quin uni plura, etiam compatibilia beneficia, juſtis concurrentibus cauſis valeat elargiri, uti paſſim docent Theologi, & Canoniſtæ, ac probant continua praxis, præſertim in Germaniâ. Diſpenſatio namque Papę, juſtis ex rationibus interpoſita, purgat quidquid eſt obſtaculi in hac materiâ. Datâ igitur iſtâ pluralitate beneficiorum, ille qui eadem poſſidet, indigenatus rationem conſequitur pro cunctis locis, in quibus ipſamet ſunt erecta. Et quamvis apud aliquos in dubio ſit, an quilibet poſſit æquè principaliter, & quoàd omnes numeros, eſſe civis plurium, diſſitorumque locorum (ubi nulla ſit alioquin lex decernens oppoſitum) inibique pro cive quoad omnes omninò titulos reputari, reſpectu ad negotia ſæcularia; tamèn ſub inæquali ratione, ac in uno magis, in alio minùs principalitèr, nulla eſt implicantia, quod utrobique valeat eſſe civis, & ibi quoad aliquos ſaltèm effectus valeat eſſe civis, & privilegiis civium aliquâ ſub proportione potiri (*f*). Multò magis autem hoc verum eſt de indigenatu reſpectu ad res ſpirituales: & ità poteſt quis magis, vel minus principalitèr, ac ſaltem ſub inæquali ratione, atque ad aliquos effectus, eſſe indigena pluribus in locis ratione beneficiorum, quorum poſſeſſionis vi valet recitare officium juxtà ritum eorum, talitèr tamen, ut in concurſu diverſitatis rituum, ſequatur illum, qui ad magis dignum, & principalius pertinet beneficium (*g*). Fit quoquè ſubditus ſingulorum Epiſcoporum, in quorum Diœceſibus erecta ſunt ipſamet beneficia, & à quolibet illorum poteſt liberè ad ordines promoveri (*h*), ſervatâ alioquin Conſtitutione Innocentii PP. XII. Fit autèm beneficiarius indigena omnium locorum, in quibus obtinet beneficia, ibique prò cive reputatur, verè, & non fictè, ſaltèm quoàd tales effectus, ut hæc ejus qualiſcumque civilitas, ſufficiat ad hoc, quod non comprehendatur in lege excluſivâ forenſium (*i*). Sed ad rem redeamus.

(c) *Vid. infr. tom. 4. cap. 18 & alibi.*

(d) *Conc. Trid. ſeſſ. 24 de ref. c. 17.*

(e) *Reginald. l. 30. tr. 3 n. 265. Barboſ. ad Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 17. num. 17.*

(f) *De Luca de præemin. diſc. 37 n. 5. & de Matrim. diſ. 14 n 12 vid. infr. cap. 13. §. 20.*

(g) *S. Thomaſ. Quodlibet 2. art. 13. in Corp.*

(h) *Barboſ. de off. & poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 4. n. 50. & 51.*

(i) *Card. de Luca de Regal. diſc. 83. n. 12. & de præemin. diſc. 37. num. 2.*

10. Ex his, quæ diximus ergò, jam patet, quod Epiſcopis primarum Sedium, & præſertim Summo Pontifici Romanæ Eccleſiæ, qui eſt principaliſſimæ orbis Sedis Antiſtes; ineſt facultas Clericos alienos, vel ad ſe trahendi, vel ad alias Ec-

cleſias tranſuehendi, ut inibi & officia, & ſtipendia eccleſiaſtica adipiſcantur, & nactis muneribus, vel perſonalitèr ſatiſfaciant, ſi beneficia ſint reſidentialia, vel per alios officium adeptum adimpleant, ſi beneficia ſint merè ſimplicia. Quod ſi poteſt id facere Summus Pontifex, primæ Sedis Antiſtes; id etiam poſſunt facere omnes alii, qui ejuſdem vice, & auctoritate de beneficiis ſacris diſponunt, quatenùs quoad hoc in ejus jure, & privilegio ſuccedunt: quales individuè ſunt Reges beneficia, diſpenſantes (*a*), ſed & Epiſcopi quoque, aliique omnes Ordinarii, vel delegati beneficiorum collatores, & alii ad ea nominatores, qui vel ex ſpeciali Papæ indulto id faciunt, vel ex diſpoſitione juris, à Pontifice vim legis habentis; adeòque poſſunt beneficiis à sè dependentibus, tùm Clericos indigenas, tùm extraneos munerare.

(a) *Marta de juriſd. p. 4 cent. 1. caſ. 46. n. 11 de Luca de benef. diſc. 9. n. 12. Lotter. de re benef. l. 1. qu. 6. n. 46. 47*

11. *Arguunt quintò* Contradictores ex *D. Bernardo*, qui in epiſtolâ ad Odonem Abbatem, adversùs Monachos, beneficia parochialia poſſidentes, his ejulatibus exclamat: *Eidem Eccleſiæ, de quâ præſens diſceptatio eſt, Clerici ſoli deſerviunt, voſque cum illis partimini beneficium, cum quibus non exhibetis obſequium. Paulus clamat prò Clericis: imò antè ipſum Moyſes: Non alligabis os bovi trituranti* (*b*). *Item, quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? aut quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat* (*c*)? *Vos autèm per contrarium convenimus, quâ audaciâ ò Monachi, præſumitis ſeù vinum de vineâ, quam non plantaſtis, ſeu lac de grege, quem non paſcitis? Quo pacto ibi exigitis, ubi nihil exhibetis* (*d*). Si ergò ex mente D. Bernardi talis eſt beneficiorum conditio, ut nec etiam Monachi, quantumvìs eis per ſæculares Clericos deſervientes, poſſint ipſa licitè poſſidere; multò minùs Clerici hàc illàc longè morantes, poterunt illa licitè conſequi, in locis undè ſunt extranei, & ubi actualitèr non deſerviunt, quamvìs onera beneficialia per alium ſatagant adimplere: Et per conſequens beneficia eccleſiaſtica ſunt ſolis indigenis, non verò extraneis conferenda.

(b) *Deuter. c. 25. n. 4.*

(c) *1. Corinth cap. 9. v. 9.*

(d) *S. Bernard. epiſt. 397. alias 387.*

12. Reſpondetur *primò*, de mente D. Bernardi non poſſe dubitari, cum illam ſuperabundè aperuerimus ex iis, quæ ſuperiùs allegavimus, quando illius & ſcripta, & geſta perſcrutati ſumus (*e*), ibi enim, non uno, ſed multis textibus patefecimus, ejus doctrinam non Contradictoribus, ſed cauſæ noſtræ favere, & Clericos extraneos, non minùs quàm indigenas, ad beneficia eccleſiaſtica, & ad præbendas ſacras admittere. Veruntamen ut & ea, quę ex adverſo hìc allegantur, congruâ reſolutione enodemus, dicimus, S. Bernardum, in epiſtolâ ad Odonem, non loqui de beneficiis merè ſimplicibus, quę ſunt præcipuum quæſtionis noſtræ ſubjectum (& ſi ab eâ non excludantur reſidentialia) ſed de beneficiis parochialibus, quæ quantum ad præſens negotium totale non habent cum noſtrâ controverſiâ commercium. Siquidèm D. Bernardus ſic Monachos Odonis objurgat: *Certè ſi ità vultis, baptizate naſcentes, ſepelite morientes, viſitate jacentes, copulate nubentes, inſtruite rudes, corripite delinquentes, excommunicate contemnentes, abſolvite reſipiſcentes, reconciliate pœnitentes: & in medio denique Eccleſiæ aperiat os ſuum Monachus, cujus officium eſt ſedere, & tacere: ſic fortaſsè dignum ſe probabit mercenarius mercede ſuâ. Alioquin invidioſum admodum eſt, velle metere, ubi non ſeminaveris* (*f*). Concedimus autèm, non poſſe beneficia parochialia, epiſcopalia, & alia quælibet, regimen animarum habentia, vel alitèr perſonalis officii debito adſtricta, poſſideri niſi ab illis, qui perſonalitèr muniis beneficiis funguntur: ſed cum hæc poſſint æquè ab extraneis, ac ab indigenis exerceri, utroſque dicimus eſſe ipſorum æquè capaces, & multòmagìs eſſe capaces beneficiorum merè ſimplicium, abſque eo quod in eis debeant præſentialitèr deſervire.

(e) *Vid. ſupr. tom. 1. ſæcul. 12. c. 11. à n. 13.*

(f) *S. Bernard. loc. citat.*

13. Reſpondetur *ſecundò*, negando ſuppoſitum, nempè quod decimæ, & primitiæ, ac poſſeſſiones, ad beneficia parochialia ſpectantes, à D. Bernardo exprobrentur Monachis, quà Monachis, tamquàm earum incapacibus, eo quod hæ ſint cum profeſſione Monaſticâ incompoſſibiles. Hoc enim nedùm non docuit, ſed nec etiam ſomniavit D. Bernardus: quod ut pateat, res eſt altiùs repetenda. S. Ro-

ber-

bertus, Congregationis Ciſtercienſis præclariſſimus inſtitutor (*a*), primò fundavit Monaſterium Moliſmenſe, in Diœceſi Lingonienſi (*b*), tantæ obſervantię, ut quicumque illuc proficiſcerentur, vitam cœnobiticam profeſſuri, ad locum quodammodò baptiſmatis, pergere viderentur, ubi cuncta eorum peccata poſſent facillimè ſanctis operibus expiari. Quarè Raynaldus, ejuſdem Diœceſis Præſul, carmine Leonino canebat, *eſt quaſi baptiſmus quibus eſt in amore Moliſmus* (*c*). Hìc Robertus Divi Benedicti ſeveriùs regulam ſatagens obſervari, præſcripſit Monachis, ut deberent opus manuum exercere, opereque manuali ſibi victum comparare, Clero ſæculari relictis decimis, ac primitiis, atque poſſeſſionibus, ad beneficia parochialia pertinentibus.

(a) *Card. Baron. ann. 1098 n. 17.*
(b) *Samarthan. in Gallia Chriſtiana to. 4 fol. 649.*
(c) *Orderic. Vital. Eccleſ. hiſt. lib. 8. circ. ann. 1094 f. 711. B.*

14. *Nos*, inquiebat Robertus, *Fratres chariſſimi, ſecundum normam S. Patris Benedicti profeſſionem fecimus: ſed ut mihi videtur, non eam ex integro tenemus. Multa, quæ ibi non recipiuntur, obſervamus, & de mandatis ejus plura negligentes, intermiſimus. Manibus noſtris non laboramus, ut Sanctos Patres feciſſe legimus. Si mihi non creditis ò amici, legite geſta Sanctorum Antonii, Macharii, Pacomii, & antè omnes alios doctoris gentium Pauli Apoſtoli. Abundantem victum, & veſtitum ex decimis, & oblationibus Eccleſiarum habemus, & ea, quæ competunt Presbyteris, ingenio, ſeu violentia ſubtrahimus. Sic nimirùm ſanguine hominum veſcimur, & peccatis participamus. Laudo igitur, ut omninò regulam S. Benedicti, caventes ne ad dexteram, vel ad ſiniſtram ab eâ deviemus, victum, & veſtitum labore manuum noſtrarum vendicemus &c. decimas, & oblationes Clericis, qui Diœceſi, famulantur relinquamus &c.* (*d*). Adheſerunt non nulli ex illis Monachis Roberti Abbatis propoſito, verum perplures eidem reſtiterunt, rationem reddentes, cur non opus manuale, cur non alia eſſent ab eiſdem agenda, quę antiqui Patres eremum incolentes agebant: cur demùm à ſuſceptione decimarum, & oblationum deſiſtere non deberent. Prolixior eſt illorum reſponſio, in apologiam reſonans, quam quià longum eſſet ſyllabatim tranſcribere, tantum ea, quæ rei noſtræ magis opportuna ſunt, referemus.

(d) *Idem Orderic. fol. 711. C.*

15. *Quod*, aſſerunt, *manibus noſtris quotidiè non laboramus, plurimum dirè ſtimulamur redargutionibus: ſed ſincerum in divino cultu laborem audactèr objicimus, quem ab authenticis magiſtris diutinâ divinæ legis obſervantiâ probatis, olim didicimus &c. Uſitatum eſt in Galliâ, ut ruſtici ruralia, ſicut decet, peragant opera, & ſervi ſervilia paſſim exerceant miniſteria: Monachi autem &c. arcana ſacræ legis legendo perquirant, & indè ſemper meditantes, taciturnitati delectabilitèr inſiſtant: à pravis, & otioſis ſermonibus os ſuum coerceant, Davidicos hymnos, aliaſque myſticas modulationes, nocte, dieque Creatori concinant, aliiſque mundis, & idoneis actibus quotidiè agendis, prout ratio exegerit, ſecundum præcepta majorum intendant. Hæc in Occidente Monachi hactenùs operari ſolent &c. Abſit ut ruſtici torpeſcant otio &c. egregii verò milites, & arguti Philoſophi, ac dicaces ſcholaſtici, ſi renuntient ſæculo, cogantur ſervilibus, & incongruis, more vilium mancipiorum, ſtudiis, ſeu laboribus occupari. Prò victu proprio decimæ fidelium, vel oblationes generali auctoritate conceduntur Clericis, & Dei miniſtris &c. Nos autèm & ordine, & officio Clerici ſumus, & Clericale ſervitium Summo Pontifici, qui penetravit Cælos, offerimus, ut ſortem ſupernæ hæreditatis ipſo adjuvante obtineamus. Eccleſiaſtica igitur beneficia jure poſſidemus, & communi ſanctione ſemper tenere decernimus &c.* (*e*).

(e) *Order. Vital. l. 8. f. 712. D.*

16. Robertus ergò calcitrantes Monachos à propoſito deducere jam diffidens, abiit cum duodecim ſibi Monachis addictiſſimis, & Monaſterium Ciſtercienſe, ſub eâdem ſeveriori S. Benedicti regulâ, & obſervantiâ fundavit, cui & tandiù præfuit, donèc inſtantibus Monachis Moliſmenſibus, juſſu Urbani Papæ II. ad idem Moliſmenſe Monaſterium redire coactus eſt (*f*), ubi & mortuus dicitur (*g*), atque Ciſtertii poſtmodùm tumulatus (*h*). Roberto in Abbatiâ Ciſtercienſi ſucceſſit Albericus: *quo defuncto, Stephanus natione Anglicus, vir magnæ religionis, & ſapien-*

(f) Baron. an. 1098. nu. 18 *Vital. ubi ſuprà f. 713. C. D.*
(g) *Baron. in not. ad Martyrol. 29. April.*
(h) *Philip. Ferrar. in Martyrol. V. Moliſmũ.*

Digitized by Google

pientiæ ſucceſſit (*a*). Et en ſtatìm eccleſiaſticum beneficium, quale proculdubiò eſt Abbatia regularis (*b*), collatum extraneo, & tàm à longe venienti, quàm diſtat Anglia à Diœceſi Cabilonenſi, in quâ poſitum eſt Monaſterium Ciſtercienſe (*c*). Cum itàque Monachi Moliſmenſes Ciſtercienſe Inſtitutum ſibi propoſitum haberent ab eorum fundatore, contràque hujus expreſſam eſſet mentem, quod parochialia prędia, & decimas, ac primitias poſſiderent; S. Bernardus ejuſdem Ciſtercienſis inſtituti alumnus, & zelator, Odoni Moliſmenſi Abbati, quem cenſemus fuiſſe vitæ S. Roberti compilatorem (*d*), præfatam epiſtolam ſcripſit, eum reconveniens ob captatas parochias, ſive parochiales poſſeſſiones, decimas, & primitias: Non quod Monachi eſſent harum incapaces, cum & Cluniacenſes, & aliorum cœnobiorum incolę religioſiſſimi, eiſdem eſſent ſuperaffluentèr ditati; ſed quià tùm à Moliſmenſibus, tùm ab omnibus Ciſtercienſis Inſtituti ſectatoribus S. Robertus eorum fundator, expreſsè decimas, & primitias, ac poſſeſſiones parochiales optaverat non haberi, injuncto illis ad victum procurandum opere manuali, undè intonat D. Bernardus in illâ epiſtolâ: *Clericorum eſt altari deſervire, & de altario vivere: nobis noſtra profeſſio, & antiquorum Monachorum exempla, victum ex propriis præſcribunt laboribus, non ex Sanctuario Dei* (*e*).

(a) *Order. Vital. Eccl. hiſtor. l. 8. ad ann. 1094 f. 714. A.*

(b) *De Luca de benef. diſc. 97 n. 17. Barboſ. Jur. Eccl. univ. l. 3 c. 4. num. 69.*

(c) *Order. Vital. loc. cit. f. 714. C.*

(d) *Baron. ad Martyrol. die 29. April.*

(e) *S. Bernard. epiſt. 397. alias 382.*

17. Ergò objurgatio, quâ D. Bernardus in Odonem perlatus eſt, non illùc tetendit, ut doceret, Monachos, in præciſo Monachatus conceptu, generalitèr eſſe poſſeſſionum beneficialium incapaces; ſed ut oſtendat, Monachos illos particulares, qui ſub inſtituto Ciſtercienſi in Moliſmenſi cœnobio militabant, has poſſidendo, ab eorum Fundatoris intentione deviare. Sicque argumentum Contradictorum nil magìs probat, quàm ſi quis volens demonſtrare, quod non poſſint nùnc Monachi Caſſinenſes licitè prędia, & opes poſſidere; proferret in medium aliquam declamationem, factam adversùs fratres Capucinos, ne audeant arva, & reditus, ac alia immobilia fructifera poſſidere. Riderent profectò, qui talem argumentationem audirent, proruentem ab Inſtituto extremæ paupertatis, per Capucinos profeſſæ, ad Inſtitutum Caſſinenſium, divitias cum religioſâ paupertate compatiens. Ità ridiculum eſt argumentum (dent veniam Contradictores) quo ab interdictione incultatâ Monachis Moliſmenſibus per eorum Fundatorem, nè decimas, & primitias, & poſſeſſiones parochiales retinerent, ad alios Monachos, & multò magìs ad Clericos ſæculares, tranſitur, hujuſce prohibitionis expertes.

18. Profectò non fuerit licitum Monachis Moliſmenſibus poſſeſſiones beneficiales recipere, & acceptas retinere, quatenùs ità illorum Fundator optabat? Eſto; quid hoc ad nos? Si non licuit Moliſmenſibus, licuit aliis Monachis; licuit, ſemperque licebit omnibus univerſim Clericis ſecularibus, & regularibus, qui ſe ſtrictioris paupertatis vinculis non adſtringunt. Cur ergo exemplum, cur inductionem ſumemus à Monachis Moliſmenſibus, & non à Cluniacenſibus? Cur Clero ſæculari regulam dandam eſſe ducemus à methodo deſideratâ in privatis Monachis Moliſmenſibus, & non à generali more omnium Clericorum ſecularium? Igitùr ſi Monachi, quà Monachi, etſi rationem extraneorum præſeferentes, maximè quando in Monaſteriis extradiœceſanis, vel extraprovincialibus, aut etiam extranationalibus commorantur, licitè poſſunt beneficiis parochialibus, ſive illorum poſſeſſionibus perfrui, ſubſtituto, ad officium parochiale adimplendum, Presbytero ſæculari; multò magìs id erit licitum ipſi Presbytero, ac aliis omnibus Clericis ſæcularibus, quoàd omnia beneficia, & preſertìm quoàd merè ſimplicia, etiam ſi Clerici prefati origine ſint extranei, vel alibi degant, dummodò beneficiale onus per ſubſtitutum adimpleant?

19. Reſpondetur *tertiò*, D. Bernardum in pręcitatâ epiſtolâ ad Odonem non tantùm deteſtari poſſeſſionem beneficiorum, quantùm modum eadem conſequendi. Temporibus namque illis pravus inoleverant abuſus, quod laici beneficia eccleſiaſtica invadebant, eorumque prædia, jura, decimas, & primitias uſurpabant: quæ cum tandem, vel conſcientiâ remordente, vel cenſurarum incurſu terrorem incu-

tiente

tiente, reſtituere cogebantur; tùnc, ſive ſpontè, ſive pecuniâ ab aliquibus illorum temporum Monachis prærecepta, ipſa beneficia Monaſteriis eorum cedebant (a), reclamantibus Epiſcopis, atque cœlum, & terram querelis implentibus, eo quod hac arte Eccleſiarum, & Ipſius dignitatis Epiſcopalis jura peſſimè deperirent. Deſcribit eam Arnulphus Lexovienſis, exclamans: *eſt quiddam, quod tam meam, quam alias vehementèr angit Eccleſias; Quorundam ſcilicet rapax, & intemperans audacia Monachorum, qui, quo liberiùs affluant, ſæcularis potentiæ præſidia redimentes, primò Epiſcopis omnem obedientiam ſubtrahunt, & parochiales Eccleſias cum Altariis, & decimationibus, cæteriſque beneficiis de manu laicâ recipere, pactis quibuslibet, ſacrilegâ temeritate præſumunt* (b). Improbum hunc abuſum plurima Concilia avellere laborarunt (c), de quibus alibi locuti ſumus, & præſertìm Concilium Pictavienſe, de hujuſmodi abuſione decrevit: *Abbates, Monachi, Canonici, Eccleſias, quas nunquàm habuerunt, non emant, nec alio modo ſibi vindicent, niſi conſentiente Epiſcopo, in cujus diœceſi fuerint* (d).

20. His ergò pactionibus, vel aliis Clero, & Epiſcopis ingratis artibus, Monachi Moliſmenſes ad quædam beneficia manum extenderant: nec alitèr eſſe poteſt, cum querulosè clamet Bernardus, Epiſcopos, & Clericos ſuper beneficiis ipſis contendere; *quid*: inquit, *quod de altari contenditur, & hoc adverſus filios Levi, ideſt adverſus Clericos? Clericorum eſt altari diſervire, & de altario vivere: nobis noſtra profeſſio, & antiquorum Monachorum exempla, victum ex propriis præſcribunt laboribus, & non ex Sanctuario Dei* (e). Non ergò vitio extraneitatis, vel incapacitatis defectui, imputat S. Bernardus, non debere Monachos Moliſmenſes eccleſiaſticis beneficiis potiri; ſed ſuis verbis injuſtum, & litigioſum, ac Epiſcopis, & Clero injurioſum, modum beneficia captitandi perſtringit, quem & alibi abominatus eſt ſcribens: *Eſt tamèn in quo Abbatibus, & Præpoſitis Monaſteriorum parcendum eſſe non æſtimo, ſi ab illis, ad quos non pertinet, ideſt à laicis decimas, & oblationes accipiant, ſi inordinatè eas à quibuſcumque perſonis acquirant, ſi terminos tranſgrediantur antiquos, ideſt ſi ſtipendia Presbyterorum antiquitùs inſtituta minorent, ac ſibi uſurpent* (f).

21. Hæc adversùs Monachos, qui decimas, & primitias, ac prædia, ſeù beneficia eccleſiaſtica malis artibus aucupabantur, declamavit D. Bernardus, à quo tamen ingenuè conceditur, Monachos, ut ſic, & generalitèr ſumptos, optimè, & licitè poſſe ipſas decimas, & oblationes, & conſequentèr etiam eccleſiaſtica beneficia adipiſci: inquit enim: *licèt decimæ, & oblationes principalitèr Clericali debeantur militiæ, poteſt tamèn Eccleſia omne quod habet cum omnibus pauperibus habere commune: quantò magìs cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis, non in angariâ bajulantes Chriſti Crucem, ſequuntur pauperem Chriſtum* (g). Itàque D. Bernardus exadverſo allegatus, nedùm non adſtruit, ſed imò deſtruit intentum Contradictorum, in id ſolum intentus, ut vel ſtrictionis obſervantiæ Monachos à beneficiis abſtineat, vel in malum invehatur modum captandi decimas, & oblationes, & beneficia eccleſiaſtica, quorum aliàs optimè dicit Monachos eſſe capaces *ex dono Epiſcopi*, quo accedente, *nulla jam reputatur injuria, cum canonica excuſat inveſtitura* (h): ideò ſi decimarum, & prædiorum eccleſiaſticorum ſunt capaces Monachi, ut plurimum extranei, vel in extradiœceſanis, aut extraprovincialibus, aut etiam in extranationalibus Cœnobiis commorantes, hoc ſolo in sè ſuſcepto onere ſatisfaciendi per alium obligationibus beneficii; multò magìs erunt ipſarum decimarum, & prædiorum, ſeu beneficiorum eccleſiaſticorum capaces Clerici ſæculares, licèt extranei, ac beneficio perſonalitèr non ſervientes, dummodò per alium onera adimpleant, ſi beneficium eſt ſimplex, vel ea ex ſe ipſis exerceant, ſi beneficium ſit reſidentiæ debito adſtrictum. Tàm ergò ex his, quam ex alibi allegatis ſenſibus D. Bernardi (i), patefacta remanet ejus ſententia, pro libertate Eccleſiæ in conferendo beneficia, tùm viris extraneis, tùm indigenis.

22. *Ar-*

(a) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 3. l. 1. cap. 10. n. 3.*

(b) *Arnulph. Lexovienſ. epiſt. 71. alias 69 ad Alex. Papa.*

(c) *Conc. Claromon. an. 1039 c. 7 Concil. Melfitenſ. cap. 9. Concil. ad Juliobonam c. 21.*

(d) *Concil. Pictavienſ. an. 1078 c. 6.*

(e) *S. Bernardus loco citat.*

(f) *S. Bernard. epiſt. 207. inter epiſt. Ivon. Carnotenſ.*

(g) *Idem S. Bernard. loco citat.*

(h) *S. Bernard. dict. epiſt. 397.*

(i) *Vide ſuprà tom. 1 Sæcul. 12. c. 33. à n. 11.*

22. *Arguunt ſextò* Contradictores ex *D. Gregorio* Magno, qui morali ſenſu expendens librum Job, & de bonis eccleſiaſticis loquens, quæ miniſtris Eccleſiæ conferuntur, ait, *ideò aluntur, ut prædicent* (a). Ergò, inquiunt, ubi miniſtri Eccleſiæ non prædicant, non eis debent alimenta, prædicantibus debita, miniſtrari, id eſt eccleſiaſtica beneficia. Sed Clerici extranei, longe hinc indè diſtantes à loco beneficii, non prædicant, ergò neque debent alimenta ex fructibus beneficii percipere. Rursùs idem S. Doctor, Cypriano Diacono ſcribens, de electione Epiſcopi Syracuſani, dicit, quod concurrentibus votis Electorum, vel in Joannem Archidiaconum Catanenſem extraneum, vel in Trajanum Presbyterum Syracuſanum, ſecundus primo preferatur, quantumvis minùs idoneus, *credo*, inquit, *quod Trajanum Presbyterum maxima pars eligat, qui, ut dicitur bonæ mentis eſt: ſed quantum ſuſpicor, ad regendum locum illum idoneus non eſt. Tamèn ſi melior inveniri non vales, & ipſe nullis criminibus tenetur involutus, condeſcendi ad eum, cogente nimiâ neceſſitates poteſt* (b). Demùm in epiſtolâ ad Petrum Subdiaconum jubet, ut in Eccleſiis per Siciliam vacantibus, eligere faciat Epiſcopos *de Clero Eccleſiarum ipſarum, vel ex Monaſteriis, ſi qui digni ad Sacerdotalem locum poſſunt inveniri* (c). Mens ergò D. Gregorii fuit, ut ſoli indigenæ, etiàm minùs idonei, ad beneficia eccleſiaſtica promoveantur, & ſic extraneos definivit eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos.

23. Reſpondetur *primò*, quod de mente D. Gregorii jam ſatis in contrarium conſtat, ex iis, quæ nos in Capitulis præcedentibus allegavimus (d), undè fruſtrà eſt, omiſſis claris textibus, nùnc ab obſcuris, & adiaphoris periodis, vel ab hìnc indè collectis quiſquiliis, germanum ejus ſenſum exquirere. Veruntamèn ut & vim Argumenti hìc individualitèr diſſipemus; Ad primam Objectionis partem negamus ſuppoſitum, nempè quod S. Gregorius ſcribendo in libro Job, *ideò aluntur, ut prædicent*, loquatur de beneficiis eccleſiaſticis: ibi enim ſermonem habet de mero, & de nudo miniſterio prædicationis, quod nedùm à Parochis, & Epiſcopis, ſed etiam de eorum licentiâ poteſt à Monachis, & Clericis exerceri. Imo auctoritate Eccleſiæ etiam laici olim poterant prædicare juxtà canonem Carthaginenſem: *Laicus præſentibus Clericis, niſi ipſis rogantibus docere non audeat* (e), ipſis ergò rogantibus id optimè poterat exercere. Et dè facto Pantenum Alexandrinum (f), Origenem Adamantium (g), & alios hoc munere in ſtatu laicali perfunctos eſſe, conſtat ex hiſtoriis, ubi & liquet Alexandrum Hieroſolymitanum Epiſcopum ad Demetrium Alexandrinum ſcripſiſſe: *Quod autèm addidiſti in literis tuis, quià nunquàm auditum, nec aliquandè factum ſit, ut præſentibus Epiſcopis laici diſputent, neſcio quam ob cauſam tàm apertum mendacium aſſerere volueris, cum conſuetudo hæc ſit, ut ſicubi inveniantur, qui poſſint fratres inſtruere in Eccleſiâ, & conſolari populum ad credendum, ſemper à Sanctis Epiſcopis invitentur, ſicuti Euelpius à fratre noſtro Neone apud Laradas, & Paulinus à Celſo apud Iconium, & apud Synadam Theodorus ab Attico. Non autèm dubium eſt, quin & alii plurimi in locis aliis, ſi qui ſunt, qui opus Dei poſſint in verbo, & doctrinâ competentèr explere, ad hoc ipſum à Sanctis Epiſcopis invitentur* (h).

24. Quidquid autèm nùnc ſit, quando leges poſteà editæ, prohibuerunt laicis prædicare (i), & in Eccleſiâ publicè docentis officium exercere (l), cum vetuſtioribus ſæculis de conſenſu Epiſcopi id poſſent adimplere; tùnc in remunerationem, & gratitudinem, propter officium prædicationis impenſum, alimenta erant illis à populis conferenda; Nàm *quis militat ſuis ſtipendiis unquàm*, inquit Apoſtolus? *quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat &c. Debet in ſpe qui arat arare: & qui triturat in ſpe fructus percipiendi &c. Qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt: & qui Altari deſerviunt, cum Altari participant* (m). Quià ergò quibuſcumque, Evangelium prædicantibus, ſive Clericis, ſive Monachis, ſive Laicis alimenta debentur; ideò dixit D. Gregorius, *alendos eſſe, ut prædicent*, non ſumptis alimentis

(a) *S. Gregor. Papa in Job. c. 10.*
(b) *S. Gregorius l. 4. epiſt. 19.*
(c) *S. Gregorius l. 3. epiſt. 18.*
(d) *Vide ſupr. tom. 1 ſect. 4. 7. c. 12 & 13.*
(e) *Conc. Carthag. 4. cap. 98.*
(f) *Euſebius hiſt. l. 5. cap. 11.*
(g) *Euſebius hiſtor. l. 6. c. 3. & 72.*
(h) *Euſebius hiſtor. l. 6. c. 13.*
(i) *Cap. cum ex injuncto de Hæretic.*
(l) *Conc. Conſtantinopol. 3. c. 64.*
(m) *1. Corint. c. 9. n. 7*

Digitized by Google

mentis in conceptu formali beneficiorum eccleſiaſticorum, ſed uti erogationibus; & ſpontaneis ſubſidiis, evangelizantibus Dei verbum debitis à fidelibus. Audiatur ipſe D. Gregorius ſuper ly *Quandò lavabam pedes meos butyro* (a): *Butyro pedes lavantur, dum Sanctis prędicatoribus debita ab audientibus ſtipendia conferuntur, & quos fatigat injunctus prędicationis labor, exhibita à diſcipulis pinguedo boni operis fovet: non quod ideò prædicent ut alantur; ſed ideò alantur, ut prędicent: id eſt ut prędicare ſubſiſtant. Non ut in intentionem ſumendi victus tranſeat actio prædicantis; ſed ut ad utilitatem prædicationis deſerviant miniſteria ſuſtentationis. Undè à bonis prædicatoribus, non causâ victus prædicatio impenditur, ſed causâ prædicationis accipitur victus. Et quoties prædicantibus neceſſaria ab audientibus conferuntur, non ſilent de rerum munere, ſed de conferentium gaudere mercede* (b). Perpendat totum hunc textum benignus Lector, & dijudicet, an S. Gregorius de beneficiis eccleſiaſticis ſit locutus, & de illorum cǫllatione ſive Clericis extraneis, ſive indigenis.

25. Reſpondetur *ſecundò*, retorquendo argumentum. Nàm ſi alimenta debentur prædicantibus; ergò quià Papa, & Epiſcopi, & cum eorum conſenſu, atque auctoritate, poſſunt etiam Reges, per ſuas Diœceſes, vel circum eas, ac per ſua Regna, & Provincias, atque reſpectivè per totum orbem, nedùm tranſmittere Miſſionarios, pro Infidelibus convertendis, de quibus hìc non eſt ſermo, ſed etiam Prædicatores pro fidelibus erudiendis, & perficiendis: Prædicatores, inquam, tam indigenas, & naturales, quam ortu alienigenas, & extraneos; ideò poſſunt etiam ſtipendia, & alimenta, vel à fidelibus minutatim collata, vel jam in beneficium erecta, & ſuæ fidei ad diſtribuendum commiſſa, ad alimoniam ipſis prędicatoribus elargiri. Et quidèm ſi omnes beneficiati, quà beneficiati (in ſententiâ Contradictorum, cui tamen non eſt facilitèr acquieſcendum) ſunt prædicatores, vel ad prædicandum Dei verbum deputati; certum eſt, quod qui poteſt prædicatores mittere, vel deputare, poterit etiam illis beneficia elargiri: ſed Papa, & Epiſcopi, ex eorum proprio officio, & etiam interdùm Principes, auctoritate ſibi per Pontificem contributâ, mittere poſſunt, vel per totum orbem, vel reſpectivè per Diœceſes, aut Regna, aut per Provincias particulares, idoneos viros, qui officio prędicationis indulgeant, ſive nativos locorum, & indigenas, ſive extraneos, & alienos; ergò eis etiam valent beneficia eccleſiaſtica elargiri, ſive per collationem, ſive reſpectivè per viam nominationis ad ea.

26. Sanè quoàd Papas, à B. Petro Africam, Siciliam, Italiam, Galliam, & Hiſpaniam, totum demùm orbem, prædicatores, & fidem accepiſſe, ſatis clarè ſcripſit Stephanus Papa V. Imperatori Baſilio, his verbis: *omnium enim in orbe terrarum ordo, & Pontificatus Eccleſiarum, à Principe Apoſtolorum Petro originem accepit* (c). Et ante illum Innocentius Papa I. *cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpaniam, Africamque, & Siciliam, Inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores, conſtituerint Sacerdotes* (d). Sanctus Gregorius Papa I. Auguſtinum, ac Socios ejus in Angliam miſit (e). Conon Papa S. Kilianum in Franconiam direxit (f). Honorius Papa I. S. Amandum Slavis Evangelii præconem dedit (g). Gregorius Papa II. S. Corbinianum Francis ſimul, atque Germanis (h). Sergius Papa I. S. Vvilebrordum ipſis Germanis immiſit (i). Cœleſtinus Papa I. Palladium tranſmiſit in Scotiam (l), & Germanum Altiſiodorenſem in Britanniam (m). Hadrianus Papa II. Methodium in Moraviam (n). Gregorius Papa IV. Anſchiarum in Daniam (o). Alii Pontifices Malachiam Hibernis (p), Othonem Pomeranis (q), Brunonem tranſmiſere Prutenis (r). Quo paritèr ad Epiſcopos S. Athanaſius Patriarcha Alexandrinus Frumentium ad prædicandum Indiarum populis deputavit (s). S. Joannes Chryſoſtomus Patriarcha Conſtantinopolitanus Gothos Vvillę prędicatione erudivit (t). Juvenalis Patriarcha Hieroſolymitanus Petrum Saracenis Epiſcopum deſtinavit (u). S. Remigius Epiſcopus Remenſis fuit Evan-

(a) *Job cap. 29. n. 6.*

(b) *S. Gregorius in Job cap. 10. lib. 19*

(c) *Steph. V epiſt. ad Baſil. Imper.*

(d) *Innocent. I epiſt. 1.*

(e) *Beda de geſt. Angl. l. 1 c. 23. 24. et l. 2. c. 1. 3*

(f) *Surius to. 4. die 8 Julii in vit. S. Kiliani.*

(g) *Baudemundus in vita S. Amandi apud Surium die 6 Februar.*

(h) *Card. Baron. an. 716 n 10*

(i) *Beda lib. 5. c. 11. Marcellin in vit. S. Vigberti ap. Surium to. 2. die 1. Martii.*

(l) *Baron. ann. 429. n 2, & 6.*

(m) *Card. Baron. an. 429 n 9.*

(n) *Auguſtin. Moravus in Catalog. Epiſcoporum Moravię ſeu Olomucenſ.*

(o) *Vide S. Anſcharii ap. Duchesne to. 3. fol. 399.*

(p) *S. Bernard. in vit. S Malachię.*

(q) *Conrad. Abbat. Urſperg.*

(r) *Ditmarus lib. 6.*

(s) *Ruffin lib. 1. c. 9.*

(t) *Thomaſſin. veteri & nov. Eccl. diſc. p. 1. lib. 1. c. 55. n. 14*

(u) *Card. Baron. ann. 427 num 44.*

gelii ſator apud Francos (*a*). S. Eligius Noviomenſis apud Belgas (*b*). S. Vvilfridus Eboracenſis apud Friſios (*c*). S. Robertus Vagionenſis apud Bavaros (*d*).

27. Quoàd Principes, Juſtinus I. Romanorum Imperator Regi Lazorum Inſtructores fidei immiſit, & Coronam Regiam, atque Imperialem Chlamydem dono dedit (*e*). Oſualdus Rex Anglorum Miſſionarios accerſivit, qui Dei verbum ſuis populis prædicarent, & ipſe ſuo ore D. Aidano ſermocinanti officio interpretis functus eſt (*f*). Pipinus Gallorum Princeps Vulfrano Senonenſi ad Friſios convertendos ſedulitatis ſuę opera impendit (*g*). Lucius Rex Britannię ſacros divinę legis Divulgatores in ſuam ditionem admiſit (*h*). Ludovicus Pius Imperator Ebbonem ad prædicandum Danis immiſit (*i*), & ità de aliis. Hi autem omnes quâ ratione potuerunt viris extraneis officium prædicationis committere, vel reſpectivè ut mitterentur ſatagere; potuerunt etiam prædicatoribus ipſis jus tradere ad beneficia eccleſiaſtica in illis partibus conſequenda: præcones enim Verbi Dei *alantur ut prædicent*. Ergò ſi verba D. Gregorii in oppoſitum producta loquuntur de eccleſiaſticis beneficiis; nedùm non probant exteros eſſe ab ipſis beneficiis excludendos, ſed imò potiùs probant eſſe ad illos, non minùs ac indigenas, admittendos, dummodò prædicationis opus exerceant.

(a) *S. Gregor. Turon. de geſt. Franc. l. 2. c. 31.*
(b) *Baron. ann. 675. n. 16.*
(c) *S. Audoenus in vit. S. Eligii ap. Surium die 1. Decemb.*
(d) *Cardin. Baron. an. 590. n. 41.*
(e) *Baron. ann. 522. num. 18.*
(f) *Beda lib. 3. c. 3.*
(g) *Vit. S. Vulfran. ap. Surium tom. 2. die 20. Martii.*
(h) *Beda de geſtis Anglor. lib. 1. c. 4.*
(i) *Egenhard. an. 823.*

28. Reſpondetur *tertiò* conceſſo antecedenti, ſive primâ parte argumenti, negatur conſequentia. Nàm licèt verum ſit, quod ſacri Miniſtri alendi ſunt, ut prædicent; tamèn non omnia alimenta eccleſiaſtica in ſolum uſum prædicantium ſunt impendenda, ſed etiam in ſubſidium, & præmium aliorum danda ſunt, qui alio modo Deo famulantur, & Eccleſiæ deſerviunt. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, inquiebat Chriſtus (*l*): & Eccleſia aſſiſtit à dextris Dei *in veſtitu deaurato circumdata varietate* (*m*). Nempè ipſa eſt multis miniſtris prædita, quorum diverſitas, & ipſi Eccleſiæ decorem affert, & Cœli manſiones multas adimplet. Habet ſiquidem Eccleſia, & Papam, & Cardinales, & Epiſcopos, & Abbates, & Parochos, & Canonicos, & Manſionarios, & Cappellanos, & Presbyteros, & Diaconos, & minorum ordinum Clericos, & Monachos, & Milites Regulares, & Lectores, & Doctores, & Hoſpitalarios, & Sacriſtas, & Confeſſarios, & Prędicatores, & Anachoritas, & Virgines, & Pauperes, & Infirmos, & Captivos, & Carceratos, & plures alios, quibus omnibus, vel ſubſidia, vel alimenta prębet, quamvis non omnibus committat, imò & nec permittat, muneri prædicationis incumbere. Ergò licet Eccleſia debeat illis, qui prædicant, ſive alimenta, ſive beneficia ſacra præbere; non tamen omnia alimenta, vel beneficia ſacra, quæ poſſidet, debet in ſolum ſinum prædicantium effundere, ſed partem etiam ipſorum aliis, alitèr in Eccleſiâ Dei famulantibus, vel de eâ benemerentibus, reſervare.

(l) *Joannis cap. 14. num. 2.*
(m) *Pſalm. 44. n. 10.*

29. Itàque debet Papæ, Epiſcopis, & Parochis, aliiſque, qui ſacro prędicationis, & regiminis animarum muneri incumbunt, debet, inquam, Eccleſia illa beneficia eccleſiaſtica, ſive alimenta ſacra largiri, quæ fungentibus Pontificali, Epiſcopali, & Parochiali officio ſunt deſtinata. Debet Canonicis, Præpoſitis, Archidiaconis, Manſionariis, & aliis Choro deſervientibus, illa beneficia, ſeù alimenta tradere, quæ ſunt addicta pallentibus in Choro. Aliis verò, aliâ ratione Deo, & Eccleſiæ famulantibus, vel ad eam pertinentibus, debet alia beneficia, ſeù alimenta contradere, quæ ad alios pios uſus ſunt ab origine deputata: itàut Prædicantes alantur ut prædicent: Cantantes alantur ut cantent: Orantes alantur ut orent: Judicantes alantur ut judicent: alitèr tandèm laborantes alantur, ut alitèr in Eccleſiâ laborent. Quæ omnia cum æquè extranei, ac indigenæ poſſint obire; cuncti etiam æquè poſſunt beneficiorum, & alimentorum eccleſiaſticorum eſſe participes. Maximè autem beneficiorum merè ſimplicium, quæ quià, tùm ex eorum naturâ, & fundatorum intentione, tum ex uſu, & ritu Eccleſiæ, nedùm centenario, ſed etiam quingentenario, & millenario, ſunt erecta ad mercedem, & alimentum eorum, qui Deo in ſimplici ſtatu Clericali famulantes, ſunt eis intitu-

titulati, cum hoc ſolo onere divinas laudes quotidiè Domino perſolvendi, & alia onera beneficio, ſi quæ adjecta ſunt, vel perſonalitèr, vel per alios adimplendi, quod tàm indigenæ, quàm extranei optimè poſſunt obire; ſequitur quod eadem liberè valent, nedùm indigenis, ſed etiam extraneis diſpenſari, abſque eo quod recipientes eadem prędicent, vel Sacramenta miniſtrent, quę illis expreſsè interdictum eſt exercere, ſine ſpeciali facultate.

30. Reſpondetur *quartò* ad ſecundam allegationem, in argumento propoſitam, negando ſuppoſitum, & retorquendo argumentum. Suppoſitum eſt, quod S. Gregorius juſſerit præferendum eſſe Clericum minùs idoneum de gremio Eccleſię Clerico extraneo magìs idoneo, quod D. Gregorius nunquàm ſomniavit, nec dicit *præferendum*, ſed *tolerandum* Trajanum minus idoneum de gremio Eccleſię, ſi in Epiſcopum eligatur, *& melior inveniri non valet* (a), ipſo tamen Gregorio valdè optante, ut in Epiſcopum Syracuſanum eligeretur Joannes Archidiaconus Catanenſis, quo nullus ei magìs dignus pro tanto munere videbatur. Conſtat ergò, quod D. Gregorius in ſuâ epiſtolâ non facit comparationem inter Trajanum indigenam, & Joannem Catanenſem extraneum; ſed à longè prævidens id, quod poterat evenire, nempè non duos futuros candidatos prò electione, ſed unicum tantùm, Trajanum nomine, virum *bonę mentis*, ſed *minus idoneum*; dat regulam in tali caſu obſervandam, ſcilicèt quod *ſi melior inveniri non valet, & ipſe nullis criminibus tenetur involutus, condeſcendi ad eum, cogente nimia neceſſitate poteſt* (b). Ex propriâ ergò modeſtiâ S. Gregorius Clero, & Populo, ſeu Electoribus Eccleſię Syracuſanę ſe libertatem velle relinquere diſponebat, ut eligerent quem ipſi mallent, toleraturus, & approbaturus quemcumque electum, etſi *minùs idoneum*, ſi nullis criminibus teneretur involutus, quandòquidem tametſi in foro conſcientię dignior ſemper ad beneficia ſit eligendus (c), in foro tamen fori Electores non arctantur ad vota in magis idoneum conferenda, ſed ſufficit, ut per eos aliquis utcumque dignus eligatur, præſertim ad beneficia non parochialia, etiamſi alius magis dignus haberi poſſit (d).

(a) *S. Gregorius lib. 4. ep. 19.*

(b) *Idem S. Gregor. PP. ubi ſupr.*

(c) *Sylveſt. Tabienna, & alii Summiſtæ in V. Electio DD. apud Barboſ. de off & poteſt Epiſcopi p. 3 alleg. 60. n 97 & ad Concil. Trid ſeſ. 24 c 18 n 126*

(d) *Vid. S. Thomam 2. 2 qu. 63. art. 2 & ibi Cajetan. Barboſ. de off. Epiſcopi Alleg 60. n. 10. Garcia de beneſ. p. 7. c. 16. n. 43.*

31. At quoàd ſuam intentionem, S. Gregorius explicat illam hoc modo, ſè in id collimare, ut eligatur loco Maximiani defuncti Antiſtitis Syracuſani Joannes Archidiaconus Catanenſis, licèt extraneus, quià magìs dignus, ſeu magìs erat idoneus. En ejus voluntas, expreſſa Cypriano Diacono: *Si autem mea voluntas ad hanc electionem quæritur, tibi ſecreto indico, quod volo; quià nullus mihi in eâdem Eccleſiâ poſt Dominum Maximianum, tam dignus videtur, quàm Joannes Archidiaconus Catanenſis Eccleſię, qui ſi fieri poteſt, ut eligatur, credo quod apta valdè perſona inveniatur* (e). Ex verbis ergò S. Gregorii, nedùm non probatur intentum Contradictorum, ſed imò retorquetur argumentum adversùs eos, quatenùs Gregorius clarè docet, præferendum eſſe in electionibus virum magìs, dignum, quantumvis extraneum, Clerico indigenæ minùs digno: quamvis ſi eligatur indigena minùs idoneus, tolerandus ſit in foro fori, pro bono pacis, ne anſa litibus præbeatur. Sed aliud eſt tolerare, aliud præferre. Aliud eſt condeſcendere electioni minùs idonei, aliud ſtatuere præferendum eſſe indigenam minùs dignum extraneo magìs digno. Primum eſt verum: ſecundum verò abſolutè negatur.

(e) *S. Gregorius l. 4. ep. 19.*

32. Et quoàd *tolerantiam* optimè inquit Dion Caſſius, *ſapientes quædam tolerare oportet, etiam quę non probant, ut tranſitum ad majora faciant* (f). Multa namque tolerantur per patientiam, quæ ſi ad judicium deducerentur, ſubſiſtentiam non haberent (g). Sanè *tolerantia*, cum juſtis de cauſis in rebus Canonicis adhibetur, relaxat quidem canones, ſed eos non diſſolvit, quia ſolum facit, ut pro bono pacis, rigor canonum ad tempus cedat, & ſine eorum injuriâ, diſpoſitio, quam continent, conticeſcat: Ipſa ergò tolerantia nihil ponit in eſſe, neque legem facit, ſemper, & ubilibet obſervandam. Hancque habuit de *tolerantiâ* opinionem proculdubio D. Gregorius, quià ſcribens Anatolio Diacono Conſtan-

(f) *Dion. Caſſius Hiſtor lib. 52.*

(g) *Cap. cum jam dudum 18. de prębend. & dign.*

ſtantinopolitano, de Imperatore volente Joannem Juſtinopolitanum ob infirmitatem deponi, ait; *nos in depoſitione talis viri non faciat permiſceri. Quod verò ipſe fecerit, ſi Canonicum eſt, ſequimur; ſi verò Canonicum non eſt, inquantum ſine peccato noſtro valemus, portamus* (a). Auget rationem, quod D. Gregorius in caſu noſtro non loquitur de ſolà tolerantiâ, ſed de præciſo, & emergenti neceſſitatis caſu, vel, ut ipſe loquitur, *cogente nimiâ neceſſitate* (b), quam certum eſt nec ſtatum facere, nec in legem tranſire, ſed imò legem ſibi potius ſubjugare (c). Tamèn uti ſcribit Innocentius Papa ad Epiſcopos Macedoniæ, *quod neceſſitas pro remedio reperit, ceſſante neceſſitate, debet utique ceſſare* (d). Et ratio eſt, quià neceſſitas non deſtruit Canones, ſed tranſcendit: & ſuſpendit ad tempus vim Canonum, non extinguit; quarè extrà caſum neceſſitatis, eâve jam ceſſante, ipſorummet Canonum vis reſurgit (e), de quâ Urbanus Papa II. in Synodo Placentinâ: *quamvis miſericordiæ intuitu, magnâque neceſſitate cogente, hanc in ſacris Ordinibus diſpenſationem conſtituerimus; nullum tamèn præjudicium ſacris Canonibus fieri volumus, ſed obtineant proprium robur, & ceſſante neceſſitate, illud quoque ceſſet, quod pro neceſſitate factum eſt* (f). Igitur quod D. Gregorius, cogente nimiâ neceſſitate, permiſerit præfici Eccleſiæ Syracuſanæ Trajanum dè gremio illius, minùs idoneum, & præponi Joanni Archidiacono Catanenſi magìs idoneo, non facit, quod ſemper, & ubique, ac extrà caſum neceſſitatis, indigenæ minùs idonei ſint in conſecutione beneficiorum extraneis magis idoneis præferendi.

33. Reſpondetur *quintò* ad tertiam allegationem, In argumento propoſitam, S. Gregorium loqui, non dè beneficiis merè ſimplicibus, circà quæ, ut diximus, potiſſimè vertitur cardo noſtræ difficultatis, etſi ab eâ non excludantur beneficia quoque reſidentialia, ſed dè beneficiis Epiſcopalibus, ſeù habentibus regimen animarum, à quibus ad beneficia merè ſimplicia, quoàd negotium noſtrum, non tenet conſequentia. Et quidquid etiam ſit de hoc, D. Gregorius loquitur, non ex debito, ſed ex honeſtate: nec loquitur abſolutè, ſed cœteris paribus; docens, congruere, honeſtum eſſe, convenire, ut quotiès (juxtà morem ſuæ ætatis) eligendus eſſet Epiſcopus, quæreretur prius in Eccleſiâ viduatâ, & in Monaſteriis ejuſdem, an adeſſent viri Epiſcopatu digni, & ex eis unus eligeretur, aliàs, ibi deficientibus dignis, aliundè idoneus quæreretur: ſed hoc, quod de honeſtate eſſe cognoſcitur, nullibi legitur ab eo poſitum ſub præcepto. Imò in hac ipsâ epiſtolâ, ad Petrum Subdiaconum tranſmiſsâ, ſubjungit: *Si verò vacantia quidèm loca repereris, & nullus tali dignitate ex eâdem Eccleſiâ congruus inveniatur &c.* (g), per quæ apparet, ipſum de congruo loqui, non de præcepto. Præthereà D. Gregorius eſt intelligendus, quod non faciat comparationem intèr magìs, & minùs dignum, ſed intèr æquè dignos, & proponat quod concurrentibus ad Epiſcopale munus, hinc Clerico idoneo, & indè alio æquè idoneo, inter hos indigena præferatur extraneo, quià ut benè docet D. Thomas, *ille qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, ut in pluribus conſuevit eſſe utilior, quantum ad bonum commune, quià magìs diligit Eccleſiam, in quâ eſt nutritus* (h).

34. Igitùr indigenæ non de præcepto, ſed ſolùm de congruo, ſunt extraneis præferendi. Nèc abſolutè præferendi ſunt, ſed ſolum cœteris paribus. Hæc autem cœterorum paritas, non à quolibet de vili plebe decernenda eſt, neque à viris otioſis, & rerum inſciis, neque à beneficiorum petitoribus, & prætenſoribus, quibus propria aviditas, & ambitio ſolet oculos obvelare, ut ſe ſolos dignos, cœteros indignos exiſtiment: vel ſaltèm ſe ità idoneos reputent, ut ſua merita ſint cœterorum meritis præponenda. Neque tandem definienda eſt ab Ariſtarchis illis, & Cenſoribus generalibus geſtorum alienorum, quibus cura eſt optima quæque, ac præſertim opera ſuperiorum, illorumque in primis, qui beneficia eccleſiaſtica diſpenſant, linguæ inculis ſagittare, mordere, ac quidquid ab his fit in pravum ſenſum deflectere; ſed ſtatuenda eſt ab ipſis beneficiorum Collatori-

(a) S. Gregorius l. 9. ep. 41.

(b) S. Gregorius l. 4. c. 19.

(c) Vid. Jura, & DD. ap. Barboſ. tract. var. Axiom. 157. n. 1.

(d) Innocent. PP. I. ep. 22. c. 5.

(e) Tiraqu. in tract. ceſſante cauſa p. 1. n. 148. Barboſ. in c. reliqui de cuſtod. Eccl. n. 4.

(f) Concil. Placentin. c. 9.

(g) S. Gregor. PP. I. lib. 1. epiſt. 18.

(h) S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 4.

toribus, vel ad ea Nominatoribus, quorum conſcientia oneratur, ut conſideratis circumſtatiis locorum, temporum, & perſonarum, determinent quis, & qualitèr, & quarè, ad tale beneficium hìc, & nùnc conferendum, ſit magis dignus, & idoneus; quiſque ex concurrentibus in tali rerum ſtatu, ſit ad beneficium ipſum præferendus, indigena, vel extraneus? Sentit ergò D. Gregorius pro libertate Eccleſię in conferendo beneficia eccleſiaſtica univerſis Clericis, ſive extraneis, ſive indigenis, pro libito Collatorum, ſeù Nominatorum ad illa: & ex cunctis, quę in pręſenti Capitulo congeſſimus, clarè liquet, liberum, & licitum eſſe Eccleſię, illiuſque Miniſtris, atque in primis Romano Pontifici, ipſius Eccleſię Capiti, nec non Epiſcopis, aliiſque omnibus, tam ordinariis, quam delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

CAPUT X.

In quo notabili Objectioni reſpondetur, ex D. Gregorio propoſitę contrà libertatem Eccleſiæ, in conferendo Beneficia Eccleſiaſtica, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis. Agiturquè dè titulo, & poteſtate Epiſcopi Univerſalis, *Papę, quà Papę competenti.*

SUMMARIUM.

1 Septima Objectio, *deſumpta ex D. Gregorio Magno, vetante ſibi dari titulum Epiſcopi Univerſalis ab Eulogio Alexandrino.*

2 *Proſequitur Objectio ipſa, inſiſtens, quod Eccleſia Romana non eſt Eccleſia Univerſalis, nec ejus Clerici ſunt Clerici Eccleſiæ Univerſalis.*

3 *S. Gregorius fortiſſimè reſtitit Joanni Jejunatori, & Cyriaco, Epiſcopis Conſtantinopolitanis, ob titulum Epiſcopi Univerſalis.*

4 *In congruo ſenſu Eccleſia Romana eſt Eccleſia Univerſalis; tametſi ſumpto nomine ut ſic, Eccleſia Univerſalis aliud ſignificet.*

5 *Innocentius PP. III. declarat ſenſum hujus univerſalitatis, & quomodò titulis hic Eccleſiæ Romanæ competat.*

6 *Malè Balſamon dicit, Eccleſiam eſſe Univerſalem ob conſenſionem quinque Sedium Patriarchalium; Eccleſię regimen eſt monarchicum.*

7 *Per aliquod tempus defuit Patriarchatus Hieroſolymitanus, & Conſtantinopoleos, tàncque defuiſſent Eccleſiæ duo Capita.*

8 *Quid ſignificet vox* Univerſalis, *& quid vox* Oecumenicus? *Latiùs patet prima, quam ſecunda.*

9 *Ex ſolà ſollicitudine ſuper alias Eccleſias nullus eſt Epiſcopus Univerſalis. Vox hæc addita interdùm Conciliis, & alicui Abbati.*

10 *Aliquis dici poteſt Epiſcopus Univerſalis in* eſſendo, *vel in* cauſando: *& quomodò hæc duo differant?*

11 *Papa eſt Epiſcopus Univerſalis non primo, ſed ſecundo modo. Aliqui Papæ tenuerunt cum Pontificatu alias Eccleſias, quibus præfuerant.*

12 *Pri-*

12 *Primus utens titulo Epiſcopi Univerſalis fuit Dioſcorus Alexandrinus in Latrocinio Epheſino: qui etiam, dum eſſet in minoribus, præſumpſit inania.*
13 *Hic citò fuit depoſitus in Concilio Chalcedonenſi. Epiſcopus quoque Græcus Hieroſolymitanus, ſe vocat univerſalem.*
14 *In illo Concilio Epiſcopus Conſtantinopolis coæquatus eſt Papæ, ideòque ſibi aſſumpſit titulum Oecumenici.*
15 *Variis Epiſcopis Conſtantinopolis hic titulus delatus eſt ab Imperatore, ac à Concilio illius urbis.*
16 *In Mennâ non fuit impugnatus hic titulus, quià de recenti ſubjectionem ſuam, & obedientiam profeſſus fuerat Papæ.*
17 *Inceperunt Patriarchæ Conſtantinopolis etiam ex ſe ipſis hunc ſibi titulum arrogare, uti fecit Jejunator, & Cyriacus,*
18 *Utrique reſtitit Pelagius PP. II. & S. Gregorius Magnus, ut ex ejus liquet epiſtolâ de hâc rè.*
19 *Jejunator eo magìs illo titulo uſus eſt, & in Actis cujuſdam appellationis ad Papam penè in omnibus paginis ipſum adhibuit.*
20 *Mauritius Imperator redarguit S. Gregorium ob impugnatum titulum ipſum, fovetque potiùs Cyriacum in ejus uſu.*
21 *S. Gregorius Mauritium commonet, cur uſum talis tituli in Epiſcopo Conſtantinopoleos tolerare non debeat.*
22 *Phocas Imperator jubet, titulum Oecumenici à ſolo Papâ poſſe adhiberi: Epiſcopi nihilominùs Conſtantinopolis eo uti perrexerunt,*
23 *Ut fecerunt Sergius, Gregorius, Tharaſius, & Tryphon, qui fuit aſtutè depoſitus ob ſuppoſitum, quod ſcribere neſciret.*
24 *Aliqui cenſent, Hadrianum PP. I. hunc titulum præbuiſſe Tharaſio, ſed malè, cum potius conſtet oppoſitum.*
25 *Veriſimile eſt hunc titulum fuiſſe à Græcis intruſum epiſtolæ Hadriani ad Tharaſium, ut palparent Patriarchas Conſtantinopoleos.*
26 *Conſtantinopolis Patriarchæ petenti ut poſſet dici Oecumenicus reſpectu ad ſuum Patriarchatum, Papa negavit aſſenſum.*
27 *Cur Eccleſia poſtmodùm tolerandum cenſuerit titulum Oecumenici in Patriarchâ Conſtantinopolitano?*
28 *Conſtantinopolitanus Patriarcha Oecumenicus reſpectu ſui Patriarchatus dicitur, ex Anaſtaſio Bibliothecario.*
29 *Quid ſignificet titulus* Catholici, *quo inſignitur Rex Hiſpaniæ, Patriarcha Antiochenus, & alii quidam Epiſcopi.*
30 *Oecumenici titulus in aliquo ſenſu competit Patriarchæ Conſtantinopolitano. Olim omnes Epiſcopi dicebantur Papæ.*
31 *Mauritius Imperator monuit S. Gregorium, ut toleraret titulum Oecumenici in Patriarchâ Conſtantinopolitano in bono ſenſu.*
32 *Pelagius II. & S. Gregorius id nolebant tolerare, ob circumſtantias illorum temporum, & quas?*
33 *De hâc rè ſcribit S. Gregorius Eulogio Alexandrino, declarans ſe exemplum ſui Anteceſſoris eſſe ſecutum.*
34 *Concilium generale ſine auctoritate Romani Pontificis celebrari non poteſt, ut ex S. Leone IX. Socrate, & Sozomeno.*
35 *Ficta pietas Joannis Jejunatoris, tendens ad ſubigendam ſibi totam Eccleſiam, erat Gregorio valdè ſuſpecta.*
36 *Imperator Mauritius vilipendiis afficiebat S. Gregorium, eum vocans ſimplicem, & inſanum.*
37 *S. Gregorius improbat fictam pietatem, & ſuperbiam Joannis Jejunatoris, ac ab eo turbari totam Eccleſiam clamat.*
38 *Et ſe vindicare, ait, injuriam D. Petro à Joanne illatam, non verò privatam*

tam injuriam.

39 *Gregorius cauſam ſe defendere totius Eccleſię dicit. Multi Epiſcopi Conſtantinopolitani hęreſi infecti fuerunt, imò & Hereſiarchæ.*

40 *Epiſcopo Conſtantinopolis datus honorariè ſolum fuit titulus Patriarchæ, qui tamèn volebat paulatim ſibi totam ſubjugare Eccleſiam.*

41 *Nectarius, Chryſoſtomus, Atticus, Sitinius, Anatolius Conſtantinopolitani, extrà propriam ditionem jura ſuæ poteſtatis extenderunt.*

42 *Suſpectus erat in illis circumſtantiis temporum titulus Oecumenici. Papę fuit ſemper ſubjectus Patriarcha Conſtantinopolis.*

43 *Objurgat S. Gregorius Jejunatorem, quod pacem turbaret, eique improperat, quod ſimulaſſet nolle acceptare Patriarchatum.*

44 *Reprehendebatur in Patriarchâ Conſtantinopolitano titulus Epiſcopi Univerſalis, ut* in eſſendo *conſideratus.*

45 *Talis titulus nimiùm prejudicialis erat toti Eccleſię, quam ſcandalo replebat, & Evangelium, atque canones conculcabat.*

46 *In hâc reſiſtentiâ S. Gregorius ſecutus eſt exemplum Pelagii II. & primarios orbis Patriarchas ad reſiſtendum concitavit.*

47 *Alios quoque præcipuos Gręcię Epiſcopos ad reſiſtendum commonuit, quia ſi unus diceretur univerſalis, ipſi amplius non eſſent Epiſcopi.*

48 *Sicut Pelagius, & Gregorius, ità poſteà & Hadrianus PP. I. Eccleſia noxium cenſuit ipſum titulum in Patriarchâ Conſtantinopolis.*

49 *Zelator jurium S. Petri, noluit S. Gregorius dicto titulo aſſentiri: & mori potius ſe paratum eſſe declaravit, quam ei aſſentiri.*

50 *Integritati fidei rebatur D. Gregorius dictum titulum officere, ideò in Patriarchâ Conſtantinopolis illum noluit permittere.*

1. SEDES Apoſtolica, *Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis, Religione tenet* (*a*), hoc interdùm patitur infortunium, ut quos propugnatores habere deberet, impugnatores contumaciſſimos experiatur, & quibus ſollicitudinis ſuæ præſtat officia, fiat ſignum cui dirè contradicatur (*b*). In ipsâ totius fidei plenitudo, poteſtatis eccleſiaſticæ robur, & Apoſtolicæ dignitatis ſemper viguit principatus (*c*). Nihilominùs ejuſdem prerogativas, non raròemergunt, qui pro viribus imminuere connituntur. Bonum eſt tamen, quod *privilegia iſtius Sedis, vel Eccleſiæ, perpetua ſunt, divinitus radicata, atque plantata ſunt: impingi poſſunt transferri non poſſunt: trahi poſſunt, evelli non poſſunt* (*d*). Intèr impugnantes autem Apoſtolicę Sedis prerogativas, etiam Contradictores ſua vota contribuunt, non tantum vellocantis in in ſuis libris poteſtatem diſpeſativam beneficiorum, ſed alia quoque illius jura pulſantes: & pro eo quod cauſam præſentis lucubrationis noſtræ concernit, *ſeptimo* loco, ex ſanctis Patribus *argumentantur* hoc modo. Papa non poteſt extrà propriam diœceſim alienos Clericos ordinare, non aliena beneficia Clericis Romanis conferre, non juriſdictionem exercere, non beneficia Clericis extraneis impertiri &c. quià hæc non poſſunt fieri, niſi vel ab Epiſcopo locali, vel ab Epiſcopo univerſali, qui habeat juriſdictionem Epiſcopalem in ſingulis Eccleſiis: ſed Romanus Pontifex non eſt Epiſcopus localis omnium Eccleſiarum, ut de sè conſtat: neque eſt Epiſcopus univerſalis, quià hanc prerogativam nulli Epiſcoporum competere D. Gregorius affirmavit; ergò caret jure, quo fretus, valeat extraneis eccleſiaſtica beneficia largiri. Et quidèm de mente D. Gregorii dubitari non valet, cum diſertis verbis ad Eulogium Alexandrinum hæc ſcribat: *Dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid ſcribere debere, & ecce in præfatione Epiſtolę, quam ad meipſum, qui prohibui direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum,*

(a) *Proſper. Aquitan. lib. de ingrat. cap. 2*

(b) *Lucæ cap. 2. n. 34.*

(c) *S. Auguſtin. epiſt. 162.*

(d) *Nicol PP. I. ep. 8. ad Michael. Imperat.*

uni-

Digitized by Google

univerſalem me Papam dicentes, imprimere curaſtis. Quod peto dulciſſima mihi ſanctitas veſtra ultrà non faciat: quia vobis ſubtrahitur, quod alteri plus quàm ratio exigit, præbetur &c. Si enim univerſalem mè Papam veſtra Sanctitas dicit, negat sè hoc eſſe, quod mè fatetur univerſum. Sed abſit hoc &c. (*a*).

(a) S Gregorius lib. 7 epiſt. 30.

2. Et fanè non eſt magis Epiſcopus Univerſalis Romanus Pontifex, quàm Romana Eccleſia ſit Eccleſia Univerſalis; ſed Romana Eccleſia non eſt Eccleſia univerſalis, aliàs cæteræ Eccleſiæ non eſſent Eccleſiæ; ergò nec etiam Romanus Pontifex eſt Epiſcopus Univerſalis. Sicuti Romanus Pontifex non eſt Epiſcopus Univerſalis, quià aliàs cæteri Epiſcopi non eſſent Epiſcopi. Paritèr, & Prælati, & Clerici Romanæ Eccleſiæ, non ſunt Clerici Eccleſiæ Univerſalis, tùm quià ratio univerſalitatis non poteſt eis magis ineſſe, quàm inſit Pontifici eorum Epiſcopo, & Eccleſiæ Romanæ eorum Eccleſiæ. Tùm etiam quià ſi olim fuiſſent habiti prò Clericis Eccleſiæ univerſalis, pertinuiſſet ad eos mitti ad Concilia Orientalia, nomine Eccleſiæ Occidentalis; quò tamèn Clerici, vel Prælati Romanæ Curiæ nunquàm miſſi ſunt, ſed ſoli Epiſcopi aliarum Eccleſiarum. Tùm demùm quià ſi Clerici Romani ſunt Clerici Eccleſiæ univerſalis, malè Pontifex Leo III. depoſuiſſet Anaſtaſium Cardinalem S. Marcelli, eò quod Aquilejæ, non Romæ degeret (*b*): cum uti Clericus Eccleſiæ univerſalis, ubicumque moraretur, ſemper diceretur Eccleſiæ univerſali deſervire, & conſequentèr immunis fuiſſet à culpâ, & exemptus à pœnâ. Si ergò ex D. Gregorii doctrinâ, nec Romanus Pontifex eſt Epiſcopus univerſalis, nec Clerici Romanæ Eccleſiæ ſunt Clerici Eccleſiæ univerſalis, non poſſunt conferre, & reſpectivè conſequi eccleſiaſtica beneficia in illis Eccleſiis, à quibus ſunt extranei, & conſequentèr ipſa beneficia ſunt ſolis indigenis, non verò extraneis conferenda.

(b) Cap. ex geſtis 2. de Cleric. non reſident.

3. Reſpondetur, hoc Argumentum multam in sè materiæ latitudinem continere, proptèr quàm quia non ità commodè diſſolvi poteſt ſuccintâ reſponſione, prout enodabitur fundamentali enarratione totius ſtatus quæſtionis, & eventuum, ac rationum, quibus innititur; permittat benignus Lector, ut hìc ſuſpensâ per tempus aliquod reſponſione, totam ſeriem facti, prout accidit, referamus. Fatemur ingenuè quod D. Gregorius titulum Univerſalis Epiſcopi refutavit, & adverſus Joannem Jejunatorem Epiſcopum Conſtantinopolitanum inſurrexit, ac adversùs Cyriacum, ejuſdem Succeſſorem, qui titulum ſibi univerſalis Antiſtitis arrogabant: nam & Joannem ipſum commonuit (*c*), & contrà illum, tàm ad Mauritium Cæſarem (*d*), quàm ad Conſtantiam Auguſtam literas dedit (*e*), & præfatum Eulogium, atque Anaſtaſium Antiochenum, ad abolendum in Joanne profanum *Univerſalis* titulum concitavit (*f*). Cyriaco paritèr, ut ab uſu tituli *Oecumenici* sè compeſceret intimavit (*g*), ac niſi obtemperaret, ſuam ei communionem ſubtracturum eſſe intrepidè denuntiavit (*h*). Epiſcopos tandèm præcipuos, in Græciâ conſtitutos, literis ad reſiſtendum voci *Univerſalis* accendit, & nè titulum hunc admitterent, ſub anathematis interminatione prohibuit (*i*). Nec ſoli Epiſcopo Conſtantinopolitano, ſed ſibi quoque indebitam eſſe hanc Epiſcopi univerſalis denominationem S. Gregorius ipſe non ſegnitèr affirmavit, quam in Concilio Africano cunctis fuiſſe generalitèr denegatam, conſtat ex hoc decreto: *Primæ Sedis Epiſcopus non appelletur princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantùm primæ Sedis Epiſcopus. Univerſalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur* (*l*). Fatemur hoc totum: ſed hinc nihil proficit cauſa Contradictorum.

(c) S. Gregorius l. 4. epiſt. 33.
(d) S. Gregor. lib. 4. epiſt. 32.
(e) S. Gregor. lib. 4. ep. 34.
(f) S. Gregor. lib. 4. ep. 36. & lib. 7. epiſt. 30
(g) S. Gregor. lib. 6. epiſt. 28.
(h) S. Gregor. lib. 6. epiſt. 31.
(i) S. Gregor. lib. 7. epiſt. 70.
(l) Concil. Afric. c. 3 cap. primæ ſedis 3. diſt. 99.

4. Nàm primò, & antè omnia negatur quod Eccleſia Romana non ſit Eccleſia Univerſalis, ſi in eo ſenſu concipiatur, quo hæc ei competit appellatio. Licèt enim Eccleſia Univerſalis, & Oecumenica, ut ſic, ſit Eccleſia Dei, per univerſum orbem diffuſa; tamèn etiàm Romana Eccleſia, ſub diversâ ratione, hâc ipsâ denominatione potitur: quod qualitèr ſit, meliùs explicari non poteſt, quàm illâ eleganti phraſi,

phraſi, quâ Innocentius Papa III. Patriarchæ Conſtantinopolitano ſuo tempore ſcripſit: *Quæſiviſti etenim dubitans, & addiſcere volens, quâ ratione Romanam Eccleſiam unam, & univerſalem in noſtris literis vocaverimus, veluti in quaſdam ſpecies ſpecialiſſimas jam diviſam, cum & unus ſit Paſtor, & unum Ovile, licèt ſub uno Paſtorum Principe Chriſto plures ſint conſtituti paſtores. Nos autem inquiſitioni tuæ talitèr reſpondemus, quod Eccleſia duabus de cauſis univerſalis vocatur; intelligentia namque dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: cum non res ſermoni, ſed rei ſit ſermo ſubjectus. Dicitur enim Univerſalis Eccleſia, quæ de univerſis conſtat Eccleſiis, quæ græco vocabulo Catholica nominatur, & ſecundum hanc acceptionem vocabuli, Eccleſia Romana non eſt univerſalis Eccleſia, ſed pars univerſalis Eccleſiæ: prima videlicet, & præcipua, veluti Caput in Corpore, quoniàm in eâ plenitudo poteſtatis exiſtit: ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur* (a).

5. *Et dicitur univerſalis Eccleſia illa una, quæ ſub sè continet Eccleſias univerſas: Et ſecundum hanc nominis rationem Romana tantum Eccleſia univerſalis nuncupatur, quoniàm ipſa ſola ſingularis privilegio dignitatis cęteris eſt prælata, ſicut & Deus univerſalis dominus appellatur, non quaſi jam diviſus in ſpecies, aut ſpecialiſſimas, aut ſubalternas; ſed quoniàm univerſa ſub ejus dominio continentur. Eſt enim una generalis Eccleſia, de quâ Veritas inquit ad Petrum. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et ſunt multæ particulares Eccleſiæ, de quibus Apoſtolus ait: inſtantia mea quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarum: ex omnibus una conſiſtit, tamquàm ex particularibus generalis, & una præeminet omnibus, quoniàm cum unum ſit Corpus Eccleſiæ, de quo dicit Apoſtolus, omnes unum Corpus ſumus in Chriſto, illa velut Caput, cæteris membris excellit* (b). Eccleſiam univerſalem etiam D.Gregorius in hoc conceptu ſumpſit, quandò Joanni Jejunatori Conſtantinopilitano Epiſcopo ſcripſit, *certè Petrus Apoſtolus primum membrum Sanctæ, & univerſalis Eccleſię eſt. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quam ſingularium ſunt plebium capita? Et tamen ſub uno capite, omnes ſunt membra Eccleſiæ* (c).

6. Corruunt ex his ea, quæ Balſamon ſomniavit, dùm univerſalitatem Eccleſiæ, non à Petro unico ejus Capite, ſed à quinque Sedium Patriarchalium conſenſione, in unum veluti caput aſſociatâ, repetendam eſſe commentus eſt: hocque fieri *propter identitatem honoris, & quod hi quinque Patriarchæ vicem unius Capitis univerſi Corporis obtineant, ſanctarum videlicèt Eccleſiarum Dei* (d). Nàm Chriſtus Eccleſiæ regimen conſtituit, non Democraticum, neque Ariſtocraticum, ſed Monachicum (e), dum Petro claves porrexit: Dum Eccleſiam ſuper eum fundavit: dum ei indeficientiam fidei repromiſit: dum confirmandi fratres eidem munus injunxit: dum tandem ipſi paſcendos agnos, oves, totumque ovile ſuum commiſit. Hinc benè D.Bernardus Papam Petri ſucceſſorem hoc eſt eloquio proſecutus: *Habent illi*, Epiſcopi, *ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti, uni unus. Non modo ovium, ſed & Paſtorum tù unus omnium Paſtor* (f). Non ergo plura capita ex æquo ſunt in Eccleſiâ Dei, ſed unum ex integro: cujus omnes Eccleſiarum particularium Pręſules membra ſunt, ſubjectionis cum eo, non æqualitatis lineam retinentes. Illi ſunt Paſtores ſuarum ovium, & ovilium, ſed Paſtores ſupremo totius Chriſtiani ovilis Paſtori ſubjecti, de quo egregiè Euſebius Gallicanus: Chriſtus *prius agnos, deindè oves Petro commiſit, quià non ſolum Paſtorem, ſed Paſtorum Paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur agnos, paſcit & oves. Paſcit filios, paſcit & matres. Regit & ſubditos & Prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt, quià præter agnos, & oves, in Eccleſia nihil eſt* (g). Pręterea ſi opinio Balſamonis valeret, Eccleſia eſſet monſtrum quinquiceps, ſivè in uno corpore quinque capita tenens, contrà illius pulchritudinem, & venuſtatem, quę *non habet maculam, neque rugam, aut aliquid hujuſmodi* (h).

(a) *Innoc. III. ep. 206. lib. 2 f. 383.*

(b) *Idem loc. cit. vid. Gratian. diſt. 99. poſt cap. 5.*

(c) *S. Gregor. lib. 4. epiſt 38. antè medium.*

(d) *Balſamon. Juris Orient. l. 7 f. 442.*

(e) *Gonet Clyp. Theol. to. 4. de Sum Pontif. diſp. 3. art. 2. §. 3. & 2.*

(f) *S. Bern. de conſid. l. 2. c. 8.*

(g) *Euſeb. Gallic. ſer. de Nativ. S. Joa.*

(h) *Ephe. ſ. cap. 5. num. 27.*

7. Ad hæc ſit ſatis recogitare quod per quatuor prima ſæcula ; neque Sedes Hieroſolymitana , neque Conſtantinopolitana jus , imò & nec nomen Patriarchicum habuere ; ſolæ namque tres ab initio erant Sedes Patriarchales, nempè Romana , Alexandrina , & Antiochena (*a*). Conſtantinopolitana etenim erat Parochia,Eccleſiæ Heracleenſi ſubjecta (*b*): Et Hieroſolymitana , cum primò prerogativam honoris ſuper alias Metropolitanas obtinuit , ſubjecta remanſit Archiepiſcopo Cæſarienſi (*c*) , cui & in Conciliis Provincialibus honorem præcedentiæ cedere tenebatur . Quo tempore cùm Eccleſia carverit duobus hiſce ſuppoſitis Capitibus , ſeù partibus Corporis , nempè Patriarchâ Conſtantinopolitano, & Hieroſolymitano; oporteret dicere , quod ipſa, per priora illa quatuor Sęcula , fuerit Monſtrum , dimidiato capite horrendum , & quod per tantundèm temporis non fuerit univerſalis, licèt per totum Orbem diffuſa eſſet , ac ſignantèr per ipſas Provincias Palęſtinæ , ubi Sedes Hieroſolymitana erat erecta ; & Thraciæ , ubi Conſtantinopolitana Eccleſia in Urbe tunc Byzantii reſidebat . Byzantium namque Epiſcopum habuiſſe à D. Paulo Apoſtolo affirmat Agapetus Papa I. in epiſtola ad Mennam , quæ fuit in quintâ Synodo recitata (*d*). Et licèt à Gelaſio Papa I. in epiſtolâ ad Epiſcopos Dardaniæ, Eccleſia Conſtantinopolitana dicatur Parochia Heracleenſis Eccleſiæ (*e*) ; *Parochia* tamen ibi ſignificat Diœceſim Epiſcopalem,Metropolitanę Eccleſiæ Suffraganeam , quatenùs olim territorium ditionis Epiſcopalis appellationem Parochiæ retinebat (*f*). Verè ergò univerſalitas Eccleſiæ , quatenùs dicit extenſionem ad partes , comprehendit omnes Eccleſias, per totum Orbem diffuſas . Quatenùs verò dicit unum Corpus Chriſtianorum , à ſuo Capite dependens , intelligit Eccleſiam Romanam, cæteris aliis per mundum univerſum exiſtentibus præſidentem : non Archiepiſcopali , neque Primatiali, neque Patriarchali jure ; ſed Supremo, ac Pontificali, atque Vicariali Chriſti poteſtate fulgentem , quam Petrus ad ſucceſſores Papas transfudit, à Chriſto acceptam, dùm illi dixit:*Tu es Petrus,& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam &c.* (*g*). Et idcircò Eccleſia definitur: *eſt ſocietas viſibilis fidelium baptizatorum ſub uno capite Chriſto in Cœlis,& Vicario ejus in terris,inter ſè eodem cultu communicantium* (*h*).

8. Ab *Univerſalis Eccleſiæ* nomine , nunc ad *Univerſalis Epiſcopi* ſignificationem deſcendendo , perpendimus , quod vox *Univerſalis* latinè , & grecè *Occumenicus*, non uniformem utrobique ſenſum reddit . Siquidèm Univerſalis latinè idem ſignificat , ac pertinens ad univerſos, vel univerſa complectens (*i*), cui in Greco idiomate correſpondet *Catholicus* , ut ex epiſtolâ relatâ Innocentii Papæ III. eniteſcit (*l*), *Oecumenicus* verò grecè , tàm ſignificat pertinens ad totum terrarum orbem (*m*), quàm pertinens ad terram habitabilem , à voce *Oecumeni* , terram habitabilem reſonante (*n*). Quâ ſtante æquivocatione , vox *Epiſcopi Oecumenici* ſtrictiùs patet , quàm vox *Epiſcopi Univerſalis*: quià tàm ſignificare poteſt Epiſcopum , qui per univerſum terrarum Orbem facultate Pontificali ſit præditus , qualem eſſe Romanum Papam omnes Catholici confitentur ; quàm Epiſcopum, qui ſacrâ poteſtate potiatur in terrâ habitabili, ſuæ juriſdictioni ſubjectâ , qualem Græci Epiſcopum Conſtantinopolitanum appellandum eſſe contendunt ; & hoc modo intelligendus eſt D. Hieronymus , dum Joannem Hieroſolymitanum alloquitur : *Tu equidèm, ut homo Dei, & Apoſtolicâ ornatus gratiâ, curam omnium Eccleſiarum , maximè ejus, quæ in Hieroſolymis eſt, ſuſtines : cum ipſe plurimis ſollicitudinibus Eccleſiæ Dei, quæ ſub te eſt, diſtringaris* (*o*). Quo ſenſu paritèr in Concilio III. Carthaginenſi Aurelius, illius Eccleſiæ Antiſtes, & Primas Africę, de ſeipſo dixit: *Ego enim cunctarum Eccleſiarum ; dignatione Dei , ut ſcitis, fratres, ſollicitudinem ſuſtineo* (*p*), & de D. Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi Paulinus, ejus vitæ Scriptor , aſſervit , *erat illi ſollicitudo omnium Eccleſiarum* (*q*). Itaut , & Joannes in tractu Hieroſolymitano, & Aurelius in Africâ, & Ambroſius in diſtrictu Mediolanenſi, poſſent univerſales Epiſcopi nuncupari. *Multi nàmque Epiſcopi*, ait D. Joannes de Capiſtrano, *honoris causâ , ſcribentes Primatibus , Univerſales*

(a) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p.* 1. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 8.
(b) *Gelaſ. I epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ.*
(c) *Concil. Nicæn. I. cap* 7. *S. Leo ep.* 62. *ad Maxim. Antiochen. S. Hieron. ep.* 61. *ad Jo. Hieroſol.*
(d) *Concil. Conſtpol.* 2. *Action.* 2.
(e) *Gelaſ. PP. I epiſt. ad Epiſcopos Dardan.*
(f) *Cap. bonæ* 12. *qu* 2. *cap. Apoſtolicæ de donation. Thomaſs. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p.* 1. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 3.
(g) *Matthæi cap.* 16 *num.* 18.
(h) *Gonet. Clyp. Theolog. tom.* 4. *diſp.* 3. *de Eccleſ. art.* 1. *§.* 1 *n.* 2.
(i) *Schrevelius, & Calepin V. Univerſalis.*
(l) *Vid. hic ſupr. n* 4. *Du Mortier. Etimolog. Græcolatin. V. Catholicus & V. Oecumenicus.*
(m) *Magri. Vocab. Eccleſ. V. Oecumenicus & Schrevel. V. Terrarum Orbis.*
(n) *Mortier Schrevel. & Magri. V. Oecumenicus. Vid. infr. hic n.* 28.
(o) *S. Hieron. ep.* 61 *ad Pammach.*
(p) *Concil Carthagin.* 3 *cap* 45.
(q) *Paulin. in Vit. S. Ambroſii.*

Digitized by Google

ſales vocabant, ſentientes, ut reor, de univerſis membris ſibi commiſſis (a).

9. Quamquàm rè verâ ex ſolâ ſollicitudine ſuper alias Eccleſias impensâ univerſalis Epiſcopi titulus nulli debetur, ſicuti debitus non fuit Acholio Theſſalonicenſi, ex quo de eo conteſtetur D. Ambroſius: *Itâ percurrebat omnia ex curſu frequenti, Conſtantinopolim, Achajam, Epirum, Italiam, ut juniores eum non poſſent conſequi* (b). Erat in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ Dignitas, quam qui tenebat, vocabatur Archontos ton Monaſterion, cujus meminit Cantacuzenus (c). Hanc habuiſſe videtur S. Euthymius, qui *antequam Patriarchatum Conſtantinopolitanum conſequeretur, Catholicus, ſeu Abbas, & Hegumenus Univerſalis* dictus eſt. *Quod illi omnium in Urbe Regiâ Monaſteriorum cura demandata eſſet* (d). Quid plura? Ipſe Apoſtolus, & Doctor gentium Paulus de ſe teſtatur, quod ſibi inerat *inſtantia quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarum* (e), & tamen non erat Epiſcopus univerſalis. Hùc facit, quod interdùm de Epiſcopis coaſſidentibus in Concilio aliquo particulari, ut Eccleſiarum alicujus Regionis utilitati conſulerent, dictum eſt, celebraſſe Concilia univerſalia, qualia nominata ſunt Alexandrinum II. (f), Carthaginenſe III. (g), Africanum III. ſub Anaſtaſio PP. I. (h), Tullenſe ſub Nicolao I. (i), Remenſe ſub Joanne VIII. (l), Matiſconenſe II. (m), Sutrinum anno 1046. (n), Londinenſe anno 1200. (o), & ſi quæ alia ſunt ſimilia, cum tamen veracitèr nec hujuſmodi Concilia univerſalia fuerint, niſi reſpectivè ad illas Regiones, adeòque ſolum fuerint vel Provincialia, vel Nationalia: neque Epiſcopi eadem celebrantes fuerint Epiſcopi univerſales.

10. Porrò dici aliquem, *Epiſcopum univerſalem*, duplicitèr contingere poteſt, vel quod ſit Epiſcopus univerſalis *in eſſendo*, vel quod ſit Epiſcopus univerſalis *in cauſando* (p), Epiſcopus univerſalis in eſſendo, ſi daretur, ille diceretur, qui in cunctis Orbis Civitatibus incardinatus eſſet Antiſtes, ac omnibus Eccleſiis Chriſtianitatis immediatè præeſſet, tamquàm cum eis ſpirituali vinculo deſponſatus, ac intitulatus, quibus veluti proprius, & ſolus Epiſcopus præſideret: alii verò locales Epiſcopi, earumdem regimini incumbentes, non veri ipſarum eſſet Paſtores, ſed veluti Corepiſcopi, Vicegerentes, & Vicarii illius Præſulis, qui univerſalis Epiſcopi titulo potiretur (q). Epiſcopus verò Univerſalis *in cauſando*, ille dicitur, qui altiori quodam jure, ac ſupremâ juriſdictione omnibus totius Orbis Eccleſiis non immediatè præeſt, ſed mediatè ſuperſtat, curam earum generalem gerens, non excludentem curam particularem, quam in unâquaque Eccleſiâ proprius habet Epiſcopus, cum ipſâ deſponſatus, eique incardinatus, & intitulatus (r), eo modo, quo Rex, & Imperator, itâ Capitaneus univerſalis ſui Exercitus eſſe dicitur, ut ſingularum legionum dicti Exercitus Capitaneis jus particulare non adimat, ſed relinquat, quo ſinguli legiones ſibi commiſſas militaritèr dirigunt, & gubernant: remanente altâ, & ſupremâ poteſtate apud ipſum Imperatorem, ac Regem, qui eiſdemmet legionibus, non immediatè preeſt, ſed mediatè ſuperſtat (s). Vel eo modo quo Sol eſt itâ cauſa univerſalis effectum ſublunarium, ut non impediat vim cauſarum ſecundarum, ſed illas potiùs foveat, adjuvet, & confortet (t).

11. Quod ratiocinium referendo ad Epiſcopum Romanum, primæ Sedis Antiſtitem, & Succeſſorem Petri, cui Chriſtus dixit, *Paſce oves meas, paſce agnos meos* (u): *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* (x): *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquandò converſus confirma fratres tuos* (y); Dicimus, quod vel Romanus Pontifex vocari poteſt Epiſcopus univerſalis *in eſſendo*, itàut ipſe ſit ſolus Epiſcopus in toto orbe, & ſolus ſingulis ſit deſponſatus Eccleſiis, ſolus ſit Paſtor, ſolus Antiſtes, ſolus quibuslibet incardinatus Eccleſiis, eiſque immediatè præſidens, tamquàm proprius, & ſpecialis earumdem Rector; Epiſcopi verò locales, non veri Epiſcopi earum ſint, ſed Corepiſcopi, vel Vicarii, & Vicegerentes Pontificis; & hoc eſt falſum (z). Vel dici poteſt Epiſcopus univerſalis *in cauſando*, itàut cum totus orbis Chriſtianus, ſit velut

(a) *S. Joan. de Capiſtr. de Pap. & Conc. Auct. par. 3. §. 29. fol. 121.*
(b) *S. Ambroſ. epiſtol 60.*
(c) *Cantacuzen. l. 1. cap. 1.*
(d) *Carolus Du Freſne Du Cange Conſpolis Chriſtian. l. 4. f. 155 22.*
(e) *2. Corinthior. cap. 12. n. 28*
(f) *Binius in notis ad Conc. Sardic. lit. C. tom. 1. f. 552.*
(g) *Vid. Binium loco citat.*
(h) *Coriolan in Conc. Afric. 3. ſub Anaſtaſ. & Binius ibidem.*
(i) *Baron. an. 859. num. 17.*
(l) *Concil. Remenſ. ann. 874. Conc. Galliæ tom. 3 fol. 637.*
(m) *Ciacon. in Pelag PP. II.*
(n) *Vid ſupr. to. 1. Sæcul. II. c. 39. n. 7.*
(o) *Vid. ſupr. in hoc tom. 3. c. 7. n. 13.*
(p) *Petr. Annati Method. ad Theolog. lib 6. art 8*
(q) *Bellarm. de Roman. Pontif. l. 2. c. 31. § Sed obiicit Calvinus*
(r) *S. Thomas contr. error. Græcor. c. 66. Bellarmin. loc. citat.*
(s) *Bail. poſt Concil. Nicæn. 2. de titul. Univerſal § nec obeſt.*
(t) *Petrus Annati ubi ſupra.*
(u) *Joannis cap. 21. num. 16.*
(x) *Matthæi cap. 16 num. 18.*
(y) *Lucæ cap. 23. num. 32.*
(z) *S. Thom. in Tractat. contr. impugnant. religion.*

una Civitas, & unum corpus ex Clericis conſiſtens, & Laicis (*a*), ſeu ut de illâ loquuntur Patres, Eccleſia generalitèr conſiderata ſit una (*b*), in plures Regiones diſtributa (*c*); ſolus Romanus Pontifex ſit Summus Eccleſiæ univerſalis Primas, & Papa, & Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſor, non immediatè quidem ſingulis Eccleſiis præſidens, ſed mediatè cunctis ſuperſtans, uti caput totius Eccleſiæ Corporis, & curam generalem, atque altam univerſæ Eccleſiæ gerens, ac plenam, & immediatam auctoritatem habens (*d*), quæ tamen non excludat curam illam, & auctoritatem particularem, quæ Epiſcopis localibus reſpectu Eccleſiarum, quibus pręſunt, eſt inſita, ac dignitati Epiſcopali coæva; Et hoc eſt verum (*e*). Non conſiderato hìc reſpectu, quo aliqui Pontifices Romanam Eccleſiam regentes, ex ſpeciali affectu ad Epiſcopatus, & Eccleſias, quibus anteà præfuerant, eas cum Summo Pontificatu retinuerunt, & illas ex ſeipſis immediatè adminiſtrarunt, prouti S. Leo Papa IX. cum Romano Pontificatu Eccleſiam Tullenſem retinuit (*f*), Alexander II. Lucenſem Epiſcopatum (*g*), Stephanus IX. Abbatiam Montis Caſſini (*h*), & Paulus IV. ac Innocentius XII. per aliquod tempus Archiepiſcopatum Neapolis tenuerunt. *Licet Papa*, inquit Toſtatus, *ſit univerſalis Prælatus, non tamen eſt Prælatus propriè immediatus omnium hominum, accipiendo immediatum Prælatum, ideſt qui non habeat ſub ſe alios Prælatos directè ſubjectos, licet ſit immediatus Prælatus, ideſt potens uti clave immediatè ſuper quemlibet hominem, ideò non ſe habet omninò Papa ad omnes homines fideles ſicut Epiſcopus ad omnes de ſuo Epiſcopatu, quià Epiſcopus ſub ſe nullos habet habentes ordinariam jurisdictionem, ſed Curati omnes ſunt Commiſſarii, & ſic tota juriſdictio eſt Epiſcopi &c.* (*i*).

(a) *Marta de juriſd. p.1.c.49.n.3.*
(b) *S. Cypr. de unit. Eccleſ. Steph. Tornacenſ. epiſt.8. Gerbertus epiſt.18. & 95 in fin.*
(c) *Canones Romani ad Gallos c.6. ap. Sirmond. to.1. Conc. Gall. fol.589.*
(d) *S. Thom. in dict. tract. contrà impugn. relig.*
(e) *S. Thomas contr. error. Græcor. cap 66. Bellarm. loc. cit.*
(f) *Card. Baron. an. 1049. n. 6.*
(g) *Baron. an. 1070. num. 27.*
(h) *Baron. an. 1057. n. 12. & c.*
(i) *Alphonſ. Toſtat. in Matth. 16. qu. 87. to. 4.*

12. Primus, quem invenerimus Epiſcopi Oecumenici, ſeu univerſalis titulum adhibuiſſe, eſt Dioſcorus Alexandrinus, dùm in Conciliabulo Epheſino, latrocinali dicto, præſedit; & in eo Eutychen hæreticum abſolvit, ac S. Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum depoſuit, illumque illatis ad ventrem calcibus interemit (*l*). Ibi enim Olympius Epiſcopus Evazorum ſic de impio Dioſcoro eſt effatus: *Præſente univerſali Concilio, cui præſul eſt, & primus Sanctiſſimus Pater noſter, & univerſalis Epiſcopus Dioſcorus* (*m*). Quò ſpiritu ductus Dioſcorus hoc ſibi vocabulum arripuerit, ſeu aſſentatoriè delatum admiſerit; indè colligi poteſt, quod cum adhùc in ordine Diaconii, officio Apocriſarii Sedis Alexandrinæ, apud Conſtantinopolim fungeretur; omnem lapidem movit, ut Epiſcopo Alexandriæ præſidentia, & auctoritas ſuper omnes Orientis Eccleſias, atque Antiſtites traderetur (*n*). Sed obſtantibus Domno Antiocheno, & Theodoreto Cyrenſi Epiſcopis & obiicientibus quod jam in Concilio Nicęno, & Conſtantinopolitano, ſuæ quibuſque Sedibus Apoſtolicis ditiones fuerant præfinitę; Dioſcorus cauſà cecidit (*o*), adeò rabidè nihilominùs in ipſum Theodoretum concitatus, ut nunquàm illi viſus ſit ſincero animo peperciſſe (*p*).

(l) *Baron. an. 449. n. 21. 73. 77. 93. 104.*
(m) *Concil. Chalced. Act. 1.*
(n) *Theodoret. epiſt. 86*
(o) *Baron. an. 439. n. 41. Bal. in Conc. Conſtantinop. an. 439. to. 2.*
(p) *Theodoret. ac Baron. loc. cit.*

13. Quod ergò Dioſcorus in privato ſtatu non potuit, factus Epiſcopus Alexandrinus, non uno niſu conſequi laboravit: occaſione pręſertìm dicti Latrocinii Epheſini, ubi cum de hæreſi Eutychetis agendum eſſet, & dè unius ex primariis orbis Pręſulibus; nempè de S. Flaviani Epiſcopi Conſtantinopolitani depoſitione, quæ ſinè Concilii Generalis convocatione fieri non debebat; Dioſcorus ſibi nomen Epiſcopi univerſalis arrogavit, eâ ipſâ audaciâ, quâ præfato Latrocinio nomen indidit Concilii univerſalis (*q*). Relecta ſunt acta Conciliabuli Epheſini in generali Concilio Chalcedonenſi, & unâ Patrum voce ſunt damnata, ipſeque Dioſcorus exauthoratus (*r*), ac Pſeudoſynodo illi nomen Concilii legitimi derogatum (*s*). Sanctus quoque Leo Magnus, Romanus Pontifex, collectâ Romæ Synodo quamplurium Epiſcoporum, acta omnia memorati Latrocinii perpetuâ execratione damnavit (*t*). Undè nulli dubium eſt, quin cum ipſâ talium actorum condemnatione, utrimque factâ, ſuperbus quoque titulus Epiſcopi univerſalis impio Dioſcoro, tùm à Summo Pontifice, tùm à toto 630. Patrum ſenatu, Chalcedone Concilium Generale celebrantium, fuerit abſciſſum, & uſque à fundamentis evulſum.

(q) *Baron. ann. 444. n. 21. 26.*
(r) *Baronius an. 451. num 85.*
(s) *Libertat. Breviar. cap. 13.*
(t) *Baron. ann. 449. num 143.*

Præ-

Prætèr Dioſcorum autèm nullum alium, ex Epiſcopis Alexandrinis, imò & neque ex ullarum ſedium Prȩſulibus, excepto Conſtantinopolitano, legimus, cui antiquitùs hæc appellatio univerſalis Epiſcopi ſit illata. Nupèr tamen impegimus in qnemdam Auctorem, referentem, quod modo etiam Patriarcha Hieroſolymitanus Græci ritus hac faſtosâ intitulatione ſe inſcribit: *N. Dei gratiâ Beatiſſimus, & Sanctiſſimus Pater, & Patriarcha, Paſtor Paſtorum, & Summus Pontifex univerſalis in Sanctâ Civitate Hieruſalem, & totâ Palæſtinâ, Syriâ, Arabiâ, Trans Jordanem, & Canâ Galileȩ, & S. Sion &c.* (*a*).

14. Sed quoniam in eodem Concilio Chalcedonenſi, completo quidem, ſed nondùm diſſoluto, abſentibus Legatis Sedis Apoſtolicæ furtim ſancitus eſt iſte canon: *Sanctorum Patrum decreta ubique ſequentes, & canonem, qui nuper lectus eſt, centum, & quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum agnoſcentes, eadem quoque & nos decernimus, ac ſtatuimus de privilegiis Sanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolis novæ Romȩ. Etenim antiquæ Romæ Throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt, & eâdem conſideratione moti, centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi Sanctiſſimo novæ Romæ Throno æqualia privilegia tribuerunt, rectè judicantes, urbem, quæ & Imperio, & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſimâ Reginâ Româ privilegiis fruatur etiam in rebus eccleſiaſticis, non ſecùs ac illam extolli, ac magni fieri ſecundam poſt illam exiſtentem &c* (*b*). Hâc, inquam, ſancitâ æqualitate inter Epiſcopum Conſtantinopoleos, & Romæ antiquȩ; Patriarchæ Conſtantinopolitani, obſervantes quod Romano Pontifici, in hoc ipſo Concilio Chalcedonenſi, titulus Epiſcopi Univerſalis delatus eſt; comparem titulum affectarunt, & ſibi appellationem Patriarchæ Oecumenici ſucceſſivis temporibus arrogarunt (*c*). Sic *Joannes II. Cappadox* Patriarcha Conſtantinopoleos, vir aliàs Catholicus, & benemeritus, qui Conſtantinopolitanam Eccleſiam cum Romanâ, Hormiſdæ tempore, conciliavit (*d*), in Concilio plurium Epiſcoporum, Conſtantinopoli tùnc agentium, quod ad conciliationem ipſam promovendam convocaverat, aſſiduè Patriarcha Oecumenicus nominatur, licet non ex sè, ſed à Scribâ, & à Monachis ibi loquentibus (*e*), cujus Concilii relatio perlecta eſt in Concilio Conſtantinopolitano, habito ſub Mennâ (*f*). Nèc improbatum Oecumenici nomen, quià in eâ conciliatione intèr Joannem Cappadocem, & Hormiſdam, adeò enituerat Conſtantinopolitanæ, atque omnium Orientis Eccleſiarum ſubjectio reſpectu ad Romanam Sedem, ut ſuſpicio nulla eſſe potuerit, quod tituli Oecumenici adhibitione, Joannes vellet Hormiſdæ jura vulnerare, & Romanæ Sedis honorificentias decurtare (*g*).

15. Poſt Joannem Cappadocem, *Epiphanius* quoque Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Oecumenici Patriarchæ titulum, à Juſtiniano Cæſare ſuffuratus eſt, qui ei ſcribens, hoc epiſtolæ præambulo ipſum præſignavit: *Imperator Juſtinianus Auguſtus Epiphanio Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Archiepiſcopo hujus Regiæ Urbis, & Oecumenico Patriarchæ* (*h*). Quo titulo idem Imperator *Antemium*, ſeu Antimum, Epiphanii ſucceſſorem, licet hæreticum, decoravit, dum legi de menſurâ ordinandorum Clericorum hanc appoſuit inſcriptionem: *Imperator Juſtinianus Auguſtus Antemio Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Archiepiſcopo, & univerſali Patriarchæ* (*i*). Eâdem intitulatione *Mennam* Patriarcham Conſtantinopolitanum proſecutus eſt ſcribens: *Imperator Cæſar Flavius Juſtinianus Mennæ Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Archiepiſcopo, & Oecumenico Patriarchȩ* (*l*). Sed & ipſi *Mennæ*, qui à S. Agapito Papâ, poſt depoſitum Antimum, Conſtantinopolitanæ Sedi immiſſus eſt, in Concilio, tùnc Conſtantinopoli celebrato, in quo Agapitus ab Archimandritis Conſtantinopolitanis, Hieroſolymitanis, & Orientalibus, Patriarcha Oecumenicus appellatus eſt (*m*), ipſi Mennæ, inquam, idem titulus eſt delatus, non tamen à Concilio, ſed à Scribâ, qni iu ſententiâ contrà Antimum latâ, ſic de Mennâ proloquitur: *Sanctiſſimus, ac Beatiſſimus Oecumenicus Patriarcha, & Archiepiſcopus dixit &c.* Idemque repetit in ſententiâ contrà Petrum, & Severum, & Zoaram (*n*).

(a) *Blaſius Tercius Syria Sacr. in Patriarcha Hieroſol. f. 234.*

(b) *Concil. Chalced. cap. 17.*

(c) *Sfondrat. Regal. Sacerdot. lib. 2 §. 9 ad fin. Angel. Petricca de Appel. Teſtim Concil. General 8 f. 46.*

(d) *Baron. an. 519. n. 47. 72.*

(e) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 1. l. 1. c. 11. n. 5.*

(f) *Vid. Conc. Conſtantinopol ſub Menna an. 536.*

(g) *Thomaſſin. loco citat.*

(h) *Leg. C. de ſum. Trin Gennad. Scholar. de Primat. Pap ſect. 8.*

(i) *Authent. legem de menſ. Cleric.*

(l) *Novel. 42. Juſtin.*

(m) *Conc. Conſtantinop. an 536 Act. 1. 3. 4*

(n) *Idem Conc. Act. 4. & 5.*

16 Non

16. Non, inquam, improbatus eſt hujuſmodi titulus Mennæ à Scribâ in Concilio delatus, tùm quià Concilium celebratum eſt poſtquam Agapitus ſuum diem clauſerat extremum in ipsâ urbe Conſtantinopoleos, undè illi nihil dè hoc titulo innotuit (*a*). Tùm quià valdè recens apparebat ſummitas poteſtatis, à Romano Pontifice in Patriarchas Conſtantinopolitanos, exercita, Antimum deponendo, & Mennam ſubrogando (*b*). Tùm demùm quià Mennas conſtantiſſimam ſubjectionem Agapito in omnibus, & per omnia detulerat, eâque ſe proſequi Romanam Eccleſiam profeſſus eſt; dum aſſeruit in Concilio: *Nos enim Apoſtolicam Sedem ſequimur, & obedimus, & ipſius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipsâ, & nos condemnamus* (*c*): quibus ità ſe habentibus, & cum in ipſis actis hujuſce Synodi expreſſa legatur ſubjectio Antiſtitis Conſtantinopolitani Summo Pontifici Romanorum (*d*); Legati Apoſtolici Coaſſidentes Concilio (*e*), nihil detrimenti poſſe inferri cenſuerunt Romanæ Sedi per titulum Oecumenici, ad favorem Mennæ à Scribâ Synodi muſſitatum. De quo adhùc omninò certum non eſt, quod in originalibus actis ipſius Concilii fuerit ab eodem Scribâ *Univerſalis* nomen inſertum, cum in tomo ſecundo Conciliorum hæc vox deficiat (*f*). Et quatenùs etiam in originalibus non deeſſet, certum eſt illius ſignificationem nonniſi ad tractum Conſtantinopolitanum extendi, uti de mente Græcorum infrà latiùs oſtendemus (*g*).

(a) *Baron. an.* 536. *n.* 54. 70 71.

(b) *Liberat.* Breviar. *cap.* 22.

(c) *Concil. Conſtantinopol. an.* 536. *Act.* 4.

(d) *Baron. ann.* 536. *n.* 103.

(e) *Idem Card. Baron. loco cit. n.* 71.

(f) *Baron. ann.* 536. *num.* 103.

(g) *Vid. infr. in hoc n.* 26. 28.

17. Hùcuſque aliqui Patriarchæ Conſtantinopolitani uſi ſunt titulo Oecumenici, non ex sè ſumpto, neque ab sè oſtentato, ſed ab aliis ſibi delato. At ſubſequentes ejuſdem Sedis Antiſtites, Imperiali brachio freti, prætèr titulum Patriarchæ, juriſdictionem quoque ſuper alios Orientis Patriarchas ſibi attrahere ſategerunt: vocem Epiſcopi Oecumenici, honoris ergò, Anteceſſoribus ſuis datam, ſuaptè ſibi arripuere, & pedetentìm geſtierunt omnes tùm majorum, tùm minorum Sedium Antiſtites ſuæ potentiæ ſubjugare. Inprimiſque *Joannes Neoſteta*, à jejuniorum aſſiduitate, *Jejunator* communitèr appellatus, hoc faſtoſo titulo turgere incępit, cui reſtitit acerrimè Pelagius Papa II. & poſt eum S. Gregorius Papa I. Joanne mortuo, *Cyriacus* ejus in Sede, & in audaci arrogatione ſucceſſor, ipſum ampulloſum ſibi titulum uſurpavit: cui paritèr idem S. Gregorius inflexibilitèr obviavit, ut ex his, quæ idem S. Doctor ſcripſit pręcipuis Græciæ Epiſcopis innoteſcit: *Cognoſcat fraternitas veſtra Joannem quondam* Conſtantinopolitanę civitatis Antiſtitem, contrà Deum, contrà pacem Eccleſię, *in omnium deſpectu, & injuriâ Sacerdotum, modeſtiæ, ac menſuræ ſuæ terminos exceſſiſſe, & illicitè in Synodo ſuperbum, ac peſtiferum Oecumenicam, hoc eſt univerſalis, ſibi vocabulum uſurpaſſe. Quod beatæ recordationis Pelagius Deceſſor noſter agnoſcens, omnia geſta ejuſdem Synodi &c. validâ omninò diſtrictione caſſavit, diſtrictiſſimâ illum increpatione corripiens, ut ſe à novo, & temerario ſuperſtitionis nomine cohiberet &c.* (*h*).

(h) S. Gregor. lib. 7. epiſt. 70.

18. Proſequitur D. Gregorius: *Cujus nos rectitudinis zelo per omnia inhęrentes, ſtatuta ipſius ſinè refragatione, Deo protegente, ſervamus &c. & noſtris eundem Sanctiſſimum Joannem ſcriptis, ſemèl, iterùmque convenimus, ut amoto ſuperbię vocabulo, cordis ſui elationem ad humilitatem, quam Magiſter, & Dominus noſter docuit, inclinaret. Quem quoniàm neglexiſſe comperimus hęc eadem, & beatiſſimum fratrem, & Conſacerdotem noſtrum Cyriacum ſucceſſorem ipſius, concordiæ ſtudio non deſtitimus admonere &c. Hortor, atque ſuadeo, ut nullus veſtrum hoc nomen aliquandò recipiat, nullus conſentiat, nullus ſcribat, nullus ubi ſcriptum fuerit admittat, vel ſubſcriptionem ſuam adiiciat, ſed ſicut Omnipotentis Dei miniſtros decet, integrum ſe ab hujuſmodi venenatâ infectione cuſtodiat, & callido inſidiatori in sè locum non præbeat; quoniàm, & hoc in totius Eccleſiæ injuriam, ac diſciſſionem, & ſicut diximus, in omnium veſtrum deſpectum fit. Nam ſi unus, ut putas, univerſalis eſt, reſtat ut vos Epiſcopi non ſitis* (*i*).

(i) S Gregor. ibidem lib 7 epiſt. 70.

19. Itàque lis de nomine Oeconomici ſub Joanne Jejunatore ſatis efferbuit,

qui

qui à S. Gregorio Magno, poſt Pelagium Papam literis increpatus, ut ſè corrigeret, nedum ab inanis tituli uſu non ſe compeſcuit, ſed imò, ipſi Pontifici mittens acta, quæ in ſuâ Curiâ compilaverat, in causâ Joannis Chalcedonenſis, Presbyteri Conſtantinopolitani, qui ad Sanctum Gregorium appellaverat; penè omnes paginas, atque lineas proceſſus, vocabulo Oecumenici conſpurcavit: En verba S. Doctoris ad Sabinianum Diaconum, ſuum apud aulam Cęſaream Aprocriſarium *Ad hoc uſque pervenit* (Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus) *ut ſub occaſione: Joannis presbyteri, geſta huc tranſmitteret, in quibus ſe penè per omnem verſum, Oecumenicum Patriarcham nominaret. Sed ſpero in omnipotentem Deum, quià hypocriſim illius Superna Majeſtas ſolvet. Miror autèm quomodò dilectionem tuam fallere potuit, ut permitteres Domno Imperatori, quatenùs ad mè ſua ſcripta de hac causâ tranſmitteret, in quibus udmonerer, ut cum eo pacem habere debuiſſem. Qui ſi juſtitiam tenere vult, illum debuit admonere, ut ſe à ſuperbo vocabulo compeſceret, & protinùs inter nos pax fieret &c. In iſto enim ſceleſto vocabulo nihil eſt aliud, quàm fidem perdere &c.* (*a*) Poterat Imperator Mauritius, arrogantiam Jejunatoris coercendo, diſſenſionem funditùs abolère, ſed ipſe eam potiùs, Jejunatorem in ſuo tumore confovens, inflammavit: & imò & Gregorium, ne Joanni obſiſteret objurgavit, uti ex mox recenſitâ epiſtolâ patet.

20. Defuncto autem Joanne Jejunatore, ſuffectus eſt illi Cyriacus, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ adminiſter, ſivè Oeconomus, vir pius, & Catholicus, qui à S. Gregorio Communionem Eccleſiaſticam conquiſivit, & obtinuit (*b*), ſed Oecumenici titulum non dimiſit. Commonuit proindè illum Gregorius, ut ab hâc profanâ vocatione deſiſteret, ſed perperàm, Imperatore ipſo Cyriacum in hoc fovente, ac Gregorium, tamquam indiſcretum redarguente, quod ob unius frivolæ vocis uſum, Eccleſiæ charitatem diſcerpere non paveret, undè Pontifex & veritati, & ſuo honori conſulens, hæc ei talitèr intimavit: *Dominorum pietas provida, ne quid ſortaſſe ſcandali in unitate Sanctæ Eccleſiæ ex Sacerdotum diſſenſione generari potuiſſet, ſemel, ac bis mè admonere dignata eſt, ut reſponſales fratris, & conſacerdotis mei Cyriaci benignè ſuſciperem, eoſque ad remeandum citiùs relaxarem. Et licèt, piiſſimè Domne, aptè, & congruè cuncta præcipiatis; ego tamen invenio, quià eorum judicio indiſcretus eſſe ex hac tali admonitione reprehendor. Nunquidnam ſi ex ſuperbo, ac profano vocabulo meus non in modico eſt animus vulneratus, tantæ indiſcretionis eſſe potui, ut neſcirem, quid unitati fidei, quid concordiæ eccleſiaſticę deberem, & fratris mei reſponſales, & Synodicam epiſtolam ſuſcipere, cujuslibet cauſę amaritudine interveniente recuſarem? Abſit hoc. Nimis mihi fuerat diſſipuiſſe, ſic ſapere. Aliud namque eſt, quod conſervandæ unitati fidei, atque aliud, quod debemus comprimendæ elationi* (*c*).

21. Pergit Gregorius, & adjungit: *Eundem Fratrem, & Conſacerdotem meum* (Cyriacum) *ſtudioſè admonere curavi, ut ſi habere pacem omnium, concordiamque deſiderat, ab ſtulti vocabuli ſe appellatione compeſcat, de quâ re mihi in ſuis juſſionibus Dominorum pietas præcepit, dicens, ut prò appellatione frivoli nominis intèr nos ſcandalum generari non debeat. Sed rogo, imperialis pietas penſet, quià alia ſunt frivola valdè innoxia, atque alia vehementèr nociva. Si quantitatem ſermonis attendimus, duę ſunt ſyllabæ: ſi verò pondus iniquitatis, univerſa pernicies. Ego autem fidentèr dico, quià quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſuâ Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo, ſe cæteris præponit, nec diſpari ſuperbiâ ad errorem ducitur: quià ſicut perverſus ille* (*Antichriſtus*) *Deus videri vult ſuper omnes homines; ità quiſquis iſte eſt, qui ſolus Sacerdos appellari appetit, ſuper cæteros Sacerdotes ſè extollit: ſed quoniàm veritas dicit, omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; ſcio quià quælibet elatio tanto citiùs rumpitur, quantò ampliùs inflatur. Illis ergò pietas veſtra prę cipiat, ne quod per appellationem frivoli nominis ſcandalum gignant, qui in ſuperbię typum ceciderunt. Nam peccator ego, qui auctore Deo humilitatem teneo, admonendus ad humilitatem non ſum* (*d*).

22. Poſt

(a) *S. Gregorius l.4. epiſt.39.*

(b) *Card. Baron. ann. 696. n.3.*

(c) *S. Gregor. lib. 6. ep.30.*

(d) *S. Greg. in dicta epiſt. 30. lib. 6.*

22. Poſt obitum verò Mauritii, Phocas Auguſtus, Imperio aſſumpto, Cyriacum caſtigavit, eumque à tumenti Oecumenici vocabulo ſuâ juſſione coegit deſiſtere vel invitum, & Cæſareo decreto, titulum Epiſcopi Univerſalis, ſoli Pontifici almæ Urbis Romæ competere declaravit (*a*). Quarè Cyriacus tantam indè animi mæſtitiam, & opprobrium in ſè traxit, ut præ doloris magnitudine, morbo fatigatus, objerit (*b*). *Bonifacius III. Papa*, inquit Anaſtaſius, *obtinuit apud Phocam Principem, ut Sedes Apoſtolica B. Petri Apoſtoli Caput eſſet omnium Eccleſiarum, ideſt Eccleſia Romana, quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat* (*c*). Lege tamen prædictâ Phocæ non diù attentâ, Epiſcopi Conſtantinopolitani, ventoſum Oecumenici titulum ſibi aſſumere perrexerunt. Nàm *Sergius*, qui poſt Thomam, Cyriaco in Patriarchatu Conſtantinopolitano ſucceſſit, Oecumenicum ſe appellavit, uti patet ex iis, quæ de illo in Concilio Lateranenſi ſub S. Martino Papâ I. celebrato, lecta ſunt (*d*). Sed quoniam in Concilio Generali VI. Romano quidem Pontifici titulus Oecumenici datus eſt, Conſtantinopolitano verò Epiſcopo, per ſilentium denegatus (*e*), non ambigimus, quin & viribus vacuata, & caſto ictu perlata, in irritum deſilierit uſurpatio profani nominis, ab Epiſcopis Conſtantinopolitanis abominabilitèr reaſſumpta.

23. Nihilominùs occaſione dicti Concilii Generalis VI. *Georgius* Patriarcha Conſtantinopolitanus, à Conſtantino IV. Imperatore, cognomine Pogonato, in ſuâ Diutali, ad eum directâ, vocatur Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Archiepiſcopus Conſtantinopoleos, & univerſalis Patriarcha (*f*), quamquàm in ſubſcriptionibus, ubi tres Legati Apoſtolici nomen Agathonis Pontificis cum additione *Univerſalis Papæ* conſcribunt; Georgius hunc titulum de ſe retinet, & ſub his terminis ſè ſubſcribit: *Georgius miſerante Deo Epiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romę definiens ſubſcripſi* (*g*). Paritèr Tryphon Patriarcha Conſtantinopolitanus eâdem Oecumenici voce uſus eſt: Nàm cum de literarum inſcitiâ impeteretur; coactâ Synodo, ſic eſt coram fratribus locutus, ut à Curopalatâ notatur: *Hoc mihi obiiciunt expertem me literarum eſſe &c. Nunc igitur coram omnibus vobis has literas inſcribo, ut videntes, ac certiores facti, Calumniatores deſinant injuriâ mihi negotium faceſſere. Dixit, & ſumptâ chartâ non ſcriptâ, coram omnibus ità ſcripſit: Tryphon miſeratione Divinâ Archiepiſcopus Conſtantinopolis novæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha* (*h*). Rursùs *Tharaſius* Patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſtolâ Conſtantini VI. Imperatoris ad Hadrianum Papam tranſmiſsâ, Patriarchæ Oecumenici ampulloſo titulo decoratur (*i*). Nec deſunt qui contendant, hanc ipſam Oecumenici Patriarchæ intitulationem à præfato Hadriano Papâ fuiſſe Tharaſio ipſi occaſione ſeptimi Concilii generalis, inſcriptam: hoc modo: *Dilecto fratri Tharaſio generali Patriarchę, Hadrianus ſervus ſervorum Dei, ſalutem* (*l*).

24. Sed quamvìs vera ſit epiſtola Hadriani ad Tharaſium, quâ Synodum Generalem pro defenſione ſacrarum Imaginum Niceę celebrari aſſentitur; tamèn tantum abeſt Hadrianum Tharaſio titulũ Patriarchę Oecumenici contuliſſet, ut potiùs Imperatori Couſtantino VI. conqueſtiones miſerit, eo quod Tharaſium Patriarcham Oecumenicum nominaſſet: ità etiam Auguſto reſcripſit: *Valdè mirati ſumus, quod in veſtris Imperialibus juſſis prò Patriarchâ Regię Urbis ſcilicet Tharaſio directis, Univerſalem ibidem eum reperimus exaratum, ſed utrùm per imperium, vel ſchiſma, vel hæreſim iniquorum ſcriptum eſt, ignoramus. Sed deinceps ſuademus veſtræ clementię, & Imperiali potentiæ, ut minimè in exarationum ſuarum ſerie univerſalis deſcribatur. Quià contrà ſacrorum canonum inſtituta, ſeù Sanctorum Patrum traditionem, decreta eſſe videtur. In ſecundo enim ordine, ſinè Sanctæ noſtræ Catholicæ Eccleſiæ auctoritate, ſicut in omnibus patuit, nunquàm valuit nomen habere, quod nimiùm ſit suprà prælatam ſibi Sanctam Romanam Eccleſiam, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum, deſcribatur tamquàm Sanctarum Synodorum rebellem, atque hæreticum ſe manifeſtare certum eſt: quià ſi univerſalis, etiam Eccleſię noſtrę* Se-

(a) *Paulus Diacon. de geſt. Longobard. lib. 4.*

(b) Cedren. *in Phocam. ann. 906.*

(c) *Anaſtaſ. Bibliot.* in Bonif. III. ad an. 604

(d) *Vid. Concil. Lateran. ſub Martin. PP. I.*

(e) *Concil. Conſtantinopol. III. Act. 18.*

(f) *Vid. Act. Concil. Conſtantinopol. III. & ibi Bail.*

(g) *Concil. Conſtantinopol. III. Act. 18.*

(h) *Bail. Conc. Conſtantinopol. an. 994. to. 2*

(i) *Vid. Bail. ſum. Concil. tom. 1. in Conc. Nicæn. 2 f. 550. 2.*

(l) *Hadrian. PP. I. in epiſt. ad Tharaſium.*

Sedis primatum habere dignoſcitur, quod ridiculum omnibus fidelibus Chriſtianis apparet: quià in Orbe terrarum ab ipſo Redemptore Mundi, Beato Petro Apoſtolo principatus, & poteſtas data eſt, & per eundem Apoſtolum, cujus vel immeriti vicem gerimus, Sancta Catholica, & Apoſtolica Eccleſia uſque hactenùs tenet principatum, & poteſtatis auctoritatem. Quatenùs, quod non credimus, ſi quiſpiam eum univerſalem nuncupaverit, vel aſſenſum præbuerit, ſciat ſe orthodoxæ fidei alienum eſſe, & noſtræ Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ rebellem (a).

25. Undè non eſt probabile, quod Hadrianus PP. I. Tharaſium Conſtantinopolitanum voce Patriarchæ Oecumenici compellaverit, quam, ut aptatam Præſuli ejuſdem Urbis, D. Gregorius Magnus temerariam, profanam, ſuperbam, ſceleſtam, & peſtiferam pronuntiavit; aliiſque fœdiſſimis qualificationibus improbavit. Sed potiùs cenſendum eſt, hoc vocabulum fuiſſe ſucceſſivo tempore à Græcis hujuſmodi epiſtolæ ſubintruſum, ad demulcendos, & palpandos Præſules primariæ eorum Sedis, ut hunc quoque titulum aliis epithetis adderent, quibus cum Patriarchâ Conſtantinopolitano aſſentatoriè ſe gerebant: *magis eſt veriſimile*, inquit Bail, *illud nomen à Græcis ex adulatione affixum fuiſſe inter epitheta ſui Patriarchæ, ut illi magìs placerent, cum jam viderent Pontificem Romanum hoc titulo ſępiùs inſigniri* (b): ab aliis tamen: nam ex ſe ipſo tali intitulatione Papa non utitur, qui potius appellationem ſervi ſervorum Dei, præ humilitate, cui ſtudet, ſuo nomini ſubapponit.

(a) *Hadrian. PP. ep. ad Conſtantin. Imper. in Act. Concil. Nicæn. II.*

(b) *Bail. to. 1. in controv. de titul. Univerſali poſt Concil. Nicæn. II.*

26. Perrexerunt, inquam, Patriarchæ Conſtantinopolitani nomen ſibi Oecumenici Antiſtitis arrogare: & identidem Romani Pontifices non deſtiterunt eorundem conatibus obviare: adeò ut, teſte Glabro, cum Conſtantinopoleos Eccleſiæ Præſul, Baſilii Imperatoris gratiâ ſuffultus, à Joanne Papâ per Legatos expoſceret, *quatenùs cum conſenſu unanimi Romani Pontificis liceret Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo Orbe, ſicut Roma in univerſo, univerſalem dici, & haberi* (c), hujuſmodi machinationi Occidentales Nationes enixè reluctatę fuerint, & præſertìm Gallica, quæ calamo Guillelmi Abbatis S. Benigni, Pontificem à conſentiendo profanæ petitioni diſſuaſit, clamantis intèr alia, malè de ſuperno Dei amore mereri, omnes, quotquot ob hujuſmodi attentatum ſcandalum non ſentirent: poſſe ſcindi Regna, & Imperium; Univerſalitatem autèm Apoſtolici Primatus, Petro à Chriſto per univerſum orbem collati, neque ullatenùs diſcindi, neque in fragmenta poſſe diſcrepi. *Eſt fama*, inquit Guillemus, *rei, de quâ qui audiens non ſcandalizatur, noverit sè longè ab amore ſuperno diſparari. Quoniam licèt poteſtas Romani Imperii, quæ olim in Orbe terrarum Monarches viguit, nunc per diverſa terrarum innumeris regatur ſceptris; ligandi, ſolvendique in terrâ, & in cælo poteſtas, dono inviolabili incumbit Magiſterio Petri. Dè cæterò optamus, ut univerſalem decet Antiſtitem, vos acriùs in correptione, ac diſciplinâ Sanctæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ vigere* (d). Itàque titulus Oecumenici, tamquàm procax, & ſuſpicioſus, non fuit à Romano Pontifice Conſtantinopolitano Pręſuli indultus, & expreſsâ approbatione conceſſus: tametſi poſteà conniventibus oculis, ut mox videbimus, fuerit toleratus.

(c) *Glaber. lib. 4. cap. 1.*

(d) *Guillel. Abbas S. Benigni.*

27. Græci namque in ſuo attentato obſtinati, vocabulum Oecumenici pertinaciſſimè retinuerunt: undè Romana Eccleſia tantam cernens pervicaciam, vaniloquium illud vel parvipendere, vel tolerare maluit quam ut diceretur, quod unius voculę obtentu, ſchiſma intèr utramq; Eccleſiam videretur quodammodò confovere. Et ſic pejorum metu, atque prò bono pacis, Romani Pontifices dictę appellationis uſum Conſtantinopolitanis Præſulibus permiſerunt: quippè certum eſt *Joſephum* Patriarcham Conſtantinopoleos, in Concilio Florentino Oecumenici denominatione ſe affatìm inſcripſiſſe (e), & *Beſſarionem* quoquè Cardinalem Patriarchę ejuſdem Conſtantinopolitanę Eccleſię titulo inſignitum (f), Oecumenici nomenclaturam ſuis aliis titulis addidiſſe, audiente, & vidente, ſeù tolerante, aut rem parvipendente Romano Pontifice (g). Sic & alii ſucceſſivè Epiſcopi Conſtan-

(e) *Concil. Florent. ſeſſ. ult.*

(f) *Vid. Rocch. Pirr. Sicil. Sacr. tom. 2. in Epiſc. Mazaræ n. 27.*

(g) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 1. l. 1. c. 26. n. 10.*

tinopolitani hâc ſe eâdem denominatione notarunt: & noviſſimè ***Parthenius*** Patriarcha dictæ Eccleſiæ, in Concilio, quod cum multis Græci ritus Epiſcopis celebravit anno 1642. adversùs hæreſes Calvini, ab Oratore Batavorum, Conſtantinopoli commorante, promotas, ſe Patriarcham Oecumenicum nuncupavit (*a*). Sanè poſt tot Sæculorum curſum, & tot contentionum anfractus, obſtinatam Oecumenici tituli arrogationem, in Patriarchâ Conſtantinopolitano, tolerandam eſſe Romani Pontifices cenſuerunt, & prò bono pacis, & ad vincendum in bono malum, & ad demulcendam Nationis, aliàs olim de Eccleſiâ benemeritæ, contumaciam: eo præſertim intuitu, quod ex textu Glabri, numero præcedente relato, patet, Græcos non in illâ opinione verſatos eſſe, ut crederent, aut credant, Patriarcham Conſtantinopolitanum Oecumenicum dici, tamquàm toti Orbi, & univerſæ Eccleſię præfectum, ſed tamquàm ità in Orbe ſui Patriarchatus univerſalitèr pręſidentem, ſicuti Romanus Pontifex in toto Chriſtiano Orbe univerſalis eſt Pręſidens (*b*). Eo modo, quo olim, uti ſuprà diximus cum S. Joanne de Capiſtrano, Primates, honoris ergò appellabantur Univerſales, reſpectu membrorum ditionis ſibi commiſſæ (*c*). Itàque Romana Eccleſia titulum Oecumenici in Patriarchâ Conſtantinopoleos jam non coarguit, ſed diſſimulat; nec impugnat, ſed præterit: Sic tamen ut eum non, *tacendo confirmet, ſed non reſellendo deſpiciat*, prout aliâ de rè agens optimè perorabat Sanctus Ambroſius (*d*).

28. Hoc & anteà licèt aliquantò diverſè, dilucidaverat Anaſtaſius Bibliothecarius, Abbas Romanus, ſed Conſtantinopoli diù verſatus, ac utriuſque linguæ Latinæ, & Græcæ valdè peritus (*e*), atque ſenſu imbutus, quo Græca Natio vocabulum Oecumenici Conſtantinopolitano Antiſtiti deferebat: *Græci*, inquit, *non ideò Oecumenicum dicunt Patriarcham, quod univerſi Orbis teneat Præſulatum, ſed quod cuidam præſit Orbis parti, quę à Chriſtianis habitatur. Nàm quod Gręci Oecumenin vocant, à Latinis non ſolùm Orbis, verùm etiam habitatio, vel locus habitabilis nuncupatur* (*f*), non ſecùs ac ſi Antiſtiti Conſtantinopolitano, ſe intitulanti *Patriarcham Oecumenicum*, ſubſequi ſtatim expreſsè debeat, vel tacitè intelligatur adjectum: *in tractu, ſuo Patriarchatui ſubjecto*. Eo ſenſu, quo ab Imperatore Juſtiniano, tùm *Epiphanius*, tùm *Mennas* Præſules Conſtantinopolitani, vocantur, *Regię Urbis Archiepiſcopi, & univerſi ejus tractus Patriarchę* (*g*). In quâ acceptione ſinè dubio tolerari poteſt nuncupatio Patriarchæ Oecumenici, ab Antiſtite Conſtantinopolitano, vel ex ſè ſumpta, vel ab aliis tradita, quià rè verâ intrà Orbitam ſui Patriarchatus, univerſalitèr præſidet, & univerſalitèr altum officium ſui Primatus, ſeù Patriarchatus exercet: quidquid aliàs ipſe ſubſit eminentioris Sedis Antiſtiti, Romano nempè Pontifici, qui altius officium Papalis ſollicitudinis, & juriſdictionis impendit, nedùm ſuper ipſum Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſed etiam ſuper omnes alios Patriarchas, & diœceſes, ad tractum ſingulorum Patriarchatuum pertinentes, ſuper omnes demùm oves, agnos, & Paſtores Ovilis Chriſti, quemadmodùm ex D. Bernardo, & Euſebio Gallicano relatis ſuperiùs innoteſcit (*h*).

29. Profectò cernimus, Eccleſiam quibuſdam Regibus, dè fide benemeritis *Catholici* Regis titulum indidiſſe: ſic Pelagius, vel ſecundum alios D. Gregorius, Reccaredum Hiſpaniæ Regem hoc inſigni titulo peromavit (*i*). Eundem detulit Chintillę Regi Concilium VI. Toletanum (*l*). Et Zacharias Romanus Pontifex Alphonſo I. Caſtellę Regi (*m*). Quo paritèr titulo inſignitum quoque legimus aliquandò Rogerium I. Sicilię Regem (*n*), S. Gregorius Magnus illum contulit Childeberto Francorum Regi (*o*), Joannes quoque Papa XXII. Philippum VI. Valeſium Gallorum Regem, eâdem nuncupationis notâ inſignivit (*p*). Demùm Alexander Papa VI. Regem Hiſpaniarum, proprio, & hęreditario jure, *Catholici* Regis titulo decoravit (*q*). Paritèr cernimus, Epiſcopum Seleuciæ ſe illius Eccleſię *Catholicum* nominare (*r*): Quod & facit Epiſcopus Romagyrię, dictus communitèr *Catholicus* Armenorum (*s*), qui ambo Epiſcopi pluribus præſunt Metropolitis, ſed

ipſi,

(a) *Concil. Conſpolitan. ann. 1642. & ibi Cabaſut.*

(b) *Dominic. Magri notitia Vocab Eccl. V. Oecumenicus.*

(c) *S. Joan. de Capiſtran de Pap. & Concil. Auctorit. p. 3. §. 20. fol. 121. a.*

(d) *S. Ambroſius in Lucam.*

(e) *Bellarmin. de Script. Eccleſ. in Anaſtaſ. Bibliothecar.*

(f) *Anaſtaſ. Bibliothecar. præfat. in Synodum.*

(g) *Authent. Dudū tit. 3. Ut determin. ſit numer. collat. 1. & Authent. Converſationis tit. 5. de Monachis Collat. 1. Authent. Plurimi. tit. 12. Ut Clerici collat. 5. Authent. Ea tit. 17. Ut nullus fabricet. collat 5.*

(h) *Vide ſupr. in hoc cap. n. 6.*

(i) *Foreſt. Map. Hiſt. in Recared. Reg Hiſp. tom. 5.*

(l) *Card. Baron. ann. 638 num. 10. 11.*

(m) *Baron. ann. 738. num. 9.*

(n) *Vid. Ughel. Ital. ſacr. to. 9. in Archiep. S. Severinæ n. 7. & in Epiſcopis Caſtellanetę num. 7.*

(o) *Pallavic. hiſtor. Concil. lib. 8 c. 3. n. 5.*

(p) *Raynald. an. 1329 num. 75.*

(q) *Raynald. an. 1496 num 25. Coriolan. Breviar. Chronolog. ann. 738 fol. 217.*

(r) *Jacob. de Vitriac. Hiſt. Orient. c. 32.*

(s) *Fileſac. de Sacr. Epiſcop. auctor. c. 9. §. 7*

ipſi Patriarchæ Antiocheno ſubduntur, de quibus Joannes de Vitriaco: *Habet ſub ſè viginti Provincias Antiochenus Patriarcha, quarum quatuordecim Metropolitanos habebat eum ſibi ſuffraganeis Epiſcopis: Sex verò reliquæ ſub dictis Primatibus, ſeù Catholicis duobus continentur* (a). Quid plura? Etiam Epiſcopo Antiocheno epithetum Patriarchæ *Catholici* aliquandò legimus attributum (b). Quę vox *Catholicus*, licèt directè ſignificet idem ac univerſalis (c), uti patet ex Epiſtolâ Innocentii Papę III. ad Patriarcham Conſtantinopolitanum (d), tamen quià etiam aſſumitur ad ſignificandum virum Orthodoxum, integræ fidei, & ſequentem, vel reſpectivè docentem ſincera dogmata Chriſtianæ legis, quæ univerſalis tenet Eccleſia; non verò tenentem opiniones particulares, & pravas, quas hærętici comminiſcuntur: undè ſcribebat Vincentius Lerinenſis, *id propriè Catholicum eſt, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt* (e); ideò hunc titulum Eccleſia dictis Regibus elargitur, & Epiſcopis præfatis permittit, nec illum in Prælatis illis, qui fidem integram profitentur, & reddunt Sedi Apoſtolicę debitam obedientiam, impugnat: non quod Rex Hiſpaniæ, appellatus Catholicus, ſit Rex univerſalis: nec quod Patriarchâ Antiochię, dictus Catholicus, ſit Patriarcha univerſalis: nec quod Epiſcopi Seleuciæ, ac Romagyriæ, Catholici appellati, ſint Epiſcopi univerſales; ſed quià ſunt Rex, & reſpectivè Patriarcha, & Epiſcopi Orthodoxi, verę fidei aſſertores, profeſſores, & defenſores, & Catholicæ veritatis cuſtodes, ſumpto titulo Catholici, non in primâ, ſed in ſecundâ ſignificatione.

30. Eodem ergò modo, quià vox *Oecumenicus* tàm ſignificat univerſalem limitatè, quoàd aliquem locum habitabilem, quàm univerſalem illimitatè, quoàd totum terrarum Orbem: ideò bene poteſt Eccleſia titulum Oecumenici in primâ ſignificatione Patriarchæ Conſtantinopolitano aſſentiri, licèt illi in ſecundâ ſignificatione non competat. Porrò legimus, Patriarcham Alexandrinum ſic ſè magnificè intitulare *N. miſeratione Divinâ Papa, & Patriarcha magnę Urbis Alexandriæ, & Judex Orbis terrarum* (f), quàm inſcriptionem tolerat, vel diſſimulat Eccleſia in Archiepiſcopis Alexandrinis, Catholicam fidem profitentibus, vel quià nomen Papæ S. Cyrillo Alexandrino Cæleſtinus Papa I. ex ſpeciali indulto conceſſit, uti refert Nicephorus (g), & cenſet quoque Balſamon (h): vel meliùs, quià nomen *Papa* ab illis adhibitum, non ſummum Eccleſiæ univerſalis Pontificem, ſed Epiſcopum ſignificat, antiquo retento more, quo quilibet Epiſcopus nomine Papæ nuncupabatur (i), prout Sanctum Cyprianum (l), S. Auguſtinum (m), & alios Epiſcopos olim denominatos fuiſſe *Papas*, eorum ſcripta demonſtrant, & ità continuatum eſt per aliquod tempus, donec tandèm Gregorius PP. VII. in Concilio Romano, Papæ nominæ cunctis Epiſcopis abrogato, illud ſolius Romani Antiſtitis proprium eſſe debere definivit (n). Tolerat paritèr, vel diſſimulat inſcriptionem illam *Judex Orbis terrarum*, quià hæc non niſi ad orbem terrarum, ſuo Patriarchatui ſubditarum, refertur, prout experientia docet; nàm extrà dictam orbitam Præſul Alexandrinus nullum jus reddit: intrà verò illam jure Patriarchali, & Judex ſedet, & judicaturam exercet. Sic & aliqua Concilia dicta ſunt Univerſalia, tametſi talia non eſſent (o), ut Alexandrinum II. Carthaginenſe III. (p), Matiſconenſe II. (q), Tullenſe (r), Remenſe (s), Londinenſe (t), Sutrinum (u), & alia, qualia *fuerunt multa ex Conciliis Romanis, Toletanis, & Africanis, quæ vocantur interdùm Concilia Univerſalia, non quod generalia ſint abſolutè, ſed quià generalia ſunt quoàd aliquod Regnum* (x). Generalia inquam limitatè ad orbitam eorum activitatis. Sic & Generales Ordinum Regularium omnes dicuntur Generales, ſed limitatè ad ſuum Ordinem: ſuprà omnes eos verò, Generalis eſt, & Caput Generale omnium Ordinum Romanus Pontifex (y). Quibus ex inductionibus patet, quod à ſimili, titulus Oecumenici limitatè, & ſano modo intellectus, competere poteſt Patriarchę Conſtantinopolitano, & ei ab Eccleſiâ rationabilitèr indulgetur, connivendo, tolerando, parvipendendo, vel illum alitèr permittendo.

(a) *Jacob. de Vitriac. Hiſt. Orient. c.23*
(b) *Joannes Fileſacus loc citat.*
(c) *Nicol. Du Mortier. Etimol. Sacr. V. Catholicus.*
(d) *Innoc. III. Papa lib. 2. ep. 206. Vid. ſupr. in hoc cap. n. 3.*
(e) *Vincent. Lerinenſ. in Commonitor. I. cap. 3.*
(f) *Dominic. Magri Vocab. Eccleſ. V. Papa*
(g) *Nicephor. hiſt. lib. 14. c. 34.*
(h) *Balſamo ap. Thomaſſin. vet. & nov. Eccleſ. diſcip. p. 1. l. 1. c. 13 num. 5 & l. 2. c. 45. n. 6*
(i) *Baron. an. 165. n. 10. & in notis ad Martyrol. die 10. Januar. lit. C. Thomaſſin. p. 1. l. 1. c. 41. n. 14.*
(l) *S. Cyprian. ep. 17. 26. 30. 31. & c.*
(m) *S. Auguſt. ep. 11 13. 14. 17. 18. 30.*
(n) *Concil. Roman. ann. 1073. Baron. in notis ad Martyrol. die 10. Januar. lit. C. Vid. cap. ſeq. n. 16.*
(o) *Vid. Binium in notis ad Conc. Sardicenſ. lit. C. tom. 1. f. 552 & Pomeraye in notis ad Concil. Rotomag. fol 482.*
(p) *Severinus Binius loco citat ad Concil. Sardicenſe.*
(q) *Alphonſ. Ciaconius in Palagio Pap. II.*
(r) *Card. Baronius an. 559. n. 17.*
(s) *Concil. Gallican. Sirmond. tom. 3 f. 637.*
(t) *Odoric. Raynald. ann. 1200. n. 16. Baron. an. 343. n. 8.*
(u) *Leo Oſtienſis l. 2. cap. 80.*
(x) *Gonet Clyp. Theolog. tom. 4. tract. 10. diſput. 5. art. 1. §. 1. n. 2.*
(y) *Suarez. de Religion. lib. 2. cap 16. num. 23. & lib. 6. c. 15. num. 6.*

31. Hùc fortè proſpexit Mauritius Imperator, quandò S. Gregorium commonuit, ut ob vocabulum Oecumenici, pacem cum Joanne Jejunatore non ſolveret: ac deindè, contentione cum Cyriaco, Jejunatoris ſucceſſore, jam acrius efferveſcente, Papam Cæſar rurſum admonuit, ut ab ejuſdem tituli impugnatione deſiſteret, quam improvidam omninò, & indiſcretam eſſe taxabat. De primâ Cæſaris commonitione jàm hic ſuprà locuti ſumus (*a*): de ſecundâ S. Gregorius Imperatori reſcripſit, uti paulò antè retulimus (*b*). Et alibi: *Quid eſt quod nos hujus vocabuli gloriam, & oblatam non quærimus, & alter ſibi hanc arripere, etiam non oblatam præſumit? Ille ergò magis eſt piorum Dominorum præceptione flectendus, qui præceptis canonicis obedientiam præbere contemnit. Ille coercendus eſt, qui ſanctæ univerſali Eccleſiæ injuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine ſingularitatis appetit, qui honori quoque Imperii veſtri ſemper privatum vocabulum ſuperponit. Ecce omnes hac de rè ſcandalum patimur. Ad vitam ergò rectam revertatur auctor ſcandali, & omnia Sacerdotum jurgia ceſſabunt &c. Ego autèm Dominorum juſſionibus obedientiam præbens, prędicto Conſacerdoti meo, & dulcitèr ſcripſi, & humilitèr, ut ab hac inanis glorię appetitione ſe ſe emendet, admonui. Si igitur mè audire voluerit, habet devotum fratrem. Si verò in ſuperbiâ perſiſtit, jàm quid aſſequatur aſpicio, quià illum ſibi adverſarium invenit, de quo ſcriptum eſt, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam* (*c*).

(a) *Vid. ſupr. in hoc capit. n. 19.*
(b) *Vid. ſupr. in hoc cap. n. 20.*
(c) *S. Gregor. lib. 4. epiſt. 32.*

32. Tolerabile, inquam, eſt nomen Oecumenici in Patriarchâ Conſtantinopolitano, juxtà primam ſignificationem conceptum: ſed nequè S. Gregorius, neque Pelagius ejus Anteceſſor illud in Joanne Jejunatore, & Cyriaco, admittendum eſſe cenſuerunt, ob circumſtantias rerum, & temporum tunc vigentes: primò ſiquidem, non in omnibus, neque ſemper, ſed rarò,& in aliquo ſolum, ex prædefunctis Epiſcopis Conſtantinopoleos fuerat auditus titulus Oecumenici, & tunc illi non ipſum titulum ſibi ultrò acceperant, ſed ſolum ab aliis delatum admiſerant: at Jejunator, & Cyriacus, idem vocabulum ex ſeipſis ſuis titulis aggregabant, nec ullibi nomen proprium, ſinè ventoſi illius tituli ſubintruſione ſignabant. Secundò Jejunator tunc profanam vocem Oecumenici ſibi aggreſſus eſt arrogare, quandò Gregorium Patriarcham Antiochenum ſuæ juriſdictioni geſtiit ſubjugare. Hìc quippè Gregorius, ab Aſterio, Orientis Præfecto, dirè vexatus, & ab Antiochenſibus accuſatus; ad Cæſarem, atque ad Concilium provocavit (*d*), quam occaſionem, ad dilatanda phylacteria ſuæ Sedis, Jejunator avidè amplexus, numeroſam Epiſcopororum Synodum illicitè convocavit (*e*). Cumque non alibi quam in Concilio generali cauſæ Patriarcharum eſſent, ſecundum canones ventilandę, Jejunator eidem Patrum Conventui nomen intulit Concilii generalis, & ſe Patriarcham univerſalem vocavit (*f*). Tùncque Pelagius Papa acta ipſius Synodi, prætèr abſolutionem Gregorii Antiocheni, auctoritate D. Petri caſſavit (*g*).

(d) *Evagrius lib. 6. cap. 7.*
(e) *Pelag. PP. II. epiſt. 1. Baron. an. 587. num. 7.*
(f) *Thomaſs. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 1. lib. 1. cap. 11. n. 7.*
(g) *Pelag. II. loc. cit. Baron. ubi ſupr. n. 5. 6.*

33. Innuit S. Gregorius Magnus hujus facti ſeriem, ità Eulogio Alexandrino præſcribens: *Antè hos annos octo, ſanctæ memorię deceſſoris mei Pelagii tempore, frater, & Coepiſcopus noſter Joannes Conſtantinopolitanâ urbe, ex causâ aliâ occaſionem quærens, Synodum fecit, in quâ ſe Univerſalem appellare conatus eſt. Quod mox idem Deceſſor meus ut agnovit, directis literis ex auctoritate S. Petri, ejuſdem Synodi acta caſſavit. Quarum videlicèt epiſtolarum Sanctitati veſtræ exemplaria ſtudui deſtinare. Diaconum verò, qui juxtà morem prò reſponſis Eccleſiæ faciendis piiſſimorum Dominorum veſtigiis adhærebat, cum præfato Conſacerdote noſtro Miſſarum ſolemnia celebrare prohibuit. Cujus ego quoque ſententiam ſequens, ſimilia prædicto Conſacerdoti noſtro ſcripta tranſmiſi, quorum exemplaria veſtrę beatitudini cenſui tranſmittenda: hoc præcipuè intendens, ut hac de rè, quâ ex novâ ſuperbiâ tota univerſalis Eccleſiæ viſcera perturbantur, priùs ſępefati fratris noſtri modeſta intentione pulſemus. Qui ſi nequaquàm à ſuæ elationis rigore voluerit inclinari, tùnc quid fieri debeat cum Omnipotentis Dei ſolatio ſubtiliùs pertractetur &c. Prætereà Sanctitas veſtra in ſuis epiſtolis neminem unquàm univerſalem nominet,*

ne ſibi debitum detrabat, cum alteri honorem offert in debitum &c. (*a*).

34. In tribus itàque Joannes Jejunatoe peccabat, tempore Pelagii Papæ II. primò quià nomen Occumenici, non ſibi ab aliis datum permittebat, ſed ſibi ex ſemetipſo, ambitione multâ, aeeogabat. Secundò quià Antiochenum, unum ex primariis Eccleſię Pateiaechis, ſinè Romani Pontificis auctoeitate judicare attentabat. Tertiò quià Concilium Geneeale indiceee peæſumebat, quod nullus unquam inferiorum Antiſtitum ſibi auſus fuerat uſurpare, ſinè Romani Pontificis aſſenſu, cum neminem lateat, inquit Leo Papa IX. *non debere, pręter ſententiam Romani Pontificis, univerſale Concilium celebrari, aut Epiſcopos damnari, vel deponi* (*b*). Nec hoc ex novis legibus, ſed ex peeantiquis Eccleſiæ oedinibus, de quibus Socrates, acta Concilii Antiocheni percenſens: *Julius Romanus Epiſcopus neutiquam aderat, nec quenquam, qui ejus locum ſuppleret, eò miſit, cum Canon Eccleſiaſticus habeat non oportere abſque ſententiâ Romani Pontificis decreta Eccleſiis ſanciri* (*c*). Et ſynchronicè Sozomenus: *Lex eſt, ad Sacerdotii dignitatem ſpectans, quæ pronuntiat, acta illa eſſe irrita, quę prętèr ſententiam Romani Pontificis conſtituuntur* (*d*).

35. His ergò de cauſis Pelagius Joanni Jejunatori reſtitit, & pee Encyclicam ſuam ad Epiſcopos datam, eis talia geneealitèe intimavit: *Delatum eſt ad Apoſtolicam Sedem, Joannem Conſtantinopolitanum, Epiſcopum univerſalem ſe ſcribere, & Synodum convocare generalem, cum Synodorum generalium convocandi auctoritas Apoſtolicæ Sedi Beati Petri ſingulari privilegio ſit tradita; & nulla unquàm Synodus rata legatur, quæ Apoſtolicâ auctoritate non fuerit ſulta* (*e*). Porrò ſuſpectam habebat Pelagius fictam pietatem Joannis, jejuniorumque peolixitatem, ac vitæ auſteritatem, quas tanta ambitio comitabatue: nec ambigebat, ipſas magnam hypochriſim redolere, illùc tendentem, ut ſub ſpecie ſanctitatis, phylacteria ſui Epiſcopatus extendeeet, omniumque Eccleſiarum jure compreſſo, nedùm cunctos ſui Patriarchatus Epiſcopos ſubjugare; ſed cæteros etiam Patriarchas, ipſumque Romanæ Sedis Antiſtitem premeee attentaret, atque in ſuos veluti Vicaeios, & Corepiſcopos teanſmutare, ſicque totam pedetentim Eccleſiam ſibi affectaret immediatè ſubſternere: *Qui jejuniis*, inquiebat, *occupatus videbatur, jactantiam tantam ſumpſit, itàut univerſa ſibi tentet adſcribere, & omnia, quæ ſoli uni capiti cohęrent, videlicet Chriſto, per electionem pompatici ſermonis, ejuſdem Chriſti ſibi ſtudeat membra ſubjugare*. Et inferiùs: *Orate nè Romana Sedes, quę, inſtituente Domino, Caput eſt omnium Eccleſiarum, privilegiis ſuis unquàm careat, aut expolietur* (*f*).

36. Creſcebat poſt Pelagium in S. Gregoeio Magno, ejuſdem ſucceſſore, cauſa reſiſtendi, eo quod Jejunatoe, in ſuo faſtu pertinaciùs ſemper inſiſtens, tunc magìs pompaticum Oecumenici titulum in sè ſolidare curabat (*g*), cum perſpexit Mauritium Imperatorem adversùs S. Gregoeium tàm immodeſte commotum, ut illum vilipendiis afficeret; ac tamquàm ſimplicem, atque inſanum in ſuis literis prædicaret: peobei prętextu indè mendicato, quod Gregorius, impatiens maloeum, quibus nefandiſſimi Longobardi Romam, & Italiam efferatiſſimè laceeabant, cum Agilulpho eorum Rege pacem ſanciri, & fœdus peocurabat, vel dueis conditonibus, ſtabiliri (*h*): quam tamèn contumeliam, à Cæſaee ſibi illatam, pius, ac prudens Pontifex hiſce propulſavit effatis: *In ſereniſſimis juſſionibus ſuis Dominorum pietas, dum me de quibuſdam redarguere ſtuduit, parcendo mihi minimè pepercit. Nam in eis urbanè ſimplicitatis vocabulo mè fatuum appellat &c. Ego igitur, qui in Sereniſſimorum Dominorum juſſionibus ab Arnulphi aſtutiâ deceptus, non adiunctâ prudentiâ ſimplex denuntior; conſtat proculdubiò, quià fatuus appellor. Quod ità eſſe ego quoque confiteor. Nàm ſi hoc veſtra pietas taceat, cauſæ clamant. Ego enim ſi fatuus non fuiſſem, ad iſta toleranda, quę inter Longobardorum gladios hoc in loco patior minimè veniſſem. In ea autem rè, quam de Aruulpho perhibui, quià toto corde venire ad Rempublicam paratus fuit, dum mihi non creditur, etiam men-*

(a) *S. Gregor. lib.4. epiſt.36.*

(b) *S. Leo Papa IX. epiſt.4.*

(c) *Socrates Hiſtor. lib.2.cap.5.*

(d) *Sozomenus lib.2. cap.9.*

(e) *Pelag.II.epiſt.1. eſt ap Bail. tom.2. in fin. in Decr. Pontif. fol.770.*

(f) *Pelag. Papa II. ubi ſupr.*

(g) *Card. Baron. an. 595. n.27.*

(h) *Idem Baron. loc. cit. num.19.*

Digitized by Google

mentitus eſſe reprehendor &c. Et quidem ſi terræ meæ captivitas per quotidiana momenta non exereſceret, de deſpectione meâ, atque irriſione lætus tacerem. Sed & hoc me vehementer affligit, quia ego unde crimen falſitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur, ſub Longobardorum jugo captiva &c. (a). Tunc ergò cum Apex Romani Pontificatus cernebatur ab Imperatore proſterni; Jejunator ſumptâ occaſione ſuæ poteſtatis amplificandæ, ſub brevis tituli uſurpatione, unicus & ſolus totius Chriſtianitatis Antiſtes ſatagebat evadere; cunctaſque univerſi Orbis Eccleſias, nè relictâ quidem intactâ Romanâ Sede, tentabat ſuæ ampulloſæ ambitioni, unâ Oecumenici intitulatione, ſubmittere.

(a) S.Gregor. lib. 4. epiſt.31.

37. Stomachabatur quoque S. Gregorius, non minùs ac Pelagius ejus prædeceſſor, ob ſimulatam auſteritatem vitæ, quâ Jejunator eniteſcebat; ratus veram pietatem, ac ſincerum vitæ rigorem, cum tantâ ſuperbiâ compati non poſſe, quantam præſeferebat, sè Patriarcham Oecumenicum prædicare; quo & terminos ſuæ Sedi præfixos (b), audebat arrogantiſſimè tranſilire, & aliorum Patriarchatuum juriſdictionem turbare, & ad univerſum corpus Eccleſiæ ſibi ſubigendum manus extendere: quarè ad Mauritium Cæſarem recurſu facto, his auditus eſt ejulatibus exclamaſſe: *Oſſa jejuniis atteruntur, & mente turgemus. Corpus deſpectis veſtibus tegitur, & elatione cordis purpuram ſuperamus. Jacemus in cinere, & excelſa non deſpicimus &c. Quamobrem providentiſſimè piiſſimus Dominus noſter, ad compeſcendos bellicos motus pacem quærit Eccleſiæ, atque ad hujus compagem Sacerdotum dignatur corda reducere. Quam quidem ego opto, & quantùm ad me attinet, sereniſſimis juſſionibus obedientiam præbeo. Quià verò non cauſa mea, ſed Dei eſt, & quià non ſolus ego, ſed ſola turbatur Eccleſia, quià piæ leges, quià venerandæ Synodi, quià ipſa Domini noſtri Jeſu Chriſti mandata, ſuperbi, atque pompatici cujuſdam ſermonis inventione turbantur: piiſſimus Dominus locum ſecet vulneris, atque reſiſtentem ægrum auguſtæ auctoritatis vinculis conſtringat* (c).

(b) Concil.Chalcedon. cap.27.

(c) S.Gregor.l.4.epiſtol.32.

38. Et paucis interjectis, proſequitur D. Gregorius: *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominicâ Sancto, & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, ipſi quippè dicitur, Petre amas me: paſce oves meas. Ipſi dicitur, ecce Sathanas expetiit eribrare vos ſicut triticum, & ego prò te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: Et tu aliquandò converſus confirma fratres tuos. Ipſi dicitur, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſùs eam: & tibi dabo Claves Regni Cælorum: & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis. Ecce Claves Regni Cæleſtis accipit, poteſtas ei ligandi, ac ſolvendi tribuitur, cura ei totius Eccleſiæ, & principatus committitur, & tamen univerſalis Apoſtolus non vocatur. Et vir Sanctiſſimus Conſacerdos meus Joannes vocari univerſalis Epiſcopus conatur. Exclamare compellor, ac dicere: ò tempora, ò mores &c. Numquid ego, piiſſimè Domine, propriam cauſam defendo? Numquid ſpecialem injuriam vindico, & non magìs cauſam Omnipotentis Dei, & cauſam univerſalis Eccleſiæ? Quis eſt iſte, qui contrà ſtatuta Evangelica, contrà canonum decreta, novum uſurpare nomen præſumit? Utinam vel ſinè aliorum imminutione unus ſit, qui vocari appetit univerſalis* (d).

(d) S.Gregor. lib. 4. ep.32.

39. Cauſam ergò univerſalis Eccleſiæ in uſurpatione profani tituli Gregorius cenſuit agitari; quià, inquiebat, *Si hoc dici libentèr permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur* (e). Et quià pluries Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ non ſolùm hæretici, ſed etiam hæreſiarchæ Epiſcopi præfuerant, ſi hujus Sedis Præſules univerſales dicebantur; oportebat ut cum illis in hæreſim lapſis, univerſa quoque Eccleſia lapſa eſſe diceretur: *Certè*, ait ad Mauritium: *multos Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ in hæreſeos voraginem incidiſſe novimus Sacerdotes, & non ſolùm hæreticos, ſed etiàm hæreſiarchas factos &c. Si igitur illud nomen in eâ Eccleſiâ,*

(e) S.Gregor. l.4.ep.32.

Digitized by Google

cleſiâ, ſibi quiſquam arripuit, quod apud bonorum omnium judicium fuit; Univerſa ergò Eccleſia, quod abſit, à ſtatu ſuo corruit, quandò is, qui appellatur univerſalis, cadit (*a*). Et ad Anaſtaſium Antiochenum, *Scitis quanti non ſolùm hæretici, ſed etiam hereſiarchæ de Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ ſunt egreſſi, & ut de honoris veſtri injuriâ taceam; ſi unus Epiſcopus vocatur univerſalis, univerſa Eccleſia corruit, ſi unus univerſus cadit: ſed abſit hęc ſtultitia, abſit hęc levitas ab auribus meis* (*b*).

40. Ità & fidem nutare videbatur in Oecumenici vocabulo, à Joanne Jejunatore prærepto, & cunctarum Sedium jura invadi, & Epiſcoporum pacem turbari, & totam Eccleſiæ harmoniam exitiali faſtu proſcindi. Profectò Antiſtes Conſtantinopolitanus abinitio ſimplicis Epiſcopi Byzantini nomen habuerat, qui erat Hæracleenſi Metropolitano ſubjectus (*c*). Creſcente verò urbe Byzantii, & in Conſtantinopolim verſâ, ex nomine Magni Conſtantini, qui inibi Auguſtalem Sedem ſui Imperii conſtituit, & ut ait D.Hieronymus, *Conſtantinopolim penè omnium Urbium nuditate dedicavit* (*d*); Epiſcopus quoque Conſtantinopolitanus Archiepiſcopalis decoris incrementa ſuſcepit. Nec hoc honore contentus, in Concilio Conſtantinopolitano I. Primatus fulgorem conſequi cum aliis primaris Sedibus concupivit. (*e*) Sed quià honor adeptus in ſolâ ſeſſionis pręeminentiâ conſiſtebat (*f*): eo modo, quo Hieſolymitano Epiſcopo, in Synodo Nicænâ, prælationis prærogativâ ad ſolam honorificentiam eſt traditus (*g*); Patriarchalibus quoque juribus in Concilio Chalcedonenſi tandem geſtiit ſaginari (*h*), reclamantibus licet Romanis Pontificibus, altâque voce perſtrepentibus, non eſſe fines Patriarchatuum, à Nicæno none conſtitutos, intuitu Conſtantinopolitani Epiſcopi divellendos (*i*). Qui nec adhùc Patriarchalis dignitatis, & poteſtatis occaſione contentus, hanc ultrà confinia Provinciarum Thraciæ, Aſiæ, atque Ponti, ſibi à Concilio Chalcedonenſi pręſcripta (*l*), quotiès potuit, irreparatè tranſcendit.

41. Notum eſt eruditis, quod ex Patriarchis Conſtantinopolitanis, *Nectarius* litem diſceptavit intèr Agapium, & Gebadium, contendentes de Epiſcopatu Eccleſię Boſtrenſis, in Arabiâ ſitę, tunc Patriarchatui Antiocheno ſubjectæ (*m*). *Joannes Chryſoſtomus*, in Provinciâ Aſię, tùnc ad Antiochenum Patriarchatum ſpectante, plures Epiſcopos exauthoravit, quos ſex fuiſſe teſtatur Palladius (*n*), octo Sozomenus (*o*), & Theophilus Alexandrinus, uſque ad ſexdecim, aſcendiſſe (*p*). *Atticus* Epiſcopatum Philippopolis in Thraciâ Sylvano Epiſcopo conceſſit, quem deindè ad Troadenſem Sedem Phrygię tranſuexit, etſi Thracia, atque Phrygia tunc Antiocheni Patriarchatus juri ſubeſſent (*q*). *Siſinius* Epiſcopatum Cyzicenſem in Bithyniâ, quam tunc Patriarchatus Antiochenus continebat, Proclo Presbytero Conſtantinopolitano conceſſit (*r*). *Flavianus* cauſam Ibæ Edeſſæ in Meſopotamiâ Epiſcopi, quæ urbs ſuberat Patriarchatui Antiocheno, cognovit, & tribus Metropolitis ventilandam commiſit (*s*). *Anatolius* Eccleſiam Berythenſem Archiepiſcopali honore perauxit, tameſi *Berithus*, in Phœniciâ conſiſtens, Patriarcham agnoſceret Antiochenum (*t*). Imò & ipſum Patriarcham Antiochenum Anatolius aliquandò auſus eſt ordinare, quod querulosè refert S.Leo ad Marcianum Auguſtum, proteſtans, sè id tantum *amore reparandæ fidei, & pacis ſtudio retractare ceſſaſſe* (*u*). Jàm nunc tandem Joannes Jejunator Gregorium Patriarcham Antiochenum judicare attentabat, & quaſi hoc parum eſſet, Synodum quòque generalem indicere nitebatur. Quid ergò ultrà reliquum erat Epiſcopo Conſtantinopolitano, ad Monarchiam univerſalem Eccleſiæ ſibi appropriandam, niſi ut cum arrepto titulo Oecumenici, Romanum quoque Papam ſuo ſubjugaret imperio; unuſque fieret in toto Chriſtiano Populo Epiſcopus Conſtantinopolitanus, univerſi Orbis Chriſtiani, & unicus Paſtor, & ſolus Præſul, & generalis Antiſtes?

42. Quamvìs igitùr aliàs toleratus fuiſſet à Romanis Pontificibus titulus Oecumenici, aliquibus ex Patriarchis Conſtantinopoleos contributus; tamèn in his

rerum

(a) S. Gregor. lib. 4. epiſt. 2. 32.

(b) S. Gregor. lib. 6. epiſt. 24.

(c) Gelaſ. PP. I. ep. 13. Card. Baron. ann. 595. num. 31.

(d) S. Hieron. in Chronic. ann. 334.

(e) Concil. Conſtantinopol. 1. cap. 5.

(f) Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 1. l. 1. c. 10. n. 1.

(g) Concil. Nicæn. 1. cap. 7.

(h) Concil. Chalced. cap. 27.

(i) S. Leo PP. I. ep. 53. & 54.

(l) Concil Chalcedon. c. 27. Thomaſſin. loc. cit. n. 13.

(m) Concil. Conſtantinopol. ann. 393. apud Balſamon.

(n) Palladius in Vit. S. Jo. Chryſoſt.

(o) Sozomen. l. 8. c. 6.

(p) Theophil. Alex. lib. advers. Joan.

(q) Socrates lib. 7. cap. 36.

(r) Socrates l. 7. cap. 28.

(s) Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 1. l. 1. c. 10. n. 9.

(t) Thomaſſin. loc. citat.

(u) S. Leo. epiſt. 54. ad finem.

rerum circumſtantiis non erat ampliùs admittendus: *diſtinguendaque erant tempora*, ut ſcripſit S. Gregorius ad Mauritium Imperatorem (*a*), nàm vox Oecumenici, quę pridèm ſuſpicione carebat, in his rerum articulis ſuſpecta erat, eratque longius ableganda, nè ſuo uſu, Eccleſiam univerſam diſſidiis, & confuſionibus permiſceret: per eam namquè Epiſcopalis dignitas, in cunctis Orbis Præſulibus eniteſcens, eclipſim teterrimam patiebatur, ejuſque gloria talitèr deperibat, ut videretur Epiſcopis honor ſolus ſine juriſdictione relictus. Patriarchalium quoque Sedium decor ad nihilum reducebatur, verſis aliis Patriarchis, ex Confratribus, in ſubjectos. Nec ſalvus erat Summus Eccleſiæ principatus, à Chriſto, & Petro Romanæ Cathedræ affixus: quippè hanc quoque Eccleſiam profanus Oecumenici titulus, à Jejunatore uſurpatus, Conſtantinopolitano Antiſtiti ſubigebat, quem certum erat uſque tunc fuiſſe, non æqualem, non præpoſitum, ſed Romanę Sedi ſubjectum. *Nàm dè Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ*, inquit S. Gregorius, *qui eam dubitet Sedi Apoſtolicæ eſſe ſubjectam? quod & piiſſimus Domnus Imperator, & frater noſter Euſebius, ejuſdem Civitatis Epiſcopus aſſiduè profitentur* (*b*). Nec credimus D. Gregorium ignoraſſe, quod Joannes Papa I. Juſtino I. Imperatore, Conſtantinopolim profectus, noluit in compari throno cum Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopoleos aſſidere, ſed in eminentiori, ac celſiori: acquieſcentibus & Juſtino, & Epiphanio Joannis conſentiæ, quâ voluit in conſeſſu non coęqualis Patriarchæ Conſtantinopolitano, ſed apparere omninò prælatus (*c*).

(a) *S. Gregorius l. 6. epiſt. 19.*

(b) *S. Gregorius lib. 7 cap. 54.*

(c) *Nicephor. Calliſt. lib. 17. c. 9.*

43. Optimè ergò, zelantèr, atque juſtiſſimè, tùm Pelagius Papa II. tùm S. Gregorius ejus ſucceſſor, Joannis Jejunatoris conatibus obſtitere: quem Gregorius ipſe, his, quæ ſequuntur, eloquiis objurgavit: *Eo tempore, quo fraternitas veſtra in Sacerdotalem honorem provecta eſt, quantam Eccleſiarum pacem, atque concordiam inveneris, recolis. Sed quo auſu, quoque tumore neſcio, novum ſibi conata eſt nomen arripere, undè omnium fratrum corda potuiſſent ad ſcandalum pervenire. Quâ in rè vehementèr admiror, quià nè ad Epiſcopatum venire potuiſſes, fugiſſe velle te memini: quem tamèn adeptum ità exercere deſideras, ac ſi ad eum ambitioſo deſiderio cucurriſſes. Qui enim indignum te eſſe fatebaris, ut Epiſcopus dici debuiſſes, ad hoc quandòque perductus es, ut deſpectis fratribus, Epiſcopus appetas ſolus vocari. Et quidèm hâc de rè ſanctæ memoriæ deceſſoris mei Pelagii gravia ad Sanctitatem veſtram ſcripta tranſmiſſa ſunt; in quibus Synodi, quæ apud vos, de fratris quondàm, & Conſacerdotis noſtri Gregorii causâ, congregata eſt, propter nefandum elationis vocabulum, acta diſſoluit, & Archidiaconum, quem juxtà morem ad veſtigia Dominorum tranſmiſerat; Miſſorum vobiſcum ſolemnia celebrare prohibuit. Poſt ejus verò obitum cum indignus ego ad Eccleſiæ regimen adductus ſum, & antè per alios reſponſales meos, & nunc per communem filium meum Sabinianum Diaconum alloqui fraternitatem veſtram, ut à tali ſe præſumptione compeſceret, non equidèm ſcripto, ſed nudo ſermone curavi &c.* (*d*).

(d) *S. Gregorius l. 4. epiſt. 38.*

44. Notetur, quod tàm Pelagius, quàm Gregorius Pontifices, in Joanne Jejunatore, & in Cyriaco illius ſucceſſore, titulum Epiſcopi univerſalis *in eſſendo* damnarunt, quatenùs ab ipſis Joanne, & Cyriaco, poteſtas Patriarchalis extrà proprios fines porrigebatur, & ità extendi meditabatur, ut jura Epiſcopalia, & reſpectivè Patriarchalia, cœteris Patriarchis, & Epiſcopis abrogaret, quibus relicto nudo, ſive Epiſcopi, ſive Patriarchæ nomine, tota illorum poteſtas in ſolum Conſtantinopolitanum Præſulem, uti Patriarcham Oecumenicum convolaret: ſicque nomine, plures reperirentur in Eccleſiâ Patriarchæ, & Epiſcopi, ſed auctoritate, unus eſſet in Eccleſiâ Univerſalis Antiſtes, Conſtantinopoli reſidens, Oecumenici Præſulis faſtoſo titulo tumefactus. En verba Pelagii ad Epiſcopos, illicitè à Joanne Jejunatore ad Concilium convocatos: *Nullus Patriarcharum univerſalis vocabulo unquàm utatur, quià ſi unus Patriarcha univerſalis dici-*

Digitized by Google

dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc, abſit à fide'it cujuſquam mente, hoc ſibi velle quempiam arripere, undè honorem fratrum ſuorum imminuere ex quantulàcumque parte videatur. Quapropter charitas veſtra neminem unquàm in ſuis epiſtolis univerſalem nominet, ne ſibi debitum ſubtrahat, cum alteri honorem offert indebitum (*a*). Et D. Gregorius ad Imperatorem Mauritium: *Abſit à cordibus Chriſtianorum nomen iſtud blaſphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dùm ab uno ſibi dementèr arrogatur* (*b*).

45. Paritèr in epiſtolâ ad Conſtantinam Auguſtam Gregorius ſic proloquitur: *A prædicto fratre, & Conſacerdote meo* (Joanne) *contrà Evangelicam ſententiam, contrà beatum quoque Petrum Apoſtolum, & contrà omnes Eccleſias, contràque canonum ſtatuta, agitur &c. Triſte tamen valdè eſt ut patientèr feratur, quatenùs, deſpectis omnibus, prædictus frater, & Coepiſcopus meus ſolus conetur appellari Epiſcopus* (*c*). Et in aliâ ad Joannem Jejunatorem ait: *Perpende, rogo, quià in hàc præſumptione temerariâ pax totius turbatur Eccleſiæ, & gratiæ contradicitur communitèr omnibus effuſæ. In quâ nimirùm ipſe tantum creſcere poteris, quantum penès temetipſum decreveris: Tantòque major effeceris, quantò te à ſuperbi, & ſtulti vocabuli uſurpatione reſtringis &c. Quid enim fratres tui omnes univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi, niſi aſtra Cœli ſunt &c. quibus dùm cupis temetipſum vocabulo elationis præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare; quid aliud dicis, niſi, in Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Cœli exaltabo ſolium meum* (*d*). Rursùs in epiſtolâ ad Cyriacum, Jejunatoris ſucceſſorem: *Ecce in nefandi appellatione nominis ſcandalizati ſumus, & non minimas querelas ſervamus in mente, & promimus in voce* (*e*). Et alibi: *Oportet ut mihi, atque omnibus fratribus veſtris ejuſdem charitatis pulchritudinem in hoc primùm opere monſtretis, ut verbum ſuperbiæ, per quod grave ſcandalum in Eccleſiis generatur, auferre feſtinetis, hoc modò omnibus implentes, quod ſcriptum eſt, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis &c.* (*f*).

(a) Pelag. II epiſt. 1. relat. in c. nullus 4 diſt. 99.
(b) S. Gregorius l. 4. ep. 32. in med.
(c) S. Gregorius ep. 34. in med. lib. 4.
(d) S. Gregorius l. 4. ep. 38.
(e) S. Gregor. l. 6. ep. 4. circ. fin.
(f) S Gregorius l. 6. epiſt. 28.

46. In hoc ſenſu S. Gregorius, exemplum ſui Prędeceſſoris ſecutus, & primores Eccleſiæ Patriarchas, & pręcipuos Grę̨carum partium Epiſcopos, ad reſiſtendum Præſuli Conſtantinopolitano, proptèr enormem univerſalis titulum, concitavit. Et quidèm quoàd primos, Eulogio Alexandrino, & Anaſtaſio Antiocheno, hujuſce tenoris literas exaravit: *Sanctitas veſtra in ſuis epiſtolis neminem unquàm univerſalem nominet, ne ſibi debitum detrahat, cum alteri honorem offert indebitum &c. State fortes, ſtate ſecuri, ſcriptaque cum univerſalis nominis falſitate nec dare unquam, nec ſuſcipere præſumatis. Omnes Epiſcopos, curæ veſtræ ſubjectos, ab hujus elationis inquinatione prohibete, ut univerſæ vos Eccleſiæ Patriarchas, non ſolùm in bonis operibus, ſed etiàm in veritatis auctoritate cognoſcant. Si qua autem forſan adverſa ſubſequuntur, unanimitèr perſiſtentes, etiam moriendo debemus oſtendere, quià in damnando generalitatis nomine, noſtrum ſpecialitèr aliquid non amamus* (*g*).

(g) S. Gregor. l. 4. ep. 36.

47. Quoàd ſecundos verò Euſebio Theſſalonicenſi, Urbicio Dyrrachino, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthio, Joanni Primæ Juſtinianæ, Joanni Cretenſi, Joanni Lariſſeno, aliiſque compluribus Epiſcopis S. Gregorius epiſtolas ſub tali formulâ delegavit: *Cognoſcat fraternitas veſtra, Joannem quondam Conſtantinopolitanæ civitatis Antiſtitem, contrà Deum, contrà pacem Eccleſiæ, in omnium deſpectu, modeſtiæ, ac menſuræ ſuæ terminos exceſſiſſe, & illicitè in Synodo ſuperbum, ac peſtiferum Oecumenicum, hoc eſt univerſalis ſibi vocabulum uſurpaſſe. Quod beatæ recordationis Pelagius deceſſor noſter agnoſcens, omnia geſta ejuſdem Synodi, prætèr illa, quæ illìc de cauſâ venerandæ memoriæ Gregorii Epiſcopi Antiocheni habita ſunt, validâ omninò diſtrictione caſſavit, diſtrictiſſimâ illum increpatione corripiens, ut ſe à novo, & temerario ſuperſtitionis nomine cohiberet &c. Cujus nos rectitudinis zelo per omnia inhærentes, ſtatuta ipſius ſine refragatione, Deo protegente, ſervamus &c. In quâ rè, ne quid omitte-*

re, quod ad pacem Eccleſiæ pertinet, videremur, noſtris eundem Sanctiſſimum Joannem ſcriptis ſemel, iterùmque convenimus, ut, amoto ſuperbiæ vocabulo, cordis ſui electionem, ad humilitatem, quam Magiſter, & Dominus noſter docuit, inclinaret. Quem quoniam neglexiſſe comperimus, hæc eadem, & beatiſſimum fratrem, & Conſacerdotem noſtrum, Cyriacum ſucceſſorem ipſius concordiæ ſtudio non deſtitimus admonere &c. Hortor, atque ſuadeo, ut nullus veſtrum hoc nomen aliquandò recipiat, nullus conſentiat, nullus ſcribat, nullus ubi fuerit ſcriptum admittat, vel ſubſcriptionem ſuam adiiciat &c. quoniam & hoc in totius Eccleſiæ injuriam, ac diſciſſionem, & ſicut diximus, in omnium veſtrum deſpectum ſit: Nàm ſi unus, ut putat, univerſalis eſt, reſtat ut vos Epiſcopi non ſitis &c. (*a*).

(a) S. Gregor. lib. 7. epiſt. 70.

48. Adeò effervefcebat S. Gregorius in peſtifero illo titulo Oecumenici ſtirpitùs eradicando à corde, ac ſcriptis Præſulis Conſtantinopolitani, quià ipſum, & paci Sacerdotum, & dignitati Epiſcoporum, & Eccleſiarum omnium honori cognoſcebat eſſe injurioſum. Nec minùs Romanę Sedi, Apoſtoli Petri Sedi, illum reputabat infeſtum, quoniàm pręvidebat, quod poſt captivitatem cœteris Eccleſiis Chriſtiani orbis injectam, Romanę quoquè Sedi ſervile jugum parabatur imponi: non enim Conſtantinopolitanus Epiſcopus poterat Univerſalis Patriarcha, vel eſſe, vel dici, quin & Epiſcopum Romanum ſuę ambitioſitati ſubſterneret. Undè Hadrianus Papa I. ſcribens ad Conſtantinum VI. Orientis Imperatorem, de Tharaſio Conſtantinopolis Epiſcopo, qui ſe Patriarcham Oecumenicum appellabat, inter cœtera adjunxit: *Quià ſi univerſalis* (Patriarcha eſt Tharaſius) *etiam Eccleſiæ noſtrę Sedis primatum habere dignoſcitur, quod ridiculum omnibus fidelibus Chriſtianis apparet, quià in orbe terrarum ab ipſo Redemptore mundi, Beato Petro Apoſtolo principatus, ac poteſtas data eſt, & per eundem Apoſtolum, cujus vel immeriti vicem gerimus, Sancta Catholica, & Apoſtolica Eccleſia uſque hactenùs tenet principatum, & poteſtatis auctoritatem* (*b*). Ità per flagitioſæ vocis Oecumenici abuſum, nedùm omnes totius orbis Antiſtites ſub Conſtantinopolitani Epiſcopi potentiâ captivati, ab illo divinę inſtitutionis ordine ſubducebantur, qui uni Petro, ejuſque ſucceſſoribus, univerſos totius orbis voluit ſubeſſe Pręlatos; ſed etiam ipſi Succeſſores Petri, Romani Pontifices ſubſternebantur Conſtantinopolitano Antiſtiti, quem uſque tunc habuerant, divinâ ordinatione, ſubjectum.

(b) Hadrian. PP. I. epiſt. ad Conſtantin. eſt ap. Bail. in Conc. Nicæn. II.

49. Apoſtolus ergò quoque Petrus hìc ad cauſam vocabatur, cujus jura imminui, & præeminentia humiliari, & pontificalis amplitudo dignoſcebatur abſcindi: ideòque S. Gregorius Conſtantinam Auguſtam his interpellavit eloquiis: *Quâ in rè à prædicto fratre, & Conſacerdote meo*, Joanne, *contrà Evangelicam ſententiam, contrà beatum quoque Petrum Apoſtolum, & contrà omnes Eccleſias, contràque Canonum ſtatuta agitur &c. Undè per omnipotentem Dominum rogo, nè pietatis veſtræ tempora permittatis unius hominis elatione maculari, neque tàm perverſo vocabulo ullum quoquo modo præbeatis aſſenſum, atque hâc in cauſâ nequaquàm me pietas veſtra deſpiciat, quia & ſi peccata Gregorii tanta ſint, uti pati talia debeat; Petri tamen Apoſtoli nulla ſunt peccata, ut veſtris temporibus pati iſta mereatur* (*c*). Porrò jura Beati Petri ſartatecta ſervari voluit S. Gregorius, quę nè præſumptione novi tituli minuerentur, & rogavit, & obſtitit, & clamavit, paratus potius mori, quam eorum attenuationem quieto animo tolerare: ſcripſit enim Sabiniano ſuo Diacono: *Antè paratior ſum mori, quam Beati Petri Apoſtoli Eccleſiam meis diebus degenerare* (*d*).

(c) S. Gregor. lib. 4. epiſt. 34.

(d) S. Gregor. lib. 7. epiſt. 1.

50. Demùm ità inflammatus excandeſcebat Gregorius adversùs Joannem Jejunatorem, quià cenſebat uſurpationem tituli Oecumenici ſinceritati fidei officere, quatenùs ità in corpore Eccleſiæ, vel aliud Caput in Antiſtite Conſtantinopoleos erigebat, Romano Epiſcopo coequale; vel Romano Capite detrun-

cato,

cato, ſolum Conſtantinopolitanum ſuprà Eccleſiam totalitèr attollebat: & ſic adversùs integritatem fidei, ob convulſionem Eccleſię Capitis, peccabatur: ipſaque Eccleſia, vel quà una, vel quà Apoſtolica, impugnabatur. Hinc Gregorius eidem Sabiniano ſuggerere non expavit: *In iſto ſceleſto vocabulo conſentire, nihil eſt aliud, quam fidem perdere* (*a*). Et alibi, contumelias ab Auguſto acceptas, repulſans, ait: *Numquidnàm ſi ex ſuperbo, ac profano vocabulo mens non in modico eſt animus vulneratus, tantæ indiſcretionis eſſe potui, ut neſcirem, quid unitati fidei, quid concordiæ eccleſiaſticę deberem? &c. Aliud eſt, quod conſervandæ unitati fidei, atque aliud, quod debemus comprimendæ elationi* (*b*). Rebatur nempè, ſe unitatem fidei non diſcindere, Apocriſarios Cyriaci Conſtantinopolitani, qui ſe Oecumenicum Patriarcham jactitabat, reiiciendo, ſed solùm ſuperbi faſtus comprimere elationem: potiùs autem credebat à Cyriaco integritatem fidei vellicari, dùm ſuperbum titulum aucupando, vel Eccleſiam non eſſe unam, vel non eſſe Apoſtolicam inferebat. Nèc ſolus fuit Gregorius in computando intèr devios à fide illos, qui Oecumenici vocabulum adhibebant, ſed etiam Hadrianus Papa primus in eundem ſenſum ſuum animum inclinavit, dùm vocabulum ipſum in Tharaſio Conſtantinopolitano coarguens affirmavit, *ſi quiſpiam eum univerſalem nuncupàverit, vel aſſenſum præbuerit; ſciat ſe Catholicæ fidei alienum eſſe, & noſtrę Sanctę Catholicæ Eccleſiæ rebellem* (*c*).

(a) S. Gregor. lib. 4. epiſt. 39.

(b) S. Gregor. lib. 4. epiſt. 30.

(c) Hadrian. Pap. I. loc. citat.

CAPUT XI.

In quo continuatur Materia Capitis præcedentis, & reſpondetur Objectioni ſupèr Epiſcopi Univerſalis, *titulo propoſitæ: Huncque Romano Pontifici competere demonſtratur.*

SUMMARIUM.

1 *Per exceſſum locutus eſt D. Gregorius, quandò negavit ſibi deberi titulum Epiſcopi Univerſalis, alioquin Romano Pontifici debitum.*

2 *Sancti, & Magni viri aliquandò per exceſſum locuti ſunt, ſic D. Auguſtinus quoàd gratiam, & S. Joannes Chryſoſtomus quoàd libertatem arbitrii.*

3 *Alia etiam per exceſſum locutus eſt D. Gregorius in hâc causâ, ut quod vocabulum Oecumenici eſſe ait Antichriſti prænuntium.*

4 *Malè quidam Hæretici, & alii etiam ſe in D. Gregorio fundant, ut titulum Epiſcopi Univerſalis Papæ detrahant.*

5 *Non dicit D. Gregorius, ſibi titulum Oecumenici non deberi, ſed ſe nolle illo uti. In Concillo Chalcedonenſi fuit Papæ delatus.*

6 *In epiſtolâ ad Eulogium D. Gregorius oſtendit, ſibi dictum titulum deberi, ſed nolle ex humilitate illo uti.*

7 *Titulus Matris Chriſti B. Virgini debetur. Vox triplicis hypoſtaſeos, ſincera eſt, tamèn utrumque ſilendum aliquandò fuit.*

8 *Plures Patres, Duces, Imperatores innuuntur, qui titulos ſibi delatos, & ſibi competentes reſpuerunt.*

9 *S. Gregorius titulos Sacerdotis, Patris, & Domini, aliquandò à ſe rejecit. Seque Servum Servorum Dei primus intitulavit.*

10 Etiàm S. Petrus ſibi titulum Apoſtoli Univerſalis non aſſumpſit, quamquàm rè verâ Univerſalis eſſet Præſul Eccleſiæ.

11 Titulum Epiſcopi Univerſalis in eſſendo à ſè refellit S. Gregorius, non in cauſando. Primo modo nulli competit, ſecundo verò modo competit Papæ.

12 Ex aliis factis D. Gregorii apparet, ſibi debitum fuiſſe titulum Epiſcopi Univerſalis in cauſando.

13 Refutans dictum titulum S. Gregorius, loqui de ſè, non uti Summo Pontifice, ſed uti Patriarchâ, videtur.

14 Romanus Antiſtes quatuor in ſè figuras repreſentat, nempè Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, & Summi Pontificis.

15 Magnates aliquandò loquuntur de ſè uti de privatis perſonis. Aliqui ex tenui Statu ſublimes dignitates adepti ſunt.

16 Romano Antiſtiti non debetur titulus Univerſalis, uti Epiſcopo, vel uti Patriarchę, ſed uti Summo Pontifici.

17 Imperator Baſilius profeſſus eſt, laicos non poſſe cauſis eccleſiaſticis ſe immiſcere, tamèn aliqui alitèr faciunt.

18 Concilium Africanum non interdixit Papæ, ſed aliis Epiſcopis primariis, titulum Oecumenici.

19 Ad Concilia Orientis mittendi erant Epiſcopi idonei ex Occidente: ad illaque miſſi ſunt etiàm Clerici Romanæ Eccleſiæ.

20 Nullibi magis apparet, Papam eſſe Epiſcopum Univerſalem, quam ex D. Gregorio, agente talia, quæ alitèr agere non potuiſſet.

21 Ex ejus epiſtolis ad Imperatorem, & alios datis, liquet Papæ ſuperioritas omnibus Epiſcopis, & Eccleſiis.

22 Ex aliis ipſius epiſtolis patet, quod Eccleſiæ Romanæ omnes aliæ, etiam Conſtantinopolitana ſubjectę ſunt.

23 Ex minis illatis Joanni Jejunatori convincitur, Gregorium ſe Papam univerſalem reputaſſe.

24 Pelagius II. caſſando Concilium Jejunatoris, oſtendit ſè Papam Univerſalem, quod & alitèr oſtendit D. Gregorius.

25 S. Gregorius recenſens delatum ſuis Anteceſſoribus titulum Oecumenici in Concilio Chalcedonenſi, patefecit, illum ſibi deberi.

26 Plurima fecit S. Gregorius per totum orbem, quæ nonniſi ut Epiſcopus Univerſalis potuit exercere.

27 Alia ſimilia à D. Gregorio peracta referuntur, in multis provinciis, etiam in Patriarchatu Conſtantinopolitano, & Alexandrino.

28 Ex multis prærogativis, quibus pollet Papa, probatur, ei titulum Epiſcopi Univerſalis deberi.

29 Ex rationibus Scripturalibus, & Theologicis alibi indicatis evincitur, quod Papâ eſt Epiſcopus Univerſalis.

30 In donatione Conſtantini Papa dicitur Epiſcopus Univerſalis: Quamvis eam aliqui malè affecti in Sedem Romanam impugnent.

31 Eandem donationem, ſive contentum ejus, genuinam, & veracem eſſe variis motivis oſtenditur.

32 Plures Principes, & Imperatores referuntur, qui dant Romanis Pontificibus titulum Papæ Univerſalis.

33 Alii Imperatores innuuntur, qui eodem titulo Romanos Pontifices proſequuntur.

34 Varii Reges, & Duces memorantur, titulo Papæ Univerſalis ad Summos Pontifices ſuæ ætatis, ſcribentes.

35 Ex Conciliis, in Chalcedonenſi datus fuit S. Leoni Papæ I. titulus Patriarchę, Papæ, & Epiſcopi Univerſalis.

36 Concilium Epiroticum, Conſtantinopolitanum III. & aliud ſub Mennâ, Univerſalis titulo honorant Hormiſdam, Agathonem, & alios Papas.

Con-

37 Concilia Romanum, Pontigonenſe, & Conſtantinopolitanum IV. idipſum faciunt cum Martino, & Hadriano II. Papis.

38 Remenſe Concilium, Bituricenſe, Colonienſe, Florentinum, ac Tridentinum, eodem epitheto alios Pontifices proſequuntur.

39 Intèr Patres Tertullianus, Caſſiodorus, SS. Eucherius, Maximus, & Athanaſius, vocabulis Univerſali æqualibus, nominant Papas.

40 S. Avitus, Arnobius, Joannes Nicopolitanus, ſenſus, vocabulo Univerſali, reſpondentes, Hormiſdę Papæ inſcribunt.

41 S. Joannes Chryſoſtomus, Eulogius Alexandrinus, Joannes Ravennas, & alii, Univerſalis titulo Papę ſuffragantur.

42 S. Theodorus Studita, S. Petrus Damiani, Audentius Metenſis, Guillelmus S. Benigni Abbas, eàdem intitulatione Papas afficiunt.

43 SS. Anſelmus Cantuarienſis, Fulbertus Carnotenſis, & Bernardus Claravallenſis, ſub iiſdem terminis Pontifices alloquuntur.

44 S. Thomę de Aquino, Petri Cluniacenſis, Joannis Sarisberienſis verba referuntur, ad hanc rem facientia.

45 SS. Joannes de Capiſtrano, Antoninus Florentinus, Bernardinus Senenſis, Laurentius Juſtinianus, eundem honorem Papis deferunt.

46 Quoàd Scriptores Eccleſiaſticos, & Hiſtoricos, innuitur quid ſcribant Regino Prumienſis, Luitprandus Ticinenſis, & Hugo Etherianus.

47 Quid Alexander dè Ales, Durandus dè S. Porciano, Carolus Sigonius, Petrus de Marca, de hac rè ſentiant.

48 Reſpectu ad Papas, illi primorum temporum ſe univerſales intitularunt. An eorum epiſtolæ pro genuinis habendæ ſint?

49 Qualis ſit earum ſtylus. Quid SS. Hieronymus, & Auguſtinus ſentiant de eloquentiâ Sacræ Scripturæ.

50 Similitudo ſtyli, vel ſermonis diverſitas in Pontificum, & Patrum ſcriptis, an ea probent eſſe ſuppoſititia, vel legitima.

51 Argumenta negativa contrà dictas epiſtolas nil probant. Antipodes, ac quidam Canon Nicænus ignotus fuit D. Auguſtino.

52 Audax eſt nimium qui eaſdem epiſtolas ſpurias reputat. Etiam antè Octavum Sæculum notę fuerunt, & allegari ſolitæ.

53 Sufficit quod habeant vim canonum, & quod Patres, Concilia, canonum Collectores, Theologi &c. eis utantur.

54 S. Leo I. & Stephanus VI. Papæ, ſcribentes Imperatoribus, cum, ac de titulo Epiſcopi Univerſalis.

55 S. Leo IX. Nicolaus II. Innocentius III. eidem titulo teſtimonium dedere favore Præſulis Romanę Urbis.

56 Eugenius IV. & Clemens VI. idem faciunt. Quià Papa eſt Epiſcopus univerſalis, ideò poteſt beneficia etiam Clericis extraneis elargiri.

57 Papa non eſt Univerſalis honorariè, vel titulo charitatis, ſed quià eſt Eccleſiæ caput, & ſponſus, cum juriſdictione per totum orbem.

58 Charitas omnibus Epiſcopis, Clericis, & Laicis demandatur; nec tamèn ideò iſti omnes ſunt Epiſcopi Univerſales.

59 Cum Papa ſit Epiſcopus Univerſalis, etiam ejus Clerici ſunt Clerici Eccleſiæ Univerſalis, ut ubique capaces beneficiorum.

60 Non poteſt detrahi Papæ libertas conferendi beneficia extraneis, quin tollatur cunctis eorum Collatoribus, & Patronis.

Quo-

1. QUONIAM *qui priùs reſpondet quàm audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum*, ut ait Sapiens (*a*). Ideò nos, antequàm Objectionem de titulo Epiſcopi Univerſalis, Romano Pontifici debito, ſolveremus, audiendam neceſſariò cenſuimus contentionem, quæ intèr Summos Pontifices, & Conſtantinopolitanos Præſules fuit, propter hunc ipſum titulum, antiquis temporibus agitata. Illâ autèm jam per totum præcedens Capitulum plenè cognitâ; reſtat, ut nùnc tandem Argumento ſuperius facto in oppoſitum reſpondeamus (*b*). Dicimus ergò primò, quod D. Gregorius, negando ſibi deberi titulum, & rationem Epiſcopi Univerſalis, per exceſſum locutus eſt. Raptus nimirùm vehementiâ ſermonis, quâ Patriarcham Conſtantinopolitanum, uſurpantem ſibi titulum Oecumenici, reprehendebat; adeò hujuſmodi vocabulum inſectatus eſt, ut quodammodò ad exceſſum in loquendo proceſſerit, & ad Eulogium Alexandrinum ſcribendo, affirmaverit, illud nec ſibi, nec cuiquam eſſe tradendum: ità ut nùnc opus ſit apologiam exceſſui ejus verborum attexere, ne videatur contrà ſeipſum, & contrà ſuos in Pontificali apice ſucceſſores, improvidâ perorati one locutus. De hâc exceſſivâ in loquendo vehementiâ, quæ interdùm in Patrum ſcriptis occurrit, aliqua ſuperius notavimus (*c*), nùnc alia ſubjungamus, opportunè ad negotium ipſum facientia.

2. Eſt hìc humanæ conditionis effectus, ſive defectus, aliquandò talem in loquendo non ſervare menſuram, quæ cenſuræ ſit incapax, ut beatus dici poſſit, qui non exceſſerit in ſermone. Sed prudentibus, & cordatis viris id ſolet eſſe perſuaſum, *non ſemper verborum ſono hærendum eſſe, ſed Auctoris potiùs propoſitum; & mentem attendi debere, tùm maximè cum eſt illius, & in ſentiendo vis major, & in loquendo vehementior. Solent enim quorum ea indoles, & ſcribendi ratio eſt, ſi quem errorem oppugnare aggrediantur, in contrarium vitium, ſin minùs delabi, certè non nihil deflectere, ut purgari mox ipſi, & apologias ſibi texere neceſſe habeant. Nemo neſcit quam fuerit in ſcribendo vehemens Hieronymus, adeò uti illum in defendendâ veritate, ultrà veri, æquique limites prætervectum eſſe, multi nonnunquàm ſuſpicati ſint* (*d*). S. Auguſtinus viſus eſt aliquibus tantùm Divinæ gratiæ tribuiſſe, ut quodammodò libertati humani arbitrii præjudicium inflixerit. S. Joannes Chryſoſtomus è contrà tantum libertati humani arbitrii viſus eſt detuliſſe, ut quodammodò Divinæ gratiæ ſubſidia, in homine operante bona, irrita fecerit, & inania. Chriſtum fuiſſe impeccabilem ex vi unionis hypoſtaticæ, Theologi melioris notæ ſinè ambiguitate fatentur, & ità ſentiunt Magiſter Sententiarum (*e*), Divus Thomas (*f*), D. Bonaventura (*g*), Franciſcus Suarez (*h*), Gregorius Valentia (*i*), Joannes de Lugo (*l*), Vaſquez (*m*), Tirinus (*n*), Pennafiel (*o*), & alii. Contrarium tamèn tenent Scotus (*p*), Durandus (*q*), Marſilius (*r*), & paſſim ſchola Scotiſtarum, quibus cum obiicitur D. Hilarius, docens in oppoſitum, quod Chriſtus non potuit peccare, ſicuti non potuit non eſſe Chriſtus, & amiſiſſe, quod Chriſtus eſt (*s*); reſpondent, D. Hilarium per exceſſum eſſe locutum. Ità non dubitant Doctores affirmare, Sanctos Patres aliquando vehementiâ ſermonis abreptos, in verbis aliqualitèr exceſſiſſe.

3. Nec improprium, neque à veritate cenſeatur alienum, dicere D. Gregorium per exceſſum eſſe locutum; quippè ſicuti per exceſſum locutus eſt, cum appellavit vocabulum Oecumenici, Antichriſti prænuntium; ità & locutus eſt per exceſſum, cum ſibi aſſeruit Univerſalis titulum non deberi. Ad Conſtantinam enim Auguſtam ſcripſit de Joanne Jejunatore: *Sed in hac ejus ſuperbiâ quid aliud niſi propinqua jam Antichriſti eſſe tempora deſignatur* (*t*). Et ad Mauritium Auguſtum: *Ego autèm fidentèr dico, quià quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem vocat, vel uocari deſiderat, in elatione ſuâ Antichriſtum præcurrit &c.* (*u*). Per exceſſum autèm hìc locutum eſſe D. Gregorium jam de ſè patet, & ipſius rei probat eventus, cum jam mille, & centum anni, ex quo hæc dicta ſunt prætererierint, & tamèn Antichri-

ſtus

(a) *Proverbior. cap. 18. n. 13.*
(b) *Vid. cap. præcedent. n. 1. & 7.*
(c) *Vide ſuprà in hoc Tom. c. 4. n. 13.*
(d) *Thomaſſin. vet. et nov. Eccl. diſc. p. 3. l. 1. cap. 52. n. 13.*
(e) *Magiſt. ſentent. in 3. diſt. 12. § idea.*
(f) *S. Thom. p. 3. qu. 15. ar. 1. & q. 18. ar. 4. ad 3.*
(g) *S. Bonav. in 3. diſt. 12. art. 2. qu. 1.*
(h) *Suarez. diſp. 33. ſect. 2.*
(i) *Valent. diſp. 1. qu. 15. pu. 2.*
(l) *Card. de Lugo Incarn. diſp. 26. ſect. 1.*
(m) *Vaſquez. diſp. 61. à cap. 3.*
(n) *Tirinus controv. 4. de Chriſto n. 12.*
(o) *Leonard. Pennafiel de Incarn. diſp. 14. ſect. 4. n. 12.*
(p) *Joan. Scotus in 3. diſt. 12. qu. 1. & diſt. 2. qu. 2.*
(q) *Durandus in 3. diſt. 12. qu. 2.*
(r) *Marſilius in 3. diſt. 12.*
(s) *S. Hilar. Pictav. de Trinit. circà med.*
(t) *S. Greg. l. 4. ep. 34.*
(u) *S. Greg. l. 6. ep. 30.*

ſtus non venerit, nec citò etiam venturus eſſe credatur. Eodem ergò modo, & per exceſſum locutus eſt, cum aſſeruit, ſibi Univerſalis Epiſcopi titulum non deberi: quoniam & ex ejus doctrinâ, atque geſtis, & ex aliorum Pontificum, Patrum, Conciliorum, & Principum teſtimoniis, infrà referendis, contrarium omninò convincitur. Præterquàmquod in ipsâ epiſtolâ ad Eulogium dicit Gregorius, ſe non ei poſſe quid agendum ſit *jubere*, ſed ſolum quæ utilia ſunt *indicare* (*a*), quod quis non cognoſcat per exceſſum eſſe prolatum, cum alibi clarè dicat, cunctos Orbis Epiſcopos Romanæ Sedi eſſe ſubjectos (*b*). Et de ipſo Conſtantinopolitano Antiſtite dubitari non poſſe (*c*): quâ ſtante ſubjectione, citrà omne dubium eſt, S. Gregorium potuiſſe nedùm *indicationis*, ſed etiam *juſſionis* verbo uti cum Eulogio, licèt ex modeſtiæ quodam exceſſu, ſe juſſionis verbum dicat nullatenùs inſcripſiſſe. Similes alios exceſſus in eo paulò infrà notabimus num. 9.

(a) *S. Gregor. lib. 7. epiſt. 30.*
(b) *S. Gregor. lib. 7. epiſt. 65.*
(c) *S. Gregorius l. 7. epiſt. 64.*

4. Perperàm igitùr magnam ſibi fiduciam ex ſcriptis D. Gregorii comparari cenſuerunt, & Lutherus (*d*), & Calvinus (*e*), & Illyricus (*f*), & Molinæus (*g*), & alii etiam ab his diverſi, quoàd fidem, quos intèr Nicolaus de Cusâ (*h*), nudius tertiùs Contradictores, tenentes quod Romano Pontifici nec ratio, neque titulus Univerſalis Epiſcopi debeatur, eò quod D. Gregorius illum ſibi delatum conſtantiſſimè recuſaverit. Nàm quidquid ſit de pauculis verbis ſemel in fervore ſermonis cum Eulogio Alexandrino, è calamo D. Gregorii prolapſis, qui non hâc vice tantùm, ſed pluriès de hujuſmodi controverſiâ eſt locutus, & id nunquàm ampliùs eſt effatus; certè non fragmentum epiſtolæ, non vaga periodus, non fruſtulum ejus doctrinæ, eſt attendendum, ſed tota ſimul collectio verborum, quæ de hac causâ, & negotio in cunctis ejus operibus exaravit, & invenietur, illum in eo ſenſu fuiſſe, ut & ſibi, & Prędeceſſoribus, & Succeſſoribus ſuis, tùm res, tùm titulus Univerſalis Epiſcopi deberetur. *Hocque certè debemus*, inquit Thomaſſinus, *viris ejuſcemodi primariis, ut nonniſi ex operibus illorum omnibus, & collatis diligentèr intèr ſe eâdem de rè contextibus omnibus, eorum ſententiam exculpamus* (*i*).

(d) *Lutherus l. de poteſt. Pontif.*
(e) *Calvin. lib. 4. Inſtit. c. 7. §. 4.*
(f) *Illyric. lib. de hiſt. Concil. 6. Carthag.*
(g) *Carolus Molinæus ap. Baron. an. 587. n. 13*
(h) *Nicol. de Cusâ in concord. Catholic.*
(i) *Thomaſſin. loc. cit. p. 1. c. 52. n. 11.*

5. Reſpondetur *ſecundò* ad Argumentum, negando ſuppoſitum, nempè quod S. Gregorius affirmet, ſibi Epiſcopi Univerſalis titulum non deberi. Hoc enim nec in epiſtolâ ex adverſo productâ ad Eulogium Alexandrinum, nec alibi Gregorius aſſeruit: imò & in eâ, & alibi apertè dicit, hunc titulum in Concilio Chalcedonenſi Anteceſſoribus ſuis fuiſſe ultrò delatum, inquiens: *& quidem in ſanctâ Chalcedonenſi Synodo, atque poſt, à ſubſequentibus Patribus, hoc Deceſſoribus meis oblatum veſtra Sanctitas novit. Sed tamèn nullus eorum uti hoc unquàm vocabulo voluit &c.* (*l*). Et ad Mauritium Auguſtum: *Certè pro beati Petri Apoſtolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonenſem Synodum, Romano Pontifici oblatum eſt, ſed nullus eorum unquàm hoc ſingularitatis nomen aſſumpſit, nec uti conſenſit &c.* (*m*). Non dicit ergò Gregorius, titulum Univerſalis non eſſe ſibi debitum, ſed ſe nolle illo uti. Deberi autèm fatetur, primò quià proculdubiò non credidit, magnam Synodum Chalcedonenſem voluiſſe adeò notabili titulo *Oecumenici* Romanum Pontificem, longè indè abſentem, cui eundem cenſeret indebitum, vaporare. Secundò, quià & Gregorius alias vetuerat Eulogio Alexandrino, & Anaſtaſio Antiocheno, nè quemquam univerſalis Epiſcopi titulo nuncuparent; *State fortes*, inquiens, *ſtate ſecuri, ſcriptaque cum univerſalis nominis falſitate, nec dare unquàm, nec ſuſcipere præſumatis* (*n*). Et tamèn Eulogius, cum titulum illum cæteris Epiſcopis ademiſſet; ipſum Gregorio detulit, qui propterea non eundem ut indebitum reſpuit, ſed ſolum tamquàm nimium ampulloſum, & non ſibi gratum ejecit.

(l) *S. Gregorius l. 7. epiſt. 30.*
(m) *S. Gregorius l. 4. epiſt. 32.*
(n) *S. Gregorius l. 4. epiſt. 36.*

6. *Indicare*, ait, *veſtra Beatitudo ſtuduit, jam ſe quibuſdam non ſcribere ſuperba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur, dicens, juſſiſtis. Quod verbum juſſionis peto à meo auditu, removete, quià ſcio quis ſum, qui eſtis. Loco enim mihi fratres eſtis, moribus Patres. Non ego juſſi, ſed quæ utilia viſa ſunt, indicare curavi. Non tamèn invenio veſtram Beatitudinem hoc ipſum,*

quod

quod memoriæ veſtrę intuli, perfectè retinere voluiſſe. Nàm dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid ſcribere debere, & ecce in præfatione epiſtolæ, quam ad meipſum, qui prohibui, direxiſtis, ſuperbę appellationis verbum, univerſalem me Papam dicentes, imprimere curaſtis: quod peto, dulciſſima mihi Sanctitas veſtra ultrò non faciat: quià vobis ſubtrahitur, quod alteri pluſquàm ratio exigit præbetur (*a*). Debitam ergò Romano Pontifici rem, & titulum Epiſcopi Univerſalis ipſa epiſtolę Gregorii ſeries bicipiti ratione decantat: nec ipſe vocabulum illud eſſe ſibi debitum diffitetur, ſed ſolùm à ſè ipſo illum arcet, quià noverat, Anteceſſores ſuos nunquàm ampulloſâ illâ voce uti voluiſſe, tamquàm Chriſtianæ humilitati contrariâ, & pacis eccleſiaſticæ turbativâ. At aliud eſt titulum Univerſalis Epiſcopi Romano Pontifici non deberi, aliud eſt nolle eo uti, ſed illud magìs ex juſtâ causâ ſilere.

(a) *S. Gregorius l. 7. epiſt. 30.*

7. Debitus eſt proculdubiò Beatiſſimę Virgini Deiparę, titulus *Matris Chriſti*, & tamèn Epheſini Concilii Patres de voce Chriſtotocos, ſeu Mater Chriſti non ſibi complacuere (*b*), quià juſta ſuberat cauſa ſuſpicandi, nè dicendo Chriſtotocos, & non Theotocos, ſeu Mater Dei, faveretur hæreſi nefandiſſimi Neſtorii, qui eidem Beatiſſimæ Virgini, ſublimem titulum Deiparæ detrahebat (*c*). Paritèr trinæ *hypoſtaſeos* denominatio, Sanctiſſimæ Trinitati competit, quatenùs in eâ tres ſunt perſonalitates, inter sè impermixtìm diſtinctæ: attamèn quià alicubi hypoſtaſis ex D. Auguſtino ſumebatur promiſcuè cum vitâ, ſive ſubſtantiâ (*d*); Ideò D. Hieronymus ſilendum eſſe hypoſtaſis nomen indeſinentèr clamavit (*e*): tùm ne videretur faveri perfidis Arrianis, qui ternas in Trinitate commiuiſcebantur ſubſtantias: tùm ne pax Eccleſiæ diſcinderetur, cum propter nomen hypoſtalis, teſte Nazianzeno, *eo res adducta eſſet, ut periculum eſſet, ne orbis terrarum fines unà cum ſyllabis à sè invicem diſtraherentur, & abrumperentur* (*f*). Ità quandòque & dictis, & factis, juſtitia, & veritas coaſſiſtunt, ſed tamèn legitimis de cauſis præſtat, vel facta omittere, vel dicta ſilere, *omnia nàmque licent*, ajebat Apoſtolus, *ſed omnia expediunt* (*g*). Eâdem ergò ratione, licèt competeret Gregorio, ac omnibus Summis Pontificibus titulus Oecumenici, tamèn quià per ipſius tituli uſum, & pax Eccleſiarum turbari poterat, & eccleſiaſtica humilitas maculari; prudentèr cenſuit Gregorius, illum eſſe modeſtè reticendum, potiùs quàm improvidè jactitandum. Sed hinc quid ſibi, & Sedi Apoſtolicæ detraxit Gregorius, ne poſſet ipſe, nec poſſent ejus Succeſſores, quotiès, & quandò mallent, univerſalis Antiſtitis vocabulo nuncupari?

(b) *Vide Acta Conc. Epheſ. 1. & ibi Labbè, Binium, & Bail.*

(c) *Bellarm. de Pont. l. 2. c. 31. ad finem Annati Apparat. ad Theolog. l. 6. art. 8. in fin.*

(d) *S. Auguſt. de Trinit. lib. 7. c. 8. & 9.*

(e) *S. Hieron. epiſtol. 57. ad Damaſ.*

(f) *S. Greg. Nazianzenum orat. de Laud. Athanaſii ad fin.*

(g) *I. Corinthior. c. 6 n. 12. & c. 10. n. 22.*

8. Reſiſtebat S. Bernardo Petrus Cluniacenſis, vir venerabilis, & virtutibus plenus, illumque enixè rogabat, nè ſe *Reverendiſsimi*, atque *Patris* appellatione proſequeretur: *Reverendiſſimum me eſſe ignoro*, inquiebat, *Patrem quantùm ad tè me eſſe nego* (*h*). In eumdem ſenſum Guigon, Prior magnæ Carthuſiæ, ad illum ſic per literas eſt locutus: *Defixis in terram genibus obſecramus, ne vilitatem noſtram Patris nomine dignam ulteriùs eſtimetis. Satis, & ſuper ſatis eſt, ſi frater, ſi amicus, ſi filius appelletur, qui nec ſervi nomine dignus habetur* (*i*). Hæc ex Hiſtoriis. Paritèr ex Scripturis, Noemi uxor Elimelech, rediens de Moab in Bethlehem, orbata conjuge, & liberis, averſabatur nuncupari Noemi, dicens, *ne vocetis me Noemi, ſed vocate me Mara, quià amaritudine valdè replevit me Omnipotens* (*l*). D. Paulus in epiſtolâ ad Corinthios, ſe indignum Apoſtoli nomine profitetur dicens: *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus* (*m*). Iſta autem, vel ex mero humilitatis, vel reſpectivè, tribulati animi, motivo prolata, nunquid faciunt, quod ſic reſpuentes illos titulos, eiſdem reputarentur indigni? Nunquid non debebatur Paulo nomen *Apoſtoli*, & Noemi nomen *Noemi*? Nunquid à D. Bernardo non benè titulo *Reverendiſſimi Patris* vocabatur B. Petrus Cluniacenſis, qui eidem Bernardo *Sanctæ Paternitatis* titulo reſcribebat (*n*)? Nunquid Guigoni Carthuſiano *Patris* titulus à viro æquali non debebatur; dum *Paterna dilectio*, titulus eſſet inter ęquales Eccleſiaſticos uſitatus (*o*)? Certè prę-

(h) *Petrus Cluniac. l. 6 epiſt. 3.*

(i) *Guigon. Carthuſ. apud Toomaſſin. p. 1. l. 3. c. 18. n. 7.*

(l) *Ruth. cap. 1. n. 20.*

(m) *I. Corinthiorum cap. 15. n. 9.*

(n) *Petrus Cluniac. lib. 1. epiſt. 29.*

(o) *Steph. Tornacenſ. epiſt. 185.*

ſatis

Digitized by Google

ſatis hominibus memorati tituli non erant indebiti, tametſi eiſdem vocabulis abnuerent ipſi, vel in ſcriptis, vel oretenùs nuncupari? Quintus Junius poſt victos Garamantas noluit Garamanticus appellari, more Romanorum Ducum, qui à Provinciis ſubjugatis, ex earum nomine, ſibi titulos magnificos accipiebant (*a*). Alexander Severus Imperator titulum *Patris Patriæ* refutavit, quem paſſim Cæſares cum Auguſtali laureâ ſuſcipiebant (*b*). Octavianus Auguſtus titulum *Domini* uſque adeò reſpuit, ut nec ſeriò, neque jocò illum admiſerit, & ne Dominus appellatur edicto publico prohibuerit (*c*). Sed nunquid non omnes iſti potuerunt quotiès, & quandò eis placuiſſet, ipſimet titulis uti?

(a) *Alexand. ab Alexand. genial. l. 1. cap. 32*

(b) *Lamprid. in Alexand. Fulgoſ. l. 4. c. 1.*

(c) *Dio. & Sueton. in Octavian. Oroſius lib. 9 c. 22.*

9. Quid plura? Ipſe D. Gregorius, de quo loquimur, in epiſtolâ ad Mauritium Imperatorem, præ magnâ humilitate ſe Sacerdotem appellare detrectat, cum tamen eſſet, nedùm Sacerdos, ſed & Sacerdotum omnium Apex, & Caput: *ſed & ſi*, ait, *Sacerdos non ſum, ſcio gravem eſſe hanc injuriam Sacerdoti, ut veritati ſerviens fallax credatur* (*d*). Idem in hâc ipsâ epiſtolâ ad Eulogium Alexandrinum, ex qua Contradictores ſua jacula decerpſerunt, ſe illius eſſe filium prædicat hoc eloquio: *Scio quis ſum, qui eſtis. Loco enim mihi fratres eſtis, moribus Patres* (*e*). Rursùs ad Ruſticanam Patriciam, ſe illi Ancillam inſcribentem, reſpondit: *Unum ægrè ſuſcepi, quià in eiſdem epiſtolis ad mè, quod ſemel eſſe poterat, ſæpiùs dicebatur Ancilla veſtra; Ancilla veſtra &c. Et ideò rogo per omnipotentem Deum, ne hoc verbum aliquandò ad mè in ſcriptis veſtris inveniam* (*f*). Demùm ipſe D. Gregorius eoùſque *univerſalis vocabulum refutavit, ut primus omnium ſe in principio epiſtolarum ſuarum ſervus ſervorum Dei ſcribi ſatis humilitèr definiverit, cunctiſque ſuis ſucceſſoribus documentum ſuæ humilitatis hæreditarium reliquerit*: Sunt verba Joannis Diaconi (*g*). Nunquid autem proptèr hæc Divus Gregorius Sacerdos non fuit: Pater Eccleſiis non fuit: Rector, & Dominus ſervorum Dei non fuit? Abſit.

(d) *S. Greg. lib. 3. epiſtol. 31.*

(e) *S. Gregor. lib. 7. epiſt. 30.*

(f) *S. Gregor. lib. 9. epiſt. 38.*

(g) *Joan. Diac. Vit. S. Greg. l. 4. c. 58.*

10. Ex humilitate Gregorius hos titulos abjecit: ex veritate illos potuit adhibere (*h*). Et eodem pacto, ſi Univerſalis titulum abhoruit, ſi illo noluit appellari; non indè tamèn Eccleſiæ Antiſtes Univerſalis non fuit: ſed ſe ſolummodò prò tali prædicari contempſit: Exemplo Petri, à Gregorio in hac ipsâ cauſâ producto, quem Chriſtus caput ſuæ Eccleſiæ conſtituit, Principem Apoſtolorum fecit, ſuiſque fratribus preeſſe, & eos confirmare mandavit, qui *Claves Regni Cæleſtis accepit: poteſtas ei ligandi, ac ſolvendi tribuitur: cura ei totius Eccleſiæ, & principatus committitur; & tamen univerſalis Apoſtolus non vocatur* (*i*). Non quod Petrus talis non poſſet dici, ſed quià titulum illum eccleſiaſtica humilitas non ferebat. Ergò pariformitèr, & in eodem ſenſu, S. Gregorius non eſt paſſus ſe Univerſalem Epiſcopum appellari, non quià talis non eſſet, ſed quià ex eccleſiaſticâ humilitate, uti fumoſo hoc titulo renuebat (*l*). Quemdam enim in eo faſtum, aliqualem tumorem, ac neſcio quid ambitionis apprehendebat humillimus Pontifex, humilitatis cuſtos aſſiduus; ut appareat eum in refutato Univerſalis vocabulo, non tàm titulum impugnaſſe, quàm ampulloſitatem, & arrogantiam in eo (uti tunc ſibi perſuadebat apparentèr) poſitam, & velut anguem in herbâ, non ſine periculo, latitantem.

(h) *S. Joan. de Capiſtran. de Pap. & Concil. auctor. p. 3. fol. 121.*

(i) *S. Greg. lib. 4. ep. 32.*

(l) *Vid. Lud. Bail. to. 1. in Concil. Nicæn. 1. de titul. Patriarch. Univerſal.*

11. Reſpondetur *tertiò*, S. Gregorium in epiſtolâ ad Eulogium Alexandrinum loqui de Epiſcopo Univerſali *in eſſendo*, non verò in *cauſando*: & ideò benè ſibi indebitum aſſerit titulum Patriarchæ, ſive Epiſcopi Univerſalis, quià rè verâ nec ipſe erat, nec ullus Papa, vel alius Antiſtes fuit unquàm in Eccleſiâ Dei, vel unquàm erit Epiſcopus Univerſalis *in eſſendo* (*m*). Et quidèm in eo ſenſu S. Gregorius à ſè diſpellit vocabolum Oecumenici, in quo illud improbat in Patriarchâ Conſtantinopolitano: in eo autèm non improbat vocabolum univerſalis *in cauſando*, limitatè, ac reſpectu ad tractum, ſuo Patriarchatui ſubjectum, ſed *in eſſendo* illimitatè, ac reſpectu totius Orbis; ergò à ſeipſo titulum hunc non abiicit in cauſando, ſed in eſſendo (*n*). Major patet ex toto epiſtolarum D. Gregorii ad Eulogium Alexandrinum

(m) *Bellarm. de Roman. Pontif. l. 2. c. 31. ad fin.*

(n) *Bail. loc. cit. & in Apparat. ad ſum. Concil. 9. 88.*

drinum dicatu (*a*), in quo Pontifex titulum Univerſalis proſequendo in Patriarchâ Conſtantinopolitano, & ad ſe illum inflectendo, ait, ipſum neque ſibi, neque ulli alteri competere. Undè apparet illum talitèr in ſeipſo hujuſmodi titulum improbare, qualitèr eundem in Patriachâ Conſtantinopolitano perſtringit. Minor verò probatur, duplici modo: quià ſi Patriarchâ Conſtantinopolitanus uſus eſſet titulo Oecumenici in cauſando, reſpectu ſolius tractus, ſuo Patriarchatui de jure ſubjecti, non illum Gregorius impugnaſſet, ſed vel tolerando, vel approbando, vel contemnendo permiſiſſet, quemadmodùm ex parte antè *in Joanne Cappadoce* Patriarchâ Conſtantinopolitano illum toleraverat Hormiſda Papa, & *in Mennâ* ſucceſſores Agapiti. Ex parte poſt verò Eugenius Papa IV. in *Joſepho* eundem admiſit, vel toleravit, & Pius Papa II. in *Beſſarione*. Non ergò præfatum titulum impugnavit Gregorius in cauſando, ſed in eſſendo (*b*).

12. Secundò, probatur eadem minor, quià in tantùm Gregorius execratus eſt in Patriarchâ Conſtantinopolitano titulum Oecumenici, inquantùm inferebatur ex eo, ipſum Patriarcham eſſe unicum, & ſolum in toto Orbe Prælatum, cæteros verò Antiſtites, non niſi Epiſcopos nomine, rè verâ autèm Corepiſcopos, & veluti Vicarios Præſulis Conſtantinopolitani futuros (*c*). Nàm Conſtantinæ Auguſtæ de hoc ſcripſit: *Triſte valdè eſt, ut patientèr feratur, quatenùs deſpectis omnibus, prædictus frater, & Coepiſcopus meus ſolus conetur appellari Epiſcopus* (*d*). Et ad Joannem Jejunatorem: *qui enim indignum te eſſe fatebaris, ut Epiſcopus dici debuiſſes, ad hoc quandòque perductus es, ut deſpectis fratribus, Epiſcopus appetas ſolus vocari* (*e*). Et ad Eulogium Alexandrinum: *Si unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur* (*f*). Et ad Euſebium Theſſalonicenſem, ac alios: *ſi unus univerſalis eſt, reſtat ut vos Epiſcopi non ſitis* (*g*). Ergò D. Gregorius loquitur de Epiſcopo univerſali in eſſendo, non verò in cauſando: ergò impugnando in ſeipſo titulum Epiſcopi Univerſalis, eo modo, quo illum à Patriarchâ Conſtantinopolitano diſpungit, evidentiſſimè apparet, quod à ſe abjecit nomen Epiſcopi Univerſalis, non *in cauſando*, ſed *in eſſendo*. Audiatur D. Thomas ſic loquens, *Quod Papa univerſalem Pontificem ſe probibet nominari, non hoc ideò eſt, quod ipſe non habeat auctoritatem immediatam, & plenam in quâlibet Eccleſiâ, ſed quià non præficiatur cuilibet particulari Eccleſiæ, ut proprius, & ſpecialis illius Eccleſiæ Rector. Sic enim ceſſarent omnium aliorum Pontificum poteſtates* (*h*). Concedimus autèm, & imò aſſevarantèr affirmamus, Summum Pontificem non eſſe Epiſcopum univerſalem *in eſſendo*, & in hoc ſenſu dicimus cum Gregorio, titulum Oecumenici eſſe ſuperbum, profanum, ſacrilegum, Antichriſti prænuntium, & omnibus execrationibus reprobandum (*i*): ſed tamen eſt Epiſcopus univerſalis *in cauſando*, reſpectu totius Orbis, quià ut ipſe ait: *cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominicâ Sancto, & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt*: quod, & pluribus Scripturæ textibus ibi probat. Et in privilegio favore Monaſterii S. Medardi edito dicit: *Sedes Romana ſpeculationem ſuam toti Orbi indicit* (*l*), præter alia, quæ ex illo innuimus Capitulo præcedenti, & in præſenti identidem allegamus.

13. Reſpondetur *quartò*, quod quatenùs etiàm S. Gregorius affirmaſſet, vocabulum Oecumenici, nedùm ſe nolle recipere, ſed imò illud, nec ſibi competere; adhùc verbum Oecumenici, ſivè Univerſalis, à S. Gregorio refutatum, eſſe accipiendum proùt in ſubjectâ materiâ, ideſt in eo ſenſu, & in eâ ſignificatione, in quâ tunc quæſtio de illo agitabatur. Quæſtio autem agitabatur, an Patriarchæ Conſtantinopolitano, aut alteri ex Orbis Patriarchis, competeret titulus Oecumenici (*m*), & de hac ipsâ quæſtione agebat D. Gregorius cum Eulogio Alexandriæ, & cum Anaſtaſio Antiochiæ Patriarchis, quos commonebat, ne quemquam Patriarcharum Oecumenici titulo nominarent, quià, inqniebat, *Si unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur* (*n*). Prò Patriarchis autèm intelligit primarios primarum Orbis ſedium Antiſtites, Patriarchali titulo

jam

(a) *S. Gregor. lib. 4. ep. 36. & l. 7. epiſt. 30.*

(b) *Petrus Annati Method ad Sac. Theolog. l. 6. art. 8.*

(c) *Vid. Bellarm. de Pontif. l. 2. c. 31 in fin.*

(d) *S. Gregor. lib. 4. epiſt. 34.*

(e) *S. Gregor. lib. 4. epiſt. 34.*

(f) *S. Gregor. lib. 4. epiſt. 36.*

(g) *S. Gregor. lib. 7. epiſt. 69.*

(h) *S. Thom. in tract. contr. impugnant. Religion.*

(i) *Card. Baron. ann. 587 n. 24 & 595 n. 33 Petr. Annati loc. cit.*

(l) *S. Gregor. lib. 12. epiſt. 32.*

(m) *Vid. Card. Baron ann 583. n. 13. & 595. 33 & 50.*

(n) *S. Gregorius lib. 4. cap. 36.*

jam communitèr inſignitos, quos in epiſtolâ ad Natalem Epiſcopum Salonitanum, aſſerit eſſe quatuor, dicens, *Quod ſi quilibet ex quatuor Patriarchis feciſſet, ſinè graviſſimo ſcandalo tanta contumacia tranſire nullo modo potuiſſet (a)*. Ergò difficultas in hoc ſiſtebat, an daretur in Orbe aliquis Epiſcopus, qui tamquàm Patriarcha præeſſet, tùm cæteris Epiſcopis, tùm cæteris Patriarchis, & ideò Patriarcha Univerſalis eſſet dicendus. Ad quod reſpondet S. Gregorius negativè, dicens hunc titulum, nedum non Epiſcopo Conſtantinopolitano, neque alterius primariæ Sedis Præſuli, nulli demum ex Patriarchis Orientalibus, convenire; ſed neque ſibi ipſi competere, tamquàm Patriarchæ Occidentis.

14. Notum eſt etenim quibuslibet eruditis, Romanum Pontificem quatuor in ſe uno perſonas repreſentare, nempè ſimplicis Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, & Papę (b). *Reſpondeo*, inquit Bellarminus adversùs Nilum, *Romanum Pontificem ſimul Epiſcopum, Archiepiſcopum, Patriarcham, & Papam eſſe (c)*: Eo modo, quo Imperator eſt ſimùl Capitaneus, Mareſciallus, Dux Generalis, & Imperator exercitus. *Simplex Epiſcopus* eſt Papa reſpectu Urbis Romæ (d). *Archiepiſcopus*, reſpectu illius diſtrictus, qui ad centum circitèr milliaria circà Romam extenditur, & reſpectu ad territoria illorum Epiſcopatuum, qui ſunt immediatè Apoſtolicæ Sedi ſubjecti (e). *Patriarcha* reſpectu Provinciarum Occidentalium, nempè Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitanię, Angliæ, Germaniæ, Poloniæ, Hungariæ Scotię, Hiberniæ, Siciliæ, Svecię, Daniæ, Illyrici, Africę, Bulgariæ (f). *Summus Pontifex* tandèm, reſpectu totius Orbis. In quo conceptu eſt & vocatur Caput Viſibile Eccleſię Dei, Vicarius Chriſti (g), Epiſcopus Univerſalis Eccleſiæ (h), Præſul totius Orbis (i), Epiſcopus Epiſcoporum (l), & Prælatus omnium Patriarcharum (m). Porrò reduplicativè uti Patriarcha Occidentis, Romanus Pontifex non poteſt Patriarcha Oecumenicus appellari (n), quià in hoc conceptu, certos, ac limitatos fines habet, ſuo Patriarchatui præfinitos (o), quos Patriarchali jure non ei eſt licitum tranſilire, nec *ullam ſuper Orientales Eccleſias juriſdictionem exercere (p)*. Et ideò D. Gregorius de Patriarchâ, & cum Patriarchis, de ſubjectâ materiâ Patriarchatus univerſalis diſſerendo, benè, & optimè aſſeruit, ſibi talem titulum non deberi, quià ipſe in conceptu formali Patriarchæ, quà Patriarcha, non erat cæteris Patriarchis ſuperior, ſed coæqualis. Non tamèn indè conſequitur, quod ſibi uti Summo Pontifici, Orbis Hierarchæ, Chriſti Vicario, & Petri ſucceſſori, titulus Antiſtitis univerſalis non debeatur, quem uti Patriarcha generosè paritèr, ac juſtiſſimè refutavit (q).

15. Rem declaremus exemplo. Juſtinus I. Romanorum Imperator (r), & Sixtus Papa V. (s), ex humili conditione Armentariorum ad Imperii, & reſpectivè ad Summi Pontificatus apicem pervenere. Si hi nùnc viverent, & virum aliquem gregarium, de nobilitate præſumentem, vel ſanare, vel compeſcere aggredientes, ejus ſuperbiam redarguerent, & uſque adeò in ſermone procederent, ut illi titulum nobilis non eſſe debitum affirmarent, quem nec ſibi ipſis deberi dicerent; Iſtinè Imperator, & Pontifex, ſibi ipſis titulum *nobilis* denegando, loquerentur nè vagè, an in ſubjectâ materiâ? Effarenturnè uti ſupremi Principes, an tamquàm Viri privati, pauperes, & de pauperibus nati? Certè loquerentur in ſubjectâ materiâ, & uti privati viri, qui ab initio, *Nati in paupere domo, & in tugurio ruſticano, vix milio, & cibario panc rugientem ventrem* ſibi *poterant ſaturare (t)*. Nàm uti ſupremi Principes, Pontifex, & Imperator, nedùm nobiles, ſed nobiliores, & nobiliſſimi erant, & alios poterant nobilitate donare, illuſtres facere, ac dignitatibus maximis decorare. Sicque titulum *nobilis*, quem tamquàm privati viri abiicerent, quà Summi Principes in ſe inſeparabilitèr retinerent. Exemplo præfato conſonat elocutio D. Gregorii, dùm prohibet Ruſticanæ Patriciæ, ne ſe Ancillam illius inſcribat, quià ejus fuerat familiaris, ſeù intimus, aut aliâ ratione domeſticus, *quâ ratione*, inquit, *ſe illa mihi ancillam dicit, cujus antè ſuſceptum Epiſcopatum proprius fui (u)*? Sibi nempè uti privato gratus non erat titulus ancil-

(a) S.Gregor. lib. 2. ind.10.ep.37.

(b) Card. de Luca Relat.cur Rom diſc.1. n.7.& diſc.2.n.2. & alibi.

(c) Bellarmin.de Roman.Pontif.l.2 c.1 § in med.

(d) Barboſ.jur.Eccl. Univ.l.1.c.2.n 11.

(e) De Luca loc. cit. diſc.2 n 5.

(f) Vid Expoſitores can. 6 Concil.Nicæn. 1 Thomaſſin. Vet. & Nov Eccl diſcipl.p.1. l.1.c 8.

(g) Cap. inter corporalia c quanto c. licet de transl. de Luca de benef.diſc.21.n.6. diſc. 45.n.13. Miſcel.diſc.3. num 1.

(h) S Thom opuſc.19 de error. Græc Cajet. de primat Rom.Eccl. c 1 3 5. Turrecr. in c. in novo num 4.diſt.21. Boetius Epo de jur. Jac.l.1 c.4 n.281.

(i) Gloſ.V privata in c.felicis § fin de pœnis in 6. de Luca loc. cit. Barboſ. de off. Epiſc. p.3.alleg.80.

(l) Cap.Novatianus 7 qu.1.cap.loquitur 24 qu. 1. Tertull de pudic c 1 Barboſ jur.Eccleſ.l 1.c.2 n.14.

(m) Bellarm. tom.1. contr.1 l.2 c.31 Zecch de Rom.Pont.hæreſ 1 ad 17. Barboſ. de off. Ep ſc.p.1 tit.3 c 1.n.2

(n) Thomaſſin loc cit c.11.n 11 & in eum.

(o) Concil.Nicæn.1. cap 6.

(p) Angel.Retric.de Appell.Teſtim Concil. Gener. 8 ſ.quid ſ 45.

(q) Petrus Annati. Method. ad ſac. Theol. l.6. art. 8. Thomaſſin. loc.cit.

(r) Card.Baron.ann. 518.n.1.& 2.

(s) Vid.Vitam S. Sixti V.

(t) S. Hieron. ep.2. ad Nepotian.

(u) S. Gregor. lib 9. ep.38.

ancillæ, quo ſibi uti Pontifici, ſcribendum eſſe proculdubiò intellexit. Conſimili ergò ratiocinio regulando factum ipſius Gregorii in negotio, de quo agimus, dicendum eſt, quod ipſe, de Patriarchâ, & cum Patriarchis, atque in ſubjectâ materiâ Patriarchatus univerſalis pertractans,& ſe negans Patriarcham Univerſalem eſſe appellandum; certè non de ſè locutus eſt, niſi uti de uno ex quinque Orbis Patriarchis; non verò de ſè tamquàm de Summo Eccleſiæ Capite, & totius Ovilis Chriſti Generali Prælato; in hoc enim conceptu nedùm cunctis Chriſtifidelibus, ſed etiam cunctis Epiſcopis, Archiepiſcopis, atque Patriarchis ſe præſidere ſcivit, ac ſibi titulum Antiſtitis univerſalis *in cauſando* deberi omninò cognovit. Nàm *Romanus Pontifex non ſolum ergà alios Epiſcopos, & Archiepiſcopos, ſed etiam ergà Patriarchas ſuam juriſdictionem, & auctoritatem ſepè exercuit, adeò ut Nicolaus I. epiſtolâ ad Michaelem Imperatorem, octo Patriarchas Conſtantinopolitanos à Romanis Pontificibus depoſitos enumeret* (a). Damaſus Flavianum Antiochenum depoſuit,& ad dicendam cauſam Romam venire coegit (b). Alii Papæ ſuper aliis Patriarchis ſuam juriſdictionem exercuerunt, & de Conſtantinopolitanis, earumque Eccleſia,quis dubitet,inquit idem S. Gregorius, quod Romanæ Sedi ſit ſubdita (c), ſive Summo Pontifici, non quà Patriarchæ Occidentis, ſed quà Papæ, Chriſtique Vicario, ac totius Eccleſiæ ſupremo Præſuli, atque Antiſtiti generali.

(a) *Gonet Clyp. Theol. tom. 4. diſp. 4. de Pontif. art. 3. n. 85.*
(b) *Theodoret. hiſtor. lib 5. cap. 2.*
(c) *S. Gregor. lib. 7. epiſt. 31.*

16. Et attendatur, quod ex totâ ſerie diſcurſus innoteſcit, potuiſſe Gregorium, & debuiſſe dici Pontificem Univerſalem, & Papam, non verò Epiſcopum, nec Patriarcham univerſalem, de toto rigore loquendo, licèt paſſim, & ex modo loquendi, utrumque indiſtinctè dicatur; ſicque patet, ab ipſo Gregorio refutatum fuiſſe titulum univerſalis, quà Patriarcha Occidentis, vel quà Epiſcopus Romanę Urbis erat, non verò quà Summus Pontifex, & Supremus totius Eccleſię Chriſtianæ Hierarcha, Vicarius Chriſti, & Petri Succeſſor. Nèc obeſt, quod Gregorius in dictâ epiſtolâ ad Eulogium Alexandrinum videatur de ſè, uti Papâ loqui, dicens: *Ecce in præfatione epiſtolæ, quam ad meipſum, qui prohibui, direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum, univerſalem mè Papam dicentes, imprimere curaſtis. Quod peto, dulciſſima mihi Sanctitas veſtra ultrà non faciat, quià vobis ſubtrahitur, quod alteri pluſquam ratio exigit præbetur* (d). Nàm ibi per verbum *Papa* non ſignificatur Supremi Pontificatus dignitas, ſed Epiſcopatus officium, quatenùs eo tempore vox Papę erat cunctis Epiſcopis communis (e). Ità etenim D. Hieronymus Auguſtino ſcribit, *Domino verè Sancto, & Beatiſſimo Papæ Auguſtino* (f). Fortunatus Pictavienſis, ſcribit Euphronio Turonenſi, *Domino Sancto, & meritis Apoſtolico domino Euphronio Papæ* (g). Avitus Viennenſis Epiſcopo Hieroſolymitano, titulum Papæ defert (h). Clodoveus Rex Gallorum hoc ipſo nomine cunctos Epiſcopos interpellat: *Orate pro mè Domini Sancti, & Apoſtolicâ Sede digniſſimi Papæ* (i). In Africâ paſſim cunctis Epiſcopis Papæ nomen legitur attributum (l), ac præſertim Epiſcopo Carthaginenſi, quem Concilium VI. Carthaginæ habitum expreſsè Papam appellat (m). Imò in Concilio Chalcedonenſi titulus hic, *Papæ*, ipſi Eutycheti Archimandritæ defertur (n), quod vocabulum cum jam audactèr etiam à Schiſmaticis uſurparetur, Gregorius Papa VII. anno 1073. in Concilio Romano, decrevit, ut nulli inpoſterùm, niſi Romano Pontifici deferretur (o).

(d) *S. Gregor. lib. 7. epiſt. 30.*
(e) *Baron. ann. 165. num. 20. & in not. ad Martyrolog Rom. die 10 Januar. Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſci. p 1. l. 1. c. 4 n 2. Quid ſupr c. 10 n 30.*
(f) *S. Hieron. inter ep. S. Aug. ep 11. 13. 14. 17 18. 30. &c.*
(g) *Fortunat lib. 3. proem.*
(h) *Avit Vien. ep. 23*
(i) *Duchesne hiſt. Franc to. 1 f 868.*
(l) *Thom ſſin loc. cit. par. 1. l 1. c 50 n 14.*
(m) *Concil. Carthag. 6 in princ de Aurelio loquens.*
(n) *Concil Chalced. Act. 1. & 21.*
(o) *Concil. Rom. an. 1073. Card. Baron. loc. citat. Vid. hic capit. praeced § 10.*

17. Reſpondetur *quintò*, non ex eo, quod Divus Gregorius dixit, ſibi non deberi vocabulum Oecumenici, ob juſtas cauſas, tunc animum ſuum moventes, ſtatim inferendum eſſe, illud nunquàm, & nulli ex Succeſſoribus ſuis ampliùs eſſe debitum, quod ſuaderi poteſt hâc inductione. Baſilius Romanorum Imperator in Synodo Generali VIII. ſic eſt effatus: *De vobis autèm laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui abſolutè verſamini, quid ampliùs dicam non habeo, quàm quod nullo modo vobis licet de eccleſiaſticis cauſis litem movere, neque penitùs reſiſtere integritati Eccleſiæ, & univerſali Synodo adverſari. Hæc enim inveſtigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti*

ſunt

ſunt, qui ſanctificandi, qui ſolvendi, & ligandi poteſtatem habent, qui eccleſiaſticas adepti ſunt Claves, non noſtrum qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamento ſolvi egemus(a). Profitetur Baſilius, nec ad Imperatores, nequè ad alios laicos pertinere in cauſis eccleſiaſticis ſe immiſcere, ſed eos rebus definitis in Conciliis debere acquiſcere; Et tamèn proptèr hæc ſemel à Cęſare dictâ, non concederent Contradictores, nullum neque laicum, neque Principem poſſe nunc aliquą his ſimilia pertractare; cum ſæpè Reges, & Magnates, atque Imperatores viderimus rebus hujuſmodi ſe inſinuare, ipſique Contradictores non vereantur ſuum Principem inflammare, ut definitionibus Eccleſię in his, quæ ſpectant ad beneficiorum diſtributionem, reſiſtat, ac libertatem Eccleſiæ, quoàd hoc, ſemel, & pluriès in Conciliis, & ſacris Canonibus conſtitutam, alteret, atque immutet. Eorum ergò exemplo, & nos dicimus, quod non ex eo, quod aliquandò D. Gregorius in circumſtantiis ſuorum temporum, ſibi dixerit titulum Oecumenici non deberi; titulus ipſe Romano Pontifici non debetur: adeoque res, per illum titulum ſignificatas, Papa ſemper, & quandocumque optimè poterit pertractare.

18. Reſpondetur *ſextò* brevitèr ad alia, quæ in argumento exadverſo propoſito denotantur (*b*). Et quoàd id, quod Eccleſia Romana non ſit Eccleſia Univerſalis, ſat ſuprà reſponſum eſt ex doctrinâ Innocentii Papæ III. (*c*). Quoàd aliud, quod ex Concilio Africano Romanus Pontifex non ſit Univerſalis Epiſcopus appellandus; dicimus, quod olim omnes Epiſcopi *Summi Sacerdotes* communitèr vocabantur (*d*), ut D. Ambroſius (*e*), & Auguſtinus (*f*) intèr Patres oſtendunt; Zoſimus (*g*), & Gelaſius (*h*), inter Pontifices: Et Synodus Aurelianenſis (*i*), ac Toletana (*l*), intèr Concilia patefaciunt. Sed Epiſcopi præcipuarum orbis Eccleſiarum, qui cœteris Epiſcopis, ſive Metropolitico, ſive alio juræ præſidebant, *Principes Sacerdotum* incœperant appellari (*m*): vel ut dicit S. Joannes de Capiſtrano; *Multi Epiſcopi honoris causâ ſcribentes Primatibus, univerſales vocabant, ſentientes, ut reor, dè univerſis membris ſibi commiſſis* (*u*): qui titulus cum nimium faſtum redoleret, ab eccleſiaſticâ humilitate remotum, & aliquandò in pravum ſenſum detortus, cœteris Epiſcopis poſſet eſſe funeſtus; Concilium Africanum decrevit, *Primæ Sedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed primæ Sedis Epiſcopus* (*o*). At hìc literalitèr apparet, Concilium non de Summo Romanæ Eccleſię Pontifice locutum eſſe, ſed de aliis primarum Sedium Epiſcopis, quod patet etiam ex Gloſ. ad hunc Canonem appoſitâ in Decreto Gratiani, ubi verba *Primę Sedis* ſic explicantur: *Primæ, ideſt Patriarchalis* (*p*): & verba illa, quæ in Codice ipſius Gratiani ſuperadduntur: *Univerſalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur* (*q*), non ſunt verba Concilii, ſed Gratiani, qui legem Romano Pontifici ſancire proculdubiò non potuit (*r*). Et quatenùs etiam eſſent verba Concilii Africani; dicimus hoc Concilium uti Provinciale, ſeù etiam Nationale, non potuiſſe arctare jura Romani Pontificis, nè appellaretur Epiſcopus Univerſalis ſi vellet (*s*), maximè cum & antecedentes, & ſubſequentes Pontifices eodem titulo uſi ſint, præſertim Sixtus I. (*t*), Victor I. (*u*), Stephanus I. (*x*), Pontianus (*y*), Leo I. (*z*), & alii.

19. Ad alias duas, ineptias potiùs, quàm laudabiles conſequentias (nempè, quod ſi Clerici Romanæ Eccleſiæ fuiſſent olim habiti pro Clericis Eccleſiæ univerſalis, pertinuiſſet ad eos, non verò ad Epiſcopos, mitti ad Concilia Generalia Orientis, nomine Eccleſiæ Occidentalis, & quod malè Leo PP. III. depoſuiſſet Anaſtaſium Cardinalem S. Marcelli, Aquilejæ commorantem, quià hic, ubilibet morando, ſerviſſet Eccleſiæ univerſali) vix opus eſſet reſpondere, cum ſint nimium inſulſæ. Attamèn ex abundanti, dicimus quoàd primam partem, ad Concilia Generalia, in Oriente habita, ſi opus fuiſſet mittere Legatos nomine Eccleſiæ Occidentalis, quod negamus; nec hujus, nec illius determinatæ Eccleſiæ Clericos, aut Epiſcopos mittendos fuiſſe, ſed illos, qui doctrinâ, forti-

tudi-

(a) *Baſilius Imper. in Conc. Conſtantinopol. IV. General 8.*

(b) *Vid. Objectionem ſupr. cap. præced. n. 1. & 2.*

(c) *Vid. hic ſupr. cap. præced. n 4.*

(d) *Vid ſupr. in hoc tom. c. 9 n. 2.*

(e) *S. Ambroſ. epiſt. ad Felicem Comenſem.*

(f) *S. Auguſt lib queſtionum ex utraq. mixt qu. 10.*

(g) *Zoſim. epiſt. ad Heſic. Salonit.*

(h) *Gelaſ. epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ.*

(i) *Concil. Aurelian. c. 3.*

(l) *Concil. Tolet. VI. in exord.*

(m) *Baron. ann. 397. num. 49.*

(n) *S. Jo. de Capiſtr. de Papa & Concil. auctor. p. 1 f. 121*

(o) *Concil. Afric. c. 6. cap primę 3 diſt. 99.*

(p) *Gloſ. in cap primæ 3. verb. primę diſt. 99.*

(q) *Vid. Decret. Gratian poſt cap primæ 3. diſt. 99.*

(r) *Bellarmin. de Roman. Pontif. l 2. c. 31. Andr. Duallius p. 2. qu 7.*

(s) *Baron an. 595. n. 48. Duvall. loc. cit. Bail tom. 1. Appar qu 5 & in Concil Nicęn. II. de tit. Univerſ. Patriarch.*

(t) *Sixtus PP. I. ep. 2.*

(u) *Victor. PP. I. epiſtol. 1.*

(x) *Stephan. I. ep. 2.*

(y) *Pontianus ep. 2.*

(z) *S. Leo I ep 54. 6 2. & 61.*

tudine, & loquendi peritiâ tanto muneri magis idonei cenſebantur. Sed quià ſufficiebat mittere Legatos nomine Sedis Apoſtolicę, ideò de facto Pontifices miſerunt, tùm Clericos, ſeù Diaconos, & Presbyteros Romanę Eccleſię, tùm aliarum Eccleſiarum Epiſcopos, à sè delectos, proùt ipſis magis expedire viſum eſt, qui legatione Apoſtolicâ fungerentur, ùti legentibus acta ſingulorum octò Generalium Conciliorum, quæ in Oriente habita ſunt, innoteſcit. Imò ad hoc habito reſpectu, *Romanæ Eccleſiæ Primatus ex eo apertè colligitur; quod ſemper in Conciliis, in quibus Romanus Pontifex non interfuit, datus eſt primus locus Legatis ejus*, inquit Gonet, enumerans ſigillatim eos, qui hoc præclaro munere functi ſunt (*a*). Quoàd ſecundam verò partem, dicimus, Anaſtaſium Cardinalem, per quinquennium à ſuo titulo abſentem (*b*), & Aquilejæ, ſivè alibi latitantem, non potuiſſe dici Eccleſiæ univerſali deſervire, dùm contrà mandatum Summi Pontificis, hùc illùc diſcurrendo, vagabatur, bis ad Synodum, ejus causâ convocatam, accedere recuſabat, & ſchiſma in Eccleſiâ conflare ſatagebat. Ideòque ritè, ac juſtiſſimè fuit in Concilio Romano à Pontifice cum ſexagintâ Epiſcopis anathemate percuſſus, & à ſuo honore depoſitus, ſubſcribentibus ſententiæ nedum Pontifice, ſed etiàm Lothario Imperatore, ac quatuor Cęſaris Legatis, aliiſque Epiſcopis, ac Presbyteris, & Diaconalis ordinis Cardinalibus (*c*).

(a) *Gonet Clyp. Theol. Thomiſt. tom. 4 de Sum. Pontif. diſp. 4. art. 3 §. 1. num. 86.*

(b) *Cap. ex parte de Cleric. non reſid.*

(c) *Card. Baron. ann. 853 n. 32. 855. à n. 38. ad 46. & ann. 867. n. 147.*

20. Sex reſponſiones dedimus argumento, adverſùs univerſalitatem Pontificatus Romani Præſulis allegato; inter quas, quinque ſunt evacuantes obſiſtentiam, quâ videtur D. Gregorius huic vocabulo reſtitiſſe. Eligat benignus Lector quam maluerit ex eiſdem, & ex illâ, vel ex cunctis ſimul ſumptis, ſuam mentem adæquet, ut fateatur, D. Gregorium in Oecumenici titulo refellendo, nec ſibi, nec Succeſſoribus ſuis ullum præjudicium, vel minimum intuliſſe. Nos enim pergimus demonſtrare, nullibi magis probari, Romanum Antiſtitem eſſe Epiſcopum, ſeù Pontificem Univerſalem, quàm ex ſcriptis, & factis ejuſdem D. Gregorii. Nàm quantùm ad ſcripta, prætèr ea, quæ hùcuſque allegavimus, nùnc adjungimus, & reſpectivè repetimus hæc, quæ ſequuntur. In epiſtolâ ad Joannem Epiſcopum Panormitanum ità loquitur: *Illud admonemus, ut Apoſtolicæ Sedis reverentia nullius præſumptione turbetur. Tunc enim ſtatus membrorum integer manet, ſi Caput fidei nulla pulſet injuria &c.* (*d*). In epiſtolâ ad Felicem Epiſcopum Meſſanenſem, hæc habet: *oportet, ut enixiùs in cunctis ſtudioſum vos circà fratres, atque ſubjectos oſtendatis, ut omnes, cum quibus aliti eſtis, atquè didiciſtis Sanctę Romanæ Eccleſiæ præceptionibus parere, Apoſtolicæ Sedis præcepta multiplicare, apertiſſimèque nota facere cognoſcant* (*e*). In privilegio favore Monaſterii S. Medardi edito ità decernit: *quem Caput Monaſteriorum totius Galliæ conſtituimus, nulliuſque ditioni patimur ſubeſſe, ſed velut hęc Sedes Romana ſpeculationem ſuam toti orbi indicit, & novas conſuetudines omnibus mittit, & omnium perſonarum ſervitio caret; ità præfatus locus, remotâ omni conſuetudine peſſimâ, Regum, Antiſtitum, Judicum, exemplum divinæ religionis, & honeſtatis cæteris exhibeat Monaſteriis, & ſuper eâ plenâ gaudeat libertate &c.* (*f*).

(d) *S. Gregor. l. 11. ep. 44.*

(e) *S. Gregor. l. 12. ep. 32 circ. fin.*

(f) *S. Gregor. l. 3. poſt epiſt. 38.*

21. Paritèr in epiſtolâ ad Mauritium Imperatorem, poſt objurgatum Joannem Jejunatorem, ob uſurpatum titulum Oecumenici, hæc exponit: *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominicâ Sancto, & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippè dicitur Petre amas me? paſce oves meas. Ipſi dicitur &c. Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquandò converſus confirma fratres tuos. Ipſi dicitur, tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ędificabo Eccleſiam meam &c. & tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis* (*g*). Et in epiſtolâ ad Eulogium Alexandrinum, ait; *quis enim neſciat Sanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam &c. Cui veritatis voce dicitur. Tibi dabo Claves Regni Cælorum: Cui rursùs dicitur, & tu aliquandò converſus confirma*

(g) *S. Gregor. lib. 4. ep. 32.*

ſirma fratres tuos: Iterùmque, Simon Joannis amas me? Paſce oves meas. Itàque cum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamèn principatu, ſola Apoſtolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quę in tribus locis unius eſt. Ipſe enim ſublimavit Sedem (Romanam) *in quâ etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decoravit Sedem* (Alexandrinam) *in quâ Evangeliſtam diſcipulum miſit. Ipſe firmavit Sedem* (Antiochenam) *in quâ ſeptem annis, quamvìs diſceſſurus, ſedit (a).*

(a) S.Gregor.l.6.ep.37.

22. Itidèm in epiſtolâ ad Joannem Syracuſanum hęc brevitèr dicit. *In quodam crimine Byzacenus Primas fuerat accuſatus, & piiſſimus Imperator eum juxtà ſtatuta canonica per nos voluit judicari &c. quâ ſe dicit Sedi Apoſtolicæ ſubiici, ſi qua culpa in Epiſcopis invenitur, neſcio quis ei Epiſcopus ſubjectus non ſit (b).* Et rursùs ad ipſum Joannem: *Nam de Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ quod dicunt, quis eum dubitet Sedi Apoſtolicæ eſſe ſubjectam? Quod & piiſſimus Domnus Imperator, & frater noſter Euſebius, ejuſdem Civitatis Epiſcopus, aſſiduè profitetur (c).* Dicit ergò Gregorius, quod Petro, voce Dominicâ, totius Eccleſiæ cura eſt commiſſa: quod Sedes Petri ſuper alias in principatu convaluit: quod ei ſubſunt Alexandrina, Antiochena, & Conſtantinopolitana Sedes: quod Papa Caput eſt fidei: quod omnes Epiſcopi ei ſunt ſubjecti: quod omnes debent præceptionibus Romanæ Eccleſiæ parere &c. Quid autèm eſt hoc, niſi multiplicibus argumentis aſſerere, Petrum fuiſſe à Chriſto conſtitutum Univerſalis Eccleſiæ Pontificem? Seù eſſe Pontificem Univerſalem? Non in *eſſendo* itàut Petrus ſolus, ejuſque Succeſſores, ſint unicus, & ſolus in totâ Eccleſiâ Epiſcopus, alii verò Antiſtites ſint ejus veluti Vicarii, & Coepiſcopi; ſed *in cauſando*, itàut Romanus Pontifex ſupremam, & generalem curam omnium Eccleſiarum habeat, non excluſâ ſingulari localium Epiſcoporum ſollicitudine.

(b) S.Gregor.lib.7.ep.65.

(c) S.Gregor.l.7.ep.64.

23. Rursùs D. Gregorius Joanni Jejunatori priùs lenitèr intimavit, ut à ſuperbo Occumenici titulo ſe deberet ſine contradictione compeſcere, nihilque proficiens, monitis repetitis, minatus eſt, quod niſi à proteruâ uſurpatione deſiſteret, illum pœnis eccleſiaſticis coerceret: extenſoque nervo Apoſtolicæ ſuæ poteſtatis, eum canonicâ diſtrictione pulſaſſet. *Antè*, inquit, *per alios reſponſales meos, & nunc per communem filium meum Sabinianum Diaconum alloqui fraternitatem veſtram, ut à tali ſe præſumptione compeſceret, non equidèm ſcripto, ſed nudo ſermone curavi, & ſi emendari nollet, cum Miſſarum ſolemnia cum fraternitate veſtrâ celebrare probibui, ut Sanctitatem veſtram priùs ſub quâdam verecundię reverentiâ pulſarem: quatenùs ſi emendari nefandus, ac profanus tumor verecundè non poſſet, tunc ad ea debuiſſet, quæ ſunt diſtricta, atque canonica pervenire (d).* Et intrà: *Ego itàque per Reſponſales meos ſemel, & bis verbis humilibus hoc, quod in totâ Eccleſiâ peccatur, corripere ſtudui: nunc per meipſum ſcribo. Quidquid facere humilitèr debui, non omiſi. Sed ſi in meâ correptione deſpicior, reſtat ut Eccleſiam debeam adhibere (e).* At S. Gregorius nec quà Epiſcopus Romanus, nec quà Archiepiſcopus Romani diſtrictus, nec quà Patriarcha Occidentis poterat Joanni Jejunatori Patriarchæ Conſtantinopolitano, pœnas comminari, & comminatas infligere, quià in his proſpectibus non erat Joanni Superior, ſed æqualis: *par autem in parem*, ut notum eſt in utroque jure, *non habet imperium (f).* Poterat tamèn pœnas eidem infligere tamquàm Papa, quia tamquàm Papa, & Vicarius Chriſti erat illi omninò Superior.

(d) S.Gregor.l.4.ep.38.

(e) Idem loc.cit.circa fin.

(f) C.inferior.c.denique diſt. 21. c.innotuit de elect. c.1.de locat.leg.ille à quæ ff ad Trebell. L.nam & ff. de recept.arbitr.

24. Igitùr oportet, quod S. Gregorius aliquem in ſe titulum agnoverit, quo poſſet adverſus Joannem Jejunatorem procedere; ſed hic titulus alius eſſe non poteſt, niſi ut innuimus, Papalis dignitas, & titulus Univerſalis Pontificis, curam ſupremam totius Eccleſię, ejuſque Paſtorum, & Patriarcharum gerentis; ergò ex ipſius D. Gregorii verbis, & factis patet, illum cenſuiſſe, & sè, & Romanum Antiſtitem pro tempore exiſtentem, eſſe Pontificem Univerſalem. Idem dic dè ſanctione illâ, quâ Pelagius Papa II.Gregorii Anteceſſor, ſcribendo ad Epiſcopos, à

Joan-

Joanne Jejunatore ad Synodum congregatos, pro falciendo in ſe titulo Epiſcopi Oecumenici,& ad judicandum Gregorium Antiochenum declarat,ſè tale Conciliabulum, prӕter ea, quӕ favore Gregorii ipſius Antiocheni deliberata in eo fuerant, auctoritate D. Petri caſſare (*a*), de qua S. Gregorius ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum hæc ſuis literis exaravit: *Antè hos annos octo, Sanctӕ memoriӕ Deceſſoris mei Pelagii tempore, frater, & Coepiſcopus noſter Joannes in Conſtantinopolitanâ Urbe ex causâ aliâ occaſionem quӕrens, Synodum fecit, in quâ ſè univerſalem appellare conatus eſt. Quod mox idem Deceſſor meus ut cognovit, directis literis ex auctoritate S. Petri Apoſtoli, ejuſdem ſynodi acta caſſavit* (*b*): quӕ certè Pelagius agere non potuiſſet, niſi ſe ſupremum Eccleſiæ Speculatorem, & Univerſalem Pontificem agnoviſſet.

25. Prӕtereà S. Gregorius, ut & alibi innuimus, tùm Joanni Jejunatori, tùm Cyriaco, ejus in Epiſcopatu Succeſſori reſiſtens, ob uſurpatum titulum Oecumenici, fatetur hunc titulum pro honore Beati Petri fuiſſe Anteceſſoribus ſuis Summis Pontificibus in magnâ Synodo Chalcedonenſi oblatum: nullum tamèn ex Romanis Prӕſulibus illo uti voluiſſe, tàm humilitatis amore, quàm ad honorem cæterorum Epiſcoporum, & præter ea, quæ de hoc ſuprà diximus (*c*), ità ad Joannem Jejunatorem ſcripſit: *Nunquid non, ſicut veſtra fraternitas novit, per venerandum Chalcedonenſe Concilium hujus Apoſtolicӕ Sedis Antiſtites, cui, Deo diſponente, deſervio, Univerſales, oblato honore, vocati ſunt? Sed tamèn nullus unquàm tali vocabulo appellari voluit, nullus ſibi hoc temerarium nomen arripuit, ne ſi ſibi in Pontificatus gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegaſſe videretur* (*d*): Et ad Eulogium Alexandrinum, atque Anaſtaſium Antiochenum ait, *ſicut enim veneranda mihi veſtra ſanctitas novit, uni per ſanctam Chalcedonenſem ſynodum Pontifici Sedis Apoſtolicӕ, cui, diſponente Deo deſervio, hoc Univerſitatis nomen oblatum eſt. Sed nullus unquàm Deceſſorum meorum hoc tàm profano vocabulo uti conſenſit, quià videlicèt ſi unus Patriarcha Univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cӕteris derogatur* (*e*). Hanc Synodum fuiſſe legitimam, Sanctam, & Catholicam, ipſe D. Gregorius in ſuis dictatibus profitetur (*f*), & ei comparem cum quatuor Evangeliis decrevit honorem integrum adhiberi (*g*); Ergò certè cenſuit, hanc non falſa docuiſſe, vel approbaſſe, ſed vera, dum in eâ, Romano Pontifici fuit Univerſalis titulus attributus; Ergò exiſtimavit hunc titulum Romano Pontifici convenire: tametſi mallet ipſemet Pontifice ab eo, & ob pacem Eccleſiæ, & ob humilitatis meritum, abſtinere.

26. Demùm infinita penè leguntur ab ipſo D. Gregorio peracta, tùm intrà, tùm extrà Provincias Occidentis, quæ neque uti Epiſcopus, neque uti Archiepiſcopus, & aliqua reſpectivè, neque uti Patriarcha, poterat adimplere: undè reſtat, ut vel ea ex ſolâ ratione, quâ erat Pontifex Univerſalis, peregerit: vel eâ impudentèr, nullitèr, & ſinè auctoritate attentaverit. Hoc ſecundum non eſt dicendum de doctiſſimo, piiſſimo, ac ſanctiſſimo Pontifice; ergò tenendum eſt primum, & ſic ſe cenſuiſſe, atque eſſe Pontificem Univerſalem (*h*). Ipſe, inquam, S. Gregorius Presbyteris Sardiniӕ conceſſit, ut deficientibus Epiſcopis Sacramentum Confirmationis indigentibus miniſtrarent (*l*). Archiepiſcopis Nicopolitano (*i*), & Corinthio Pallium Archiepiſcopale conceſſit (*m*): Quod & Syagrio Auguſtodunenſi, quantùmvis non Archiepiſcopo, indulſit: ac ei, atque Succeſſoribus ſuis primarium locum poſt Metropolitam in Provinciâ Lugdunenſi conceſſit (*n*). Joannem Presbyterum Chalcedonenſem, à Joannis Jejunatoris Judicibus condemnatum, ab imputato crimine liberavit (*o*). Anaſtaſium Presbyterum Provinciæ Iſauriӕ, ob ſuſpicionem hæreſis ad ſe appellantem, abſolvit (*p*). Epiphanium Clericum ejuſdem Provinciæ Iſauriæ, Diaconatus ordine adauxit (*q*). Juſſit Amos Patriarchæ Hieroſolymitano, ut fugitivum Clericum ad sè mitteret, & nè illi, communione privato, Sacra Myſteria, extrà mortis periculum miniſtraret (*r*). Hadrianum Thebanum Epiſcopum, à juriſdictione Archiepiſcopi Lariſſeni ſui Metropolitæ, detraxit (*s*).

(a) *Pelag. II. epiſt. 1. inter epiſt. Rom. Pont. tom. 1. Syn. ap. Bail. ſum. Conc. to. 2. in Addition.*

(b) *S. Gregorius l. 4. ep. 35. in princ.*

(c) *Vide ſuprà in hoc cap. n. 5.*

(d) *S. Gregorius l. 4. epiſt. 38.*

(e) *S. Gregorius l. 4. epiſtol. 36.*

(f) *S. Gregorius l. 7. epiſt. 54.*

(g) *Breviar. in lection. S. Gregor. die 12. Martii.*

(h) *Petrus Annati Method. ad Theolog. l. 6. art. 8. prob. 2.*

(i) *S. Gregorius l. 3. epiſt. 26.*

(l) *S. Gregor. lib. 4. epiſt. 7.*

(m) *S. Gregor. lib. 4. epiſt. 55.*

(n) *S. Gregor. lib. 7. epiſt. 113.*

(o) *S. Gregor. lib. 5. epiſt. 15.*

(p) *S. Gregor. lib. 5. epiſt. 64.*

(q) *S. Gregor. lib. 4. epiſt. 30.*

(r) *S. Gregor. lib. 7. epiſt. 7.*

(s) *S. Gregor. lib. 2. epiſt. 7.*

27. Si-

27. Similitèr Domitianum, & Epidium Epiſcopos Patriarchatus Conſtantinopolitani coarguit, ob verba Sacræ Scripturæ in electione Cyriaci Patriarchæ uſurpata (*a*). Archiepiſcopum Theſſalonicenſem coercuit, ne moleſtiis Epiſcopum Corcyrenſem afficeret (*b*). Epiſcopos Provinciarum Helladiæ, & Epiri, ne quidquam prò Ordinum collatione ſuſciperent, literis ad hoc ſcriptis, deterruit (*c*). Januarium Malacitanum Epiſcopum in Hiſpaniâ depoſitum, fecit ſuæ Sedi reſtitui: & cauſam Stephani paritèr in eâdem Provinciâ Epiſcopi ventilari (*d*). Monaſteria Monachorum ab Epiſcopali juriſdictione pluries exemit (*e*). Alia tandèm ſimilia peregit, quæ refert Azorius, & de Pallio ad Epiſcopum Alexandrinum tranſmiſſo: & de Joanne primæ Juſtinianæ Epiſcopo, communione privato: & de Epiſcopis Helladiæ ad obediendum Epiſcopo Corinthiorum adactis: & de privilegiis Andreæ Epiſcopo in Epiro conceſſis (*f*), & de aliis juriſdictionis actibus in Italiâ, Siciliâ, Corſicâ, Africâ, Hiſpaniâ, Angliâ, Hiberniâ, Galliâ, Græciâ, Dalmatiâ, ab ipſo Azorio recenſitis (*g*); quę nunquàm feciſſet, niſi ſe univerſalis Eccleſiæ Pontificem credidiſſet, ſeù niſi curam Univerſalis Eccleſię ſibi creditam eſſe noviſſet. Ergò ex ipſius D. Gregorii geſtis, & verbis apertiſſimè comprobatur, Romanum Pontificem, quà Papa eſt, eſſe Epiſcopum Univerſalem, ſeù Eccleſiæ univerſalis Pontificem.

(a) *S.Gregorius l.6. epiſt.7.*
(b) *S.Greg. lib.12. ep.2. & 3.*
(c) *S.Gregor. lib.4. ep.56.*
(d) *S.Gregor. l.11. ep.52.*
(e) *S.Gregor lib 4. ep.41. & 43. & lib.7. ep.16. & lib.11. ep.10. & 11.*
(f) *Azorius Inſtit. mor. tom.2. par.2. l.4. cap.14.*
(g) *Azorius Inſt. mor. loc. cit. cap. 14. per tot.*

28. Probatur poſtmodùm deberi Papę Romano titulum Epiſcopi, ſeù Pontificis Univerſalis ex variis, & per multis prærogativis, quibus ſuper omnes alios Orbis Epiſcopos, Romanæ Eccleſiæ Antiſtes attollitur, quæ tales, ac tantę ſunt, ut ei non aliàs poſſint competere, quàm ex hoc uno privilegio, quod ipſe Univerſalis Epiſcopi ſupremâ dignitate præfulgeat (*h*), Ut eſt quod ſine illius auctoritate, non poſſit Concilium generale in Eccleſiâ celebrari (*i*). Quod omnibus totius Orbis Epiſcopis, Clericis, atque Laicis datum ſit, ut poſſint ad Romanum Pontificem, uti ad eorum Judicem, vel per appellationem, vel per recurſum confugere, quotiès ab aliis ſe ſenſerint prægravari (*l*). Quod in dubiis fidei, & cauſis hæreſum, ad ſolum ipſum Romanum Pontificem, & non ad alium, omnes ex totâ Chriſtianitate confugiant (*m*). Quod nullus, niſi Romanus Pontifex, non verò ullus alius Metropolita, Patriarcha, vel Primas, poſſint leges concedere, totam Eccleſiam generalitèr obligantes (*n*): Quod *Epiſcopos, & Patriarchas quando peccarunt depoſuit, & ſuis Sedibus, ſi ab aliis quibuſdam injuſtè ejectos eſſe contingeret, reſtituit, ut notum eſt de Athanaſio Alexandrino, Paulo Conſtantinopolitano, & Marcello Ancyrano, à Synodis Orientalibus depoſitis, quos Julius I. reſtituit: De Chryſoſtomo item, quem Innocentius I. ab exilio revocari mandavit* (*o*). Hæc, & alia perplura, quæ brevitatis gratiâ ſilemus, non poſſunt competere Pontifici, nec uti Epiſcopo Romano, nec uti Archiepiſcopo Romani diſtrictus; nec uti Patriarchæ reſpectu Occidentis, magis quàm alteri Epiſcopo, Archiepiſcopo, vel Patriarchæ reſpectu ſuæ ditionis. Ergò neceſſariò debent illi competere, uti Summo Pontifici, ſivè uti Epiſcopo Univerſali, & univerſalem omnium Eccleſiarum curam habenti, talitèrque ſupremam toti Eccleſiæ ſolertiam ſuam exhibenti, ut localium Epiſcoporum ſollicitudinem non excludat.

(h) *Petrus Annati Method ad Theolog. l.6 art 8.*
(i) *Pelag. 2. epiſt. 1. S.Gregor. l.IX. ep.4. Socrat. l.2 c.5. Sozom l.2. cap 9. Vid. cap. præced. num 34 & 35.*
(l) *Cap. ſi quis veſtrum cum 6. cap. ſeq. 2 qu.7.*
(m) *Baron. ann.587. num.14.*
(n) *Petrus Annati loco cit. prob.3.*
(o) *Gonet Clyp. Theolog. tom. 4. diſp.4. de Pontif. art.3. §.1. n.85.*

29. Silemus hìc rationes alias Scripturales, hunc titulum, ſivè illius virtutem, in Summo Pontifice promoventes, quas tetigit D. Gregorius in epiſtolis ad Joannem Jejunatorem, & ad Eulogium Alexandrinum perſcriptis (*p*). Silemus quoque rationes Theologicas huic veritati adſtipulantes, quas ſatis eſt ſuperiùs allegaſſe: confidimus enim de prudentiâ, & excellentiâ Lectoris, quod illas ſciet præſenti quæſtioni ex ſeipſo utilitèr adaptare. Nunc igitùr proſequendo cauſam, quam tuemur, hìc rationes plurimas conſciſcemus, ex auctoritate Summorum Pontificum, Patrum, Principum, & Conciliorum depromptas, ut ex eis appareat, quàm antiquitùs, & à quantæ dignitatis viris, Romanus Pontifex, ſit Epiſcopi Univerſalis nomine decoratus.

(p) *S. Gregor. lib. 4. epiſt.32. & l.6 ep.37.*

P R I N C I P E S.

30. Et *ex Principibus*, primò nobis occurrit Magnus Imperator *Flavius Conſtantinus* hujus nominis primus, qui in celebri illâ donatione D. Silveſtro Papę I. factâ (quam & opere convalidavit, Româ relictâ, & Byzantium in Thraciâ, Aſię limitem, & Europæ, traslatâ Romani Imperii Sede) hæc intèr cętera peroravit: *Vndè ut Pontificalis apex non vileſcat, ſed magis quàm terreni Imperii dignitas, & gloria, & potentia decoretur; ecce tàm palatium noſtrum, ut prędiximus, quàm Romanam Vrbem, & omnes Italiæ, ſivè Occidentalium Regiorum Provincias, Loca, Civitates, Caſtra, Beatiſſimo Pontifici, & Patri noſtro, & Vniverſali Papæ Silveſtro tradidimus, atque reliquimus ipſi, & Succeſſoribus ejus poteſtatem, & robur firmum imperialis juſſionis. Et per hoc divinum juſſum, & pragmaticum conſtitutum Sanctis Patribus Romanę Eccleſiæ, in perpetuum decernimus permanenda* (*a*). Scimus hanc donationis paginam à pluribus, tùm Hęreticis, tùm non Hęreticis impugnari, & intèr ſcripturas apocryphas recenſeri. Eam enim impetunt Laurentius Valla, præcipuus ejuſdem detractor, Arniſæus de jure Majeſtatis (*b*), Ovandrus in Epitomè hiſtoriarum (*c*), Crapzovius ad legem Regiam Germanorum (*d*), Hotomannus de diſputationibus feudalibus (*e*), Bodinus de Republicâ (*f*), Limneus de Jure publico (*g*), Reinkingh de Regimine Sęculari, & Eccleſiaſtico (*h*), Hænouius in diſputationibus politicis (*i*), Dantes Aligerius, Alricus Huctenus, Buckmannus, Clapmarius, Matthias Stephanus, Brutus Fulmineus, & alii.

31. Sed ſatis nobis eſt, eandem donationem, ſeù fragmen ipſius mox relatum, ex Georgio Scholario, alias Genandio, Patriarchâ Conſtantinopolitano decerpſiſſe: quem non credimus, utpotè Græcum, fuiſſe talitèr animatum favore Sedis Apoſtolicæ, ut & Primatum Petri voluerit aſſerere, & ad hunc defendendum donationem Conſtantini, niſi conſcientiâ teſte, voluerit allegare (*l*). Satis quoque nobis eſt ipſam donationem prò ſincerâ, & veraci habitam fuiſſe à SS. Leone PP. IX. in epiſtolâ adversùs præſumptiones Michaelis Conſtantinopolitani (*m*). Ab Urbano II. in privilegio Eccleſiæ Liparitanę (*n*), & ab aliis Pontificibus (*o*), quorum etiam ſi deeſſet auctoritas, ſatis eſt, quod facta loquuntur, cum à tempore, cujus ignoratur initium, & jam per multa ſæcula dilatato, Romam cum adjectâ ditione poſſideat Pontifex, quam reliquit Conſtantinus, *profeſſus non debere Imperatorem Romæ principari, ubi à Chriſto principabantur coronati Apoſtoli* (*p*). Eandem donationem paritèr conſtat prò legitimâ reputari à SS. Antonino Florentino (*q*), & Iſidoro Hiſpalenſi (*r*), nec non ab innumerabilibus cordatis, & catholicis Doctoribus, tùm Juriſconſultis, tùm Theologis, intèr quos Auguſtinus Steuchus de Donatione Conſtantini (*s*), Cardinalis Jacobatius in tract. de Concilio (*t*), Cardinalis Baronius in Annalibus (*u*), Cardinalis Bellarminus in Controverſiis fidei (*x*), Alvarus Pelagius de Planctu Eccleſiæ (*y*), Jo: Turrecremata de poteſtate Eccleſię (*z*), Caſtaldus de Imperio (*aa*), Driedon de libertate Chriſtianâ (*bb*), Boetius Epo. in quæſtionibus Heroicis (*cc*), Jacobus de Valentia in Canticâ Canticorum (*dd*), Jacobus Gretſerus de Imperatorum, & Regum in Sedem Apoſtolicam munificentiâ (*ee*), Joannes Azorius in Inſtitutionibus moralibus (*ff*), Rodericus Acugna in Decretum Gratiani (*gg*), & alii permulti (*hh*), quos brevitatis ergò intermittimus, nec eorum rationes hic nobis otium eſt recenſere, ne prolixitas librum hunc augeat in immenſum: præſertìm cum Lectorem noſtrum talitèr cenſeamus eſſe perſuaſum, ut magis credendum ducat Scriptoribus piis, & Catholicis, quàm impiis, & hæreticis, aut Apoſtolicæ Sedi adverſariis, qui calamo hoſtili, non animo æquo, nequè genio veritatis amante, ſcripta ſua confarcinarunt, & paginas non tàm rebus, quàm dicteriis impleverunt, quibus mirum eſt ſi quis, credat. Et verè *non parum admirandum eſt*, ut inquit Joannes de Turrecrematâ *adverſarios tantâ caligine mentis involutos, & excæcatos malitiâ eſſe, ut malint ſequi*

(a) *Cap. Conſtantinus diſt. 96. Marta de Juriſdict. p. 3. c. 40. Alberic. de Roſat. in l. 2. q. in initio n. 6. ff. de off. Præfect. Vrbis.*
(b) *Arniſæus de jur. Majeſt. l. 2. c. 5. n. 6.*
(c) *Ovandr. epitom. hiſtor. cent. 4. l. 3. c. 38.*
(d) *Crapzov. cap. 7. ſec. 5. n. 11.*
(e) *Hotoman. diſp. feud. c. 5.*
(f) *Bodinus lib. 1. cap. 9. n. 241.*
(g) *Limneus de Jur. publ. l. 2. c. 9. n. 37.*
(h) *Reinkingh. de regim. lib. 1. claſ. 2. c. 8. num. 54.*
(i) *Hęnon. diſp. polit. diſp. 2. n. 2.*
(l) *Gennad. Scholarius de primat. Pap. ſec. 3. f. 116.*
(m) *S. Leo Papa IX. epiſt. 1. c. 13.*
(n) *Vid. Rocch. Pir. Sicil. Sacrę tom. 2. in Epiſc. Liparit.*
(o) *Cap. fundamenta de elect. in 6. Clementin. 1. de jurejur.*
(p) *Vuillelm. Malmesbur. hiſt. lib. 4.*
(q) *S. Antonin. hiſt. p. 2. tit. 6. c. 2. §. 8. & par. 2. tit. 33.*
(r) *S. Iſidor. Hiſpal. de Synod. p. 1.*
(s) *Steuch. de donat. Conſtantin. p. 101.*
(t) *Jacobatius tr. de Concil. c. fin. n. 35.*
(u) *Card. Baron. ann. 324.*
(x) *Bellarm. to. 2. l. 2. de tranſl. Imper. c. 3.*
(y) *Alvar. Pelag. de planct. Eccl. l. 3. c. 43. & l. 2. c. 29.*
(z) *Turrecrem. de poteſt. Eccl. lib. 2. c. 42.*
(aa) *Caſtald. de Imperio c. 51.*
(bb) *Driedo. de liber. Chriſtiana l. 2. c. 9. f. 10.*
(cc) *Boetius Epo. de Jur. Sacr. qu. 3.*
(dd) *Valentin. in Cantic. c. 12 in princ.*
(ee) *Gretſer. de Imperat. &c. apped. 3.*
(ff) *Azor. to. 2. l. 4. cap. 34.*
(gg) *Acugna par. 1. diſt. 96. c. 14. n. 1.*
(hh) *Vid. Barboſ. de off. & poteſt. Epiſ. p. 1. tit. 3. c. 2. n. 68. & in cap. Conſtantinus 12. diſt. 96. Diana part. 8. tr. 6. reſ. 136. Marta de Juriſd. par. 3. cap. 40.*

qui homines ab Eccleſiâ Dei in doctrinâ ſuâ damnatos &c. quàm Doctores Sanctos, ab Eccleſiâ approbatos, & alios præſtantiſſimos Doctores &c. quorum doctrinâ fulget Eccleſia ut Sol, & Luna (a).

32. Intèr *Principes* quoque connumerandus eſt *Pompejus* Juſtiniani I. Cæſaris Conſanguineus, qui ad Hormiſdam Summum Pontificem ſcribens, eum vocat *Eccleſię Univerſalis Epiſcopum* (b).

Imperator Conſtantinus IV. cognomento *Pogonatus*, Donno Papæ ſcribens, hoc eum titulo condecorat: *Imperator Flavius Conſtantinus fidelis magnus Imperator Sacra Dono Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Archiepiſcopo antiquæ noſtræ Romæ, & Univerſali Papæ* (c).

Carolus I. Romanorum in Occidente Imperator, à rerum geſtarum magnitudine, *Carolus Magnus* communitèr appellatus, de Romano Pontifice aliquandò loquens, eum vocabulo univerſalis intitulat: *Summi Pontificis*, inquit, *& Univerſalis Papę Hadriani pręcepto, necnon & Moguntiacenſis Epiſcopi Lullonis, omniumque, qui aſſuere Pontificum conſilio, Bremenſem Eccleſiam Villebado commiſſimus* (d).

Ludovicus I. Romanorum Imperator cognomento *Pius*, in celebri conſtitutione, quam favore Sedis Apoſtolicæ edidit, univerſalem Papam, Paſchalem I. Pontificem appellavit, dicens: *Ego Ludovicus Imperator Auguſtus ſtatuo, & concedo per hoc pactum confirmationis noſtræ tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum, & per tè Vicario ſuo Domino Paſchali Summo Pontifici, & Univerſali Papæ, & Succeſſoribus ejus in perpetuum &c. Romanam Civitatem cum Ducatu ſuo &c.* (e). Vocat impropriè Papam Vicarium D. Petri, qui propriè non eſt Vicarius Petri, ſed Chriſti (f). Verùm hęc denominatio in antiquis ſcripturis etiam alibi ſub eâdem improprietate illi legitur attributa, prout legitur in Diplomate ſimili Othonis I. Magni Imperatoris, editi favore ipſius Romanę Eccleſiæ (g).

33. Item *Carolus II. Rex Francorum, & Romanorum Imperator*, a capitis alopeciâ, *Calvus* cognomine nuncupatus, in epiſtolâ ad Nicolaum Papam I. quam cum adhuc eſſet Rex, favore Audentii Metenſis Antiſtitis expedivit, hujuſmodi titulum antepoſuit: *Sanctiſſimo, ac Reverendiſſimo Patri Nicolao Catholicæ, & Apoſtolicæ Sedis Summo Pontifici, & Univerſali Papæ, Carolus, gratiâ Dei, Rex, & ſpiritualis filius veſter* (h). Et ſucceſſivè poſtquàm ad thronum Cęſareum convolavit, hoc eodem titulo Joannem VIII. Pontificem inſignivit, in quâ etiam epiſtolâ memorans Eugenium II. Papam ſic ait: *quâ dè rè Synodum idem Univerſalis Papa convocans &c.* (i).

Ludovicus Rex Germaniæ, Ludovici Pii Imperatoris filius, unà cum *Lothario* nepote ſuo, Lotharii Cęſaris genito, præſidium Nicolai Papę I. implorantes adverſùs Carolum Calvum occupatorem Provinciarum ad eos pertinentium, ità humilimè inclamant: *oportet veſtræ auctoritatis jubar proptèr generalem ſollicitudinem noſtros inviſere fines, ut quos nulla movent fraternę charitatis viſcera, Apoſtolica invectio ad cenſuram venire eccleſiaſticam compellat* (l). Non ibi expreſsè ponitur vocabulum *univerſalis*: ſed quoties Papę invocatur Pontificalis auctoritas *propter generalem ſollicitudinem*; æquivalentibus verbis Pontifex Oecumenicus appellatur.

Otho I. Imperator, & cum eo alter *Otho* illius filius, itidem poſteà Imperator, in paulò ſuperiùs memorato Diplomate proſequuntur Joannem Papam XII. titulo Pontificis Univerſalis, dicentes: *Ego Otho, unà cum Othone glorioſo filio noſtro &c. ſpondemus tibi B. Petro &c. & per tè Vicario tuo D. Joanni Summo Pontifici & univerſali Papæ XII.* Et infrà. *Has omnes provincias* Eccleſię tuę B. Petre Apoſtole, & per tè Vicario tuo D. Joanni Summo Pontifici, & univerſali Papæ, ejuſque ſucceſſoribus &c. (m).

34. *Robertus Guiſcardus* Dux Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ, in juramento fidelitatis, quod exhibuit S. Gregorio Papæ VII. ità loquitur: *Ego Robertus, Dei gratiâ, & S. Petri, Apuliæ, & Calabriæ, & Siciliæ Dux, ab hâc horâ, & de-*

(a) *Turrecr. de Eccl. lib. 2. c. 100.*

(b) *Inter epiſt. Hormiſd. Baron. ann. 595. num. 52.*

(c) *In Act. Concil. Conſpol. 3. apud Bail. tom. 3.*

(d) *Balut. Capitular. to. 1. f. 247.*

(e) *Cap. Ego Ludov. 30. diſt. 63.*

(f) *Bellarmin. de Pontif. l. 2. c. 17.*

(g) *Vid. ſupr. tom. 2. cap. 16. n. 4.*

(h) *Card. Baron. an. 863. n. 55.*

(i) *Inter epiſt. Hincmar. Rem. in Biblioth. Patr. to. 16.*

(l) *Ex Act. Concil. ap. Confluent. ap. Baron. ann. 860.*

(m) *Vid. ſupr. tom 2. cap. 16. n. 4. & n. 6.*

incepi ero fidelis S. R. E. & Apoſtolicæ Sedi, & tibi Domino meo Gregorio Univerſali Papę &c. (a).

S. Eduardus Rex Anglorum Nicolao Papę II. ità ſcribit: *Summo univerſalis Eccleſię Patri Nicolao, Eduardus gratiâ Dei Anglorum Rex debitam ſubjectionem, & obedientiam* (b). Henricus II. ejuſdem Regni Rex, Hadrianum Papam IV. ſic alloquitur: *qui promotione divinâ univerſali præſidetis Eccleſię, circà omnium Eccleſiarum informationem, & reformationem aſſiduè vigiletis* (c).

Guido Comes Arvernię his apicibus epiſtolæ ſuæ initium dat, ad Innocentium Papam III. directę: *Domino Innocentio Divinâ bonitate Sanctæ Romanę Eccleſiæ Summo, & Univerſali Epiſcoporum Epiſcopo, Guido Comes Arvernię ſalutem cum omni reverentiâ, & hominii fidelitatem debitam* (d).

Vulcanus Rex Dalmatię, atque Dioclię, literis ad eundem Innocentium Papam III. datis, eum hiſce titulis veneratur: *Beatiſſimo, atque Sanctiſſimo, & Domino Innocentio Dei gratiâ Sacroſanctę Romanæ Eccleſię Summo Pontifici, & Univerſali Papę, Vulcanus eâdem gratiâ Dioclię, atque Dalmatię Rex, ſalutem, & devotionis affectum* (e).

Leo Rex Armeniæ ipſummet Innocentium Papam III. hiſce vocabulis in ſuâ epiſtolâ præſalutat: *Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Innocentio Dei gratiâ Summo Pontifici, & Univerſali Papæ, tanto, & tali honore digniſſimo, Leo per eandem, & Romani Imperii gratiam, Rex Armeniorum, cum ſalutatione ſe ipſum, & quidquid poteſt* (f).

Omittimus Phocam Imperatorem ſancientem, nè quis præter Præſulem Romanum, Univerſalis Epiſcopus vocaretur (g). Omittimus alios, titulo Antiſtitis univerſalis Romanum Pontificem afficientes (h). Et ne diutiùs congerendis eloquiis antiquorum Principum immoremur, una prò mille exemplis valere poterit formula, quâ noſtrâ quoquè ætate, Romanorum Imperator Papæ ſcribere ſolet. *Beatiſſimo in Chriſto Patri, Domino N. divinâ providentiâ S. Romanæ, & univerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Domino Reverendiſſimo &c. Obſequens filius N.* Si quis aliquam differentiunculam fortè adverteret inter eſſe Papam Univerſalem, & Univerſalis Eccleſiæ Pontificem, conſulat Baronium in Annalibus (i).

(a) *Card. Baron. an.* 1082 *n.* 30. *Binius to.* 7 *Conc. part.* 1. *f.* 535.
(b) *Alredus in vit. S. Eduardi Reg. Angl.*
(c) *Inter epiſtol. Petri Bleſenſ. epiſt.* 165.
(d) *Eſt inter epiſtol. Innoc. III. f.* 241.
(e) *Int. epiſtolas Innoc. III. f.* 373.
(f) *Inter epiſtol. Innoc. III f.* 401.
(g) *Paul. Diac. de geſt. Longob. l.* 4. *c.* 11. *Baron. ann.* 606. *n.* 2.
(h) *Vid. Bzovium de Rom. Pontif. c.* 6.
(i) *Card. Baron. an.* 595. *n.* 51.

CONCILIA.

35. Nunc ad *Concilia* deſcendamus, & aliqua memoremus ex illis, quæ Romano Pontifici, titulum deferunt Antiſtis Univerſalis, vel epitheta coæqualia. Et primò occurrit magnum *Concilium Chalcedonenſe* 630. Patrum, ubi S. Leoni Papę I. oblatum eſt, & repetitum hujuſmodi glorioſiſſimum attributum, proût ſuprà ex D. Gregorio probavimus (l). Et quidem D. Thomas refert totam Synodum Sancto Leoni talitèr acclamaſſe: *Leo Sanctiſſimus, & Oecumenicus, ideſt Univerſalis Patriarcha per multos annos vivat* (m). Quod licèt impudentèr neget Calvinus (n), tamèn quidquid ſit de hoc, certum eſt, quod quotiès Concilium Chalcedonenſe non impugnavit titulum Oecumenici, coram sè datum Leoni Papę in pluribus libellis ibidem lectis, titulum ipſum ſuo ſilentio comprobavit (o). Actione namque tertiâ hujus Concilii, certum eſt, à Clericis Eccleſiæ Alexandrinæ, & ab aliis, perplures libellos fuiſſe lectos, cum hâc ſuperſcriptione: *Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Univerſali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni* (p). Ibi etiam Synodus applauſit Papæ dicens: *Cuſtodiam vineæ Leoni Papę à Salvatore commiſſam eſſe* (ideſt Eccleſię Univerſalis (q). Ibi demùm ſubſcribit Legatus Papæ hâc Epigraphe: *Paſchaſinus Epiſcopus Vicarius Domini mei Beatiſſimi, atque Apoſtolici univerſalis Eccleſiæ Papæ Urbis Romæ Leonis in Synodo præſidens, ſtatui, conſenſi, & ſubſcripſi* (r). Et in Actione 8. ſic habetur: *Paſchaſinus, & Lucentius habentes locum Apoſtolicæ Sedis, dixerunt, Sanctiſſimum, & Venerabilem Epiſcopum Theodoretum Sanctiſſimus & Beatiſſimus univerſæ Eccleſiæ Urbis Romę Leo dudùm in communionem ſuſcepit* (s). Con-

(l) *Vid. ſupr. in hoc cap. n.* 25.
(m) *S. Thom. contr. error. Græcor. c* 67.
(n) *Calvinus l.* 4. *Inſtit. c.* 7. § 7.
(o) *Thomaſſ. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p.* 1. *l.* 1. *c.* 11. *n.* 11.
(p) *Concil. Chalced. Action.* 3.
(q) *ibidem Vid. Bail. tom.* 1. *ad Concil. Chalced act* 3. *par.* 3. *f.* 268.
(r) *Conc. Chalced. act* 3. *Bail. ad Concil. Nicęn.* 2. *de tit. Univerſalis.*
(s) *Conc. Chalcedon. act.* 8.

36. *Concilium Epiroticum*, tempore Hormiſdæ Papę, in Synodicâ ad ipſum directâ, hiſce illum titulis condecorat: *Patri Patrum, Comminiſtro, ac Principi Epiſcoporum (a).* Ubi licèt non exprimatur verbum Oecumenici, ęquivalentibus tamèn ibi vocibus denotatur.

(a) *Concil. Epirot. apud Baron. an. 595. num. 52.*

Concilium Conſtantinopolitanum III. Generale VI. Agathonem Papam appellat: *Univerſalem Principem Paſtorum, Primęque Sedis Antiſtitem Univerſalis Eccleſię (b)*, & Legati Papę Synodo ſubſcribentes, hac formulâ utuntur: *Theodorus humilis Presbyter Sanctæ Eccleſiæ Romanæ, & locumtenens Agathonis Beatiſſimi, & Univerſalis Papę Urbis Romæ, ſubſcripſi*: quo paritèr modo ſubſcribunt alii Legati, Theodori conſortes *(c)*.

(b) *Concil. Conſtantinopol 3. Act. 17. Vid. ſupr. Tom. 2. c. 5. n. 17.*
(c) *Conc. Conſtantinopol. 3. Act 18 & ibi B[illegible]nius, Baſl. &c.*

In *Concilio Conſtantinopolitano*, habito anno Chriſti 536. lectus eſt ſupplex libellus Archimandritarum Conſtantinopolis, Hieroſolymę, & Orientis, hâc ſuperſcriptione inſignitus: *Domino noſtro per omnia Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Patri Patrum, Archiepiſcopo Romanorum, & Oecumenico Patriarchæ Agapeto (d).*

(d) *Concil. Conſtantinopol. an. 536.*

Concilium Epiſcoporum Provincię Cypri Synodales literas ad Theodorum Papam ſcribens, illum hiſce titulis veneratur: *Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo à Deo honorabili Domino meo Patri Patrum, Archiepiſcopo, & Univerſali Papæ Theodoro &c. (e).*

(e) *Concil. Cyprium. ap. Baron. an. 643.*

37. *Concilium Romanum* ſub Martino Papâ I. in Laterano eſt habitum, dictumque generale ob ſuam pręſtantiam, & ob numerum 115. Epiſcoporum, qui eidem interfuerunt. In eo lecta eſt epiſtola Mauri Archiepiſcopi Ravennę, per manum Mauri Epiſcopi Ceſenę, Pontifici delata, qui ibidem hâc intitulatione celebratur: *Domino Sancto, & meritis Beatiſſimo, totoque orbe Apoſtolico, & Univerſali Pontifici Martino Papæ (f).*

(f) *Concil. Lateran. ſub Martin. PP. I.*

Concilium Conſtantinopolitanum IV. Generale VIII. contrà impium Photium celebratum eſt, adſtante Baſilio Gręcorum Imperatore: Ibi à Patribus ad Pontificem Hadrianum II. epiſtola Synodalis eſt data, quę illum Univerſalem Papam nuncupat, & eum enixè rogat, ut Concilii acta confirmet. Ibidèm Donatus, ac alii duo Legati Pontificâ ſic ſubſcribunt: *Ego Donatus Dei gratiâ Epiſcopus Sanctæ Oſtienſis Eccleſiæ, locum obtinens Domini mei Hadriani Summi Pontificis, & Univerſalis Papæ; omnia, quæ ſuperiùs leguntur, huic Sanctę, & Univerſali Synodo præſidens, uſque ad voluntatem ejuſdem eximii Præſulis promulgavi, & manu propriâ ſubſcripſi &c. (g).*

(g) *Concil. Conſtantinopol. IV. in fin.*

Concilium Pontigonenſe anno 876. celebratum, hęc conſtituit, *quæ ſecundum ſacrum ſuum miniſterium Apoſtolicâ auctoritate ſpiritualis Pater noſter, & Univerſalis Papa decreverit, cum ſummâ veneratione ab omnibus ſuſcipiantur, & debitâ illi obedientiâ in omnibus obſerventur (h).*

(h) *Concil. Portigon. ann. 876. c. 1.*

Epiſcopi Germanię, cum Clero, & Populo Bavarico, epiſtolam ſcribentes Joanni Papæ VIII. ità incipiunt: *Summo Pontifici, & Univerſali Papę, Domino Joanni &c. humillimi Paternitatis Veſtræ filii &c. (i).*

(i) *Epiſt. Epiſcopor. Germaniæ eſt inter epiſt. Hincmari Remenſis f. 641.*

38. *Concilium Remenſe* anno 1131. habitum eſt, in quo lecta fuit epiſtola Monachorum Carthuſienſium ad Innocentium Papam II. inter cętera ſic effantium: *Veſtræ Majeſtatis pedibus advoluti, prò cunctis, ſed maximè prò novellis Religionibus, Ciſtercienſi ſcilicèt, ac Fronte valdenſi, nec non prò univerſo mundo preces offerimus. Non enim pars una, ſed totus potiùs Orbis eſt veſtra Diœceſis. Nàm ſicut Deus eſt unus, Mediator unus, Mundus unus, Sol unus, & ut minora inſeramus, in animalibus cunctis caput unum; ità beati Petri Vicarius, ideſt Papa, non poteſt eſſe niſi unus. Univerſo itàque mundo rigorem diſciplinæ, rectitudinem juſtitiæ, lumen doctrinæ, & ipſius, quam nomine quoque præfertis, incomprehenſibilis debetis exemplar eſſe Innocentiæ (l).*

(l) *Concil. Remenſ. ann 1131. & ibi Baſl. tom. 2.*

Concilium Tridentinum ultimum generale, de S. Romanæ Eccleſię Cardinalibus loquens, ait: *quorum conſilio apud Sanctiſſimum Romanum Pontificem eum Univerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt, non iis etiam virtu-*

tum

tum inſignibus, ac vivendi diſciplinâ eas fulgere, quæ meritò omnium in ſe oculos convertant (*a*).

(a) Concil. Trid. ſeſ. 23. de ref. c. 1.

Concilium Bituricenſe Provinciale habitum eſt anno 1584. vel, ſi mavis, Nationale, cum ad illud vocati ſint Archiepiſcopi Burdigalenſis, Narbonenſis, Auxitanus, & Toloſanus, & ibi Reginaldus Belnenſis ſe intitulaverit Patriarcham, & Archiepiſcopum Bituricenſem, & Aquitaniæ Primatem (*b*). In fine verò Concilii, hæc primo loco facta eſt acclamatio: *Beatiſſimo Domino noſtro Gregorio, Sanctæ Univerſalis Eccleſiæ Pontifici maximo, multi anni, & æterna memoria* (*c*). Similia de titulo, & denominatione Univerſalis, vel ſub aliis terminis, coequali, Romano Papæ attributâ, legere eſt in Conciliis Florentino (*d*), Senonenſi (*e*), & Colonienſi (*f*), quæ hìc indicaſſe ſit ſatis. Si quis, repetimus, aliquod minutum diſcrimen intereſſe Epiſcopum Univerſalem, & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopum, conſulat, ut jam diximus, Cardinalem Baronium ad an. 595. n. 51. &c.

(b) Concil. Bituricenſ. ann. 1584. in princ.
(c) Concil. Bituricenſ. ann. 1584. in fin.
(d) Concil. Florent. ſeſ. ult.
(e) Conc. Senonenſ. ann. 1528. c. 17.
(f) Conc. Colonien. an. 1536. in Enchirid. inſtitut. Chriſtian.

P A T R E S.

39. A' Conciliis ad *Patres* proficiſcimur, qui pariter Romano Præſuli nomenclaturam Univerſalis Pontificis, vel æquipollentes titulos indiderunt: & primò Septimius Florens *Tertullianus* Romanum Antiſtitem Zephyrinum vocat Pontificem maximum, & Epiſcopum Epiſcoporum, hoc modo: *Audio edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium, Pontifex ſcilicèt maximus, Epiſcopus Epiſcoporum &c.* (*g*).

(g) Tertull. lib. de pudic. cap. 1.

S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus Liberium Romanum Pontificem *Patris Patrum*, inſigni appellatione denominat (*h*).

(h) S. Athanaſ. epiſt. ad Liberium in fin.

Aurelius Caſſiodorus Papam ſui temporis nobiliſſimo vocabulo *Patriarchæ Patriarcharum* cognominat (*i*).

(i) Caſſiodor. var. l. 9. ep. 15.

S. Maximus de Papâ Romano loquens, eum nuncupat, *Paſtorem Eccleſiæ, quæ ab olim hucuſque omnibus præeſt, utpotè ſenior cunctarum, quæ ſub Sole ſunt Eccleſiarum* (*l*).

(l) S. Maxim. ep. ad Abbat. Thalaſſium.

S. Eucherius Lugdunenſis, aut Euſebius Emeſenus (*m*), vel Euſebius Gallicanus (*n*), ſivè quiſquis alius eſt Auctor Homiliarum, quæ nomen dicti Euſebii præferunt, de Romano Pontifice in perſonâ Petri ſermone inſtituto, ſuum ſub hac phraſi ſenſum exponit: *Paſce agnos meos, paſce oves meas, priùs agnos, deindè oves ei commiſit, quia non ſolum Paſtorem, ſed Paſtorum Paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oves: paſcit filios, paſcit & matres: regit ſubditos, regit & Prælatos, omnium igitur Paſtor eſt, quià, præter agnos, & oves in Eccleſiâ nihil eſt* (*o*).

(m) Bellarm. de Scriptor. Eccl. in Euſebio Emeſeno.
(n) Andr. Scottus ant. homil. Euſeb. Gallic. in tom. 5. p. 1. Bibl. Vet. Patr. f. 543.
(o) S. Eucher. Lugdun. ſive Euſeb. Gallic. homil. de S. Jo: Evang. in tom. 5. Bibl. Veter. Patr. part. 1. f. 517. G.

40. *Arnobius*, ſivè ſenior, ſivè junior ſit, ignoratur, illum intelligimus, qui commentaria edidit in Pſalmos, dùm Petri mentionem facit, hos de illo promit effatus: *Apoſtolo pœnitenti ſuccurritur, qui eſt Epiſcoporum Epiſcopus, & major gradus redditur ploranti, quam ſublatus eſt deneganti, quod ut doceam, illud oſtendo, quod nullus Apoſtolorum Paſtoris nomen accepit: Solus enim Dominus Jeſus Chriſtus dicebat, ego ſum Paſtor bonus: & iterùm, me, inquit, ſequuntur oves meæ. Hoc ergò nomen ſanctum, & ipſius nominis poteſtatem, poſt reſurrectionem ſuam Petro pœnitenti conceſſit, & ter negatus, negatori ſuo hanc, quam ſolus habuit, tribuit poteſtatem* (*p*).

(p) Arnobius in Pſalm. 138.

S. Avitus Viennenſis in celebri epiſtolâ, quam ad Hormiſdam Papam dedit, hæc oportunè ad cauſam noſtram ingeſſit: *Dùm religionis ſtatui, & plenis Catholicæ fidei regulis perſpicitis convenire, ut gregem per tota vobis Univerſalis Eccleſiæ membra commiſſum pervigili curâ me adhortationis informat* (*q*).

(q) S. Avitus Vien. epiſt. ad Hormiſd.

Joannes Epiſcopus Nicopolitanus, ac Monachi, & Archimandritæ, pluſquàm trecenti, in literis ad dictum Hormiſdam, eum his honorificentiæ titulis proſequuntur: *Univerſi orbis terræ Patriarchæ Hormiſdæ, continenti Sedem Principis*

Apo-

Apoſtolorum Petri &c. deprecatio, & ſupplicatio minimorum Archimandritarum, & Monachorum ſecundæ Syriç (*a*).

(a) Card. Baron. an. 986. n. 52.

41. *S. Joannes Chryſoſtomus* Epiſcopus Conſtantinopolitanus, aliquandò in ſuis homiliis flectens perorationem ad Petrum, ait: *filius qui Patris eſt, & ipſius filii poteſtatem Petro univerſalem conceſſit ubique terrarum* (*b*): Et alibi: *Jacobum localitèr in loco terminat, Petrum autem totius Orbis Magiſtrum, & doctorem ordinat &c.* (*c*) Itèm: *Petrus à Filio ſuper omnes, qui filii ſunt, poteſtatem accepit, non ut Moyſes in Gente unâ, ſed in univerſo Orbe* (*d*).

(b) S. Jo: Chryſoſt. in Matth. 2. ap. S. Thom contr. error. Græc c 67
(c) S. Jo: Chryſoſt. homil. 85. in Joan.
(d) S. Jo: Chryſoſtom. homil. in Act. Apoſt.

S. Eulogius Epiſcopus Alexandrinus D. Gregorio Magno vocabulum Epiſcopi Univerſalis impertit, quamvìs ex ſuperiùs relatis cauſis ab eo monitus, ne quemquam eo titulo nuncuparet: *dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid ſcribere debere, & ecce in præfatione epiſtolę, quam ad me ipſum, qui probibui, direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum, Univerſalem me Papam dicentes, imprimere curaſtis &c.* (*e*). Agnovit tamèn Eulogius titulum hunc Papæ deberi.

(e) S. Gregorius l. 7 ep. 30.

Epiſcopus Patarenſis ad Juſtinianum Imperatorem de Silverio Romanorum Pontifice, ait, *multos eſſe in hoc mundo Reges, & non eſſe unum, ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius* (*f*).

(f) Liberatus in Breviar. cap. 2.

Joannes Epiſcopus Ravennæ S. Gregorio Magno reſcribens, hæc intèr cætera effatur: *recolo me in ſinu, atquè in gremio Sacroſanctæ Eccleſiæ veſtræ Romanæ enutritum, &, Deo auxiliante, provectum. Et quibus auſibus ego Sanctiſſimæ illi Sedi, quæ Univerſali Eccleſiæ jura ſua tranſmittit, præſumpſerim obviare* (*g*).

(g) S. Gregor. l. 2. ep. 55.

42. S. Theodorus Studita, Conſtantinopolitani Cœnobii Abbas, initialibus hiſce apicibus epiſtolam miſſam ad Leonem III. Pontificem condecorat: *Ad Leonem III. Sanctiſſimum Summum, Patrem Patrum, æqualem Angelis, Beatiſſimum, & Apoſtolicum Papam, Archipaſtorem Eccleſię, quæ ſub Cœlis eſt* (*h*).

(h) S. Theodor. Studita epiſt. ad Leon. III.

Adventius Epiſcopus Metenſis literas aliquandò ad Nicolaum Papam exaravit, his elogiis pręmunitas: *Glorioſiſſimo Dominici Gregis Paſtori, Domino, & Beatiſſimo Nicolao, Summo, & Univerſali Papæ, Adventius humilis Metenſium Sedis Epiſcopus, nunc & in æternum valere* (*i*).

(i) Baron. ann. 863. num. 50.

Hincmarus Remenſis, Vir tàm altæ cervicis, ac ferventis animi, quàm eruditis omnibus innoteſcit, epiſtolas ad eundem Nicolaum PP. I. à ſe miſſas, hiſce titulis inchoavit: *Domino Sanctiſſimo, & Reverendiſſimo Patrum Patri Nicolao primæ, ac Summæ Sedis Apoſtolicæ, & Univerſali Papæ, Hincmarus Epiſcopus, & veſtræ Paternitatis devotiſſimus famulus* (*l*). Ejuſdem Hincmari ſynchronus, & in Hiſtoriis Eccleſiaſticis celeberrimus Rothaldus Sueſſionenſis, pręfato Nicolao PP. literas direxit, hoc initium continentes: *Domino meo Sanctiſſimo, atque Beatiſſimo Nicolao Summo Pontifici, & Univerſali Papæ &c.* (*m*).

(l) Hincm. Remenſ. epiſt. 1. & 2.
(m) Eſt poſt epiſt. 37 Nicolai Lap. Bin. to. 6. Conc f. 563.

Guillelmus Abbas S. Benigni Joannem Papam VIII. interpellavit, ne Patriarchę Conſtantinopolitano titulus Oecumenici permitteretur, *indè* Papam ipſum commonuit: *De cętero optamus, Univerſalem decet Antiſtitem, vos acriùs in correctione, ac diſciplinâ Sanctę, & Apoſtolicæ Eccleſiæ vigere* (*n*).

(n) Thomaſſin. p. 1. L. 1 c. 15. n. 1.

Prolixa cohors quingentorum Cœnobitarum in Monaſterio Acutiano commorantium, in epiſtolâ ad S. Leonem Papam IX. ità effatur: *Summo Pontifici, & Univerſali Papæ Domino ſuo Leoni &c. Humilis congregatio in Cœnobio Sanctæ Dei Genitricis, perpetuęque Virginis Mariæ Deo Militantium &c.* (*o*)

(o) Codex Monaſt. Acutiani, ſive Farfenſis n. 97. & 98.

S. Petrus Damiani Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis Nicolao Papę II. ſcribit: *Domino ſuo Nicolao Univerſali Papæ, Petrus Monachus ſervitutem* (*p*). Alexandro Papæ II. revertenti à Mantuano Concilio, Opuſculum obtulit de brevitate vitæ Romanorum Pontificum, ubi intèr cętera, hæc habet: *Papa quià ſolus eſt omnium Eccleſiarum Univerſalis Epiſcopus, cum luce privatur, mors ejus per amplà terrarum Regna diffunditur: Et ſicut ſol, quià ſolus lucet, ſi eclypſim fortè ſuſtineat, præſtò neceſſe eſt, ut tenebras totus ubique mundus incurrat; ſic Papa,*

(p) S. Petr. Damian. lib. 1. ep. 9.

cum

Digitized by Google

eum ex hàc vitâ recedit, illicò quià unus in mundo eſt, longinqua Regnorum ſpatia mortis ejus ſama percurrit. Ut conſequens eſt, ut quos tàm ſublimis, ſingulariſque perſonæ caſus obturbat, propriæ quoque vocationis exitum tremefactis viſceribus expaveſcant &c. Quantò ſtudio debet lucris animarum, dum advivit, inſiſtere, cujus etiam mors pervidetur ad Creatorem ſuum animas hominum revocare, ut dum ſe Patrem Orbis eſſe conſiderat, ab inculcandâ tot filiis hæreditate, deſidiâ non torpeſcat (a).

(a) *S. Petr. Damian. opuſc. 33 tom. 3.*

43. *S. Anſelmus* Epiſcopus Cantuarienſis, in libro de Incarnatione Verbi, ad Urbanum Papam II. humilitèr oblato, ſic loquitur: *Domino, & Patri Univerſæ Eccleſiæ in terrâ pugnantis Summo Pontifici Urbano. Divina providentia veſtram elegit Sanctitatem, cui vitam, & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam, committeret &c. (b).*

(b) *S. Anſelm. Cantuar. de Incarn. Verbi cap. 1.*

S. Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis venerationis obſequia Joanni PP. XVIII, per hanc exhibet inſcriptionem: *Domino Sancto, & Univerſali Papæ Joanni, Fulbertus Carnotenſium humilis Epiſcopus &c. (c).*

(c) *S. Fulbert. Carnot. epiſt. 2.*

S. Bernardus Abbas in libris de conſideratione ad Eugenium Papam III. ſic, in eo cunctos inſtruendo Papas, perorat: *Age, indagemus adhuc diligentiùs, qui ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſiâ Dei. Quis es? Sacerdos magnus: Tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedec, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es, cui Claves traditæ, cui Oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii Cæli janitores, & gregum Paſtores, ſed tu tantò glorioſiùs, quantò & differentiùs utrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent alii ſibi aſſignatas greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modò ovium, ſed & Paſtorum, tu unus omnium Paſtor. Undè id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oves? Si me amas Petre, paſce oves meas! quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi Regni? Oves meas inquit. Cui non planum eſt non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil &c. Deniquè Jacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, unâ contentus eſt Hieroſolymâ, Petro univerſitatem cedens &c. Ergò alii in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alias acceperunt (d).*

(d) *S. Bernard. de Conſid. l. 2. c. 8 vid alia ſupr. tom. 1. ſæc. 12. c. 33. n. 31.*

44. *Petrus Cluniacenſis* vir venerabilis appellatus, hoc de poteſtate Romani Pontificis dat judicium, in prolixâ epiſtolâ, quam ſcribit ad S. Bernardum Clarevallenſem: *Reſpondebitis Romanos Pontifices &c. pro totius Eccleſiæ regimine ſibi commiſſo hoc agere potuiſſe &c.* Et infrà. *Majorem aliis Eccleſiæ Patribus Romani Pontifices &c. hoc eſt per omnem Eccleſiam Petri auctoritatem habent &c. ſicut Romani Præſules omni, & ſicut alii Pontifices ſingulis Eccleſiis præſunt &c. (e).*

(e) *B. Petr Cluniacenſ. l. 1. epiſt. 28. Marrier. Biblioth. Cluni. fol. 689.*

Joannes Sariſberienſis Epiſcopus Carnotenſis, in unâ ex ſuis epiſtolis, animi ſui ſenſum, de titulo Antiſtitis Univerſalis, Romano Pontifici debito, innuit per hæc verba: *Romanorum Pontificem non ambigimus Principis Apoſtolorum eſſe Vicarium, qui ſicut rector clavo navem, ità ſigilli ſui moderamine Eccleſiam regit, corrigit, & dirigit Univerſam (f).*

(f) *Jo. Sariſber. ep. 83.*

S. Thomas de Aquino Doctor Angelicus, de univerſalitate Pontificatus Romani Antiſtitis docet, erroneum eſſe dicere, quod Papa Vicarius Chriſti non habet Univerſalis Eccleſiæ Primatum (g), & alibi ait: *ſimilis error eſt dicentium, Chriſti Vicarium, Romanæ Eccleſiæ Pontificem, non habere Univerſalis Eccleſiæ Primatum, errori dicentium Spiritum Sanctum à filio non procedere &c. Chriſti Vicarius ſuo primatu, & providentiâ Univerſalem Eccleſiam, tamquàm fidelis miniſter Chriſto ſubjectam ſervat (h).* Et alibi: *Papa qui obtinet vicem Sponſi in totâ Eccleſiâ, Univerſalis Eccleſiæ Sponſus dicitur (i).* Rursùs alibi quærens,

(g) *S. Thom. p. par. qu. 112 art. 2. ad 2. & Opuſc. 1. c. 65.*

(h) *S. Thomas contr. error. Græc. c. 67.*

(i) *S. Thomas tract. contr. impugn. religion.*

utrum

utrum ſuprà Epiſcopos poſſit eſſe aliquis ſuperior in Eccleſiâ; reſpondet: *Cum tota Eccleſia ſit unum Corpus, oportet, ſi iſta unitas debet conſervari, quod ſit aliqua poteſtas regitiva reſpectu totius Eccleſiæ ſuprà poteſtatem Epiſcopalem, quâ unaquæque ſpecialis Eccleſia regitur, & hæc eſt poteſtas Papę* (a). Demùm alibi, perpendens reluctantiam D. Gregorii ad titulum Oecumenici, ait: *quod autem Papa Univerſalem Pontificem ſe prohibet nominari, non hoc ideò eſt, quod ipſe non habeat auctoritatem immediatam, & plenam in quâlibet Eccleſiâ, ſed quià non præficitur cuilibet particulari Eccleſiæ, ut proprius, & ſpecialis illius Eccleſiæ rector: ſic enim ceſſarent omnium aliorum Pontificum poteſtates* (b).

(a) *S.Thom. 3. par. de Salo. qu. 71. al 40. art. 6 in corp.*

(b) *S.Thom. d. tract. contr. impugn. relig.*

45. *S. Joannes de Capiſtrano* vocat D. Petrum Antiſtitem mundi, hiſce ipſiſſimis verbis: *Apoſtolus negavit, ac iterùm per pœnitentiam obtinuit prærogativam, ut eſſet Antiſtes Mundi* (c). Et anteà prolixiùs rem diſceptando, inquit: *quia Chriſtus præſentiam corporalem erat Eccleſię ſubtracturus, oportuit ut alicui Univerſalis Eccleſiæ ſuæ curam committeret, qui viſibilitèr, & præſentialitèr univerſis, & ſingulis pręeſſet in regimine univerſo: hoc idem concludit idem S. Thomas in tractatu contrà errores Grecorum cap. 66. ubi titulus eſt, quod Romanus Pontifex eſt primus, & maximus inter omnes Epiſcopos. Et in eodem tractatu capit. 71. oſtendit, Papam eſſe ſuper omnes alios Patriarchas per auctoritatem Cyrilli, & Joannis Chryſoſtomi. Et in eodem tractatu c. 67. dicit, quod Papa obtinet univerſalem poteſtatem in totâ Eccleſiâ Chriſti, quod etiam probat per Joannem Chryſoſtomum ſuper Matth. 2. & Joan. homil. 85. & ſuper Act. Apoſtolorum. Et in eadem tractatu c. 66. probat idem S. Thomas hęreticum eſſe, dicere, Papam non obtinere Primatum totius Univerſalis Eccleſiæ* (d).

(c) *S. Joan. de Capiſtran. de Pap & Concil. auctorit. p. 3. f. 125.*

(d) *S Joannes de Capiſtr. loc. cit. f. 121. à*

Addi poſſent S. Antoninus Florentinus (e), S. Bernardinus Senenſis (f), S. Laurentius Juſtinianus (g), & alii præclariſſimi, atque doctiſſimi viri, qui Romanum Pontificem epitheto Epiſcopi Univerſalis afficiunt, vel Synonimis, atque ęquovalentibus glorificant attributis. Sed jam relati ſufficiant: ad alia properemus.

(e) *S. Antonin. 3. p. tit. 22. c. 13.*

(f) *S. Bernardinus Senenſ. ſerm. 3. Marial par. 3.*

(g) *S. Laurentius Juſtin. lib. de obed.*

SCRIPTORES ECCLESIASTICI, & HISTORICI.

46. *Regino* Abbas Prumienſis, natione Germanus, qui ad initium decimi Chriſti Sęculi floruit, & Chronicon ab adventu Salvatoris ad annum ejuſdem 967. exaravit (h), de Nicolao Papâ hujus nominis primo loquens, ſepè illum vocat Pontificem Univerſalem (i): cujus periodos, prolixitati parcentes, non extendimus: unum tamèn indicamus, ubi de Legatis prævaricatoribus, ſermonem habet, qui in Conciliabulo Metenſi repudium Theutbergę, à Lothario Rege tentatum confoverunt: *In Franciam, ait, venientes, pecuniâ corrupti &c. dederunt Conſilium Regi, ut illos Epiſcopos, qui illi Synodo præfuerunt ad Sedem Apoſtolicam deſtinaret, ac ſcriptis Univerſali Papæ ſatiſfacerent* (l).

(h) *Bellarmin de Script. Eccleſ. in Regione.*

(i) *Regino Chron. an 866. lib. 2.*

(l) *Regino in Chronic. ann. 865. lib. 2.*

Luitprandus Ticinenſis Diaconus, ac deindè Epiſcopus Cremonenſis, referens malè geſta Stephani Papæ VII. (pro quo ipſe ponit Sergium III.) adversùs Formoſum Papam prædefunctum, aſſerit hujus Cadaver exhumatum, indutum Pontificalibus inſigniis, ac iiſdem protinùs denudatum, fuiſſe in Tyberim projectum, ac ità objurgatum: *Cum Portuenſis eſſes Epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu Romanam Univerſalem Sedem uſurpaſti?* (m).

(m) *Luitprand. lib. 1. c. 8.*

Goffridus Abbas Vindocinenſis in illas, quas ad Calliſtum, & Honorium II. Papas ſcripſit epiſtolis, eos hac, quæ ſequitur denominatione magnificat: *Univerſali Papæ Calliſto, vel Honorio bono domino ſuo, & præcordiali amico, Goffridus Abbas Vindocinenſis &c.* (n).

(n) *Goffrid. Vindoc. lib. 1. epiſt. in 12. 13. 14. 15.*

Hugo Etherianus, adverſus Græcos agens de proceſſione Spiritus Sancti,

hæc ad cauſam noſtram enunciat: *Qui primæ Sedis, imò totius orbis Præſuli reſiſtunt, Chriſti diſpoſitioni reſiſtunt* (*a*).

47. *Carolus Sigonius* de temporibus Pelagii Papæ, & S. Gregorii, texens hiſtorias, auſum Joannis Jejunatoris commemorat, uſurpantis ſibi vocabulum Oecumenici dicens: *Eum ſibi titulum vindicans, qui ex antiquis Conciliorum decretis ſoli Pontifici Romano conveniebat. Quâ re offenſus Pelagius Concilium illud ſcriptis literis infirmarat. Manente indè in ſuâ ſententiâ Patriarchâ, Gregorius, inito Pontificatu, eundem admonuit, ne talem uſurpaſſe titulum vellet, quem Sedis Romanæ proprium eſſe non ignoraret* (*b*).

Petrus de Marcâ Epiſcopus Pariſienſis, vir aliàs Pontifici non multùm benevolus, ità ſenſum Gallicanæ Eccleſiæ, quoàd titulum Oecumenici, exponit: *Duplici nomine ad retinendam cum Romanâ Eccleſiâ Communionem Galli obligantur, quià in Romanâ Sede tùm Univerſalis Eccleſiæ Caput, tùm Occidentalis Eccleſiæ Patriarchatum ſuſpiciunt &c. A Concilii Chalcedonenſis ſocietate alienos ſe eſſe putarent, niſi juxtà ſexcentorum illorum Patrum ſententiam, non ſolùm ſingularum Eccleſiarum, ſed etiam Univerſalis Eccleſiæ Caput Romanum Pontificem profiterentur* (*c*).

Conſentiunt Alexander de Ales (*d*), Durandus de S. Porciano (*e*), Gottofridus Viterbienſis (*f*), Sixtus Senenſis (*g*), Thomas Cajetanus, Albertus Pighius, Boetius Epo, & infiniti alii, quos nimium longum eſſet ſingularitèr recenſere. Unum indicare non omittemus Joannem de Neapoli celebrem Theologum, cujus afferta ſuperiùs verbatim tranſcripſimus (*h*). Nèc tacendum putamus, quod in Monaſterio Acutiano integer aſſervatur ingens Codex antiquiſſimus, incipiens ab anno Chriſti 705. & pergens uſque ad annum 1190. continetque infinita diplomata, inſtrumenta, contractus, aliaque Acta publica, in quorum pleritque dum ſignatur æra Pontificis tunc ſedentis, poſt nomen Papæ, immediatè adjungitur particula, *Univerſalis*. Et ità dicitur, *temporibus Hadriani I. Papæ Univerſalis*, idemque ſequitur ſub Leone III. Paſchali I. Gregorio IV. Marino I. & ſic de aliis; undè patet quod illâ ætate intitulatio hæc adjungebatur nomini Papæ, tanquàm de ſtylo imprevaricabili, & inconcuſſo (*i*).

Si quis autem, ut innuimus, aliquam differentiolam, anathomizando verba, eaque teleſcopio ſeverè perſcrutando, diſtinguat, inter eſſe *Caput Eccleſiæ Univerſalis*: ſeù *totius orbis Præſulem*: vel obtinere *Univerſalem poteſtatem* in totâ Eccleſiâ: ſeù *Univerſæ Eccleſiæ eſſe Patrem, aut Univerſali Eccleſiæ* jura tranſmittere: vel eſſe *Epiſcopum Eccleſiæ Univerſalis*, vel conſimiles loquendi formulas: & eſſe *Pontificem*, vel *Epiſcopum Univerſalem*; genio ſuo in contendendo ſatisfaciat: quippe nos hæc omnia, ſaltèm quantum ad intentum noſtrum pertinet, pro ſynonimis reputamus (quidquid aliàs exiguum aliquod inter ſe diſcrimen valeant continere) cum hæc omnia, vel in ſuo primario conceptu, vel ex naturali verborum ſignificatione, vel ex uſitato modo loquendi, idem ſint, vel reſonent in idem, vel ſaltèm reductivè tendant ad idem (*l*).

SUMMI PONTIFICES.

48. Ex Summis Pontificibus perplures eſt facillimum allegare, qui vocabulo Univerſalis utendo, demonſtrarunt, hunc titulum eſſe Præſuli Romanæ Eccleſiæ condebitum. Etenim *Sixtus* Papa I. (*m*), Victor I. (*n*), Pontianus (*o*), Stephanus I. (*p*), in ſuis epiſtolis ſe *Epiſcopos Eccleſiæ Univerſalis* appellant, quod ut mox innuimus, vel idem eſt, vel in idem reſonat, ac eſſe Epiſcopum Univerſalem. Magna tamen hìc enaſcitur controverſia de auctoritate epiſtolarum, quæ tùm dictis Pontificibus, tùm aliis eorum Succeſſoribus uſque ad Siricium, ſunt communitèr attributæ. Circà quas quià nobis non eſt otium, diſſertatione profuſâ rem medullitùs diſputandi; brevitèr dicimus, quod vel quæritur, an ſunt genui-

næ,

(a) *Hugo Heterian. de proceſſ. Spiritus Sancti l. 3. c. 10.*

(b) *Sigon. de Regn. Ital. lib. 1. ad ann. 595.*

(c) *Petrus de Marca Concord. lib. 1. c. 2. num. 4.*

(d) *Alex. de Ales in 4. qu. 8. 3. membr. 3.*

(e) *Durandus de S. Porcian. in 4. diſt. 24. qu. 5.*

(f) *Gottofr. Viterb. in dedicator. Hiſtor. Univerſal.*

(g) *Sixtus Senenſ. lib. 6. Bibliot. Sanct. annot. 72.*

(h) *Vid. ſupr. tom. 1. ſæcul. 14. c. 42. n. 20.*

(i) *Codex Monaſt. Acutian. n. 194. 195. 196. 202. 210. 299. 348. 400. 449. 467. 506. &c.*

(l) *Card. Baron. ann. 595. n. 51.*

(m) *Sixt. PP. I. ep. 2.*

(n) *Victor. PP. I. epiſt. 1.*

(o) *Pontianus Papa epiſt. 1.*

(p) *Stephan. Papa I. epiſt. 2.*

næ; vel an ſint tantâ præditæ auctoritate, ut rebus, quæ in eis continentur, præſtanda ſit fides. Si primùm, quamquàm ſit difficile hujuſmodi articulum definire, tamèn nos ad affirmativam ſententiam ſumus potiùs, quàm ad contrariam acclines: quippè certum eſt antiquos illos Pontifices aliquas epiſtolas dictitaſſe (*a*), quod apparet ex eo, quià intèr epiſtolas S. Cypriani, epiſtolæ Cornelii Papæ notantur (*b*). Epiſtolæ Julii Papæ I. Apologiæ 2. S. Athanaſii Alexandrini Antiſtitis inſeruntur (*c*). Liberii quoquè Papæ epiſtolæ in fragmentis D. Hilarii Pictavienſis habentur (*d*). Literæ tandèm Damaſi Papæ I. quædam à Theodoreto (*e*), & quædam à D. Hieronymo recenſentur (*f*). Eodem ergò modo, quo iſti quatuor Pontifices epiſtolas pro opportunitate ſuorum temporum inſcripſerunt; ità & alios Pontifices feciſſe idem rationabilitèr eſt credendum: per accidens autem eſt, quod aliæ ſint à Patribus, vel Hiſtoricis illorum temporum memoratæ, aliæ non: cum non omnia noverint omnes, nec omnium rerum ad nos pervenerint hiſtoriæ, quę anteactis ſæculis ſucceſſerunt.

(a) *Franciſc. Counot. apud Ludov. Bail. ſum. Concil. tom. 2. in addition f. 758. A.*
(b) *Cornel. PP. int. epiſtolas S. Cyprian.*
(c) *S. Athanaſ. Apolog. 2.*
(d) *S. Hilar. in fragment.*
(e) *Theodoret. hiſtor. lib 2. c. 22.*
(f) *Epiſtola Damaſ. inter epiſtolas D. Hieronym.*

49. Blondellus Catalaunenſis Calviniſta notiſſimus, illas toto conatu impugnat, lacerat, & proſcindit, ac uſque ad irriſſionem Turriani eaſdem defendentis, procedit (*g*). Natalis ab Alexandro, vir ſuâ eruditione clariſſimus, ipſas pro authenticis non admittit (*h*). Sed mirum eſt quantâ facilitate, hi, & alii ſuper earum falſitatę pronunciant; non eâ modeſtiâ, quâ Cardinales Bellarminus (*i*), & Baronius (*l*), ambigentes nè apocryphæ ſint; de ipſis, labiis titulantibus eloquuntur: ſed hi expeditè, tutè, atquè inconcuſsè, eaſmet de ſpurietate condemnant: Quaſi ad ipſos pertinuerit ſuper hoc negotio judicium Paridis exercere, & inapellabile decretum ſententiâ definitivâ proferre. Sanè rationibus, & ratiunculis, quibus ipſi innituntur; totidem argumenta, & rationes, quæ ſunt pro dictis epiſtolis allegabiles, congruum tribuunt æquilibrium. Quod quatenùs etiam non eſſet, quid probat quęsò, quod abjectus, & lutulentus alicubi ſupponatur eſſe ſtylus earundem epiſtolarum? ſi quid hoc probat; probabit etiam, quod libri Prophetarum ſint ſpurii. Nàm de illis D. Hieronymus ait: *si quando in memetipſum reverſus Prophetas legere cœpiſſem, ſermo horrebat incultus, & quià lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam eſſe, ſed ſolis*: proptèr quod ab Angelo verberatus, citò didicit congruè de Sacræ Scripturæ eloquio ſentire (*m*). Quinimò probabit etiam, quod tota Sacra Scriptura ſit ſpuria, quippè de illâ quandòque D. Auguſtinus ità ſenſit: *viſa eſt mihi indigna, quam Tullianę dignitati compararem, tumor enim meus refugiebat modum ejus, & acies mea non penetrabat interiora ejus* (*n*).

(g) *Blondel. in Pſeudo Iſidorum.*
(h) *Natal. ab Alexand. Hiſtor. Sæcul. 1. diſſert. 20 per tot.*
(i) *Bellarmin. de Pontif. lib. 2. c. 14.*
(l) *Baron. ad an. 865.*
(m) *S. Hieronym. ep. 22. ad Euſtochium.*
(n) *S. Auguſt. Confeſ. lib. 3 cap. 4.*

50. Paritèr quid probat, quod præfatæ epiſtolæ, in eodem ſtylo convenientes, videantur cunctę unius Auctoris manu procuſæ? Exilis nimium, & inconſtans eſt ratio dijudicandi de veritate ſermonum, & Scriptorum, quæ ſacra antiquitas ad nos miſit, & conſonantiâ, vel differentiâ ſtyli, cum & idem Auctor non ſemper, & quotidiè, eâdem ſermonis euphoniâ loquatur, uti patet ex diverſitate ſermonis, quæ in operibus D. Auguſtini diſcernitur: Et quandòque plures Auctores ità in eodem dicendi eloquio conveniunt, ut diſtingui omninò non poſſit, quis ſit verus parens operum, quæ perpenduntur. In tomo III. D. Ambroſii ſunt 23. ſermones, de quibus definiri non poteſt, an ſint fœtus ipſius Ambroſii, an S. Maximi Taurinenſis. Gennadius in libris de viris illuſtrib: tenet epiſtolam S. Leonis ad Flavianum contrà Eutichen, non eſſe ipſius D. Leonis, ſed S. Proſperi Aquitanici: in quo quantùm erret, quiſque eruditus novit. Igitùr ex ſimilitudine ſtyli, vel nulla, vel vix ulla ratio efficax ſumi poteſt de antiquis operibus judicandi; Undè Franciſcus Counot adverſus Blondellum, non expavit hanc exponere theſim: *Identitatem materiæ, ſtyli convenientiam, aliquas etiam ſermonis ſordes exprobrat: at quorſum hęc diligentius inſpecta, nobis magìs favent, quàm ſibi* (*o*).

(o) *Counot ap. Bail. loc. citat. f. 257. 2. E.*

51. Demùm quod præfatę epiſtolę fuerint ignotæ Sanctis Auguſtino, Hieronymo, & aliis Patribus, qui nunquàm de illis memoriam fecerint; quid quæsò hoc pro-

probat? Si quid probat, probabit etiam, quod non dentur Antipodes, quià illorum nullam cognitionem habuit Auguſtinus, qui & imò illos omninò dabiles eſſe negavit (*a*). Probabit quoque, quod falſus ſit canon Nicænus, prohibens ſubintruſionem Succeſſoris Epiſcopo viventi, quià de hoc nullam notitiam habuit Auguſtinus (*b*). Sed quis ità deſipiet, ut hæc admittat? Idem dicendum eſt de aliis argumentis negativis, quæ contrà eaſdem epiſtolas primorum Romanorum Pontificum allegantur: nempè quod Dionyſius Exiguus exordiatur ſuam collectionem à Siricio, nullâ priorum Pontificum ibi epiſtolâ inſertâ: quod Leo Papa IV. decretales enumerans, incipiat à Siricio, nullâ factâ mentione literarum antecedentium. Quod in eis non agatur de hæreſibus, & aliis accidentibus illorum temporum. Hęc, inquam, & ſimilia argumenta negativa nullius ſunt ponderis, & momenti; de quibus egregiè Marta de juriſdictione ſic loquitur; *locus ab auctoritate negativè nullius eſt roboris, & momenti, nàm legitur Joannis cap. ultimo: Multa alia fecit Jeſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Sed cur potiùs inventores hujus rationis optant ex iis, quæ non extant argumenta colligere, & probationes concludere, quam fidem adhibere iis, quæ à Patribus fide digni tradita ſunt, & diuturnâ famâ, atque poſſeſſione confirmata?* Et paulò antè; *Argumentum eſt potiùs deridendum, quàm refellendum; non enim ſufficit ei, qui jura alterius conatur impugnare, ſi oſtendat aliquas ex probationibus, quæ pro ipſo faciunt, abeſſe; niſi ipſe prius ſuam intentionem fundet ità clarè, ut res alitèr haberi non poſſit, ex regulâ Legis: Nequè natales C. de probat. & cap. pervenit eod. titul.* (*e*).

(a) *S. Auguſt. de Civitat. c. 9.*

(b) *Baron. ann. 395. num 32.*

(c) *Marta de juriſd. p. 1. c. 30. n. 5 & 6.*

52. Nolumus ulteriùs in hâc controverſiâ procedere, & rationes ſingulas refutare, ne in molem nimiam præſens augeatur volumen. Satis ſint ea, quæ tetigimus, ex quibus non incongruum erit concludere, epiſtolas ipſas non eſſe ſuppoſititias. Nàm cum rationes, quę illarum favore militant, notabilis momenti ſint, omninò nimium audax eſt, qui eaſdem ſpurias penitùs aſſeveret. Nèc omittimus gratis aſſeri, ex adverſo, nullum Auctorem fide dignum, antè tempora Caroli Magni, ſeu ante principium Sæculi noni, has epiſtolas allegaſſe, quippè, ut ait Cardinalis Bellarminus: *Iſidorus, qui 200. annis antiquior eſt Carolo, in proemio ſui Collectanei Sacrorum Canonum dicit, ità ex Concilio 80. Epiſcoporum collegiſſe canones, ex epiſtolis Clementis, Anacleti, Evariſti, & cæterorum Romanorum Pontificum. Itèm Concilium Vaſenſe can. 6. citat epiſtolas Clementis, ut nunc extant; & celebratum eſt hoc Concilium tempore Leonis I. id eſt 350. annis antè Imperium Caroli. Deniquè Ruffinus, qui annis 400. præceſſit Carolum, præfatione in recognitiones Clementis, à ſe converſas ex Græco, meminit epiſtolæ Clementis ad Jacobum, & eam ſe vertiſſe dicit ex Græco* (*d*). Qui plura de ingenuitate dictarum literarum deſiderat, legat Auctores in margine nominatos (*e*).

53. Sed quatenùs etiam de facto epiſtolæ primorum Pontificum uſquè ad Siricium non eſſent genuinæ; ad intentum noſtrum eſt ſatis hoc, quod jam à 900. annis auctoritatem habent, & vim Canonum in Eccleſiâ: Eaſque Auctores, Concilia, & Canonum Collectores, laudarunt, *quià*, ut fatetur ipſe Natalis ab Alexandro: *uſu receptæ erant in Eccleſiâ, & ab Apoſtolicâ Sede probatæ &c. Illas citarunt occaſione datâ, quià illas quoàd dogmatum veritatem, quoàd diſciplinæ rationem, quoàd judiciorum ordinem ab Eccleſiâ receptas noverant; quorumcumque auctorum eſſent* (*f*). Et infrà, idem Auctor itidèm aſſeverat, eaſdem epiſtolas, etiam ſi non admittantur *uti genuinę*; admittendas tamen eſſe, *uti vim canonum habentes*, quemadmodùm eas admiſit Nicolaus Papa I. (*g*). Petrus quoque de Marcâ eaſmet epiſtolas magnificiendas eſſe retur, quià è ſententiis, & verbis legum, Canonum antiquorum, & Sanctorum Patrum, qui quarto Sæculo floruerunt, eas concinnatas eſſe percenſet (*h*). Porrò Ivo Carnotenſis eas paſſim ſuę Canonum Collectioni interſervit (*i*): Hincmarus Laudunenſis ipſas ad opportunitatem ſuæ cauſæ produxit (*l*). Anſelmus Lucenſis eaſmet adverſus Guibertum Antipapam adhibuit (*m*). Burchardus Vvormacienſis illas in libris decretorum, quos edidit, enuntiavit (*n*).

(d) *Bellarm. de Pontif. l. 2 c. 14*

(e) *Card. Bellarmin. loc. cit. Car. in Baron. an 865 à num. 4. Card. Sfondrat. Gallia vindic. in princip. Ludov. Bail ſum. Conc. tom. 1. fol. 756. Petr. Annati Method ad Theol. lib. 6 cap. 4. Turrianus, & alii.*

(f) *Natal. ab Alexand. Hiſt. Sæcul. 1. diſſert 20. reſp. 3.*

(g) *Idem loc. cit. reſponſ ad 2 argum.*

(h) *Marca l 3. cap. 5 § 1 concord.*

(i) *Ivo Carnot. in ſuo decret paſſim*

(l) *Hincm. Remenſ. opuſc. 55. c. 43.*

(m) *S. Anſelm. Lucenſ. lib. 1. adverſ. Guibert.*

(n) *Burchard. in ſuo decret paſſim*

Citan-

Citantur quoquè à Conciliis Remenſi (*a*), Aquiſgranenſi (*b*), Colonienſi (*c*), Moguntino (*d*), Metenſi (*e*), Triburenſi (*f*), Lateranenſi (*g*), & aliis. Eiſdem Gratianus ſuum volumen Decretorum implevit (*h*). Eis D. Thomas ad confirmanda fidei dogmata uſus eſt (*i*). Eis omnes Theologi Polemici, & Scholaſtici communitèr utuntur; quid ergò ultrà optamus; ut omnes fateri debeant, magnam ineſſe dictis epiſtolis auctoritatem, & quod rebus, quæ in eis continentur, adhibenda eſt fides, ſeu, ut ait Hincmarus Remenſis, ſunt *venerabilitèr ſuſcipiendæ* (*l*). Igitùr quotiès Sixti, Stephani, Victoris, & Pontiani Pontificum, ſuprà memoratorum, epiſtolas allegavimus, in quibus sè Epiſcopos Eccleſiæ Univerſalis inſcribunt; produximùs documenta, quæ jam ſaltèm à nongentis annis vim canonum habent, & Romanum Pontificem eſſe affirmant Epiſcopum Univerſalem. Oſtendant Contradictores documenta magis antiquà, quæ vim canonum poſſideant, & hunc titulum Papæ denegent: & tunc perpendemus, quid ſit eis affatìm reſpondendum. Nàm ne diutiùs in his immoremur, ad alia pertranſimus.

54. *S. Leo Papa I.* ille, cui nomen Epiſcopi Univerſalis in Concilio Chalcedonenſi eſt aſſertum, Marciano Auguſto ſcribens de iis, quæ in eodem Concilio ſunt acta, ità ſe intitulat: *Leo Epiſcopus Romanæ, & Univerſalis Eccleſiç, Marciano Auguſto* (*m*). Et in epiſtolâ ad Eudoxiam Imperatricem, Theodoſi junioris Conjugem, ſic ſe inſcribit: *Leo Romanæ Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, Eudoxiæ Auguſtæ ſalutem* (*n*).

Hadrianus Papa I. in literis ad Conſtantinum VI. Imperatorem datis, & reprobat titulum Oecumenici, quem Cçſar Tharaſio Epiſcopo Conſtantinopolitano fuerat impertitus, & de B. Petro Apoſtolorum Principe ſic effatur; *Cujus Sedes in toto Orbe terrarum primatu fungens, Caput omnium Eccleſiarum conſtituta eſt. Et quamvis B. Petrus Apoſtolus per Domini præceptum rexit Eccleſiam, nihilominùs ſubſequens & tenuit ſemper, & retinet principatum, quod Univerſalis Eccleſiæ nomen nullam magis poterat exequi Sedem, quam primam, quæ & unamquamque Synodum, & ſuâ auctoritate confirmat, & continuatâ moderatione cuſtodit* (*o*).

Stephanus Papa VI. Baſilium Imperatorem coarguens, ob conjecta in Sedem Apoſtolicam improperia, his illum præſertìm redargutionibus increpavit: *Dic age, quis te istà ſeduxit, ut Oecumenicum Pontificem convinciis, & ſcommatis laceſſeres, Sanctamque Eccleſiam Romanam maledictis lacerares, cui oportet ut ſummâ te cum veneratione ſubiicias? An non intelligis, hanc omnibus Eccleſiis præeſſe? Quis tè Pontificum judicem conſtituit? &c.* (*p*).

55. *S. Leo Papa IX.* in epiſtolâ ad Michaelem Conſtantinopolitanum, de acclamatione Epiſcopi Univerſalis, in Concilio Chalcedonenſi factâ S. Leoni M. hujus nominis primo, ſic loquitur: *Magno Leoni Prædeceſſori noſtro, & Succeſſoribus ipſius, hoc Sancta decrevit Chalcedonenſis Synodus* (*q*).

Nicolaus Papa II. in Concilio Lateranenſi ſic ſtatuit: *decernimus ut obeunte hujus Romanæ Univerſalis Eccleſiæ Pontifice, in primis Cardinales Epiſcopi diligentiſſimè ſimul de electione tractantes, mox Chriſti Clericos Cardinales adhibeant &c. Quià verè Sedes Apoſtolica cunctis in Orbe terrarum præfertur Eccleſiis &c.* (*r*).

Innocentius Papa III. prætèr ea, quæ ad Patriarcham Conſtantinopolitanum fusè dictavit, à nobis initio Capituli præcedentis per extenſum producta, ſcripſit Archipresbytero S. Auſtregeſili Bituricenſis hoc modo: *Cum Apoſtolica Sedes, cui, licèt immeriti, præſidemus, univerſis per Orbem Eccleſiis non humanâ, ſed divinâ ſit inſtitutione prælata; juſtum eſt, & conveniens, ut ad eam, tamquàm ad Magiſtram, & Matrem, ſuper diverſis juris articulis referuntur dubiæ quæſtiones &c.* (*s*). Et Epiſcopo Petragoricenſi: *Cum nobis, licèt immeritis, in ſpeculâ Sedis Apoſtolicæ conſtitutis, omnium Eccleſiarum ſit generalis cura commiſſa, nos attentè convenit, ac ſollicitè providere, ut per ſtudium noſtræ ſollicitudinis in ſtatu debito valeat conſervari* (*t*). Et ad Archiepiſcopum Tarraconenſem: *Ad Univerſalis Eccleſiæ ſollicitudinem, licèt inſufficientes, Domino diſponente, vocati, de*

grege

(a) *Concil. Remenſ. ann. 992.*
(b) *Concil. Aquiſgr. ſub Greg. 4.*
(c) *Concil Colon. an. 857. c. 3.*
(d) *Concil. Mogunt. ann. 888. c. 11*
(e) *Concil. Metenſ. an. 887. c. 5*
(f) *Concil. Tribur. an. 895. c. 18.*
(g) *Conc. Later. ſub Caliſt. II. c. 4.*
(h) *Gratian. in decret. paſſim*
(i) *Petr. Annati Method. ad Theol l 6. ar 4*
(l) *Hincm. Remenſ. opuſc. 55. c. 25.*
(m) *S. Leo Papa I. epiſt. 54.*
(n) *S. Leo Papa I. epiſt. 65.*
(o) *Hadrian. 1 ep. ad Conſtantin. Imper.*
(p) *Steph. VI. epl. ad Baſil. in fin. Synod. 8*
(q) *S. Leo Papa IX. epiſt. ad Michael. Conſtantinopol.*
(r) *Nicol. Papa II. in Conc. Later. an. 1059*
(s) *Innoc. III. epiſtol. fol. 41.*
(t) *Idem fol. 221.*

grege nobis commiſſo ſollicitam curam debemus gerere &c. (*a*).

56. *Eugenius Papa IV.* in Bullâ Concordiæ intèr Eccleſiam Græcam, & Latinam, hæc ſolemnitèr definivit: *Itèm definimus, Sanctam, & Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum Orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro, paſcendi, regendi, ac gubernandi Univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodùm etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur* (*b*).

(a) *Idem Innocent. fol. 13.*

(b) *Eugen. IV. Conſtit. 17. §. 8.*

Clemens Papa VI. ſuprà omnes alios Pontifices inſignè perhibet teſtimonium cauſæ noſtræ, dùm nedùm aſſerit Romanum Pontificem eſſe Epiſcopum Univerſalem, ſed quià eſt Epiſcopus Univerſalis, ideò dicit ei competere jus, & liberam facultatem beneficia eccleſiaſtica, prò ejus arbitrio, etiam extraneis conferendi. Nàm objurgans Eduardum III. Regem Angliæ, ob poſitum obſtaculum Reſervationibus Apoſtolicis, faventibus Clericis extraneis, ait: *Profectò dilectiſſimè Fili, illa concordia, quam in tuo Parlamento habitam tuæ deſcribunt literæ, nimis exiſteret temeraria, & Divinis Conſtitutionibus inimica, per quam Apoſtolicæ Sedis Reſervationes, & proviſiones dependerent ex tuæ voluntatis arbitrio, tuque per ipſas poteſtatem ejuſdem Sedis Apoſtolicæ, quod profanam eſt dicere, coarctares: quamquàm nos, qui Eccleſiarum omnium, tamquàm Paſtor Univerſalis eorum invigilamus commodis, uti non intenderimus, nec intendamus Reſervationibus hujuſmodi, niſi quantum utilitatibus, & neceſſitatibus Eccleſiarum ipſarum crediderimus expedire* (*c*). Et aliâ epiſtolâ commonens Philippum VI. Valeſium Gallorum Regem, ob invaſos, malorum Conſiliariorum inſtinctu, abſentium Sacerdotum reditus, & beneficia; ſic illum eccleſiaſticâ libertate interpellavit: *Debuiſſent præfati Conſiliarii, ſi rationis haberent oculos apertos, proſpexiſſe, quod Romanus Pontifex, Paſtor Univerſalis Eccleſiæ Catholicæ, Chriſtique in terris Vicarius, ad quem Eccleſiarum omnium plena noſcitur diſpoſitio pertinere, Prælatos, & perſonas Eccleſiaſticas de quibuſcumque mundi partibus, in quibus Catholicæ fidei cultus viget, ad ſe vocare poteſt, & illos, de quibus ſibi videtur, apud Sedem Apoſtolicam, ſecumque tenere, & nihilominùs ad partes diverſas Mundi deſtinare &c.* (*d*).

(c) *Clemens VI. apud Raynaldum ann. 1344. num. 51.*

(d) *Idem apud eundem ann. 1346. n. 39.*

57. Aliquantò profuſè de voce Præſulis *Univerſalis* hìc peregimus, quia hujuſmodi titulus à Contradictoribus Romano Pontifici anxiè denegatur, quod quàm injuſtè faciant, prudens lector, præſenti, & præterito capitulo perluſtratis, dijudicet. Certè Principum, Conciliorum, Pontificum, Patrum, Scriptorum, Eccleſiaſticorum auctoritates, nupèr allegatæ, quæ jam à quingentis, octingentis, ac pluſquàm millenis annis, Pontifici Romano, titulo Univerſalis Papæ complaudunt; illum eodem titulo dignum prædicant: non honorariè tantum, non pompaticè, non nomine tenùs, ſed rè, juriſdictione, & effectu; eo modo, quo Primas eſt totius Eccleſiæ, non ſolâ nominis pompâ, ſed poteſtatis etiam, & juriſdictionis effectu: Nàm *Romanus Epiſcopus unus eſt jure Divino, cui omnes Chriſtiani parere tenentur, & qui immediatè à Chriſto non honoris ſolùm, aut dignitatis, ſed & poteſtatis, & juriſdictionis Primatum habet* (*e*). Undè patet quàm inſulsè, detortâ ſignificatione, à Contradictoribus appellari tantum poſſe dicatur Epiſcopus Univerſalis, quià ſit talis Antiſtes, *qui ſuâ amplâ charitate invigilet prò bono ſtatu totius Eccleſiæ univerſalis*. Profectò non proptèr hoc dicitur talis, ſed quià Chriſtus Petro primatum ſuper totam Eccleſiam, & iſtius ei ſupremum regimen cum juriſdictione conceſſit, à quo in ſucceſſores primatus ipſe defluxit: adeòque Romanus Pontifex eſt Summus Univerſalis Eccleſiæ Præſul: eſt Sponſus, & Caput Univerſalis Eccleſiæ: per univerſam Eccleſiam jura ſuæ poteſtatis exercet: omnium demùm Orbis Eccleſiarum altam curam gerit, & ſollicitudinem ſupremam univerſitati gentium impendit (*f*): licetque sè Epiſcopum Univerſalem non inti-

(e) *Natal. ab Alexand. Hiſt. ſæcul. 15. diſſert. 4. & ſæcul. 16. Bolog. n. 1.*

(f) *Vid. Gonet. Clyp. Theol. tom. 4. diſp. 4. de Pontif. art. 2. & 3.*

intitulet; hoc nihil facit: nam etiam D. Paulus ad Corinthios inquit: ego autem nullo horum uſus ſum (*a*), nihil nempè ſtipendii ab eis exegit ratione laboris, quo illis Evangelium diffundebat, cum tamen ſe id exigere potuiſſe ibidem ſex doceat argumentis (*b*). Et ità quoquè licèt Papa notam Univerſalis Pontificis ſuis titulis non apponat; apponere tamen poſſet: ac nihilominùs ęquivalenti quodammodò utitur appellatione, cum sè *Epiſcopum Eccleſię Catholicę inſcribit*.

(a) 1. *Corinthior. cap.9.n.5.*

(b) *Vid. ſupra tom.1. ſecul.3. cap.3. n. 22. 23.24.*

58. Porrò charitas non ſoli Papæ commendata eſt, ſed cunctis Epiſcopis, Clericis, & Fidelibus, ut ejus amplitudine sè mutuò foveant, sè viciſſim complectantur, & ſolliciti ſint prò felici ſtatu totius Orbis Eccleſiæ: *Omnia veſtra in charitate fiant*, inquit Apoſtolus (*c*): *In charitate creſcamus in illo, per omnia* (*d*); *Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis* (*e*): *Conſideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum* (*f*): *Antè omnia mutuam in vobis metipſis charitatem continuam habete* (*g*). Si igitur charitas non ſoli Papæ, ſed omnibus Epiſcopis, cunctiſque Clericis, & Fidelibus commendatur; quomodò indè Papa dicendus eſt Epiſcopus Univerſalis, quià ſuâ charitate invigilet prò bono ſtatu Univerſalis Eccleſiæ? Si hoc eſt, jam juxtà doctrinam Contradictorum, non ipſe ſolus Papa, ſed omnes Epiſcopi, cunctique Clerici, & Fideles, maſculi, & fœminæ, erunt Epiſcopi univerſales, quià omnes ſuâ charitate ſatagunt, & ſunt ſolliciti, ut Eccleſia univerſalis ubique floreat, felicitetur, & proficiat. Audiri autem ne poteſt inſipientia deterior?

(c) 1. *Corint. cap.16. num 15.*
(d) *Ephef. c.4.n.15.*
(e) *Coloſs. c.3.n.14.*
(f) *Hebrę. cap.10. num.24.*
(g) 1. *Petri c.4. n.8.*

59. Itàque ad exuberantiam uſque probatum remanet, Summo Pontifici, & titulum, & juriſdictionem Univerſalis Papę deberi, quâ fretus, ſicut alia perplura facere poteſt in totâ Eccleſiâ, ſic poteſt & beneficia totius Orbis non minùs indigenis, quàm extraneis elargiri, uti mox ex conſtitutione Clementis Papæ VI. didicimus (*h*). Et ſi Papa eſt Antiſtes Univerſalis; ſequitur, quod etiam Clerici, Prȩlati, & Cardinales Romanæ Eccleſiæ, ſint Clerici Univerſalis Eccleſiæ, ſeù in Romanâ Curiâ Univerſali Eccleſiæ famulantes, eo modo, & in eo ſenſu, in quo Romana Eccleſia dicitur Eccleſia Univerſalis, juxtà intelligentiam Innocentii Papę III. de quâ ſuprà (*i*): Et in quo Romanus Epiſcopus dicitur Epiſcopus Eccleſię Univerſalis. Cumque ex Contradictoribus, qualis eſt Eccleſia, & Epiſcopus, tales ſint etiam ejuſdem Clerici, pluſquam evidentèr apparet, Cardinales, Clericos, & Prælatos Romanæ Curiæ, vel eſſe Univerſalis Eccleſię Clericos appellandos, vel ſaltèm Clericos, qui Eccleſiæ Univerſali deſerviunt: Et uti Eccleſiæ Univerſali deſervientes, omni humano, naturali, & Divino jure adſtipulante, & poſſunt, & debent alimenta ſuo labori condigna, ſeù beneficia eccleſiaſtica ubilibet obtinere.

(h) *Clem. VI. ap. Raynald. ann. 1346. n. 39.*

(i) *Vid. cap. præced. n.5.*

60. Ad hæc ſi Papa, uti Epiſcopus Univerſalis, & Univerſalis Eccleſiæ ſummus Antiſtes, de beneficiis eccleſiaſticis, in totâ Univerſali Eccleſiâ ſitis, poteſt, etiam favore Extraneorum, diſponere; id etiam facere poſſunt, congruâ proportione ſervatâ, Epiſcopi, aliique omnes, tùm Ordinarii, tùm Delegati beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, reſpectu ad beneficia illorum diſpoſitioni ſubjecta, quatenùs hi ſua jura ſortiuntur, vel ex privilegio Apoſtolico, ipſis per Romanum Papam indulto, vel ex jure communi, ſuam auctoritatem ab approbatione Pontificis accipiente. Et ſic non valet libertas, & poteſtas conferendi beneficia eccleſiaſtica viris extraneis Romano Pontifici detrahi, vel diminui, quin etiam Epiſcopis, aliiſque beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus detrahatur, vel minuatur. Quarè ſtat noſtra ſententia, ut omnibus ritè penſatis, ſit omnimodè concludendum, liberum, & licitum eſſe Eccleſiæ, illiuſque miniſtris, ac in primis Romano Pontifici, ejuſdem Eccleſiæ Capiti, nec non Epiſcopis, aliiſque omnibus, tùm Ordinariis, tùm Delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis elargiri.

R E S P O N S I O

OBJECTIONIBUS LEGALIBUS.

C A P U T XII.

In quo reſpondetur Objectionibus Legalibus, *per Contradictores propoſitis adverſùs libertatem Eccleſiæ, in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis .*

S U M M A R I U M.

1 *Ex lege viri probi ſenſum veritatis, improbi poſſunt motiva educere falſitatis. Contradictores contendunt , quod canones eis favent .*

2 Prima Objectio *Legalis ex* cap. nullus invitis, *cujus vi excluduntur ab Epiſcopatibus extranei , quod locum habet etiàm in aliis beneficiis .*

3 *Canon nullus invitis non loquitur præceptivè , ſed directivè , & de honeſtate . Exceptio electionis extrà gremium uti* frivola *refutatur .*

4 *Ex aliis Canonibus innoteſcit , electionem indigenę depoſci , non de neceſſitate , ſed dè ſolâ honeſtate , juri conſonâ .*

5 *Non eadem eſt ratio ſervanda in beneficiis merè ſimplicibus, ac in Epiſcopalibus , quià intèr ea non currit ęqua proportio .*

6 *Eligendus eſt ad beneficia magìs idoneus , hęcque idonioritas poteſt eſſe cognita Electoribus, etiam quoàd extraneos .*

7 *Ex Turrecrematâ tam Papa , quam Epiſcopi , & alii , ad quos devoluta eſt electio, poſſunt ad beneficia provehere extraneos.*

8 *Tempore quo vigebat forma electionis Canonicæ, debebat eligi vir notus Clero, & Electus habere debebat bonum teſtimonium.*

9 *Quià Canon Cœleſtini PP. non habuerat effectum , ne Magnates intruderent Eccleſiis Pręſules ignotos, vel non gratos, aliæ editę ſunt Sanctiones .*

Ca-

10 Canonem Cæleſtini, uti factum adverſus Magnates, qui Epiſcopos intrudebant, adhibuit Nicolaus PP. contrà Egilonem Senonenſem.

11 Eodem canone uſus eſt Innocentius III. ſcribens Capitulo Capuano, non uti ſanctione faciente legem communem, ſed uti afficiente in caſu violentiæ.

12 Cæleſtini Canon, ſi eſſet præceptivus probaret, beneficia nedùm eſſe Nationalibus conferenda, ſed etiam Clericis localibus.

13 Probaret etiam, quod Collatores beneficiorum, vel ad ea Nominatores, non poſſint beneficia diſpenſare, ſine Cleri, plebis & ordinis conſenſu.

14 Secunda Objectio, deſumpta ex cap. nec emeritis, quo interdicitur, ne Clerici extranei, & ignorati, præponantur Civibus.

15 Canon iſte loquitur de extraneis, non reduplicativè ut extraneis, ſed ut peregrinis, gyrovagis, & ignotis, qui recipiendi non ſunt.

16 S. Honoratus fuit Fundator Monaſterii Lerinenſis, ex quo multi Epiſcopi aſſumebantur ad Epiſcopatatus per Gallias.

17 Refertur declamatio S. Cæſarii Arelatenſis de inſulà Lerinenſi, ex cujus Monaſterio Inſignes viri ſanctitate, & meritis prodierunt.

18 Cap. nec emeritis loquitur non abſolutè, ſed cæteris paribus. Quanta ſit auctoritas Regularum Cancellariæ, & Decifionum Romanæ Rotæ.

19 Plurimi Juriſconſulti aſſeverant, quod beneficia, cæteris paribus, conferenda ſunt indigenis potius, quàm extraneis.

20 Regulæ politicæ, ac jura civilia volunt, quod in multis rebus cives extraneis præferantur: hocque etiam æquitas eccleſiaſtica admittit.

21 Tertia Objectio Legalis, ſumpta ex cap. bonæ memoriæ, ubi Pontifex Eccleſiam Strigonienſem Archiepiſcopo Collocenſi Hungaro contulit.

22 Profitetur ibi Pontifex, ſe non poſſe ſalvâ conſcientiâ extraneum Eccleſię Strigonienſi præficere. Devium eſt à ſacris legibus Præſulem transferre.

23 Velle eſt actus facultativus. Poterat Papa, ſi voluiſſet extraneum, præficere Eccleſiæ Strigonenſi. Principes interdùm nolunt facere, quod poſſent.

24 Actus facultativi non inducunt neceſſitatem, neque ſubjacent præſcriptioni: ideò cap. bonæ memoriæ non probat excluſionem extraneorum.

25 Sex ſuffraganei ſubſunt Archiepiſcopatui Strigonienſi, quorum unum, etſi omnes extranei eſſent, transferri poterat ad Metropolim.

26 Nationalitas, quidquid ſit in Civilibus, in eccleſiaſticis rebus non attenditur: extra locum privilegio Apoſtolico munitum.

27 Pontifex non expavit Eccleſiæ Strigonienſi præficere extraneum, ſed ignotum: De jure Divino eſt, quod promovendus ſit promotori notus.

28 Textus, ubi loquitur de extraneo, dicit, nec vellemus: ubi vero ſermonem habet de ignoto, ait, non poteramus.

29 Non eſt devium, ſed conſentaneum ſacris legibus, quod extraneus beneficiis præficiatur: eſt verò devium, quod Præſul ſinè causâ transferatur.

30 Translationes Epiſcoporum de unâ ad aliam Sedem exorbitant à jure: & Canones illas interdicunt extrà caſus neceſſitatis, & utilitatis.

31 Deerat cauſa neceſſitatis, vel utilitatis pro translatione Epiſcopi Cicenſis, quę, illis deficientibus, fieri non poteſt.

32 Uterque defectus convincitur ex hiſtoriâ poſtulationis dicti Epiſcopi. Innuitur caſus, qui prętendebatur exceptus quoàd res Germanicas.

33 Eugenius III. non tranſtulit Epiſcopum Cicicenſem ad Metropolim Magdeburgenſem, quià tunc deerat cauſa id faciendi.

34 Quarta Objectio, petita ex cap. quoniam de offic. Jud. ordin. quod ubi ſunt populi diverſarum linguarum, & rituum, Epiſcopi locales provideant ſibi adjutores, qui eos inſtruant, & illis Sacramenta miniſtrent.

35 Argumentum retorquetur, quià hæc diverſitas non eſt cauſa ſufficiens diviſionis Epiſcopatus, ſed ſat eſt alitèr rei occurrere.

36 *In Urbe, diverſi ritus populos habente, unus tantum eſt ordinandus Antiſtes. Canones interdicunt, ne uni Civitati duo Præſules preficiantur.*
37 *Quam ſit incommodum cum hominibus diverſi idiomatis converſari. Morum, & rituum diverſitas, unitatem ſolet inter homines dividere.*
38 *In Regulis Cancellariæ cavetur, ne rata habeatur collatio beneficii parochialis Clerico facta neſcio idiomatis illius loci.*
39 *Sine diſpenſatione Apoſtolicâ beneficia curata concedi non poſſunt inſciis idiomatis. At pro ſimplicibus non opus eſt diſpenſatione.*
40 *Ignari idiomatis repelluntur à beneficiis in locis, ubi conſtitutiones particulares exigunt peritiam ejus. At quid de beneficiis ſimplicibus?*

(a) 1. Eccleſiaſt. c. 32 num. 19.

1. Q*VI quærit Legem replebitur ab eâ, & qui inſidioſè agit ſcandalizabitur in eâ* (*a*). Hoc habent humanæ Leges, quod ex eis, ad bonum publicum ordinatis, ſicuti viri probi intellectum veritatis, ſic improbi motiva poſſunt educere falſitatis; non ſecus ac ex floribus, & Apes dulce mel, & Araneæ venenum immedicabile exſugunt. Excurſo igitur per nos corpore legum, invenimus perplures Canones, in præcedentis tomi Capitulis recenſitos (*b*), manifeſtè prò libertate Eccleſiæ, in conferendo beneficia eccleſiaſtica tùm viris extraneis, tùm indigenis, perorantes: ſed quià etiam Contradictores de Legum textu ſibi faventium ubertate præſumunt, nec id niſi, vel ex malè intellectis eorum verbis, vel ex iiſdem, in parvum ſenſum detortis, valet profluere; bonum eſſe cenſemus, quod leges, quæ ſinceritatem indagantibus, ſunt lapis lydius veritatis; Contradictoribus, fraudem quęrentibus, factę ſint *lapis offenſionis, & petra ſcandali* (*c*). Attamèn quià nulli juſtum eſt auditum congruum denegare, jam aggredimur Objectiones Legales, adversùs ſententiam noſtram propoſitas, trutinare, ut & eorum vim ſeriò perpendiſſe dicamus, & libertatem Eccleſię in contradictorio cum Oppoſitoribus propugnaſſe: *veritas etenim quæſtionibus ventilata creſcit*, inquiebat Petrus Cellenſis, *Species aromatica paſtillorum tunſione fragraſcit* (*d*).

(b) Vid ſupr. tom. 1. ſæcul. 12. c. 37. & 38.

(c) 1. Petri cap. 2. num. 8.

(d) Petrus Cellenſis lib. 5. ep. 4.

2. *Arguunt* itàque Contradictores *primo* loco ex *cap. nullus invitis* 13. *diſt.* 61. ubi Cœleſtinus Papa I. ad Epiſcopos Galliæ ſic ſcribit: *Nullus invitis detur Epiſcopus: Cleri, plebis, & ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur. Tunc autem alter de alterâ eligatur Eccleſiâ, ſi de Civitatis ipſius Clero, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus (quod evenire non credimus) poterit reperiri. Primum enim illi reprobandi ſunt, ut aliqui de alienis Eccleſiis meritò præferantur. Habeat unuſquiſque fructum ſuæ militiæ in Eccleſiâ, in quâ ſuam per omnia officia tranſegit ætatem. In aliena ſtipendia minimè alter obrepat: nec alii debitam alter ſibi vendicare audeat mercedem. Sit facultas Clericis renitendi, ſi ſe viderint pregravari, & quos ſibi ingeri ex tranſverſo agnoverint, non timeant refutare* (*e*). Ecce, inquiunt Contradictores, quomodò Canon excludit ab Epiſcopatibus viros extraneos, nec illos admittit, niſi in defectum indigenarum. Quod autem dicitur de Epiſcopatibus, locum etiam habet in cæteris beneficiis minoris ordinis, quippè in eis etiam militat æqua ratio, teſte Abbate Panormitano, hęc ponderante, & dicente, quod dictum caput *nullus invitis licèt loquatur in Epiſcopis, ratio tamen communis eſt ad alia beneficia* (*f*), ergò ſi tunc ſolum de alienâ Eccleſiâ eſt aliquis ab beneficia eccleſiaſtica promovendus, dum propria eſt viris idoneis vacuata; patet, quod ipſa beneficia ſunt ſolis indigenis, excluſis extraneis, conferenda.

(e) Cap. Nullus invitis 13. diſt. 61.

(f) Abbas in cap. ad decorem 5. n. 3. de inſtit.

3. Reſpondetur *primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod Canon *nullus invitis* ſit præceptivus: nam dicimus, illum non eſſe præceptivum, ſed ſolummodò

con-

conſultivum, & directivum; dareque regulam *de honeſtate*, non autèm de neceſſitate ſervandam. Patet hoc evidentèr ex pluribus Canonibus, per nos in probationibus noſtris ſuperiùs allegatis (*a*), quibus expreſsè firmatur libertas Eccleſię in conferendo beneficia eccleſiaſtica, non minus Clericis extraneis, quàm indigenis. Intèr quos canones, cum individuè legatur, exceptionem electionis de alienâ Eccleſiâ, non irritam electionem facere, ſed uti *frivolam* refutari (*b*), evidens eſt, quod canon *Nullus invitis* non de neceſſitate, ſed de ſolâ congruentiâ, & honeſtate præſcribit electionem indigenæ. Patet etiàm ex Gloſsâ in dicto *cap. nullus invitis*, ubi diſputato articulo, an electio extranei, facta à majori parte Cleri, prævaleat electioni indigenæ, factę à minori parte; concludit, quod tenebit electio extranei (*c*). Patet rursùs ex auctoritate Joannis de Turrecrematâ, referentis opinionem Beroi, qui ait: *dico quod primò debet inquirere perſonas vacantis Eccleſię, & eligere de perſonis ipſius, & iſtud de jure debuit fieri per illa jura inducta, ſed ſi hoc non fecerit, nihilominùs valebit electio: nàm multa fieri non debent, facta tamen manent 27. qu. 1. nuptiarum, & 27. diſt. ſi vir. & nunquàm invenies, quod proptèr hoc caſſetur electio* (*d*). Hancque dicit eſſe ſententiam, quam tenet Curia Romana.

4. Patet demùm ex aliis Canonibus, in ipsâ *diſt.* 61. conglobatis, intèr quos, aliqui ſumpti ſunt ex epiſtolis S. Gregorii, qui ſcribit Neapolitanis: *grave Cleri illius erit opprobrium, ut ſi hic fortaſsè approbatus non fuerit; alium ſe dicant, qui eligi debeat, non habere* (*e*). Et iterùm ad Barbarum Epiſcopum ſcribit: *commonemus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de alterâ eligi permittas Eccleſiâ, niſi fortè intèr Clericos ipſius Civitatis, in quâ viſitationis impendis officium, nullus ad Epiſcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri* (*f*). Ex quibus apparet, Papam indigenæ electionem depoſcere, non per modum inviolabilis pręceptionis, ſed per modum ſimplicis commonitionis, & ſolum ad conſulendum honeſtati Cleri, à quo debebat electio celebrari. Titulo autem honeſtatis eligendum eſſe ad beneficia eccleſiaſtica potiùs Indigenam, quàm Extraneum, ultrò conceſſimus, & nunc iterùm concedimus (*g*), dummodò tamen in caſibus practicis ad collatorem beneficii ſpectet definire, quis hìc, & nunc ſit dignior beneficio tali vacante, extraneus, an indigena. Quę honeſtas, uti conſona juri, facit, ut ab aliquibus electio indigenarum cenſeatur eſſe, nedùm de honeſtate, ſed etiam de jure, ideſt de honeſtate, non nudè ſumptâ, ſed uti juri conſona, & ità intelligenda eſſe videtur *Gloſ. cap. cum inter verb. aliam de elect. & ibi Abbaſ. num. 7. Barboſ. lib. 2. vot. 33. lib. 2. n. 17.*

5. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm negando illud ſuppoſitum, nempè quod ratio, dans formam electioni Epiſcopi, ex Clero Eccleſiæ faciendę, ut in *cap. nullus invitus*, æquè militet prò electione ad omnia alia inferioris ordinis beneficia. Nàm licèt electio Epiſcopi aliquam ſervet analogiam cum beneficiis parochialibus, de quibus tamen hìc nobis non eſt quæſtio principalitèr, & in recto; ideòque quoàd ipſa parochialia ſuppoſitum aliquam habere valeat comparationem (*h*), nihilominùs collatio Epiſcopatus cum collatione beneficiorum merè ſimplicium, vel nihil habet commune, vel vix ullam habet proportionem, pręſertìm reſpectu ad intentum noſtrum: plura enim requiruntur ad beneficium Epiſcopale, quæ non requiruntur ad beneficium merè ſimplex. Undè quando Abbas ait, rationem dicti Capituli *nullus invitis*: eſſe communem ad alia beneficia (*i*): quandò *Barboſa* inquit, *rationem communem eſſe ad alia beneficia, & ſi litera de Epiſcopis tantummodò loquatur* (*l*): quandò Gloſſatores epiſtolarum D. Gregorii Magni *lib. 2. ep. 19. num. 4.* affirmant, ut ſequitur: *Cæterùm quod de Epiſcopis ajunt, cæteris quoque dignitatibus, officiis, ſacerdotiis, pari ratione quiſque accommodabit*: intelligendi ſunt de beneficiis parochialibus, non verò de merè ſimplicibus, circà quæ præcipuus cardo noſtrę difficultatis conſiſtit, non excluſis tamen aliis quarumcumque ſpecierum. Quarè quidquid ſit, an in electione Epiſcopi, vel etiam Parochi, olim ſervanda

(a) *Vid. ſupr. tom. 1. ſecul. 3. c. 37. & 35.*

(b) *Cap. cum inter 31. de electione.*

(c) *Gloſſ. in c. nullus invitis. V. Civitatis 13. diſt. 61.*

(d) *Turrecremat. in d. cap. nullus invitis Concl. 3.*

(e) *Cap. ſtudii 15. diſtinct. 61.*

(f) *Cap. obitum. 16. eadem diſt. 61.*

(g) *Gloſ. in cap. ne pro defectu V. aliam 3. de elect. Abbas ibid. n. 7. & in c. ad decorem n. 4. de inſtit. Turrecr. loc. cit. Garcia de benef. p. 7. c. 9. n. 7.*

(h) *Leſſius de juſt. & jur. l. 2. c. 34 dub 14. n. 64. Barboſ. vot. 33. n. 4 l. 2.*

(i) *Abbas in cap. nullus invitis n. 2. diſt. 61.*

(l) *Barboſ. Vot. 33. n. 4. lib. 2.*

eſſet ratio indigenarum, ut de Clero Eccleſiæ vacantis provehi deberet aliquis ad illarum ſpecierum beneficia; hoc nihil afficit Ordinarios, neque Delegatos beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, ut coarctandi ſint ad beneficia merè ſimplicia ſolis indigenis elargienda.

6. Reſpondetur *tertiò*, Canonem *nullus invitis* locum habuiſſe, & reſpectivè habere, prò tempore, & prò locis, ubi proviſiones Eccleſiarum fiebant, & reſpectivè fiunt, per viam electionis canonicæ: nàm cum Electoribus inſit onus eligendi magis idoneum (*a*), idonioritas autem iſta non poſſit eſſe Electoribus benè perſpecta, neque hi de majori idoneitate judicium ferre valeant, niſi viri eligendi ad eccleſiaſticas dignitates ſint eis cogniti (*b*), tametſi alioquin cognitio iſta poſſit haberi diverſo modo, non ſolùm de indigenis, verùm etiàm de extraneis; tamen quià utplurimùm Electoribus ſolent eſſe meliùs cogniti indigenæ, quam ſint extranei; hinc fit, ut Canon *nullus invitis* definiat, eligendum eſſe potiùs aliquem de Clero Eccleſiæ vacantis, quàm extraneum. At ubi, & poſtquàm electionum forma ceſſavit, ad Summumque Pontificem, & Epiſcopos, alioſque, vel Ordinarios, vel Delegatos beneficiorum Collatores, aut ad ea Nominatores, devoluta eſt poteſtas beneficia diſtribuendi, ipſorumque Collatorum, & Nominatorum, conſcientia oneratur, ut congruam de moribus, & meritis promovendorum ad beneficia habeant notitiam; jam illis liberum eſt eademmet beneficia tùm viris ex Clero Eccleſię vacantis, tùm aliis extraneis, prò eorum libito diſpenſare, dummodò ſibi cognitis, vel ex ſè, vel aliorum relatione benemerentibus, atque dignis.

(a) *Cap. licet 8. qu. 1. Gloſ. in c. 2. de off. Cuſtod. Seraph. dec. 942. n. 4. Soto de juſt. & jur l. 3 qu. 6. art. 3. Garcia de benef p. 7. c. 16.*

(b) *Joan. Andr. in tot. titul. de Cleric. peregr. Franc. Marcus deciſ. Aur. qu. 1371. n. 1.*

7. Totum ſenſum hujus veritatis aperit Joannes de Turrecrematâ, qui expendens vim præfati canonis, & quærens, an electio fieri debeat de Clero Eccleſiæ vacantis, quandò electio devoluta eſt ad alios, quàm ad Electores, per hęc, quæ ſequuntur, ſuam profert ſententiam: *Reſpondetur dicendum ſub diſtinctione &c. aut loquitur de Papâ, & tunc ſit iſta concluſio, quod Papa poteſt undecùmque voluerit, providere, ut extr. de elect. bonæ memoriæ, in fin. & ratio eſt, quoniàm ad Papam pertinet plena diſpoſitio beneficiorum, ut de pręb. cap. 2. lib. 6. &c. Aut quęritur de aliis Prælatis, & tunc aut in illâ Eccleſiâ reperitur idoneus aliquis ad talem dignitatem, ad quam facienda eſt electio, aut non. Si non; ſit iſta concluſio 2. quod in hoc caſu poteſt de extraneo providere &c. Si autèm in iſtâ Eccleſiâ reperitur idoneus, tunc ſubdiſtinguendum eſt: Aut quęritur in Eccleſiis Sęcularibus, aut in Regularibus. Si in Sęcularibus, ſit 3. concluſio, Prælatus talis poterit providere de extraneo. Iſta concluſio eſt Ber. Innoc. & Compoſt. in cap. allegat. ne pro defectu. Quæ concluſio probatur ratione illâ, quę inducta eſt pro parte argumentativâ; quod videlicèt non minùs poterit ille, ad quem eſt devoluta eligendi poteſtas, quod poterant Canonici; ſed illi poterant de extraneo providere, ergò* (*c*). Quę autèm hìc dicuntur de Papâ, vera ſunt etiam proportionalitèr de Epiſcopis, aliiſque beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, quippè ad hos talis auctoritas pervenit, vel ex ſpeciali indulto Pontificio, vèl ex privilegio Juris communis, per Pontificem approbati: & ſic in conferendo beneficia, vel ad ea nominando, repreſentant vicem Pontificis, uti ſuprà etiam alibi jam probavimus, præſertim de magnis Principibus diſpenſantibus beneficia, qui quoad hoc ſunt velut organum explicativum voluntatis Pontificis (*d*).

(c) *Turrecrem. in cap. nullus invitis 16. diſt. 61.*

8. Reſpondetur *quartò Cap. nullus invitis*, nec facere, nec unquàm feciſſe legem communem, in omnibus beneficiorum electionibus univerſalitèr obſervandam, ſed ſolùm legem particularem, & proviſionalem, prò illis tantùm locis, & caſibus adhibendam, in quibus vis aliqua fieret electoribus, aut electioni. Notum eſt, quod olim, quando forma canonicæ electionis vigebat, electio fieri debebat à Clero, coaſſiſtente illi populo, & eligi perſona utriſque nota, ut *vel detegantur malorum crimina*, inquit S. Cyprianus (*e*), *vel bonorum merita prædicentur: & ſit ordinatio juſta, & legitima, quæ omnium ſuffragio, ac judicio fuerit*

(d) *Marta de juriſdic. p. 4. cent. 1. caſ. 46. n. 13. de Luca de benef. diſc. 9. n. 12. Lotter. de benef. l. 1. qu. 6. n. 46. Fagnan. in cap. quod nobis n. 42. de clandeſt. deſponſ.*

(e) *S. Cyprianus epiſtol. 68.*

fuerit examinata. Inſinuavit hoc primò Apoſtolus, dùm dans formam electioni Epiſcopi definivit: *oportet autèm illum & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli* (*a*). Attamen aliquandò, & ſæpè Magnates laici, & alii potentiâ, & viribus prævalentes, Epiſcopos ignotos, minuſque Clero gratos Eccleſiis vacantibus intrudebant: celebriſque eſt intruſio facta à Conſtantio Imperatore, Gregorii Cappadocis in Sede Alexandrinâ, quem *peregrinum, & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque poſtulatum à Presbyteris, neque ab Epiſcopis, neque à populo*, fecit Alexandriam ducere, *non cum Presbyteris, aut Diaconis Civitatis, non cum Epiſcopis Ægypti, ſed cum militibus*, uti deploravit Julius Papa I. (*b*). Hunc ergò & ſimiles exceſſus, & violentias connotans Cœleſtinus Papa, legem illam ſancivit *in dicto Cap. nullus invitis* contentam, ne inpoſterùm per Magnatum potentiam, quiſquam in Epiſcopales Cathedras inſiliret: legem inquam de ſe directivam, & in ſolo caſu violentię illatę Electoribus, pręceptivam.

(a) 1. *ad Timotheum cap. 3. n. 7.*

(b) *Julius PP. I. ap. S. Athanaſ. Apolog. 2.*

9. Verùm lex hujuſmodi uſque tùnc improſperum obtinuit effectum, dùm apud S. Leonem, qui octennio poſt S. Cœleſtinum ad Summi Pontificatus apicem provectus eſt, hæc leguntur, ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis directa, & totidem gemitibus, quot apicibus deplorantia: *Militaris manus per Provincias ſequitur Sacerdotem, & armatis præſumptione ſuffulto ad invadendas per tumultum ſimulatur Eccleſias, quæ proprios amiſerint. Traduntur ordinandi ad hoc officium his, quibus præficiendi ſunt, Civitatibus ignoti. Ut enim notus qui fuerit probatus per pacem petitur, ità per vim neceſſe eſt, qui ignotus adducitur, imponatur* (*c*). Cui abſurditati, cum nec D. Leonis auctoritas valuiſſet adhùc occurrere; Concilium Nicænum II. canonem oppoſuit, ſic ſonantem: *omnem electionem, quæ fit à Magiſtratibus, Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam manere, ex Canone, dicente: Si quis Epiſcopus, Magiſtratibus ſæcularibus uſus, per eos Eccleſiam obtinuerit, deponatur* (*d*). Ipſiuſque Nicæni Canonis auctoritate non adhùc prævalente, Concilium Conſtantinopolitanum IV. Generale VIII. hanc, quæ ſubſequitur, Sanctionem adjecit: *Sancta, & Univerſalis Synodus definit, neminem laicorum Principum, vel potentum ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi, nè videlicèt inordinata hìnc, & incongrua fiat confuſio, vel contentio: præſertim cum nullam in talibus poteſtatem, quemquam poteſtativorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat, ſed potiùs ſilere, ac attendere ſibi, uſquequò regularitèr à Collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis. Quiſquis autem ſæcularium Principum, & potentum, vel alterius dignitatis laicæ adversùs communem, ac conſentaneam, atque Canonicam electionem eccleſiaſtici ordinis agere tentaverit, anathema ſit &c.* (*e*). Conſonant & Concilium Pariſienſe (*f*), ac Laodicenum (*g*), ſimilia ſancientia, quæ corpori canonum ſunt inſerta.

(c) *S. Leo PP. I. epiſt. 84.*

(d) *Concil. Nicæn. II. c. 3. cap. ſi quis Epiſcopus 7. quæſt. 7. c. omnis diſt. 63.*

(e) *Concil. Conſtantinopol. IV. cap. 22.*

(f) *Cap. ſi per 5. diſtinct. 63.*

(g) *Cap. non eſt 6. ead. diſt. 63.*

10. Solas ergò violentias Potentium impetens Cœleſtinus Papa I. illam epiſtolam edidit, ex quâ Canon *nullus invitis* procuſus eſt, eamque in hoc ſenſu ſuſcepit Nicolaus PP. I. cum provectionem Egilonis Monachi ad Eccleſiam Senonenſem improbavit, potentiâ Caroli Calvi Francorum Regis factam, quem de hâc prevaricatione canonum objurgavit, ob prefatum Cœleſtini decretum: *quià*, inquit, *periculoſum eſt talitèr omnes miniſtros Eccleſię, & eis improviſum, & non optatum præponere* (*h*). Duo enim mala indè conſequi neceſſe erat: primò, quod Eccleſiæ Clerici parvipendi videbantur, dùm eis reluctantibus, & jure electionis, quâ ſecundùm canones pollebant, ſpoliatis, alter inopinatus pręficiebatur, & ideò provectionem Egilonis, ad eum ſcribens Nicolaus, vocavit *conculcationem ſacrorum Canonum, & aſpernationem Clericorum* (*i*). Secundò, quod ità promotus contemptui Cleri, & populi, cui pręponebatur, expoſitus erat, & ità contempti, & aſpernati fuerunt; ac reſpectivè rejecti, Panſophius à Nicomedienſibus (*l*). Pro-

(h) *Nicol. PP. I. epiſtol. 2.*

(i) *Idem Nicol. PP. I. epiſt. 20*

(l) *Cardin. Baron. t. ann. 400. n. 85.*

(a) *Socrates hiſtor. lib.7.c.28.*

Proclus à Cyzicenis (*a*), & alii ab aliis, quià ſibi parùm grati. Per textum ergò *capituli nullus invitis*, non electio extranei, ut extranei, repellitur, ſed uti per violentiam Magnatum, & irregularitèr introducti, cum contemptu eligendi jus habentium, ad quos pertinebat illum præficere: & uti minùs grati illis, apud quos ad miniſterium Epiſcopale exercendum deputabatur; extrà quem caſum canon nullatenùs afficiebat.

(b) *Bald. conſ. 174. & 247. col 2. n. 4. vol. 1. Mandoſ. ad reg. 20. Cancel. qu. 9. n. 8.*

11. Verùm non opus eſt Gloſsâ, vel interpretatione, ùbi textus eſt clarus (*b*). Nàm cum dicat textus dicti cap. *nullus invitis detur Epiſcopus &c. Sit facultas Clericis renitendi, ſi ſe viderint prægravari, & quos ſibi ingeri ex tranſverſo agnoverint, non timeant refutare*; patet quod Canon, unicum, & ſolum percutit caſum, in quo, mutilatis jure eligendi Epiſcopum illis, ad quos ſpectat eligere; per vim, & ex tranſverſo, eiſque invitis, extraneus ad Eccleſiæ regimen deputatur. Sic expoſuit hunc textum Innocentius Papa III. in epiſtolâ ad Archidiaconum, & Capitulum Capuanum, ubi poſtquàm recenſuit, *reperiri cautum in canone, ut tunc alter de alterâ eligatur Eccleſiâ, cum nullus in propriâ fuerit repertus idoneus*, adjungit, *præſertim cum illud decretum locum videatur habere, quandò, Clericis renitentibus, & invitis, per alicujus violentiam poteſtatis extraneus ingeritur ex adulterio: proptèr quod ſequitur in decreto, ut ſit facultas Clericis renitendi, ſi ſe viderint prægravari &c.* (*c*). Undè Canon præfatus, excludens exteros in præciſo caſu violentiæ Electoribus illatæ, non facit legem communem in omnibus beneficiorum electionibus, & proviſionibus obſervandam, ſed ſolùm legem particularem, in illo præciſo caſu attendendam, in quo Electoribus fit violentia, & ſic canon nedùm non urget contrà nos, ſed imò retorquetur adversùs Contradictores: nàm vel debet ſolummodò proficere Papæ, Epiſcopis, aliiſque Ordinariis, vel Delegatis beneficiorum Collatoribus, aut ad ea Nominatoribus, ſi quis in beneficia per violentiam introducatur, eis inſciis, & invitis, utpote qui in locum Electorum, ubi forma electionis obſolevit, ſucceſſerunt; Vel ubi eadem forma electionis adhùc viget, prodeſt Electoribus in illo mero, & individuo caſu, quo eis fiat violentia, vel libertas electionis adimatur. Cumque exceptio firmet regulam in contrarium (*d*), evidens remanet, quod in aliis caſibus non exceptis, ſeu in quibus nulla fit violentia Electoribus, nec eorum libertas attenuatur, neque proviſio beneficiorum fit per electionem, ſed per liberam collationem, vel nominationem; canon *nullus invitis* locum non habet, liberaque eſt extraneorum, non minùs quàm indigenarum, ad beneficia eccleſiaſtica deputatio.

(c) *Innocent. PP. III. epiſtolar. f. 436.*

(d) *L. quæſitum §. deniq. ff. de fund inſtrum Seraph. deciſ. 1251. n. 1. & 23. Barboſ. tr. div. Axiom. 85. num. 4.*

12. Reſpondetur *quintò*, argumentum nihil probare, quià probat nimium, ex duplici capite. Nàm primò ſi canon eſſet præceptivus, probaret, quod nedùm promovendi ſunt ad beneficia Nationales, ut eſt intentum Contradictorum, & Provinciales, ac Diœceſi; ſed etiàm illi ſoli Clerici urbani, aut locales, qui corpus Eccleſiæ viduatæ componunt, dicit enim: *tunc alter de alterâ eligatur Eccleſiâ, ſi de Civitatis ipſius Clero, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri*: ſicque ſi auctoritas *canonis nullus invitis* attendenda eſſet, coarctarentur nedùm Papa, ſed etiam reſpectivè Imperator, Reges, & Epiſcopi, aliique, tùm ordinarii, tum delegati beneficiorum Collatores, & ad ea Nominatores, ac etiam Electores, ubi electionis adhùc forma ſubſiſtit, ad beneficia elargienda ſolis, & meris Clericis de gremio Eccleſiæ vacantis. Quis autèm hos omnes beneficiorum diſpenſatores ad tantam anguſtiam redigere attentabit? Hanc rationem infrà uberiùs proſequemur, ideò ab eâ nunc conſulto deſiſtimus. Secundò probat nimiùm ob illa verba, in ipſo canone *nullus invitis* contenta: *Cleri, plebis, & ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur*, quibus conſentanea ſunt alia, quæ in alio Canone connotantur: *Si in plebibus Archipresbyteri obierint &c. Archidiaconus &c. cum Clericis, & populis ipſius plebis, electionem faciat* (*e*). Cohærent quoquè alia, ex eadem epiſtolâ Cœleſtini deprompta, *Cleri, plebis, & ordi-*

(e) *Cap. ſi in plebibus 20 diſtinct. 63.*

ordinis conſenſus, *& deſiderium requiratur* (*a*).

13. Juxtà ergò canonem *nullus invitis*, adſtipulantibus aliis canonibus mox citatis, nec Papa, nec Epiſcopi, nec alii præfati beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, poſſent licitè beneficia elargiri, niſi adhibito *Cleri*, *plebis*, *& ordinis conſenſu*, *& deſiderio*: Ecquis autèm eoſdem, vel aliquem eorum, reconvenire poterit, ut beneficia nulli audeant impertiri, niſi præhabito Cleri, & Populi Eccleſiæ vacuatæ conſenſu? Inſaniret, ſi quis hanc normam eis præfinire attentaret: Attamèn Canon dictum conſenſum diſertis literis prerequirit. Cur autèm Contradictores ipſum conſenſum, nunc neceſſarium non eſſe affirmabunt, ſi cenſent extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis excludendos? Nonnè individuus eſt canon iſte? Nonnè utrumque inibi definitur, & excluſio extraneorum, & conſenſus Cleri, ac Populi? Quâ ergò de causâ uni eorum ſinè altero locum præbent? Certè utrumque in Canone decernitur; ergò vel utrumque nunc ſervandum eſt, vel neutrum. Si utrumque, ergò cum Papa, Imperator, Reges, Epiſcopi, & alii ſupradicti, beneficium ſunt collaturi, vel reſpectivè ad illud nominaturi, oportebit, ut per ipſos *vota civium*, *teſtimonia populorum*, *honoratorum arbitrium*, *& electio Clericorum expectetur* (*b*). Oportebit ut *cleri*, *plebis*, *& ordinis conſenſum requirant* (*c*). Quod cum jam ineptum ſit ab ipſis expetere; ineptum etiam dicendum eſt contendere, quod ab eiſdem non niſi indigenæ poſſint beneficiis eccleſiaſticis inſigniri.

14. *Arguunt ſecundò loco* Contradictores *ex cap. nec emeritis*, ubi Pontifex ſic eloquitur: *Nec emeritis in ſuis Eccleſiis Clerici peregrini*, *& extranei*, *& qui antè ignorati ſunt*, *ad excluſionem eorum*, *qui benè de ſuorum civium merentur teſtimonio*, *præponantur* (*d*). Canonem hunc Monachos Lerinenſes proſpexiſſe quidam cenſet (*e*), eo quod cum eorum Monaſterium in inſulâ Lerinenſi eſſet ſitum Diœceſis Forojulienſis, multumque floreret virtutibus, & ſanctitate, ſæpè contingebat, ut indè Monachi extraherentur, & in Epiſcopatus honore Gallicanis Eccleſiis præficerentur. Coarguit ergò Cœleſtinus Pontifex hoc factum, datiſque literis ad Epiſcopos Provinciarum Viennenſis, & Narbonenſis, diſtrictè interdicit, ne inpoſterùm extranei vacantibus Sedibus intrudantur. Et licèt ibi ſermo ſit tantummodò de extraneis, ſuffurantibus Epiſcopale culmen; ratio tamèn ab Epiſcopatus adeptione arcens extraneos, militat æquè pro deputatione ad alia minora beneficia, undè ait Landtmeter: *Vetitum quoquè alienum Clericum ordinare*, *& ſtipendia hujus*, *aut illius Eccleſiæ*, *aliis impendere. In hunc ſenſum decrevit Cæleſtinus Papa*, *nec emeritis in ſuis Eccleſiis extranei præponantur: habeat*, *inquit*, *unuſquiſque ſuæ fructum militiæ: in aliena ſtipendia*, *minimè alter obrepat*, *& quidem generalia hæc Cæleſtini verba ſunt*, *& quæ ad promotionem cujuſuis Clerici poſſunt extendi*, *quamvis de electione Epiſcopi ei ſermo ſit &c.* (*f*).

15. Reſpondetur *primò*, jam ſuprà ſatisfactum eſſe argumento hujus Canonis, qui quoniàm deſumptus eſt ex eâdem epiſtolâ Cœleſtini, ex qua decerptus eſt *cap. nullus invitis* 13. *diſt.* 61. reſolutio primi ſubſervit expeditioni ſecundi: quatenus quidquid contrà primum adductum eſt, enervat etiam definitum in ſecundo. Quarè ex quinque reſponſionibus datis dicto *cap. nullus invitis*, eligant Contradictores quam maluerint, illamque, vel illas omnes adaptent Canoni, *nec emeritis*, & habebunt adequatam argumento, quod nunc exibent, reſponſionem. Attamèn ex abundanti, alia adhùc ſubjungimus, eidem Canoni enodando proficua: & in primis dicimus, per illum arceri à beneficiis extraneos, non reduplicativè ut extraneos, ſed uti *peregrinos*, & *ignotos*: quod patet ex ipsâ literali textus lectione, quâ cavetur, ne Clericis emeritis *peregrini*, *& anteà ignorati* præponantur. Quapropter hujuſmodi Canon illos Clericos non comprehendebat, nec nunc comprehendit, qui etſi origine ſunt extranei, virtutibus tamèn, famâ, doctrinâ, & ex proborum virorum relatione ſunt Electoribus, Collatoribus, vel Nominatoribus benè cogniti. Hos enim, quantumcumque advenas: & extraneos, licuit, ſemperque lice-

(a) *Capit Cleri.* 26. *eodem diſtinct.* 61.

(b) *Cap Vota* 27 *eadem diſtinct.* 61.

(c) *Cap. nullus invitis* 13. *diſt.* 61.

(d) *Cap. nec emeritis* 12. *diſt.* 61.

(e) *Queſnel. in not. ad epiſt.* 13. *n.* 14. *S. Cœleſt. I.*

(f) *Laurent. Landtmeter. de veter. Cleric. & monac. c.* 30.

Digitized by Google

licebit, ad officia, & beneficia ſacra prouehere, ad differentiam peregrinorum gyrovagantium, & ignotorum, quos non recipi, & multò minùs ad munia eccleſiaſtica provehi, ſacri Canones permiſerunt (*a*).

(a) *Cap. hortamur. diſt 61. c. illud c. Clericos c. extraneo diſt. 91. c. fin. de elect. c. tè nobis de cler. peregr.*

16. Reſpondetur *ſecundò*, *capit. nec emeritis* quatenùs etiam comprehenderet omnes extraneos, quod negamus, loqui, non de rigore juris, & de neceſſitate, ſed de congruo, *& de honeſtate*: quod probamus ex eo, quod ipſe canon, ut innuimus, deſumptus eſt ex epiſtolâ Cœleſtini ad Epiſcopos Galliæ, pulſatque electiones Epiſcoporum nimium frequentèr factas ex Monaſteriis, & fortè, ut indicatum fuit, ex Monachis Lerinenſibus, quorum inſtitutor fuit S. Honoratus (*b*), factus & ipſe poſteà anno 426. Epiſcopus Arelatenſis (*c*). Sanè ex hoc Cœnobio vix erecto, ſtatim cęperunt Epiſcopi per totas Gallias diffundi; quorum ingens examen ſe per Gallias ſuâ jam ætate effudiſſe, teſtatur Sidonius Apollinaris (*d*), qui floruit anno 456. & in eo panegyricam orationem Avito Cęſari recitavit (*e*). Pontificatus autem Cœleſtini exordium habuit anno 423. & deſiit anno 432. Cumque nedùm antè illius tempora, ſed etiam longè poſt, continuaverint multi Epiſcopi ex Monaſterio Lerinenſi deſumi; neceſſarium eſt dicere, decretum Cœleſtini, non de neceſſitate, ſed de honeſtate eſſe locutum. Continuavit, inquam, diù poſt Cœleſtinum, electio Epiſcoporum Galliæ ex Monaſterio Lerinenſi, quippè Sanctus Cæſarius, qui & ipſe inibi fuerat Cœnobita (*f*), & indè ad Epiſcopatum Arelatenſem provectus eſt, ità de eodem Cœnobio, & inſulâ ſonantibus vocibus declamavit.

(b) *Card. Baron. an. 445 n. 20.*
(c) *Idem Baron. an. 426 n. 16.*
(d) *Sidonius Apollinar. Carm. 16. & lib. 8. ep. 4. & l. 9 ep. 3.*
(e) *Card. Baron. ann. 456. n. 1.*
(f) *Vide ſuprà to. 1. Sæcul. 5. c. 10. ſ. 23.*

17. *O felix, & beata habitatio Inſulæ hujus*, (nempè Lerinenſis) *ubi tam ſanctis quotidie, & tam ſpiritualibus lucris gloria Domini Salvatoris augetur, & tantis damnis Diaboli nequitia minoratur. Beata, inquam, & felix inſula Lerinenſis, quæ cum parvula, & plana eſſe videatur, innumerabiles tamèn montes ad Cœlum miſiſſe cognoſcitur. Hęc eſt quæ eximios nutrit Monachos, & præſtantiſſimos per omnes Provincias erogat Sacerdotes: Ac ſic quos accipit filios, reddit patres: & quos nutrit parvulos, reddit magnos: & quos velut tyrones excipit, Reges facit. Nàm omnes quoſcumque felix, & beata habitatio iſta ſuſceperit, charitatis, & humilitatis pennis ad excelſa virtutum culmina Chriſto ſublimare conſuevit: Quæ res cum penè in cunctis habitatoribus loci iſtius fuerit feliciter conſummata; tamèn reſplendentibus meritis meis, in mè non probatur impleta. Cum enim parvitatem meam hæc ſancta inſula, velut præclara mater, & unica, ac ſingularis bonorum omnium nutrix, brachiis quondam pietatis exceperit, & non parvo ſpatio educare, vel nutrire contenderit, licet reliquos ad virtutum culmina evexerit, à me tamèn, quià cordis mei duritia contradicit, omnes negligentias auferre non potuit. Et ideò cum omni humilitate ſupplico, & totâ cordis contritione depoſco, ut quod negatur meis meritis, veſtris orationibus ſuppleatur &c.* (*g*). Si ergò tempore S. Cęſarii, qui pluſquam centum annis fuit Cœleſtino poſterior, paſſim Lerinenſe Cœnobium Eccleſiis Gallię ſuos Monachos præficiebat; incredibile eſt, quod epiſtola decretalis ejuſdem Cœleſtini, & Canon *nec emeritis*, ex eâ ſumptus, fuerit præceptivus, dum loco eradicandi abuſum prætenſum, potius effectum oppoſitum produxit: nec certè potuit Canon eſſe præceptivus, ſi præfatos Cænobitas à captandis Epiſcopalibus Cathedris non coercuit.

(g) *S. Cæſarius Arelat. ſ. homil. 25.*

18. Reſpondetur *tertiò*, textum *cap. nec emeritis*, loqui non abſolutè, ſed comparativè, ideſt *cæteris paribus*, itàut præcipiat excluſionem extraneorum, non ſemper, & quandocumque, ſed ſolum tunc, cum æquè digni ex indigenis ad beneficia concurrunt: tunc enim pręferendos eſſe indigenas extraneis, & nos jam ſuprà theologicè demonſtravimus, & nunc hìc iterùm legalitèr comprobamus: primò auctoritate ſacrorum Canonum, & præſertìm *cap. obitum diſt. 61. cap. Metropolitano. cap. Sacrorum diſt. 63. cap. ne pro defectu de elect. cap. fraternitatem de cler. non reſid. cap. te nobis junct. gloſ. in verb. ex diſpenſatione de cler. peregr. cum aliis ſupr. allegat. num. 3. & ſeq.* Secundò auctoritate Regularum Cancellariæ Apoſtolicæ,

quas

quas habere vim legis, tenent varii Doctores (*a*). Et ità declaraſſe *Rot. dec.666. n.5.verſ.undè reſpectu par.1.rec.teſtatur Lotter.de benef.* (*b*). Imò & unamquamque Regulam vim habere legis ſeparatæ obſervat Gonzal.ad 8. Reg. Cancel. (*c*); Regula enim 16. ità ſonat: *Itèm voluit, quod concurrentibus ſuper vacantibus, ſeù certo modo vacaturis &c. cæteris paribus, oriundus non oriundo, & Diœceſanus non Diœceſano &c. præferatur*: Tertiò auctoritate Rotę Romanæ, quæ juxta Gomez (*d*), facit opinionem communem, & ejus deciſiones habere vim legis communis, innuunt *Guttierez* & alii (*e*), quâ de rè ſuprà uberior habitus eſt ſermo (*f*). Ipſa enim Rota in unâ Calaguritanâ de Lequeitio coram Gypſio, cohærentèr ad ea, quæ continentur in cap.nullus, & cap.nec emeritis, ita decidit; *attentâ juris communis diſpoſitione, naturalibus, ſeù filiis patrimonialibus potiùs quàm extraneis debent beneficia conferri. cap.nullus 61.diſt.& licèt loquatur in Epiſcopis, nihilominùs ratio textus militat etiam quoàd alia beneficia.*

19. Quarto idem probamus auctoritate Doctorum Juriſprudentum, qui conſonâ voce affirmant, ad beneficia eccleſiaſtica indigenas eſſe extraneis præferendos *Abbas & Innoc.in cap. te nobis 5.de Cler. peregr. Mandoſ. ad Regul. Cancel.16.qu.41.& 43.Guittierez conſ.2.n.23.& 24.Surd.de alim.tit.1.qu.93.n.9. Rebuff. de nomin.qu.9.n.57.Oliban.de jur.Fiſc.cap.12.n.14.Perez l.1.tit.3. l.18.in gloſ.verb.queninguno. Cabedo de juſt.patron.Reg.Coron.p.20.per tot. Azeved.tom.1.l.1.tit.3.l.14 n.1.& ſeq. Barboſ.in collect.tom.1.l.1.tit.5.c.4.nu.7.& in Conc.Trid.ſeſ.24.cap.18. n.130. Garcia de benef.p.7.c.9.n.5.Franc.Marc.dec.aur.du.1371.n.13. Fuſc.l.2.c.2 n.14.Ricc.p.3.reſ.275.n.1.& 2. Perez de Lara de anniverſ.l.2.c.3.n.19.& ſeq. Put. dec.254.p.1.Ugolin.de off.Epiſc.cap.50.§.7.n.4. Covarruv.pract.qu.cap.35.nu.5. Valenzuel.conſ.34.n.69. Roceb. de jurepat.verb.honorificum n.47.48. Coraſ.3.p.c.5.n.9 Ramirez tract.de leg.Reg.§.27.n.16.Humada in l.13.tit.15.p.1.gloſ.2.n.4. Selva de benef.p.3.qu.26. Bernard.Diaz.pract. c.55. & ibi Salzed. Hojeda de incompatibil. c.13.n.85. Flamin.de reſign.tom.1.l.4.qu.7. Gonzal.ad reg.8. Cancel.gloſ.9.§.1.n.37. Ceval.commun.qu.693.Rebuff. in tract.nomin.qu.9.num.38*, & alii unâ voce idipſum ſentientes, ità nihilominus intelligendi; ut cœterorum paritas intèr extraneum, & indigenam, non ab alio ſit dijudicanda, quam ab ipſo diſpenſatore beneficii conferendi.

20. Quinto idipſum probamus ex ipſâ eccleſiaſticæ æquitatis ratione, civili convenientiæ, ac legalibus, & politicis regulis innitente: nàm quoàd regulas politicas, docet Ariſtoteles, quod Civis nullâ magis aliâ rè differt ab exteris, quàm participatione officiorum publicorum (*g*), & de Civibus Romanis loquens Cicero, ait, potiores ſunt nobis Cives, quàm peregrini (*h*). Hincque extraneos ab Urbe Româ expulit lex Papia de Civitate, à Cajo Papyrio Tribuno plebis edita, de quâ Cicero in Orat. pro Balbo, & Archia (*i*), atque Dio, & alii (*l*). Cujus legis intuitu damnata fuit Romæ memoria Marci Perpennæ, eo quod, cum non eſſet Romanus Civis, vivens attamèn triumphaverat (*m*). Curtius quoque refert Scythas Alexandro Macedoni reſtitiſſe, ne illis dominaretur, optantibus Principi naturali ſubeſſe, magìs quàm extraneo, eo quod nemo alienigenam Dominum pati vult (*n*). Quoàd regulas vero legis Civilis, Jura præfiniunt, extraneos eſſe indigenis pręferendos in multis, & præſertìm in his, quæ ſequuntur: In publicis negotiis adminiſtrandis (*o*). In Prętura urbanâ gerendâ (*p*). In tutelis adminiſtrandis (*q*). In ſubventionibus, & eleemoſynis percipiendis (*r*). In poſſeſſione rerum (*s*), & in aliis rebus, quas ſuperfluum eſt hìc profuſiùs allegare. Ex his autèm patet, quod politicè, & civilitèr, ſeu legalitèr loquendo, indigenæ ſunt extraneis pręferendi. Cumque æquitas eccleſiaſtica civilibus etiam, & politicis regulis, ac legibus, ubi non contradicunt ſacris Canonibus, innitatur (Nàm *ſicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ità ſacrorum canonum inſtituta conſtitutionibus Principis adjuvantur* (*t*): & ut alibi dicit Gloſſa: *quando deſunt canones tunc leges citari poſſunt* (*u*), adeòque in cauſis etiam eccleſiaſticis interdùm locum

(a) *Barboſ.de off.Epiſcopi alleg.57.nu.61. Gomez ad reg.Cancel. qu.2.proœm n.11. Felin.in c.2. de reſcript. Mandoſ. in Proœm. Regul n.2.*

(b) *Lotter.de benef. l.2.qu.39.n.2.*

(c) *Gonzal.ad Regul. 8.Cancel.gloſ.1.n.8.*

(d) *Gomez in regul. Cancel.quæ proœm.2. num.10.*

(e) *Guttierez pract. qu.l.2.qu.16.num.64. Barboſ.in cap. in cauſis 19.de ſent.& rè judic.Engel. Colleg.jur. p.1.proœm.n.17.*

(f) *Vide ſuprà. to.1. Secul.16. c.9. n.8.*

(g) *Ariſtotel. lib.3. politicor cap 1.*

(h) *Cicero de Amicitia.*

(i) *Idem Cicero de officiis 3.*

(l) *Dio. Caſſius hiſtor.l.37.*

(m) *Valerius Maxim. l.1.c.4.§ 5.*

(n) *Quintus Curtius l.b.7.*

(o) *Leg.un C.ſi Curialis relict.Civit.l.10*

(p) *L. fin.C.de off. prætor.*

(q) *Leg.divus ff. de Tutor.& Curator.*

(r) *L.2 ubi Bart.C. de annot civil.l.11.*

(s) *L.unic.C.non licere hab.metroc l.11*

(t) *Capit.1. de novi oper nuntiation.*

(u) *Gloſ.in capit. In adjutorium diſt.10.*

habeat diſpoſitio juris Civilis); hinc fit quod ex prefatis juribus benè argumentum ſumitur inferendi, quod indigenæ, in conſequendis eccleſiaſticis beneficiis, ſunt cœteris paribus Clericis extraneis præferendi. At aliud eſt dicere, quod beneficia ſint cœteris paribus, potius Clericis indigenis, quàm extraneis tribuenda; aliud, quod abſolutè, omninò, impræteribilitèr debeant ſolis indigenis, & nullo modo extraneis diſpenſari: primum eſt verum, ſecundum eſt falſum. Prætereà, uti mox innuimus, hæc cœterorum paritas non eſt à quolibet, neque à cujuſcumque qualitatis hominibus judicanda, ſed à Collatoribus beneficiorum, & reſpectivè à Nominatoribus ad illa, qui juxta ſuam prudentiam, & conſcientiam, ponderatis ponderandis, in caſibus practicis decernant, an tale beneficium tunc vacans, ſit potius Clerico indigenæ, au verò extraneo committendum.

21. Arguunt *tertio loco* Contradictores ex *cap. bonæ memoriæ 4. de poſtul. Prælat.* ubi Papa Capitulo Strigonienſi ſcribens, rememorat, quod mortuo Archiepiſcopo illius urbis, Hungarię Primate, Electores votis diſciſſis, partim in Archiepiſcopum Colocenſem, partim in Epiſcopum Quinqueccleſienſem declinarunt, ſinguli peroptantes, ut à ſe poſtulatum in Archipræſulem obtinerent, ſed quia utriuſque poſtulatio in multâ diſcordiâ facta eſt, & ob non obſervata reſcripta Pontificia, proviſio illius Eccleſiæ eſt ad Sedem Apoſtolicam devoluta; Pontifex utrâque poſtulatione caſſatâ, Colocenſem ex integro ad Sedem tranſtulit Strigonienſem: *Intelleximus*, inquit, *quod etſi neutra eſſet poſtulatio approbanda, juxtà tenorem tamèn poſterioris reſcripti, ad nos de cætero Strigonienſis Eccleſiæ proviſio pertineret. Quià verò non plenam de perſonis illius Regni notitiam babebamus, ideòque non poteramus, ſalvâ conſcientiâ, eidem Eccleſiæ, in aliâ perſonâ, quæ de Regno Hungariæ originem duceret, congruè providere, nec vellemus ei præficere alienum; quamvis boneſtiùs videretur, ſi ſuffraganeus ad Metropolim ſuam accederet, quàm Archiepiſcopus ad Metropolim transferretur; partem tamen elegimus potiorem: Et eundem Archiepiſcopum, in quem omnes, quorum conſenſus in electione, vel poſtulatione paſtoris requiritur, licet diverſis temporibus convenerant, à vinculo, quo tenebatur Colocenſi Eccleſiæ abſolventes, ad Metropolim Strigonienſem transferimus, & ei licentiam tribuimus tranſeundi.*

22. En ergò, inquiunt Contradictores, clara profeſsio Pontificis, aſſerentis, ſe non poſſe ſalvâ conſcientiâ extraneum Eccleſiæ Strigonienſi preficere, per quod patet, extraneos non poſſe ſine gravi culpâ beneficiis eccleſiaſticis admoveri. Augeturque ratio, adnotando, quod devium eſt à ſacris legibus, Præſulem de unâ Eccleſiâ ad aliam transferre. Nàm expetente Friderico I. Ænobardo Imperatore, ut Epiſcopus Cicenſis ad Eccleſiam Magdeburgenſem tranſveheretur, Eugenius Papa III. reſpondit, sè nolle id facere, quoniàm *translationes Epiſcoporum ſinè manifeſtæ utilitatis, & neceſſitatis judicio Divinæ legis oraculum non permittit; cum etiam multò amplior, quam in aliis electionibus Cleri, & Populi, eas debeat prævenire concordia*, & Epiſcopos Germanię hortatus eſt, ut Cæſarem à promovendâ præfatâ translatione diſſuaderent, & ne *contrà Deum, contrà ſacros Canones, contrà Regiæ dignitatis officium, eidem cauſæ favorem ulteriùs impenderet* (a). Licèt autèm ità ſit devium à ſacris legibus Præſulem de unâ ad aliam Eccleſiam transferre; tamèn Innocentius Papa III. minùs malum cenſuit eſſe, Archiepiſcopum Colocenſem ad Metropolim Strigonienſem transferre, quàm extraneum in eâ Sede locare. Et ideò regulando diſtributionem inferiorum beneficiorum, à formâ, quâ Epiſcopalia beneficia traduntur; ex hoc ipſo canoue (ſi alii deeſſent) apparet, beneficia eccleſiaſtica non eſſe extraneis conferenda. In quo ſenſu etiam Franciſcus Florens hæc habet: *cum non tantum ad apices dignitatum eccleſiaſticarum, ſed etiam ad quælibet beneficia, citrà Regum noſtrorum conceſſionem, non pateat aditus extraneis, cujus juris rationem agnoſcit, ac ſignificat Innocentius III. in c. 4. hoc tit. in fine verſ. quià verò non plenam &c.* (b).

23. Reſpondetur *primò*, retorquendo argumentum: nàm eo ipſo quod Papa, auctor

(a) *Eugen. Papa III. epiſt. 8.*

(b) *Franciſcus Florenſ. ad titul. de poſtul.*

auctor *canonis Bonæ memoriæ* 4. *de poſtul. prælat.* dicit, *nec vellemus ei præficere alienum*, dictio illa *vellemus* importat arbitrium liberum, & abſolutum (*a*), & illâ utendo Pontifex oſtendit, ſe exercuiſſe actum facultativum, cujus natura eſt, ut non faciat ſtatum (*b*), neque recipiat præjudicium à non uſu (*c*). Clare ergò patefecit, ſe potuiſſe aſſumere extraneum, illumque Archiepiſcopatu Strigonienſis Metropolis decorare, ſed tamen noluiſſe, quià quamvis id ei de rigore juris competeret, juxtà naturam ſuæ poteſtatis, nihilominùs maluerat proviſionem dicti Archiepiſcopatus, honeſtate potiùs, quàm poteſtate metiri: honeſtius autem eſt ſinè dubio, beneficia indigenis, quàm extraneis elargiri, ut hic ſupra oſtendimus (*d*). Non tamèn ex eo quod Pontifex aliquid ex honeſtate non fecerit, ſtatim inferre licet, ergò, nec ille id facere potuit, nec ejus ſucceſſores idipſum facere poſſunt. Imperator Fridericus III. Carolo Duci Burgundiæ titulum Regiæ dignitatis anxiè poſtulanti, inflexibilitèr denegavit (*e*), ergòne Fridericus I. Cæſar non potuit hanc dignitatem Petro Daniæ Regi liberalitèr impertiri (*f*)? Ergò ne idipſum Regale decus non potuit Leopoldus I. glorioſæ memoriæ Cæſar, nudius tertius Sereniſſimo Guillelmo Brandemburgico, Pruſſiæ Regi largiri? Abſit. Ludovicus VII. Rex Francorum noluit uti Indulto ſibi à Pontifice facto, ut poſſet primam præbendam in quâlibet Cathedrali conferre (*g*), ergòne Chriſtianiſſimus Galliarum Rex prò tempore exiſtens, non poterit uti Indultis ſibi ab Alexandro VII. & Clemente IX. conceſſis, prò jure preſentandi ad Epiſcopatus quarundam Urbium, Coronæ Gallicæ novitèr unitarum (*h*)? Abſit. Clemens IV. noluit aſſentiri, ut Philippus Audax, Franciæ Rex, Archidiaconatum quendam Gallicanum, in Romanâ Curiâ vacantem, conferret: ergò nè hoc non potuit eidem Regi Gregorius Papa X. aſſentiri; prouti de facto aſſentitus eſt (*i*)? Abſit.

(a) *Menoch. de præſumpt. l. 4. præſump. 188. n. 13. & de arbit. l. 1. qu. 7. n. 2. Barbaſ. trac. Var dict. 436 n. 1.*
(b) *Card de Luca de Parochis diſc. 9. n. 4.*
(c) *Card. de Luca de benef. diſc. 97. n. 13.*
(d) *Vid. in hoc cap. num. 3. 16. 18.*
(e) *Magn. Chronic. Belgicum. Limnaeus ad Bullam auream Caroli IV. obſerv. 9.*
(f) *Jul Cæſar. de Beatiano Corona Imperiale c. 2. §. non.*
(g) *Valſingha mus Script. Angl f. 2388.*
(h) *Du Bois Introd. au Drait. Eccleſ. f. 275 6. 268. 9.*
(i) *Preuves def. libert Gallic. c. 16. n. 21.*

24. Velle, aut nolle aliquid facere in eo, qui & poteſt id facere, & non facere, eſt actus facultativus, atque arbitrarius: actus autem facultativi, & arbitrarii nullam inducunt neceſſitatem (*l*). Imò propterea dicuntur actus facultativi, quià in arbitrio, & libertate eſt alicujus illos exercere, vel non, abſque eo quod rationem reddere teneatur, cur id faciat, vel non faciat, & abſque eo quod talium actuum operatio, vel omiſſio ulli ſubjaceat præſcriptioni (*m*). Quapropter argumentum *ex cap. bonæ memoriæ* deſumptum, nedùm non probat, quod Papa non valeat præbendas Clericis extraneis impertiri, ſed imò potiùs probat oppoſitum: Et ſic cum ex eodem fonte Pontificalis Poteſtatis profluat jus, quo præditi ſunt cuncti beneficiorum collatores, vel ad ea nominatores; ſequitur quod eâdem libertate, quâ in hoc fruitur Papa, fruantur & alii, ac per conſequens liberum ſit, & licitum quibuslibet diſtributoribus, beneficiorum beneficiis ipſis præficere tùm extraneos, tùm indigenas, juxtà quod eorum prudentia, & conſcientia ipſis ſuggerit eſſe faciendum.

(l) *Bart. in l. 7. C. de Sent. qui ſine cert. Maſcard de prob con. cl. 54. n. 4. Seraph. deciſ. 539. n. 3.*
(m) *Card. de Luca de Regal. diſc. 2. n. 20. & diſc. 7. n. 6.*

25. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm retorquendo argumentum ex triplici capite primò quià præfatus *can. bonæ memoriæ* 4. *de poſtul. prel.* dicit, Papam honeſtiùs cenſuiſſe Epiſcopum Quinqueccleſien ſem ſuffraganeum ad Metropolim Strigonienſem tranſuehere, quàm illùc Archiepiſcopum Colocenſem parem in dignitate transferre, *ubi gloſ. in verb. honeſtius*, ità loquitur: *De minori ad majus aliquis eſt promovendus* 93. *diſt. legimus*. Subſunt Archiepiſcopatui Strigonienſi ſex Epiſcopi ſuffraganei, nempè Agrienſis, Nitrienſis, Vacienſis, Jaurinenſis, Quinqueccleſienſis, & Veſprimienſis (*n*). Unum ex iſtis cenſuit Pontifex poſſe ad Strigonienſem Metropolim tranſmigrare: & tamen omnes iſti, tamquam in propriis Sedibus incardinati, ab Eccleſiâ Stringonienſi erant extranei. Ergò vi *Capituli bonæ memoriæ*, quod præ manibus habemus, optimè poſſunt extranei, & Epiſcopatibus, & aliis etiam conſequentèr beneficiis eccleſiaſticis inſigniri, quatenus ab Epiſcopalibus beneficiis ad alia inferioris ordinis argumentum currit (*o*), ſub congruâ tamen moderatione, de quâ initio præſentis Capituli factus eſt ſermo. Secundò retorquetur argumentum, quià de facto Pontifex Archiepiſcopum Colocenſem

(n) *Barboſ. de Off. & poteſt. Epiſc. tit. 1. cap. 7. f. 35.*
(o) *Rot relat. in hoc cap. ſupr. n. 18. Leſſius de Juſt. & jur l. 2. cap. 34. dub. 14. n. 64. Barboſ. Vot. deciſ Vot. 33. num. 14.*

cenſem ad Strigonienſem Sedem tranſvexit ibi: *& eundem Archiepiſcopum &c. à vinculo, quo tenebatur Colocenſis Eccleſiæ abſolventes, ad Metropolim Strigonienſem transferimus &c.* & tamen Archiepiſcopus Colocenſis nedum uti incardinatus in ſuâ Sede, ſed etiàm uti Caput alienæ Provinciæ, erat Strigoniæ pluſquam extraneus.

26. Nèc obſtat, quod tàm Archiepiſcopus Colocenſis, quàm Epiſcopi ſuffraganei Sedis Strigonienſis, eſſent omnes Hungari, & Nationales, hacque ratione non prò extraneis, ſed prò indigenis deberent Strigoniæ reputari. Nàm, quidquid ſit, an nationalitas proficiat in Civilibus, certè in rebus eccleſiaſticis, præſertim in negotio beneficiorum, de quo agimus, non habet locum, ſi Canones de exclusione extraneorum loquentes, præceptive loquuntur, & obſervari debent. Etenim nedùm ab eis repelluntur Extranationales, ſed etiam Extraprovinciales, & Extradiœceſani, qui de gremio, ſeù de conſortio Eccleſiæ non ſunt: nulluſque Canon invenietur, declarans indigeneitatem prò beneficiis adipiſcendis extendi ad totam nationem; ſicque, uti diximus, tàm Archiepiſcopus, quàm Epiſcopi præfati, omnes à Strigonienſi Eccleſiâ erant extranei, quos tamen omnes, ait Pontifex, potuiſſe in eâ Sede locari. Tertiò retorquetur argumentum, ex eo quod Innocentius Pontifex in diƈto *Cap. bonæ memoriæ*, oſtendit ſe promptum ad eligendum in Archiepiſcopum Strigonienſem aliquem virum oriundum ex totâ Hungariâ, ſi de alicujus benemerentiâ, *& plenam de perſonis illius Regni habuiſſet notitiam*. Regnum Hungariæ à Scriptoribus *magnum Regnum* communitèr nuncupatur (*a*). Cenſuit ergò Pontifex, nedùm non eſſe neceſſarium, quod promovendus ad Archiepiſcopatum Strigonienſem, eſſet Diœceſanus illius Eccleſiæ, ſed imò ſufficere quod eſſet, vel ex Provinciâ Strigonienſi, vel ex Colocenſi, vel aliàs ex toto ambitu magni Regni Hungarici: Ergò cenſuit poſſe extraneum promoveri, & ſic vigore *Cap. bonæ memoriæ de poſtul. Præl.* ex adverſo allegati, nedùm non probatur excluſio extraneorum, ſed imò potiùs eorum comprobatur admiſſio ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Foreſt. Mappam. Hiſtor. in Regn. Hung.*

27. Reſpondetur *tertiò*, negando ſuppoſitum, nempè quod verba diƈti Canonis, ubi ait, *ideòque non poteramus ſalvâ conſcientiâ &c.* cadant ſuper aſſumptione, vel repulſione extranei ab Archiepiſcopatu Strigonienſi: nàm ex obvio, & grammaticali ipſorum verborum ſenſu patet, ipſa percutere non eleƈtionem extranei, ſed ignoti. En ipſa verba, ſic ſonantia. *Quia verò non plenam de perſonis ipſius Regni notitiam habebamus, ideò non poteramus ſalvâ conſcientiâ eidem Eccleſiæ in aliâ perſonâ, quæ de Regno Hungariæ originem duceret, congruè providere, nec vellemus ei præficere alienum,* ideo tranſtulit Archiepiſcopum Colocenſem ad Metropolim Strigonienſem. Ex quorum leƈtione verborum apparet, quod Papa exhorruit præficere Eccleſiæ Strigonienſi alium virum Hungarum, quià plenam de perſonis illius Regni non habebat notitiam? De jure namque Divino eſt, ut promovendus ad Epiſcopatum, & ad officia eccleſiaſtica, ſit aliquo modo ſatis benè cognitus promoventi, jubente Apoſtolo ad Timotheum, *manus citò nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis* (*b*): ubi egregiè S. Leo: *quid eſt citò manus imponere, niſi antè ætatem maturitatis, antè tempus examinis, antè meritum laboris, antè experientiam diſciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid eſt communicare peccatis alienis, niſi talem effici ordinantem, qualis ille eſt, qui non meruit ordinari? Sicùt enim boni operis ſibi comparat fruƈtum, qui reƈtum ſeƈtatur in eligendo Sacerdote, judicium; ità gravi ſemetipſum afficit damno, qui ad ſuæ dignitatis collegium ſublimat indignum* (*c*).

(b) 1. *Ad Timotheũ cap. 5. n. 22.*

(c) *S. Leo PP. I. ep. 87. cap. 1.*

28. Communicaſſet ergò Innocentius peccatis alienis provehendo ad Archiepiſcopatum Strigonienſem virum incognitum, quantumvis Hungarum natione, vel etiam provincialem, imò & diœceſanum illius Eccleſiæ; nullum vero commiſiſſet piaculum, ſi promoviſſet extraneum ſibi benè cognitum, & probatum. Ad cujus rei evidentiam notetur accurata Pontificis in ſuo eloquio, proprietas: ubi loqui-

loquitur de ignoto, dicit, *non poteramus ſalvâ conſcientiâ eidem Eccleſiæ* alium Hungarum providere: Ubi verò ſermonem habet de extraneo, dicit, *nec vellemus ei præficere alienum*: hìc utitur dictione *vellemus*, ibi adhibet, *poteramus*, ut primo loco libertas ſuæ facultatis appareat: ſecundo verò loco innoteſcat, sè libertate carere: ſicut enim verbum *volo*, etiam negativæ voci conjunctum, ſeù verbum nolo, plenum importat arbitrium, & libertatem, non ſecus ac ipſa dictio volo (*a*), ità verbum *poſſum*, negativæ voci copulatum, neceſſitatem præſefert, ac operanti omnem potentiam abſcindit (*b*). Et ſic ex ipſo Canonis textu eluceſcit, Papam potuiſſe virum extraneum præficere Archiepiſcopatui Strigonienſi, ſi ità prò ejus libito voluiſſet: non potuiſſe verò virum ignotum, quantumlibet Originarium, & ſivè ex natione Hungaricâ, ſivè ex provinciâ, ſivè ex diœceſi Strigonienſi exortum, illius Eccleſiæ tæniis redimire, etiam ſi id facere voluiſſet: Ideòque, uti dicebamus, verba illa in Canone regiſtrata, *non poteramus ſalvâ conſcientiâ &c.* non percutiunt electionem extranei, ſed ignoti.

29. Reſpondetur *quartò*, iterùm negando aliud ſuppoſitum, ex duplici capite: primò, quod ſit devium à ſacris legibus eligere extraneum ad eccleſiaſtica beneficia: hoc enim nedùm non eſt devium à ſacris legibus, & canonibus, ſed imò eſt illis conſentaneum, & conforme, uti ſuprà permultis textibus comprobavimus (*c*). Secundò, quod Papa minùs devium eſſe cenſuerit à ſacris legibus Epiſcopum de unâ ad aliam Sedem transferre, quàm extraneum Epiſcopalibus Infulis inſignire. Non hoc unquàm cogitavit Pontifex, neque hoc unquàm ſomniavit, ſed ſolùm minùs devium ratus eſt eſſe à ſacris legibus, Epiſcopum de ſuâ ad aliam Cathedram transferre, quàm incognitum promovere: & ideò potiùs Archiepiſcopum Colocenſem ad Strigonienſem Sedem tranſuexit, quàm in hac virum ignotum, & ſi origineHungarum,voluerit collocare.Nec ergò eſt devium,nec minùs devium à Sacris Canonibus, Clericum extraneum, vel Epiſcopalibus, vel inferioris ordinis beneficiis, munerare, ſed potiùs devium eſt Epiſcopum de ſuâ Sede, in quâ titulatus eſt, & de ulnis ſuæ Eccleſiæ, cum quâ ſpirituali connubio eſt conjunctus, abſtrahere, ut cum alterâ copuletur: primum fieri poteſt ſuapte naturâ, juſtitiâ depoſcente, ac jure permittente electionem extranei, uti ſuperiùs etiam rationibus legalibus comprobavimus. Secundum verò fieri non poteſt, niſi ex gratiâ, per textum canonicum ſic ſancientem: *cum etiam quandò aliquis ab aliis unanimitèr poſtulatur, ad admittendam poſtulationem eorum, non tàm ex juſtitiâ, quàm ex gratiâ movcamur* (*d*).

30. Reſpondetur *quintò* ad id, quod ex verbis Eugenii Papæ III. in argumento proponitur, Contradictores indè nullatenùs adjuvari: quippè advertendum eſt, translationes Epiſcoporum de unâ ad aliam Sedem, adeò à jure exorbitare, ùt ab antiquis canonibus abſolutiſſimè vetarentur, ideòque S. Leo decrevit, ſic tranſvolantes de unâ ad aliam Eccleſiam, debere utrâque carere: *ſi quis*, inquit, *mediocritate Civitatis ſuæ deſpectâ, adminiſtrationem celebrioris loci ambierit, & ad majorem plebem ſe quacumque ratione tranſtulerit, non ſolùm à Cathedrâ quidem pellatur alienâ, ſed carebit & propriâ* (*e*). Eandem tranſmigrationem vetuit Concilium Sardicenſe, euſque procedens, ut ſic tranſmigrantes, ad laicam redegerit communionem (*f*). Conſonant & multę aliæ leges eccleſiaſticæ, de quibus in corpore Juris Canonici, vetantes hujuſmodi tranſitionem ſinè gravi, & rationabili causâ (*g*). Ipſaque prima Generalis Nicæna Synodus definivit: *à Civitate in Civitatem, nec Epiſcopus, nec Presbyter, nec Diaconus tranſeat. Si quis autem &c. tale quippiam aggreſſus fuerit &c. quod factum fuerit omninò infirmabitur, & Eccleſiæ reſtituetur, cui Epiſcopus, vel Presbyter, aut Diaconus ordinatus fuerit* (*h*). Translationes ergò Epiſcoporum fuerunt uſquè ab initio Eccleſiæ ſeveriùs interdictæ. Attamèn ſi concurrerent manifeſta utilitas, vel neceſſitas, eaſdem Sacri Canones permiſerunt, ità tamen ut mutatio non ex juſtitiâ fieret, fovente jus Ambientis prębendam; ſed ex merâ gratiâ, à charitate Transferentis profluente, uti legi-

(a) *Menoch. lib. 4. præſumpt. 188. nu. 13. & de arbitr. l. 1. qu. 7. nu 1: Barboſ. dict. 436. num. 1.*

(b) *Gloſ. in cap non poteſt de reg. jur. in 6. Barboſ. tract. var. dict. 368. num. 3. & 4. cum mult. DD. ibi allegat.*

(c) *Vid ſupr. tom. 1. ſecul. 11 c. 27. & 28.*

(d) *Cap. bonæ memoriæ 3. de poſtul. prælat.*

(e) Cap *ſi quis Epiſcopus 7. qu. 1.*

(f) Cap *mala conſuetudo diſt. 8.*

(g) *Cap propter eos cap ſicut vir. cap. Epiſcopum cap placuit 7. qu. 1. cap. non licet de conſec. diſt. 4. Can. Apoſt. 14. & 15.*

(h) *Cap. non oportet. 19. cauſ. 7. qu. 1.*

Digitized by Google

(a) Cap. Mutationes 34. cap. Epiſcopus de loco 37. cauſ. 7. qu. 1. Concil. Conſtantienſe ſeſ. 39. Conc. Nicæn. 1. ex Arab. c. 72.

legitur in variis ſacris canonibus (*a*).

31. Eugenius itàque Papa III. recuſavit Epiſcopum Cicenſem, quem Otho Friſingenſis vocat Guicmarum (*b*), ad Archiepiſcopatum Magdeburgenſem transferre, quià deerat juſta cauſa utilitatis, vel neceſſitatis, transmigrationem iſtam juſtificans: quæ ſi adfuiſſet, profectò Pontifex facultatem petitam non negaſſet: adſtipulatur enim jus commune translationibus in iſto caſu faciendis (*c*). Adeſtque canon decernens: *ſcias, frater dilectiſſime, aliud eſſe cauſam neceſſitatis, & utilitatis, aliud cauſam præſumptionis, ac propriæ voluntatis. Non ergò mutat Sedem, qui non mutat mentem, ideſt qui non causâ avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, aut ſuæ delectationis, migrat de Civitate ad Civitatem, ſed causâ neceſſitatis, aut utilitatis mutatur. Nàm plurimorum utilitas, unius utilitati, aut voluntati præferenda eſt. Aliud eſt enim mutare, aliud mutari* (*d*). Itèm Epiſcopus Cicenſis translationem ſuam ad Eccleſiam Magdeburgenſem prętendit, non ex gratiâ, ſed ex juſtitiâ, cum re vera quotiès hujuſmodi tranſmigrationes admittuntur, id non niſi ex mero favore, & liberalitate Pontificis efficiatur: teſtis eſt *gloſ. in cap. bonæ memoriæ 3. verb. gratia de poſtul. prælat.* ibi: *gratia, hoc ideò dixit, quià per hujuſmodi poſtulationem, ſivè gratiam, jus non acquiritur poſtulato &c. & ideò quià gratia eſt, non compellitur prælatus concedere poſtulatum 63. diſt. literas in Authent. de Sanct. Epiſc. §. nullus coll. 9.*

(b) Otho Friſingenſis in Frideric. I. Impe. lib. 1. cap. 6.

(c) Dict. cap. mutationes 7. qu. 1.

(d) Cap. ſcias. 35. cauſ. 7. qu. 1.

32. Utrumque defectum in Guicmaro Epiſcopo Cicenſi concurriſſe, deducitur ex hiſtoriâ, quam refert idem Otho Friſingenſis (*e*), aſſeverans, quod diſcordantibus Canonicis Magdeburgenſibus in electione Archiepiſcopi, Fridericus I. Imperator, Decanum cum ſequacibus ſuis induxit ad poſtulandum præfatum Guicmarum, cui & ſtatìm Cæſar contulit jura regalia ipſius Eccleſię, revocans ex Orco litem Inveſtiturarum, jàm paulò anteà conſopitam; autumanſque in concordiâ intèr Henricum V. Imperatorem, & Paſchalem Papam II. initâ, fuiſſe Cæſari reſervatum, poſſe in caſu diſcordantium electorum, Epiſcopum prò ejus arbitrio deſignare, nec hunc conſecrandum, niſi prereceptis ab Auguſto, per virgæ traditionem, Juribus Regalibus: quæ omnia fabulæ erant, vaniloquia, & figmenta Politicorum, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Guicmarus ergò excluſus fuit ab Archiepiſcopatu Magdeburgenſi, non quià devium eſſet à Sacris Canonibus, Præſulem de unâ ad aliam Eccleſiam transferre; ſed quià primò in eo deerant cauſæ utilitatis, & neceſſitatis eccleſiaſticæ, translationem ipſam juſtificantes. Secundò quià ipſe Guicmarus prætendebat transferri, non ex gratiâ Eugenii III. Pontificis, ſed ex juſtitiâ, & jàm Sedem Magdeburgenſem invaſerat, ſolâ auctoritate, & Miniſterio Imperatoris, contrà Sacrorum Canonum conſtituta, clamantia, ne quis ope adjutorii ſæcularis, officia, & beneficia ſacra pervaderet. Quâ de rè in pluribus Sacris Canonibus actum eſt (*f*).

(e) Otho Friſing in Frideric. lib. 1. c. 6.

(f) Cap. nullus laicorum cap. non eſt permittendum diſt. 63. ca. quiſquis de elect. cap. ſi quis Epiſc. 16. qu. 7.

33. Sicut autèm ſi in Guicmaro ſufficiens utilitatis, vel neceſſitatis cauſa concurriſſet, ei tranſitus ad Magdeburgenſem Sedem non fuiſſet ab Eugenio III. Pontifice denegatus; Ità quià utraque in Archiepiſcopo Colocenſi reperta eſt, Innocentius PP. III. illum benignè tranſtulit ad Metropolim Strigonienſem (*g*), non ut majus malus, minus permittendo, vitaret: transferendo nempè Antiſtitem nationalem, ne promoveret extraneum; ſed utendo ſuâ poteſtate, honeſtatem ſervando, & propriæ ſimul conſcientiæ conſulendo, ſolerti nè virum aliquem promoveret ignotum. Ex totâ ergò ſerie reſponſionis hucuſque datę præſenti argumento, quod eſt tertium inter Legalia, multiformitèr eniteſcit libertas Eccleſiæ in conferendo beneficia eccleſiaſtica, tàm viris extraneis, quàm indigenis, Canonemque *bonæ memoriæ*, exadverſo allegatum, vel extraneis prodeſſe, vel ſaltèm ejuſdem nullatenùs obviare.

(g) Cap bonæ memoriæ 4. de poſtulat. prælator.

34. *Arguunt quarto loco* Contradictores ex *cap. quoniam* 14. de off. Judicis Ordinarii, ubi Innocentius PP. III. decretum inſerit, in Concilio Lateranenſi IV. editum, ſic determinans: *quoniàm in pleriſque partibus infrà eandem Civitatem,*

atque

atque Diœceſim permixti ſunt populi, diverſarum linguarum, habentes ſub unâ fide varios ritus, & mores, diſtrictè præcipimus, ut Pontifices hujuſmodi Civitatum, ſivè Diœceſum, provideant viros idoneos, qui ſecundum diverſitates rituum, & linguarum, divina illis officia celebrent, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, inſtruendo eos verbo pariter, & exemplo. Prohibemus autem omninò, ne una eademque Civitas, ſivè Diœceſis diverſos Pontifices habeat, tamquàm unum Corpus diverſa capita, quaſi Monſtrum, ſed ſi, propter prædictas cauſas, urgens neceſſitas poſtulaverit, Pontifex loci Catholicum Præſulem Nationibus illis conformem providâ deliberatione conſtituat ſibi Vicarium in prædictis, qui ei per omnia ſit obediens, & ſubjectus (a). En quomodò, inquiunt, excluduntur ab eccleſiaſticis beneficiis extranei, dùm jubentur præfici populis Antiſtites, moribus, ritibus, & idiomati populorum conformes, etiam in locis, ubi alius eſt Latini ritus Epiſcopus: & ità reſpectivè providendum eſt de beneficiariis inferioribus, à quibus dictæ nationes juxtà ſuos ritus, & linguam, divina officia audiant, & eccleſiaſtica Sacramenta ſuſcipiant. Indigenis ergò ſolis danda ſunt eccleſiaſtica beneficia, extraneis ablegatis.

(a) *Concil. Lateran. 4. cap. 9.*

35. Reſpondetur *primò*, retorquendo argumentum, nàm ſi ſufficit, quod Epiſcopus extraneus à populis diverſi ritus, & linguæ, quos ſub ſe habet, adſiſcat ſibi Vicarium, ſivè Vicarios, benè callentes idioma, & ritus ipſorum populorum; hique Vicarii, etiam ſi Pontificali honore fulgeant, debent eſſe dicto Epiſcopo per omnia ſubjecti; jàm patet, quod Epiſcopus non debet eſſe neceſſariò indigena, ſed eſſe poteſt extraneus, & adeò extraneus, ut ſit ritus, ac idiomatis diverſi à populo, cui præeſt. *Hallucinati ſunt*, inquit Lotter (b), qui exiſtimarunt diſmembrationes Epiſcopatuum, & erectiones novarum Cathedralium *referendas eſſe, vel ad exereſcentiam populi, per converſionem fidelium, aſſumentes exemplum poſitum in can. nulli 99. diſt. &c. Vel ad latitudinem provinciæ, diverſitatemve idiomatis, auctoritate Gloſſæ in cap. eum inferior de majorit. & obedient: qui nihil minus dicit, & utrumque eſt contrà textum ad literam in cap. quoniàm in plerìſque de off. ordin. qui his caſibus mandat inſtitui diverſos Vicarios, non autem Epiſcopos*. Benè ergò & Epiſcopus præeſſe poteſt populis diverſi idiomatis, & ritus, modò adjutores ſibi adhibeat Vicarios, & miniſtros, conformes ritu, & linguâ, populis ipſis, itàut nec opus ſit ex hâc causâ Epiſcopatus diſmembrare, & proportionaliter etiam parochias dividere: Ideòque per canonem, *quoniam in plerìſque* 14. *de off. judic. Ordin.* nedùm non probatur excluſio, ſed imò potiùs probatur admiſſio extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia.

(b) *Lotter. de rè benef. l. 1. q. 21. n. 19.*

36. Comprobat hoc epiſtola ipſius Innocentii ad Patriarcham Conſtantinopolitanum directa, ubi clarè diſponit, in Urbibus ex mixtâ Græcorum, & Latinorum numeroſitate conflatis, non duos Epiſcopos ordinandos eſſe, ſed unum: *in illis*, iniquit, *Eccleſiis, in quibus ſunt ſolummodò Græci, Græcos debeas Epiſcopos ordinare, ſi tales valeas reperire, qui nobis, & tibi devoti, & fideles exiſtant, & à te conſecrationem velint recipere humilitèr, & devotè: in illis verò, in quibus cum Latinis Græci ſunt mixti, Latinos præficias, & præferas ipſis Græcis* (c). Pluralitatem namque Epiſcoporum in eâdem Urbe interdicunt Canones Eccleſiaſtici diſtrictiſſimis prohibitionibus (d), ità ut ſi duo Epiſcopi conſecrentur prò unâ Civitate, nullus eorum debeat eſſe illius loci Epiſcopus (e). *In Apibus* enim, ait S. Hieronymus, in epiſt. 4. ad Ruſtic. *In apibus princeps unus eſt: grues unam ſequuntur ordine literario. Imperator unus: Judex unus Provinciæ. Roma ut condita eſt, duos fratres ſimul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccha utero Eſau, & Jacob bella geſſerunt: ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi: ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur* (f).

(c) *Innocent III. epiſtol. ad Patr. Conſtantinopolitan. in ejus geſt. f. 109.*

(d) *Concil. Nicæn. 1. c. 8. Concil. Later. 4. c. 9. Conc. Cabilon. 2. c. 4 Concil. Tolet. 12. c. 4.*

(e) *Cap. ſi duo diſt. 79.*

(f) *Cap. in apibus 41. cauſ. 7. qu. 1.*

37. Quià ergò Latinus Epiſcopus, ope Vicariorum diverſi idiomatis, & ritus, occurrere poteſt indigentiis Græcorum, aliarumque Nationum, non opus eſt

ut

ut quot Nationes, tot ſint Epiſcopi, ſed unus ſufficit Epiſcopus in quâlibet Urbe, miniſtrorum diverſitate ſtipatus. Et tamèn diverſitas idiomatis magnam in ſè continet incommoditatem, quippè cum homines per locutionis miniſterium mutuò ſibi ſenſus communicent; & vitam civilem ſimul agant; ingens illis præſtat incommodum, non intelligere, nec intelligi, ab aliis, & præſertìm ab eo, cui debent, uti præſidi obtemperare. Egregiè ſuo more hâc de rè loquitur Auguſtinus: *Linguarum diverſitas hominem alienat ab homine: nam ſi duo ſibimet ſiant obviam, neque præterire, ſed ſimul eſſe aliquâ neceſſitate cogantur, quorum neuter norit linguam alterius; facilius ſibi animalia muta, etiam diverſi generis, quam illi, cum ſint homines ambo, ſociantur. Quandò enim quæ ſentiunt inter ſè communicare non poſſunt propter ſolam linguarum diverſitatem, nihil prodeſt ad conſociandos homines tanta ſimilitudo naturæ: ità ut libentiùs homo ſit cum cane ſuo, quam cum homine alieno* (*a*). Morum quoque, & ritus diverſitas, dividit utplurimùm unitatem, & charitatem, quæ debet in ſacris rebus intèr homines convenire: qua de rè làtè Ludov. Gomez in regulis Cancellariæ (*b*). Si itàque nec ritus diverſitas, nec morum diſiunctio, nec idiomatis alienatio, ad id valet, ut Epiſcopi non poſſint in ſpiritualibus præſidere populis à ſè talitèr alienatis; convincitur evidentèr, quod exteri, quà exteri, non ſunt neceſſariò à beneficiis Epiſcopalibus elongandi.

(a) *S. Auguſt. de Civit. l. 19. c. 7.*

(b) *Gomez regul. de Idiom. q. 1.*

38. Reſpondetur *ſecundò*, Argumentum ad ſummum proponi poſſe ad ſuadendam excluſionem extraneorum à beneficiis, curâ animarum præditis, de quibus quæſtio noſtra non eſt, ſaltèm principalitèr; non verò de beneficiis merè ſimplicibus, circà quæ cardo præcipuus noſtræ vertitur difficultatis: nàm in ipſis Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ definitur: *ſi contingat ipſum*, Papam, *alicui perſonę de parochiali Eccleſiâ providere &c. niſi dicta perſona intelligat, & intelligibilitèr loquatur idioma loci, ubi Eccleſia hujuſmodi conſiſtit, proviſio &c. & gratia deſupèr quoàd parochialem Eccleſiam nullius ſint roboris, & momenti* (*c*). Hocque tùm quià Papa intendit uniculque in ſuâ patriâ providere (*d*): Tùm quià Curatus debet Sacramenta miniſtrare, prędicare, inſtruere, & docere populum ſibi commiſſum, quod ſinè peritiâ idiomatis populi non valet adimplere. His tamèn non obſtantibus, poſſe Papam ſupèr hujuſmodi Regulâ diſpenſare; & parochialem Eccleſiam presbytero, non intelligenti idioma populi, poſſe conferre; tenent communitèr Canoniſtę (*e*), comprobatque praxis, nec ſine rationabili fundamento: quippè tali Parochus poteſt miniſterio aliorum Sacerdotum, idioma loci plenè callentium, officia parochialia exercere. Multò magis autèm id locum habet in beneficiis Epiſcopalibus.

(c) *Regul. Cancell. Regul 20. de idiomat.*

(d) *Text. in c. bonæ eire fin de elect. Rebuff prax. benef. in reg. 20. gloſ. 1.*

(e) *Coſſador. deciſ. 33. ſup regul. Cancell. Rebuff. ubi ſup. gloſ. 2. n. 14 15. Gomez ad regul de idiom q. 7. & n. 14*

39. At pręciſo caſu diſpenſationis Apoſtolicæ, beneficia Curata, ſtrictò modo talia, ob regimen animarum quoàd forum pœnitentiæ, non niſi viris, idiomate populi talitèr inſtructis, conferri poſſunt, ut & populum intelligant, & ab eo viciſſim congruè intelligantur, undecùmque ſint nati. Beneficia verò Curata lato modo, nempè illa, quibus ineſt poteſtas fori contentioſi, uti eſt Epiſcopatus &c. faciliùs neſcientibus idioma loci quæunt conferri: quià uberius adjutorio Vicariorum, & hominum idioma intelligentium fulciri valent. Et de facto centies hoc accidit in Regno Neapolitano, ubi beneficia Epiſcopalia Regii patronatus tradi uſque nunc conſueverunt viris Hiſpanis, qui plus neſciebant idiomatis Italici, quam Itali ſciant Arabicum. At ſinè ullâ diſpenſatione haberi poſſunt beneficia merè ſimplicia, & alia, quibus: nec quoàd forum pœnitentiæ, nec quoàd forum contentioſum ineſt cura animarum, quià in eis ceſſant cauſæ, peritiam idiomatis depoſcentes. Et ſic ex defectu peritiæ idiomatis, & ex vi *cap. quoniam* 14. *de off. ordin.* nedùm non probatur debitum excludendi extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, ſed imò potiùs probatur eorum capacitas, & debitum ipſos non minùs ac indigenas admittendi.

40. Si tamèn beneficium erectum eſſet in Eccleſiâ, cujus Conſtitutiones, & Jura municipalia, exigerent in promovendo peritiam idiomatis illius loci; tuuc extra-

Digitized by Google

extraneus; non quà extraneus, ſed quà linguæ ipſius inſcius excluderetur: prout accidit Æneæ Sylvio, repulſam paſſo, ne conſequi poſſet Canonicatum in Vangionibus apud Germanos, eo quod ex Conſtitutionibus illius Eccleſiæ imperitis ejuſdem idiomatis acceſſus ad beneficia non pateret (*a*). Verùm ſi hæ Conſtitutiones verbis dilucidis non comprehenderent beneficia merè ſimplicia, difficultèr ad illa poſſent extendi, prẹſertim ſi non eſſent confirmationis Apoſtolicæ præſidio communitæ. Itàque totâ vi argumenti ſimul in unum collectâ, & expreſsâ, dignoſcitur, quod Canon, in Objectione propoſitus, nullatenùs obſiſtit extraneis, nec quidquam detrahit libertati Eccleſiæ, pro eorundem admiſſione unà cum indigenis ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Æneas Sylv. epiſt. 370. ad Decanum Vuermac.*

C A P U T XIII.

In quo notabili Objectioni reſpondetur, validè urgenti ſuper eo quod Beneficiarii eligendi ſint de gremio Eccleſiæ vacantis: & ſic non ſubſiſtat libertas Eccleſiæ provehendi Clericos extraneos unà cum indigenis ad Eccleſiaſtica Beneficia.

S U M M A R I U M.

1 Quinta Objectio *legalis deſumpta ex* cap. Metropolitano, *ubi decernitur, Epiſcopum eligi ex Presbyteris, vel Diaconibus Eccleſiæ vacantis.*

2 *Plures Papæ, & Patres inculcant, quod electio fiat de gremio. Si ergò eligendus eſt vir de gremio; jam excluduntur extranei.*

3 *Canon præfatus non loquitur præceptivè, ſed directivè. Afficiebatque pro ſolis loco, & tempore, quo vigebat forma electionis Canonicę.*

4 *Quandò per electionem diſpenſabantur beneficia, & electio paſſiva ad Clericos de gremio erat reſtricta, tunc extranei excludebantur.*

5 *Electio de gremio paſſivè non eſt de* traditione Divinâ, *nec de* Apoſtolicâ obſervatione, *quidquid ſit de illâ conſideratâ lato modo.*

6 *Multa Chriſtus, & Apoſtoli agenda docuerunt, non de præcepto, ſed de ſolo conſilio: Multæ ſunt rubricæ in ſacris ritibus merè directivæ.*

7 *Aſſertur doctrina Navarri, Innocentii, & aliorum, ſentientium, quod electio Clerici extra gremium ſemper fuit valida.*

8 *Electio de gremio, etiam formâ ipſius electionis vigente, non fuit generalis, & ex debito. S. Gregorius favit electioni de gremio, ſed non ſemper.*

9 *Aliud ſimile factum D. Gregorii refertur. Joannes VIII. Innocentius III. ac alii Papę Clericos extraneos ad Eccleſias prò eorum libito provexere.*

10 *Ex Conciliis Valentino, & Cariſiacenſi conſtat, quod etiam tempore electionis Canonicæ electio de gremio non obſervabatur.*

11 *Poteſtas eligendi de gremio, etiam vigente formâ electionis Canonicæ, non erat ex lege generali, ſed ex privilegio particulari.*

12 *Cæleſtinus poteſtatem contulit reſiſtendi electioni viri ex tranſverſo venientis. Fulco Remenſis inſtetit ne libertas electionis Eccleſiis tolleretur.*

13 *Etiam S. Leo decrevit, ut electio fieret de gremio: At hæc non fuit lex generalis. Eccleſię ſibi cavebant impetrando privilegia.*

14 *Etiam fideles libertatem profitendi fidem pecuniâ ab initio redimebant. Indiſcuſſi, & ignavi à Magnatibus intrudebantur Eccleſiis.*

15 *Privilegia ſunt leges privatæ, nec faciunt legem communem. Privilegium per non uſum amittitur. Electio de gremio non eſt præceptiva.*

16 *Cur Contradictores inſiſtunt prò ſolâ formâ electionis de gremio, & non prò aliis, quę uſque ad tredecim, diverſis temporibus variatæ ſunt.*

17 *Cur prò illâ, quæ jam à quinque ſæculis eſt ſublata? Cur non potius inſiſtunt prò primâ, vel pro ultimâ ex ipſis tredecim?*

18 *Tametſi electio fieri deberet ex gremio, nihil obſtaret, quià in gremio eſſe poſſunt Clerici origine extranei.*

19 *Admiſſio ad gremium Eccleſiæ non tollit extraneitatem originis, nec eſt neceſſaria ad eligibilitatem paſſivam. Quid ſignificet* incardinari.

20 *Indigena quoàd originem eſt aliquis, in loco ubi ortus eſt: quoàd officium, vel beneficium, eſt indigena loci, in quo habet principale beneficium.*

21 *Qui eſt indigena quoàd originem in loco nativitatis, & quoàd dignitatem in loco beneficii, in reliquis eſt ſimul extraneus, & de gremio.*

22 *Principes aliqui habuerunt Canonicatus, & præbendas in Eccleſiis, de quarum gremio erant, ſed non ibi erant indigenę.*

23 *Si Canonici Morinenſes exegerunt à ſuis compromiſſariis juramentum eligendi de gremio, ergò* cap. Metropolitano *non excludebat extraneos.*

24 *Tametſi olim vigeret forma electionis, tamèn præſervata erat poteſtas Papæ, ut extraneos quoque poſſet beneficiis munerare.*

25 *Omnes dignitates eccleſiaſticas fundavit Romana Eccleſia, quæ proindè poteſt etiam variare formam, in illarum diſtributione ſervandam.*

26 *Chriſtus ſoli Petro commiſit Claves. Cæteris Apoſtolis pars ſollicitudinis paſtoralis conceſſa eſt, Petro verò plenitudo poteſtatis.*

27 *Claves Regni Cælorum communicandas aliis Petrus ſolus accepit. Tota poteſtas eccleſiaſtica collata fuit Petro, à quo in alios diviſim diſtributa eſt.*

28 *In Præfatâ Petri poteſtate eſt diſpoſitio beneficiorum, talitèr aliis conceſſa, ut Petri Succeſſores majorem apud ſè retinerent.*

29 *Chriſtus immobilis petra fecit ut Petrus etiam eſſet petra, ità communicans illi ſua axiomata, ut ea ipſe non perderet.*

30 *Etiam vigente formâ electionis canonicæ, adhùc illâ Pontifex conſtrictus non erat, poteratque extraneos præficere Eccleſiis.*

31 *Electio non fuit reſtricta ad gremium, ut excluderentur extranei, ſed nè Præſul daretur invitis: & nè ſcandala intèr Præſules, & ſubditos orirentur.*

32 *Tria illa inconvenientia nunc non ſuccedunt: nam collatores beneficiorum ſatagunt, nè beneficia niſi ad viros aptos perveniant.*

33 *Diligentiam adhibens beneficiorum diſpenſatores, nec præficiant beneficiis niſi viros ſibi aliquo modo ſufficientèr notos.*

34 *Sicut olim gravabatur conſcientia electorum, nè niſi dignos eligerent; ità nunc gravatur conſcientia Collatorum, & Nominatorum ad beneficia.*

35 *Tàm in Curiâ Romanâ, quàm in aliis, aliqua interdùm ſuccedunt inconvenientia quoàd beneficiorum diſpenſationem; ſed quid hoc?*

36 *Si populus nunc non præbet aſſenſum Promovendo; Collatores tamen, vel Nominatores invigilant, nè quis ingratus populo præficiatur.*

37 *Objectio loquitur de Epiſcopatibus, noſtra vero quæſtio eſt præcipuè de beneficiis inferioribus, intèr quæ, & illa non currit integra paritas.*

38 *Sicut Epiſcopatus potuerunt ſemper, & poſſunt etiam extraneis tradi; ſic beneficia quoque ſimplicia iiſdem poſſunt diſpenſari.*

39 *Tranſeat quod jura loquentia de Epiſcopatibus, afficiant ſuo modo etiam prò aliis beneficiis, ſed hoc intelligitur de curatis, & ſimilibus.*

40 *Intelligi etiam poſſet de Canonicatibus, de jure per viam electionis Canonicæ diſpenſandis, non vero de beneficiis merè ſimplicibus.*

Con-

Digitized by Google

1. CONTRADICTORES, dùm rationes ad confovendam ſuam cauſam inquirunt, tam literâ, quam ſenſu Canonum abutuntur; non verentes contrariâ, vel diſtortâ ſignificatione pertrahere ad ſuam intentionem ſacras leges, quas *Spiritu Dei, per organa ſua conditas*, vocavit Hincmarus Remenſis, *& totius Mundi reverentiâ conſecratas* (a). Adeòque ut ait Apoſtolus: *qui in lege gloriantur, per prævaricationem legis Deum inhonorant* (b). Prætèr alias ergò ſuperiùs allegatas paritèr, & uberrimè diſſolutas Objectiones legales, *Arguunt quinto loco* Contradictores ipſi *ex cap. Metropolitano* 19.*diſt.*63. ubi S. Leo Papa I. decernit, Antiſtitem Eccleſiæ viduatę eſſe *ex presbyteris ejuſdem Eccleſię, vel Diaconis* ordinandum. Hoc decretum, ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem directum, tanti faciendum eſſe exiſtimavit Innocentius PP. III. ut illud renovaverit, atque tranſcripſerit, in perpetuum obſervandum; in epiſtolâ, quam poſt captam à Latinis Conſtantinopolim ſcripſit *Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, ejuſque ſucceſſoribus, canonicè ſubſtituendis in perpetuum* (c). Epiſcopi ergò jubentur eligi ex ſolis Presbyteris, vel Diaconibus ejuſdem Eccleſiæ, quibus poſtmodùm additi ſunt Subdiaconi, eligibilitate ad illos quoque protensâ, juxta Sacros Canones id admittentes (d). Hancque obſervantiam uſque à primis Chriſti Sæculis in Eccleſiâ floruiſſe docemur, tùm ex verbis D. Cypriani, aſſerentis hoc eſſe *de traditione Divinâ, & Apoſtolicâ obſervatione* (e), tùm ex clamore Julii PP. I. adversùs Gregorium Cappadocem, quod intruſus fuiſſet Sedi Alexandrinæ, non electus *ex ipſo Sacrario, ex ipſo Clero, ab Epiſcopis Provinciæ &c.* (f). Quæ verba commemorans Cardinalis Baronius, ait: *ex quibus antiquus mos eligendi Epiſcopos ex gremio Matricis Eccleſiæ referatur* (g).

(a) *Hincmar. Remenſ. de Prædeſtin. c.*36.
(b) *Roman. cap.* 2. *num.* 23.
(c) *Innocent. III. lib.* 8 *regeſt.*
(d) *Cap. bene novit* 18. *diſt.* 61.
(e) *S. Cyprianus lib.* 1. *epiſt.* 4.
(f) *Julius I apud S. Athanaſ. Apolog.* 2.
(g) *Card. Baron. an.* 341.

2. Hujuſmodi diſciplinæ eligendi Epiſcopos ex corpore Eccleſiæ, memoriam facit S. Hieronymus in epiſtolâ ad Evagrium (h), & antè illum idem S. Cyprianus, qui promotioni S. Cornelii in Romanum Antiſtitem indè plaudit, quod factus fuerat Antiſtes de Dei, & Chriſti ējus judicio, *de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc affuit ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio* (i). Hanc formam in electionibus cuſtodiri mandavit Joannes PP. VIII. dum Mediolanenſibus ſcripſit: *præſenti vobis ſtatuto jubemus, ut &c. de electione alterius, qui de Cardinalibus Præsbyteris, aut Diaconibus dignior fuerit repertus, cum Chriſti ſolatio, ad Archiepiſcopatus bonorem promoveatis* (l). Idipſum conſtituit Nicolaus PP. II. dùm ratum habens Canonem Concilii Lateranenſis, celebrati ſub Stephano PP. IV. juſſit: *eligant autèm de ipſius Eccleſiæ gremio, ſi reperitur idoneus* (m). Ivo quoque Carnotenſis Decano Cenomanenſi ſcribens, illum confortat; ut electionem non aliundè, quàm ex propriâ Eccleſiâ fieri permittat (n). Hincmarus Remenſis commonuit Hugonem Abbatem, Viceregis in Galliâ officio fungentem, ut Regem ſuaderet, ad libertatem Eccleſiis conſervandam, quâ Epiſcopi eligerentur, *de propriâ quâlibet Eccleſiâ* (o). Et in epiſtolâ ad Clerum, & populum Bellovacenſem, illos hortatur, ut de eorum Eccleſiâ, ſecundùm Apoſtolicam formam, unum *de Diaconibus, vel Presbyteris* ſibi eligant in Antiſtitem (p). Si igitùr electio Epiſcoporum fieri debet de gremio, jàm non niſi indigenæ ad beneficia Epiſcopalia poſſunt legitimè promoveri, & conſequentèr idem erit etiam de inferioribus beneficiis (q).

(h) *S. Hieronymus epiſt.* 85.
(i) *S. Cyprianus ep.* 52.
(l) *Joannes PP. VIII. epiſt.* 261.
(m) *Concil. Roman. ann.* 1059.
(n) *Ivo Carnotenſis epiſt.* 120.
(o) *Flodoard. Hiſt. Remenſ. l.* 3. *c.* 24.
(p) *Hincmar. Remenſ. epiſtol. ad Cler Bellovac. f.* 600.
(q) *Abb. in cap. ad decorem de inſtit. n.* 3. *Barboſ. l.* 2. *vot.* 33. *n.* 4. *Lopez. lib.* 13 *tit.* 15. *par.* 1.

3. Reſpondetur *primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod *cap. Metropolitano* 19.*diſt.* 63. conſtituat legem præceptivàm: dicimus enim, illam eſſe merè directivam, & conſultivam, cui etiam conſentanea decreverunt S. Gregorius Magnus (r), & Concilium Lateranenſe IV. (s). Et quatenùs contendatur fuiſſe legem præceptivam, negamus aliud ſuppoſitum, nempè quod ille Canon conſtituat legem inprævaricabilem, & in perpetuum obſervandam. Dicimus enim, hunc canonem continere legem merè temporaneam, & tunc ſolùm rationabilitèr obſervandam, quandò electiones Sacerdotum fiebant à Clero, & Populo: quæ

(r) *S. Gregor. l.* 2. *ep.* 25. & 38. & *l.* 12. *ep.* 14 & 18.
(s) *Concil. Lateran. IV. c.* 23.

forma electionis cum jàm prorsùs ceſſaverit, ſitque ferè ubilibet abrogata; hinc fit, ut lex electionis de gremio Eccleſiæ vacantis faciendæ, nunc locum non habeat, quià non habet locum ipſamet electio. Quarè hujuſmodi Canon ad ſummum allegabilis quidem erat, quando vigebat forma electionis Canonicæ, non verò nunc, cum jam electio ipſa à quadringentis annis ab aulâ receſſit. Nèc hujuſmodi argumentum probat magis pro excluſione extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, quam probaret, nunc licitam eſſe Polygamiam, ſi quis ex illo aſſumptum ſuum deduceret, quod Abraham plures habuit uxores (*a*), quod Jacob quatuor fœminis ſe commiſcuit (*b*), quod Abia quatuordecim (*c*), Roboam decem & octo (*d*), Salomon ſeptingentas habuerunt uxores (*e*), & quod generalitèr olim pluralitas uxorum uſque à temporibus Noe (*f*), erat cunctis generali indulto permiſſa, uti probant ex Scripturalibus Pineda (*g*), ex Polemicis Bellarminus (*h*), & ex Theologis Hurtado (*i*). Ad hoc enim optimè reſponderetur cum D. Auguſtino, quod Polygamia, *quandò mos erat, crimen non erat* (*l*). Et ità Contradictoribus, nobis obiicientibus, quod eligendi ſint ad eccleſiaſtica beneficia ſoli Indigenæ, quià olim juxtà *Capit. Metropolitano*, eligendus erat vir de gremio; nos benè occurrimus reſpondendo, quod quandò mos erat, ut electio fieret à Clero, & Populo, tunc in ſenſu hujus reſponſionis, culpa dicebatur non eligere aliquem de gremio: nunc autem cum jàm electio Cleri, & Populi ferè ubilibet eſt abrogata, juſtis de cauſis, de quibus alibi dictum eſt (*m*), electio quoque de gremio ad nihilum eſt deducta, & per conſequens nihil probat, nec pro indigenis neceſſariò admittendis, nec pro extraneis ex debito repellendis (*n*).

4. Hoc modo intelligendæ ſunt ſententię Patrum, & Pontificum, in Objectione allegatæ: nec certè alium ſenſum habere queunt, niſi quod Eccleſię ſtylo tunc vigenti ſe accommodent, & mori temporum reſpondeant, in quibus talia ſunt prolata. Ergò quandò viguit tempus electionum, à Clero, & populo faciendarum, tunc eligi debuit Sacerdos de gremio Eccleſiæ, ſeù ut inquit S. Cyprianus, *de Clericorum teſtimonio, de plebis ſuffragio, ac de Sacerdotum antiquorum, & bonarum virorum Collegio* (*o*). Tunc opus fuit, *ut expectarentur vota Civium, teſtimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum ſolent ordinationibus ab his, qui norunt Patrum regulas, cuſtodiri*, ut ait S. Leo (*p*): Non verò nunc, cum jam, juſtis de cauſis, jus electionum à Clero, & Populo deſilivit, atque vel immediatè ad Sedem Apoſtolicam, à quâ ab initio migraverat, vel mediatè ad Principes, Pontificio privilegio ſuffultos, vel ad Epiſcopos, & alios, ad quos ordinario, aut delegato jure id pertinet, eſt translatum: neque jàm ab illis poteſt ſinè totius Eccleſiæ confuſione divelli. Itaque quatenùs Canon, ex adversò oppoſitus, quidquam valeat ad concludendum Contradictorum intentum; dicendum eſt cum D. Antonino, quo illud, & *ſimilia* jura, *loquuntur ſecundùm ſua tempora, ſed hodie ſecus* eſt (*q*). Nempè quod tunc, quandò electio activa ad Clerum, & Populum pertinebat, eo modo quo alibi dictum eſt (*r*), & electio paſſiva erat ad ſolos Clericos de gremio Eccleſiæ coarctata; poterant Clerici extranei à dicto gremio, à beneficiis eccleſiaſticis repelli, non verò nunc, cum jàm jus electionis de ipſo gremio ceſſavit.

5. Reſpondetur *ſecundò* iterùm negando aliud ſuppoſitum, nempè quod electio de gremio Eccleſiæ vacantis fuerit *de traditione Divinâ, & Apoſtolicâ obſervatione*: fueritque præceptiva, & non merè directiva. Nàm S. Cyprianus, & Julius PP. I. quorum in opinione fundatur ſuppoſita traditio Divina, & Apoſtolica obſervatio, non loquuntur dè electione paſſivè dè gremio, ſed dè electione activè faciendâ à Clero, & Populo, eorumque ſuffragiis, & teſtificatione, ut nota eſſent promovendorum merita, & ne quiſquam ignotus ad beneficia, & dignitates eccleſiaſticas perveniret. Preterquàm quod uterque loquitur *de traditione Divinâ, & Apoſtolicâ obſervatione*, non formalitèr, & theologicè, ſed analogicè,

(a) *Geneſis cap. 16. num. 1.*
(b) *Geneſis cap. 29. & 30.*
(c) *2. Paralipom. c. 13 num. 21.*
(d) *2. Paralip. c. 11. num. 21.*
(e) *3. Regum cap. 11. num. 3.*
(f) *Meratius tom 3. de matrim disp. 5. sec. 4. num 2.*
(g) *Joan. Pineda de rebus Salomon l. 7. c. 5.*
(h) *Bellarm. lib. unic. de matrimon. c. 11.*
(i) *Gaſpar. Hurtad. de Sacram diſp. 9 diff. 1.*
(l) *S. Auguſt. lib. 22. contr. Fauſt. c. 47. & 48.*
(m) *Vid. ſuprà to. 2. c. 28.*
(n) *Vid. ſupr. in hoc tomo cap. 9 à n. 9.*
(o) *S. Cyprianus epiſt. 52.*
(p) *S. Leo epiſt. 89.*
(q) *Antonin ſum. p. 3. tit. 15 § 9.*
(r) *Vid. ſupr. tom. 2. cap. 19. & 20.*

gicè, & lato modo, uti ſuprà in Objectionibus Spiritualibus latiùs demonſtravimus (a). In quo ſenſu etiam Goffridus Vindocinenſis non metuit affirmare, quod *electionis ordinem Chriſtus per ſeipſum primus inſtituit: Ipſe enim priùs elegit Apoſtolos* (b). Nempè quòd ad gradus eccleſiaſticos per viam electionis quiſque aſcendere debet, juxtà exemplum datum à Chriſto in Apoſtolis. Sed aliud eſt, quod Sacerdotes provehendi eſſent juxtà morem illorum temporum, per viam electionis, aliud eſt, quod nullus promoveatur niſi de gremio: primum verum eſt, & quodammodò fuit de *traditione Divinâ, & Apoſtolicâ obſervatione*, lato modo, ſimilitudinariè, & exemplaritèr, quatenùs exemplis Chriſti, & Apoſtolorum cohæret. Secundum verò nullo modo verificatur, Ultrà quod non omnia, quę Chriſtus, & Apoſtoli fecerunt, ſunt traditio Apoſtolica, & jus divinum, ut expendunt Doctores, tam Theologi (c), quam Canoniſtæ (d).

(a) *Vid. hic ſupr. tomo 1. c. 2. n. 21. & c. 2. num 18. 20. 21.*
(b) *Goffrid. Vindocin. opuſc. 2. ad Petrum Leonis.*

6. Præſcriptio ergò electionis de gremio, in *cap. Metropolitano* contenta, non fuit præceptiva, ſed merè directiva, prout ſuprà innuimus; nàm quemadmodùm multa ſunt, quæ Chriſtus, & Apoſtoli, non ex debito, ſed ex conſilio agenda docuerunt (e), multa quoquè continentur in rubricis eccleſiaſticis, quæ non præceptiva ſunt, ſed ſimpliciter directiva (f); Ità multa ſunt in ſacris Canonibus, quæ non præceptivè, ſed merè directivè ſe habent. Et vę mundo, ſi omnia, & ſingula, quæ in ſacris Canonibus antiquis, & modernis leguntur, pręceptiva eſſent; quis enim ea cuncta inviolabiliter obſervaret? Talis autem eſt electio de gremio, merè directivè, non verò præceptivè in præfato Canone appoſita. Nec alio modo eſſe poteſt, tùm ob rationes in diſſolutione Objectionum pręcedentis Capituli allegatas: tùm quia de facto etiam vigente tempore electionis, faciendæ à Clero, & populo de perſonis ex gremio Eccleſiæ, valida erat electio facta in perſonâ extranei, uti legitur in *Cap. cum inter Canonicos 21. de electione*, ubi exceptio electionis extrà gremium pro frivolâ pronuntiatur: *& in cap. te nobis 4. de Cler. peregrinis, ubi gloſ. in verb. ex diſpenſatione*, ait, *nullus poteſt eligi, de alienâ Diœceſi, ſed tantùm debet poſtulari, niſi eum eis voluerit diſpenſare, & ſic per ſolam diſpenſationem de aliis Epiſcopatibus inſtituuntur*. Quem Canonem Emanuel Gonzalez expendens, concludit: *Quià extranei, & alienigenæ, diſpenſante Epiſcopo, ideſt doctrinam, & mores eorum approbante, ad dignitates, & beneficia eccleſiaſtica admittebantur, ut liquet ex Canonibus 71. diſtinc. cum tantùm ex honeſtate, & congruentiâ prohibitum eſſet peregrinos, & extraneos in beneficiis eccleſiaſticis indigenis oriundis præferri; ideò ſingulæ Nationes curarunt ſpeciali lege ſibi cavere, & à Sede Apoſtolicâ privilegium impetrare, ut tantùm oriundi ex eâ Natione ad beneficia eccleſiaſtica admitterentur* (g).

(c) *Sotus in 4. diſt. 27 queſt. 3. art. 1. Sayr. theſaur caſ. conſc. lib. 6. c 3 n. 21.*
(d) *Lotter. de rè benef. l. 1 qu. 4. n. 41.*
(e) *Gloſ. in cap. ſunt quidam 6 cauſ 25 q. 1.*
(f) *Gavant. Theſaur. ſacr. rit. part. 3. tit. 11.*
(g) *Gonzal. in cap. te nobis 4. de Cler. peregr §. quâ difficultate.*

7. His conſonant alii Canones, & Doctores, à nobis uſquè ad ſatietatem in variis rationibus Legalibus allegati (h), quibus addimus *Navarrum*, ſic loquentem: *electio prælati jure communi non eſt neceſſariò facienda de aliquo, qui ſit de collegio electorum, ad hoc ut valeat: quoniàm licèt honeſtiùs, & ſanctiùs ſit, eligere aliquem de Collegio, quàm extraneum, juxt. cap. nullus invitis, & cap. obitum 61. diſt. electio tamen facta de extraneo idoneo à toto collegio, vel à majori ejus parte, valet, ut ſatis efficacitèr probat cap. cum inter Canonicos de elect. & etiam cap. quià proptèr eod. tit. & ità tenuit Gloſ. Bartholomęi Brixienſ. in d. cap. nullus & Gloſ. Bernardi in d. cap. cum inter Canonicos, quorum opinionem ſequuntur Innocentius, Hoſtienſis, Panormitanus, & communis, eamque uſus Eccleſiæ ſervat ſecundùm eoſdem* (i). Cujus quidèm *Innocentii*, à Navarro citati hæc ſunt verba. *His habet, quod non ſemper prævalet electio de eâdem Eccleſiâ facta ad idem in eod. c. in cauſis. Ad hoc dixerunt quidam, quod ſi duæ partes conveniunt in extraneum, tenet electio extranei, ut hic, nàm duæ partes inſtàr totius obtinent C. de decur. l. nominationem lib. 10. &c. Nos dicimus quod ſive de eâdem, ſive de alienâ Eccleſiâ, ſemper tenet electio, facta à majori, & ſaniori parte Capituli. argum. hic infr. eodem cap. in cauſis. Eſt tamèn verum, quod ſemper de eâdem de-*

(h) *Vid ſupr. tom. 2 cap. 10. & 11.*
(i) *Navar. Conſil. 6. in lib. 1. Decret. de electione. 1.*

bet

Digitized by Google

bet aſſumi, ſi ibi reperiatur idoneus: ſi tamen contrarium fiat, tenet (*a*). His adde ex modernis *Ludovicum Engel Teutonicum in Colleg. Jur. Canon.* (*b*), & alios, qui brevitatis gratiâ omittuntur. Si igitùr electio facta de extraneo ſemper fuit valida, & valet nunc etiam, ubi forma Canonicæ electionis adhuc ſubſiſtit; citrà difficultatem eſt, quod *Cap. Metropolitano*, & ſi quis alius Canon præſcribit electionem faciendam eſſe de gremio Eccleſiæ, non præceptivè, ſed merè directivè hoc diſponunt, & ſic ex hoc non infertur, neque quod ſit neceſſaria admiſſio indigenarum ad eccleſiaſtica beneficia, neque quod neceſſaria ſit ab eiſdem extraneorum excluſio.

8. Reſpondetur *tertiò*, denuò negando aliud ſuppoſitum, nempè quod præſcriptio electionis faciendę de gremio, fuerit generalis, cunctos univerſalitèr adſtringens, & ab omnibus ubilibet univerſaliter obſervanda. Nàm de facto, ipſo durante tempore, in quo jus electionum de gremio faciendarum adhùc florebat, plures, vel Pontificum auctoritate, vel Patrum in Conciliis congregatorum approbatione, vel Principum operâ, & interventione, licèt extranei, ſunt hùc illùc ad Epiſcopatus promoti. De Principibus patet factis, & exemplis, quæ ſuprà congeſſimus, dum ſiſcitaremur, ad quem pertineat beneficia eccleſiaſtica conferre (*c*). De Patribus, & Pontificibus, hæc pauca hìc carptim agglomeramus. S. Gregorius, qui in libertate electionis Eccleſiis permittendâ, poteſt inter liberaliſſimos recenſeri, & ideò Benenato Viſitatori Eccleſiæ Cumanæ haſce literas dedit: *Commonemus fraternitatem tuam, ut nullum de alterâ eligi permittas Eccleſiâ, niſi fortè inter Clericos ipſius Civitatis, in quâ viſitationis impendis officium, nullus ad Epiſcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri* (*d*). Quod & totidem verbis injunxit Joanni Epiſcopo Scyllitano, Viſitatori Eccleſię Taurianenſis (*e*); Sanctus, inquam, Gregorius ipſum Joannem, anteà Epiſcopum Liſſitanum Scyllitanæ Eccleſiæ ex ſeipſo dedit Antiſtitem (*f*), & Eccleſiæ Liparitanæ Paulinum Taurianenſem ſuâ auctoritate præfecit (*g*): De quo etiam ſcripſit Maximiano Epiſcopo Syracuſano: *Quià Eccleſia Liparitana Sacerdote privata dignoſcitur, ideò, Paulinum Taurianenſis Eccleſiæ Epiſcopum in prędictâ Eccleſiâ Liparitanâ fraternitas tua ſinè mora præeſſe conſtituat, ut officii ſui adminiſtrationem in eâdem Eccleſiâ vigilantèr exhibeat* (*h*).

9. Idem ipſe Gregorius Presbyterum quendam, ſibi à Felice viro conſulari laudatum, accerſiri juſſit, ut eum in loco diſignando poſſet Epiſcopali honore ſuo tempore decorare. Ejus verba ad præfatum Maximianum Epiſcopum Syracuſanum: *Felix vir conſularis, præſentium lator, edocuit nos, eſſe quendam in illis partibus Presbyterum, qui ad Epiſcopatus ordinem provęhi, probatę vitæ merito, dignus appareat. Hunc ergo fraternitas tua coram te deduci faciat, cumque ſicut certus ſum, propter animæ periculum diligentèr examinet: quem ſi ad hunc gradum provehi dignum eſſe proſpexerit, ad nos ſtudeat deſtinare, ut eum, diſponente Deo, loco, cui providerimus, poſſimus ordinare paſtorem* (*i*). Pariter Joannes PP. VIII. Hieronymum quendam Eccleſiæ Lauſanenſi ſuâ auctoritate præfecit, & quià dubitavit, ne illum Carolus Craſſus Imperator parum gratum haberet; Cæſaream illi gratiam procuravit, atteſtando, *illum Regi fidelem in omnibus, propriumque eſſe, ſicut cæteri Epiſcopi Regni exiſtunt* (*l*). Similitèr Innocentius Papa III. Stephanum quendam Cantuarienſibus infulis inſignivit, nedùm non de Clero, neque à Clero electum, ſed imò à Rege Angliæ formalitèr reprobatum (*m*). Silemus de Perigene Epiſcopo Patrenſi, quem à ſuis ſubditis Sede pulſum, Romanus Pontifex in Corinthienſi fecit Sede locari (*n*). Silemus de Joanne Philadelphienſi, quem à Romano Pontifice novimus delegatum ad Eccleſias Orientis ſuo nomine viſitandas, & ibi deputandos Presbyteros, Diaconos, & Epiſcopos, prout opus eſſe cognoſceret (*o*).

10. Ex Patribus, habemus illos 13. Epiſcopos, qui in Concilio Valentino conſidentes, anno 855. Synodalitèr decreverunt, petendam eſſe à Lothario Imperatore

(a) *Innoc. in cap. cum inter Canonicos 21. de elect. n. 2.*

(b) *Engel. Colleg. jur. p. 1. l. 1. tit. 24. § 2. n. 10*

(c) *Vide ſuprà to. 2. cap. 20. à n. 6.*

(d) *S. Gregorius l. 2. epiſt. 20.*

(e) *S. Gregorius l. 2. epiſt. 38.*

(f) *S. Gregorius l. 2 epiſt. 25.*

(g) *S. Gregorius l. 2. epiſt. 13.*

(h) *S. Gregorius l. 2. epiſt. 26.*

(i) *S. Gregorius l. 2. epiſt. 18.*

(l) *Jo. Papa VIII ep. ad Carolum Craſſum.*

(m) *Boſquet. ad epl. 114 lib. 3. Innoc. III.*

(n) *Socrates hiſtor. lib. 7. c. 35.*

(o) *Martinus Pap I. epiſt. 1.*

tore liberam electionem Canonicam Epiſcoporum, eo quod, illâ intermiſsâ, multi indocti, & indiſcuſſi ad ſacras infulas convolabant, undè eccleſiaſticus vigor deperibat (*a*): ſi enim alitèr quàm per electionem canonicam, tùnc viri immeriti promovebantur; certè, neque â Clero, neque de Cleri gremio illorum electio fiebat. Itèm Patres Concilii Cariſiacenſis, qui votis conſentientibus implorarunt à Rege Carolo Calvo, ut Vulfadum Remenſem, à Sede Lingonicâ occupatâ diſpelleret, eique Eccleſię alius canonicè præficeretur (*b*), prout & factum eſt, fuitque ſubrogatus Iſaac (*c*), qui Diaconi officio anteà fungebatur apud Pardalum Epiſcopum Laudunenſem (*d*). Nàm ſive Vulfadi, ſive Iſaac habeatur ratio, cum uterque à Sede Lingonienſi eſſet extraneus; certum eſt, quod neutrius electio fuit facta de gremio Eccleſię. Alia documenta proferri poſſent, ſed ne lectorem ampliùs oneremus, hęc ſufficiant, ad oſtendendum, quod etiam eo tempore, illiſque decurrentibus Sęculis, in quibus forma electionis canonicæ de gremio Eccleſiæ faciendę vigebat; adhùc tamèn, & Pontifices, & Reges, & Patres ſe illius obſervantiæ non arctabant, tamquàm qui eandem cenſebant univerſalis obligationis viribus deſtitutam. Multò magìs autèm eam nunc nihil afficere cogitandum eſt, poſtquam jam fuit, & per nova jura, & per contrariam conſuetudinem, ſublata: quibus certum eſt, poſſe antiquas leges funditùs abrogari (*e*).

(a) *Concil. Valentin. cap. 7.*
(b) *Concil. Cariſiac. an. 856.*
(c) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. lib. 3. c. 24.*
(d) *Hincm. Remenſ. de prædeſtin. l. 2. c. 2.*
(e) *S. Thomas Quodlib 9. art. 15*

11. *Reſpondetur quartò*, debitum eligendi de gremio, pro tempore, quo forma canonicarum electionum floruit, fuiſſe potiùs legem particularem, ſive privilegium locale, quam legem univerſalem: hocque colligimus ex eo, quod primis Eccleſiæ Sęculis, hęc coarctatio electionis ad Clericos de gremio fuit penitùs inaudita: tuncque primum cœpit emergere, cum primum incæperunt viri potentes, Principes, & Magnates, Sacerdotum electionibus ſe immiſcere. Nàm ut benè advertit Socrates, *ex quo Chriſtiani eſſe cœperunt Imperatores, Eccleſiæ negotia ex illis pendere cœperunt*. Cum igitùr & Principes, & Magnates sè electionibus ingererent, & earum libertati vim inferrent, ut viros ſibi magìs gratos, tametſi interdum, & Clero, & Populo ignotos, ad Sacerdotia promoverent; oportuit ad violentiam iſtorum comprimendam, ut Eccleſiæ ſibi caverent, impetrato tùm à Summis Pontificibus, tùm à Principibus indulto, quo vetaretur, ne quiſquam extra earum gremium, poſſet ad ipſarum provehi dignitates. Epiſcopi Gallię primi ſuper hoc ad Cœleſtinum Pontificem recurrere, qui datis ad eos literis, reſcripſit: *Nullus invitis detur Epiſcopus: Cleri, plebis, & ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur. Tùnc autèm alter de alterâ eligatur Eccleſiâ, ſi de Civitatis ipſius Clero, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri* (*f*). Ità hujuſmodi lex, à ſuâ origine non fuit generalis, ſed particularis, pro Eccleſiis Galliæ, & earum quodammodò privilegium, quàm poſteâ legem Gratianus, ſuæ Canonum inſervit rhapſodiæ.

(f) *Cap. nullus 13 diſt. 61.*

12. Hac Principum, & Potentum violentiâ fuiſſe diutiùs fatigatas Eccleſias Galliarum, patet exemplis, quę ſuprâ retulimus (*g*), & ſicut ſub initio, quo cœpit prævalere in Eccleſiâ mos Canonicæ electionis, intonuit prò illius libertate Cœleſtinus, ut canonicè fieret: à Clero, & Populo fieret: de gremio Eccleſiæ fieret; eſſetque *facultas Clericis renitendi, ſi sè viderent pregravari, & quot ſibi ingeri ex tranſverſo agnoſcerent, non timerent refutare* (*h*); ità poſtremis Sæculis, cum jam forma ipſius Canonicæ electionis ad ſuum interitum declinaret: non ceſſavit pro eâdem libertate clamare Fulco Remenſis, ad aures Odonis Principis inſuſurrans, ne Eccleſias libertate electionis Canonicę mutilaret, nec quemquam ignorum, vel minùs gratum, nolentium infulis decoraret: ſeu, ut ait Flodoardus, *Odoni Regi literas dirigens, rogat pro concedendâ Eccleſiæ Laudunenſi &c. electione liberâ, oſtendens, non oportere violentèr eos ad eum, quem nolint, ſuſcipiendum compelli* (*i*). Itàque Cœleſtini decretum, electionem paſſivam ad Clericos de gremio coarctans, potius quàm lex generalis, fuiſſe videtur privilegium ſpeciale, & locale, pro ſolis Galliæ Eccleſiis ab initio procuſum: imò & nec cunctas Gallica-

(g) *Vide Suprà to. 2. c. 20. à num 9.*
(h) *Cœleſtin. Pap. I. ep. 2. c. 5.*
(i) *Flodoard. hiſtor. l. 4. c. 5.*

nas

Digitized by Google

nas Eccleſias complectens, ſed illas ſolas, quæ vel illud ab initio poſtularunt, vel tunc erant à Potentum, & factioſorum hominum violentiis laceratæ: nam ſi cunctis Galliæ Eccleſiis illud opitulatum fuiſſet, non indiguiſſet Eccleſia Narbonenſis conſimile indultum à Stephano IV. Pontifice procurare (*a*). Paritèr ſi præfatum decretum generale fuiſſet, non indiguiſſent aliæ Orbis Eccleſiæ sè conſimili privilegio, de manu Romanorum Pontificum ſuſcepto, jam novitèr ſuffulcire.

(a) *Steph. Papa VI. ep Hol. ad Arnulfum Narbonenſ.*

13. Poſt Cœleſtinum S. Leo, mediatus illius Succeſſor, conſimile decretum edidit, directum Anaſtaſio Epiſcopo Theſſalonicenſi, in quo poſtquam cavit, ut *nullus invitis, & non petentibus ordinetur, ne Civitas Epiſcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religioſa, quàm convenit, cui non licuerit habere quem voluit* (*b*); ſubjungit, quod vacantibus Eccleſiis, *omnium Clericorum, atque omnium Civium voluntate diſcuſſâ, ex Presbyteris ejuſdem Eccleſiæ, vel ex Diaconibus, optimus eligatur* (*c*), ſed ſicut hujuſmodi decretum, ſive epiſtola decretalis, non fuit indultum generale, Epiſcopis totius orbis, imò & ne cunctis Epiſcopis Theſſalonicenſibus impertitum, ſed privilegium perſonale, Anaſtaſio, tunc illius Sedis Antiſtiti contributum, prouti teſtatur Ivo Carnotenſi in ſuis epiſtolis (*d*), ità Sanctio, ne quiſquam eligeretur ad Sacerdotium, niſi de Clero Eccleſiæ vacantis, non fuit lex generalis, ſed diſpoſitio localis, ad eas tantum urbes ſe porrigens Theſſalonicenſis Exarchatus, ubi Potentum artibus, vel hominum nefariorum inſidiis, Clerici immeriti, & inoptati dignitates eccleſiaſticas ſuffurarentur. Hoc ità eſſe comprobatur ex eventibus ſubſequentibus. Nàm præterquamquod, non obſtantibus dictis decretis Cœleſtini, & Leonis Pontificum, ſemper viguit in Eccleſiâ libertas prǫficiendi Sedibus Epiſcopalibus viros etiam non de gremio; ponderandum eſt, quod ipſa Eccleſia dictis decretis Cœleſtini, & Leonis non fuit ſatis cauta contrà vim Potentum, ne aliquandò hic, vel illic ex tranſverſo Clericos extraneos intruderent, undè coacta fuit ad impetranda peculiaria privilegia, Eccleſiis particularibus per Romanos Papas indulta, de quibus paulò antè verba fecimus, necnon ad conſimile adjutorium à laicis Principibus implorandum. Quibus ſanè prǫſidiis non eguiſſet, ſi lege generali, cunctas Orbis Eccleſias generalitèr devincienti, reprobata fuiſſet admiſſio eorum, qui non erant de gremio, ad eccleſiaſticas dignitates.

(b) *S. Leo Pap. I ep. 84 cap. 5.*

(c) *Idem in cap. Metropolitan. 19. diſt. 63.*

(d) *Ivo Carnotenſ. epiſt. 19.*

14. Itàque ad proprium prǫſidium, incæperunt Eccleſiæ ſpecialia diplomata etiam à Regibus, & Imperatoribus implorare, quibus interdiceretur, ne Eccleſiis vacantibus Clerici, niſi de illarum gremio, poſſent ad Epiſcopales inſulas promoveri. Hæcque privilegia, tùm pietatis intuitu implorare fategerunt, tùm auro perſoluto, paciſci, ut quomodocumque poſſent, violentiæ Magnatum, & factioſorum hominum non paterent. Nèc mirum habeatur, quod Eccleſiæ libertatem præficiendi ſibi Antiſtites nummis perſolutis, impetraverint, cum & Romani Pontifices libertatem eccleſiaſticarum rerum, quam alias à Longobardis obtinere non poterant, pecuniâ contributâ redimerent (*e*). Et anteà fideles libertatem profitendi Chriſtianam Religionem pretio erogato ab Infidelibus impetrarent (*f*). Ac generalitèr Chriſtiani, quibus vires deerant ſubeundi martyrium; sè perſoluti ęris præſidio à periculo tuerentur, quod S. Petrus Alexandrinus, nedùm non condemnavit, ſed imò potiùs talitèr ſe gerentes cenſuit eſſe laudandos, & compatiendum eorum infirmitati (*g*). Ità ergò nimium sè immiſcentibus viris factioſis, & potentibus, in electione Antiſtitum, & ſæpeſæpius intrudentibus in Eccleſias Clericos, & Laicos ignotos, inexpertos, & ad miniſteria ſacra prorſus ineptos, quos, prout ſuo tempore ſuccedebat, hoc linguę penicillo delineat Hincmarus Remenſis, necnon Concilium Valentinum: *indiſcuſſi, & inexaminati, ſcientiæque litterarum penè ignari, minuſque Apoſtolicę præceptioni appropinquantes, peccatis noſtris agentibus, per Civitates Epiſcopi ordinantur, quâ occaſione maximè vigor eccleſiaſticus deperiit* (*h*). Rebus, inquam, ita sè habentibus, Eccleſiæ ad memoratum remedium confugerunt, diplomata Regalia procurandi, quibus libertate potirentur

(e) *S Gregor. l. 4. ep. 34. Baron an. 573. n. 4.*

(f) *S. Cyprian. l. de Lapſis & l. 1. ep. 4. & epiſt. ad Antonian.*

(g) *Baron. an. 305. n. 34.*

(h) *Concilium Valentin. an. 855. c. 7.*

tur, Clericos, ab eorum gremio extraneos, repellendi. Alia documenta his cohærentia retulimus, ubi de electione Abbbatum ex gremio Monaſterii tractavimus (*a*).

15. Igitùr ſi rem ſincero oculo, & intuitu neutiquam obvelato, perluſtrabimus; inveniemus, quod electio de gremio Eccleſiæ facienda, etiam quandò illius forma obſervabatur, non erat de jure eccleſiaſtico univerſali, ſed potius de jure particulari, vel eccleſiaſtico, vel laicali, innixo privilegiis particularibus, per Pontifices, aut reſpectivè, quantum in ipſis erat, per Reges, & Cæſares impertitis. Et hoc modo intelligendum eſt, cenſeri de jure, debitum electionis, ex gremio Eccleſię faciendæ, prout more antiquo agebatur: Erat enim de jure, non generali, ſed particulari, quatenùs etiam privilegia dicuntur Jus, eo quod ſint leges, quamvis leges privatorum (*b*). Ex his autèm privilegiis peculiaribus, & localibus non benè inferunt Contradictores univerſale debitum eligendi viros de gremio, in omnibus, & ad omnes Eccleſias dilatatum; quia, ut egregiè ait S.Hieronymus, *privilegia ſingulorum, non poſſunt facere legem communem* (*c*). Et ideò quidquid ſit, an olim in præfatis Eccleſiis, ſpeciali privilegio, ut ſuprà, munitis, eſſet Epiſcopus de gremio viduatæ Eccleſiæ eligendus, & ex normâ electionis Epiſcopi, ob identitatem rationis, idipſum fieri deberet in proviſione aliorum beneficiorum; non indè ritè infertur à Contradictoribus, ergò nùnc in cunctis Orbis Eccleſiis, tam Epiſcopus, quam cęteri Clerici, beneficiis eccleſiaſticis decorandi, debent neceſſariò, & indiſpenſabilitèr ex vacuatę Eccleſiæ gremio prodiiſſe. Privilegia ſiquidèm uni loco, vel perſonę conceſſa, non ligant loca, & perſonas ibidem non expreſſas, quia ipſorum verba non plus operantur, quam ſonent (*d*). Et multò fortiùs quidquam operari non poſſunt prædicta indulta nunc, cum jam ſunt & conſuetudine, & novis legibus abrogata, & totalitèr in non uſum tranſlata, cum certum omninò ſit, quod omne privilegium per non uſum ammittitur (*e*).

16. Reſpondetur *quintò*, reconveniendo Contradictores, & ſciſcitando ab eis, cur ſoli formę electionis de gremio Eccleſiæ vacantis ſtandum ſit, & non pluribus aliis, vel alicui earum, quibus Eccleſia diverſis temporibus uſa eſt, in diſtribuendis eccleſiaſticis beneficiis? Diximus ſuprà (*f*), ubi egimus de iis, ad quos pertinet ipſa beneficia eccleſiaſtica diſpenſare, electionem Sacerdotum pluribus vicibus fuiſſe mutatam, & ſaltèm tredecim modis fuiſſe variatam. Nàm primò aliquando fuit facta à ſolis, & ſingularibus Apoſtoli s. Secundò aliquandò à Clero, & Populo ſimul junctis. Tertiò aliquandò à ſolo Clero. Quartò aliquandò ab Epiſcopis morituris, ſibi conſtituentibus Succeſſorem. Quinto aliquandò à Clero, & Populo, unà cum Epiſcopis Comprovincialibus. Sextò aliquandò ab ipſis Clero, & Populo, unà cum Principe Temporali loci Eccleſię vacantis. Septimò aliquandò à ſolo Clero majoris Eccleſiæ. Octavò aliquandò a ſolis Principibus Sęcularibus locorum, ubi vacabant Eccleſiæ. Nonò aliquandò a ſolis Epiſcopis Comprovincialibus. Decimò aliquandò talitèr, ut electio fieri poſſet ex cunctis Clericis totius Diœceſis. Undecimò aliquandò ea formâ, ut ex ſolo Clero Civitatis celebrari poſſet electio. Duodecimò aliquandò itaùt nonniſi ex gremio majoris Eccleſiæ poſſet quiſquam eligi. Decimotertiò demum res ad formam tranſivit, in quâ jam à pluribus Sæculis reperitur, ut Epiſcopatus, & beneficia (pręterquam in Germaniâ, ubi Sedes Epiſcopales, & Abbatiales per viam electionis canonicę diſpenſantur (*g*), in cunctis orbis partibus, vel a Papa, vel ab Imperatore, vel a Regibus, vel ab Epiſcopis, vel ab aliis, tùm Ordinariis, tùm Delegatis beneficiorum Collatoribus, aut ad ea reſpectivè Nominatoribus, Clericis ſibi benè viſis, vel per viam liberæ collationis, vel per viam præſentationis, & nominationis, diſt ribuantur.

17. Quibus ità ſè habentibus, petimus, quarè ex tot, & talitèr variatis formis electionis ad beneficia Epiſcopalia (& ſic proportionalitèr etiam de aliis inferioribus beneficiis) quarè, inquam, ex tot, & talibus formis, illa ſola attendenda ſit, quæ eligibilitatem ad Clericos de gremio coarctat, & non aliæ? Cur, quæſò, illa

(a) *Vide ſuprà in hoc tom 3.c.3.n.15.16.19. & in cap.14. à n.20.*

(b) *Cap. privilegia 3 diſt 3. cap ideò 16. & § ergò 25 qu. 1.*

(c) *S.Hieron. in cap. 1 Jonæ.*

(d) *Cap porrò de privil. Seraph. deciſ. 605. num. 3.*

(e) *Seraph. dec. 1410 n. 27 Guid. Pap. deciſ. 406. num. 1.*

(f) *Vide ſuprà to. 3. cap. 19. 10. 11*

(g) *Vivian. de Jurepatr. p. 1. l. 3. c. 1. n. 34.*

illa ſola, jam à quatuor, & ultrà Sæculis abrogata, & non aliæ debent eſſe nunc regula diſtributionis beneficiorum? Nunquid cum illa primò erupit, alię eidem prævię non ceſſarunt? Et ſicut per introductionem illius, aliç præcedentes ceſſare potuerunt; cùr quæſo & hæc non potuit novarum regularum ſubſtitutione ceſſare? Certè ſi alicujus ex tot formis, inter ſe diſſitis, haberi debet ratio, attendenda erit vel prima, vel ultima: prima, ratione ſuę præeminentiæ, & inſtitutionis, ab Apoſtolis, vel ab eorum Diſcipulis, deſcendentis: Sed hæc nihil proficit Contradictoribus, quià primis Eccleſię Sæculis nulla fuit regula, prçſcribens, eligibilitatem eſſe coarctandam ad ſolos Clericos de gremio Eccleſiæ vacantis. Ultima, ratione ſuę auctoritatis, ab Eccleſiâ, & Summo Pontifice participatæ, quâ omnes formas precedentèr uſitatas expunxit, & ad nihilum omninò redegit. Sed & nec iſta prodeſt Contradictoribus ad intentum, quià non admittit neceſſitatem reſtringendi eligibilitatem ad ſolos Clericos de gremio Eccleſiæ. Cum ergò electio facienda neceſſariò de Clericis ex gremio Eccleſiæ vacantis, nec in primâ, neque in ultimâ contineatur, ex tredecim formis in beneficiorum diſtributione obſervatis; reſtat ut ipſa non valeat modo regulare largitionem beneficiorum, neque illa ſolis indigenis addicere, extraneis repulſatis; ſed verè, & feriò beneficia eccleſiaſtica nunc diſtribuenda ſint juxtà ultimam formam, prò qua pugnamus, & quæ tamquàm noviſſima, antiquas formas ſuppreſſit, ſolaque viget, ac vires habet, ex regulâ notiſſimâ, quod jus poſterius derogat priori (*a*).

18. Refondetur *ſextò*, retorquendo argumentum adversùs Contradictores. Nàm ſi electio ad Epiſcopalia, & inferiora beneficia fieri debet de gremio Eccleſiæ vacantis, cum hujuſmodi gremium non excludat extraneos, & aliundè natos, ſed eos ſecum admittat, dummodò idoneos, & benemeritos; ſequitur, quod vi *Canonis Metropolitano*, de quo agimus, non ſint repellendi extranei ab eccleſiaſticis beneficiis, ſed potiùs ad eadem admittendi. Mille exempla in faſtis Eccleſiaſticæ antiquitatis legi poſſunt, Epiſcoporum, & Clericorum, qui cum naturâ eſſent extranei à totidem Eccleſiis, fuerunt earum Clero inſerti, & ibi ad officia, & beneficia ſacra provecti. Plurima ſuprà dedimus in probationibus ex SS. Patribus, & Conciliis, atque ex Hiſtoriis, conſertis: illùc doctus lector appropiet, fietque, ut ad ſatietatem ſuo genio ſatisfaciat (*b*). Si dicatur, quod extranei iſti, licèt origine tales, tamen ſtatìm ac aliarum Eccleſiarum albo adſcribebantur, eiſque, vel per ordinum, vel per beneficiorum conſecutionem, incardinabantur, non ampliùs ibi erant extranei, ſed indigenæ; reſponſio eſt in promptu, quod ſi lex eccleſiaſtica poſcebat, ut electio indiſpenſabilitèr fieret de gremio Eccleſiæ, vel iſti, quandò promovebantur, nondùm erant gremio Eccleſiæ inſerti; & jam certè electio non fiebat de gremio, ſed de perſonâ adhùc extraneâ: vel antè promotionem, Clero Eccleſiæ illius ſe faciebant inſerere; & ſic legem non implebant, ſed deludebant. Undè benè Thomaſſinus, de arte Hincmari Monachi S. Dionyſii, diœceſis Pariſienſis, qui ſe fecerat aggregare Clero Remenſi, ut poſſet illius Eccleſię Cathedram adipiſci; ſuum ſenſum per ea, quæ ſequuntur, pronuntiat. *Flexuoſus is erat circuitus &c. Nèc enim his ſcopus fuerat, non ea canonum mens, ut traducerentur uno temporis puncto unius Eccleſiæ Clerici in aliam, & mox ibi raperentur ad ſummę culmen dignitatis* (*c*). Fuſiùs proſecuti ſumus hanc materiam ſuprà in Objectionibus Scripturalibus, ubi de Nicolao uno ex ſeptem Diaconibus locuti ſumus (*d*), eamque adhùc latiùs pertractavimus, itidem ſuprà in loco, ubi de Hincmaro prænuntiato ſermo ex propoſito factus eſt (*e*). Legat benignus Anagnoſtes utrobique prolata, & opportunum huic negotio inveniet effatum.

19. Unum eſt, quod ſanctio vocans ad beneficia Clericos de gremio, non repellit, ſed admittit extraneos, quià ad gremium ipſius non minùs alienigenæ, quàm nativi potuerunt, poteruntque ſemper admitti: Et admiſſio illa duos faciebat, ac facit effectus: unum quod ipſi admiſſi non deſinebant eſſe origine extra-

(a) *Leg. ſed & poſteriores ff de legib. c. ult. de ſent. excom. in 6. Engel. Colleg. jur. p. 1. in proem num. 18 Barboſ. Axiom 183.*

(b) *Vid ſup in tom. 1 per totum.*

(c) *Thomaſſin Vet. & Nov Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 86 n. 16.*

(d) *Vid. hoc to. 3. c. 2 à n. 14.*

(e) *Vid ſup. tom. 1. ſæcul. 9. c. 23. à n. 26.*

tranei: aliud, quòd admiſſio eadem non erat, nec eſt neceſſaria ad jus paſſivum pro eligibilitate, ſed ſolum ad jus activum prò electione. Et quidèm quoàd primum, Alienigenæ, alicujus Eccleſiæ gremio inſerti, per Ordinum, vel beneficiorum aſſecutionem, non deſinebant eſſe naturâ extranei, quià non ibi fiebant prorſùs, ac talitèr indigenæ, quin remanerent origine extranei: Conſociabatur ergò in eis eſſe extraneum, & eſſe de gremio: extraneum, origine: & de gremio, inſertione. Res meliùs patefiet exemplo. Nupèr obiit D. Cardinalis Joannes Theodoſius de Buillon, Natione Gallus: Dignitate, Sacri Collegii Cardinalium Romanę Eccleſiæ Decanus, ac ſimul Epiſcopus Oſtienſis: Beneficio, Præpoſitus Eccleſię Leodienſis, Canonicus Colonienſis, Abbas Cluniacenſis, aliiſque etiàm beneficiis eccleſiaſticis cumulatus. Hic certè in tot, & tàm diverſis Eccleſiis erat incardinatus: Nàm *incardinatus* dicitur Antiſtes, *qui nec Corepiſcopus, nèc Coadjutor, nec incertæ Sedis, ſed præcipuus talis Diœceſeos Pontifex eſt*, inquit Fileſacus (a): In quo ſenſu S. Gregorius Joanni Epiſcopi Scyllitano ſcripſit: *tè in Scyllitanâ Eccleſiâ Cardinalem neceſſe duximus conſtituere Sacerdotem &c. ut in hac, in quâ à nobis incardinatus es, debeas Eccleſiâ permanere* (b), & talis erat præfatus D. Cardinalis in Eccleſiâ Oſtienſi, tamquàm Epiſcopus, & Cardinalis Decanus.

20. In minoribus quoque Eccleſiis, ſeù beneficiis *incardinatus* ille dicitur, qui alicujus Eccleſiæ Clero eſt inſertus (c): undè S. Gregorius in epiſtolâ ad Fortunatum Neapolitanum: *Fraternitatem tuam, à nobis petiſſe recolimus, ut Gratianum Eccleſię Benafranæ Diaconum, tuæ concederemus Eccleſiæ cardinandum* (d): Et Joannes Diaconus, de eodem S. Gregorio loquens, ait: *Cardinales, in forenſibus parochiis promotos, in priſtinum cardinem revocabat* (e). Facit ad hæc Concilium Meldenſe, loquens de titulis Cardinalibus, quos fixè, & certè debeat Epiſcopus ordinare, & ſinè retractatione diſponere (f). Talis erat paritèr dictus D. Cardinalis, *incardinatus*, & inſertus Cleris Eccleſiarum Leodienſis uti Præpoſitus: Colonienſis, uti Canonicus: Cluniacenſis, uti Abbas &c. Hic inquam in tot, & tàm diverſis Eccleſiis incardinatus, & inſertus, earumque gremio conſcriptus, origine erat indigena loci illius ex Galliâ, in quo ſortitus fuerat rationem originis. Officio verò, vel beneficio erat indigena Romæ, ubi Epiſcopatum cum Cardinalatu tenebat: Non erat autèm pariformitèr indigena in Germaniâ, & Belgio, quamvis ibi poſſideret Prępoſituram, & Canonicatum: neque in Galliâ, quantumlibet ibi Abbatis dignitate ſplendeſceret, quià indigenatus, tùm ratione originis, tùm ratione primarię dignitatis, videtur eſſe unicus, & non poſſe ad duo loca ex ęquo ſe extendere, ſaltem phyſicè, niſi ſub diverſis reſpectibus, & eo modo quo etiam Civilitas ſub diverſis acceptionibus pluribus in locis poteſt haberi (g), ut eſt civilitas originaria, & domiciliaria (h), & ità beneficiarius habetur pro cive in omnibus locis, in quibus obtinet beneficium. Verè ergò licèt ipſe quoàd originem eſſet indigena loci illius Galliæ, à quo ſortitus eſt conditionem natalium; Tamèn, quià in viris eccleſiaſticis ratio indigenatus deſumenda eſt Eccleſiâ, in quâ potiori dignitate refulgent (i), tamquàm ibi deſponſati, cum ipsâ Eccleſiâ, vel cum ejus beneficio, à cujus etiam vinculi nodo non valent ex propriâ auctoritate ſe ſolvere; hinc fit, quod præfatus Cardinalis, quantum ad officium, & beneficium, non niſi Romanæ Urbis indigena dici poterat, ubi cum Cardinalatus honore, ſublimem Epiſcopi Oſtienſis poſſidebat dignitatem. Ità ipſe quamvìs quatuor, & ultrà Eccleſiarum gremio eſſet conſertus, in ſolâ tamèn Romanâ habuit rationem indigenę, primariò, & in ſenſu quem diximus: in aliis verò erat extraneus, ſeque ſimul compatiebantur in eo, eſſe de gremio, & eſſe extraneum reſpectu ad aliqua loca.

21. Idipſum paſſim ſuccedit in Germaniâ, ubi, ſubſiſtente adhùc jure electionis, cernuntur Clerici, qui ſimul in unâ Eccleſiâ Epiſcopale, in aliâ Canonicale obtinent beneficium, in tertiâ Abbatiam, in quartâ Archidiaconatum, in quintâ Præpoſituram, vel alia beneficia &c. hi certè in tot, & tàm diſtantibus Eccleſiis, per Provincias differentes poſitis, poſſunt quidèm eſſe de gremio, ſed non

(a) *Jo. Fileſac. de Sac. Epiſcopor. auctor. c. 10. §. 3.*

(b) *S. Gregor. PP. l. 2. epiſt. 25.*

(c) *Azor. Inſt. Mor. p. 2. l. 4 c. 1 § ſunt.*

(d) *S. Gregor. lib. 5. epiſt. 25.*

(e) *Jo: Diac. l. 3. c. 10 Vit. S. Gregor.*

(f) *Concil. Meldenſ. c. 54.*

(g) *Vid hic ſup. c. 9. num. 9.*

(h) *Card de Luca de Regal. diſc. 83. num. 13 & de ſucceſſ. diſc. 19. n. 5.*

(i) *S. Thomas quodlib. 1. art. 13. in corpor.*

Digitized by Google

niſi in unâ, rationem habere valent indigenæ, quoàd originem, ſi præbendam habent in patriâ; & in aliâ quoàd dignitatem, ſeù officium, vel beneficium, ſaltèm principalitèr, nimirum in illâ, ubi principaliorem obtinent eccleſiaſticam dignitatem: In reliquis ſunt extranei, in ſenſu de quo hic ſermo eſt, licèt ſint de earum gremio, & quoàd aliquos effectus habeantur pro civibus. Eſſeque de gremio in eis parit ſecundum effectum, nempè jus activæ electionis, quod non haberent, nec poſſent in electionibus ſuffragia conferre, niſi eſſent aggregati Clero, ſeù gremio illius Cleri, ad quem præfatas electiones pertinet celebrare. Jus verò paſſivę electionis, ideſt ut poſſint ad officia, & dignitates eligi, à Clero illo diſtribuendas, non babent ab inſertione in Clero præfato, neque ab aggregatione ad illius gremium, ſed à lege communi, quæ, ut ſuprà pluriès oſtendimus, non tàm Clericis indigenis, quàm etiam extraneis jus paſſivę eligibilitatis impertit, niſi ubi privilegium particulare, & locale, vel immemorabilis conſuetudo, cum famâ privilegii, auctoritate Apoſtolicâ roborati, conditionem aggregationis ad gremium Cleri, electionem celebrantis expoſcit: tùnc enim eligibilitas paſſiva ab aggregatione ad ipſum Clerum deſcendit, & qui de gremio non eſt, non poteſt eligi.

22\. Rursùs plures Reges, Principes, & Imperatores legimus in hiſtoriis eccleſiaſticis, & profanis, fuiſſe Clero Eccleſiarum inſertos, & earum gremio conſcriptos, nec non aliquandò, & illarum præbendis, de more perfruendis, donatos. Ità Henricum VII. Imperarorem fuiſſe gremio Baſilicæ S. Petri in Vaticano aggregatum, tamquam verum Canonicum (*a*), & Carolum V. paritèr Imperatorem, tam in eâdem, quam in Lateranenſi Eccleſiâ, fuiſſe Canonicali honore inſignitum; memorant Auctores illorum temporum (*b*). Henricus II. Anglię Rex erat Metropolitanæ Cantaurienſis Canonicus (*c*). Alphonſus VI. Caſtellę Rex præbendâ eccleſiaſticâ in Abbatiâ Cluniacenſi eſt potitus (*d*). Fulco Dux Andegavenſis (*e*), & Odo Burgundiæ Princeps, Canonicatus Eccleſiæ Turonenſis adepti ſunt (*f*), Reges Galliæ aſſeruntur eſſe Abbates Eccleſiæ Pictavienſis, & Canonici Eccleſiarum Lugdunenſis, Aquenſis, Claromontanæ, Andegavenſis &c. (*g*). Tandem diebus noſtris, anno Jubilæi 1700. Sereniſſimus Coſmus III. Magnus Dux Etrurię, in Baſilicâ Vaticanâ Romæ Canonicorum albo, ut adivimus, eſt adſcitus. His autèm omnibus, eſſe de gremio illarum Eccleſiarum, nunquit dedit, & conditionem indigenę in ſenſu, de quo loquimur, & jus eligibilitatis paſſivę? Certè tamquàm laici, non erant, nec ſunt Epiſcopatus, & ſuperioritatis illarum Eccleſiarum capaces, & uti alibi orti, atque alibi permanentes, dictam indigenatus rationem apud illas Baſilicas non contraxerunt. Ergò eſſe de gremio, nil aliud eis contulit, niſi cum dignitatis honore, etiàm jus electionis activæ, ſi uſus, & modus ſuæ provectionis ad hoc illos habilitabat. Et ità fuerunt ſimul de gremio, & remanſerunt extranei. Vides igitur, quod eſſe de gremio quantum eſt in ſè, niſi alia ſimul concurrant, non cauſat indigenatum; nec dat, nec adimit jus eligibilitatis paſſivæ: & proptereà ex *cap. Metropolitano*, per Contradictores allato, non ſatis ritè infertur Clericorum extraneorum à beneficiis ſacris repulſio, & indigenarum tantùm admiſſio, niſi ubi privilegia particularia extraneos ipſos individuali verbo reiiciant.

(a) *Raynald. an. 1312 num. 12.*
(b) *Spondan. an. 1530 n. 12 Raynald. eod. ann. num 45.*
(c) *Script. Antiqu. Angl. f. 1482.*
(d) *Spicileg. tom. 6. f. 447.*
(e) *Script. Antiqu. Eccl. Anglic. tom. 1. f. 455.*
(f) *Recueil. de l'Hiſtor. de Bourgogn. f. 316*
(g) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 3. l. 3. c. 64. n. 10.*

23\. Reſpondetur *ſeptimò*, iterùm retorquendo argumentum. Nàm, prætermquamquod ex ſuprà relatis n. 13. juxtà ſententiam Ivonis Carnotenſis (*h*), Sanctio S. Leonis in *cap. Metropolitano* 10. *diſt.* 63. non fuit decretum generale, ſed privilegium perſonale, Anaſtaſio Theſſalonicenſi conceſſum; advertendum eſt hic aliquantulùm ad documenta in Objectione conſerta, nempè quod ſi opus fuit, ut Innocentius Papa III. Sanctionem ipſam favore novi Archiepiſcopi Theſſalonicenſis recuderet, ac ejuſdem S. Leonis verba tranſcribendo, eandem ſanctionem velut ex integro renovaret, adderetque, sè velle, ut hęc non ampliùs perſonalis, ſed eſſet prò cunctis Archiepiſcopis Theſſalonicenſibus, *canonicè ſubſtituendis in perpetuum*, valitura (*i*); Si paritèr oportuit, quod Canonici Morinenſes juſjurandum à ſuis

(h) *Ivo Carnotenſ. epiſt. 59.*
(i) *Innoc. PP. III. regeſt. 1. 3.*

ſuis compromiſſariis exigerent, nè Epiſcopum eligerent extrà gremium (*a*); evidens eſt, quod lex electionis de gremio faciendæ, dicto *cap. Metropolitano* attributa, non ſemper, neque ubilibet viguit, & electio canonica etiam de Clerico, extrà gremium potuit liberè celebrari. Undè gloſſa ait: *Si hoc non fuiſſet expreſſum, poterant eligere undecumque vellent* (*b*). Sanè ſi de jure communi erat, quod electio fieret de ſolo Eccleſiæ gremio, ut quid Innocentius decretum S. Leonis renovavit, & perpetuum eſſe voluit? Ut quid Canonici Morinenſes ſuos Compromiſſarios ad eligendum de ſolo eorum gremio jurejurando appoſito coarctarunt? Hoc profectò non aliâ de causâ fuit, niſi quod etiàm in illo tempore, quo forma electionis de gremio erat in uſu, adhùc Electores poterant prò eorum arbitrio alium extrà gremium eligere. Ergò ſi mos electionis de gremio faciendæ, nec extraneos, ut ſic arcebat, nec ſolos indigenas includebat; jam ex ipſo argumento liquet, quod extranei, quà extranei, non ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi.

24. Reſpondetur *octavò*, quod adhùc illis Sæculis decurrentibus, in quibus Eccleſiarum proviſio per viam Canonicæ electionis fieri conſueverat, ſivè de gremio, ſivè extrà gremium, nunquàm derogatum eſſe cenſebatur Summi Pontificis auctoritati, ſic, ut eâ formâ non obſtante, poſſet Pontifex quemlibet extraneum ad Eccleſię vacantis infulas promovere. Patet hoc ex ipsâ naturâ rei: quippè debitum eligendi de gremio initium habuit, & ſucceſſivè pependit ab Apoſtolicâ ſanctione, ſivè à Sanctæ Romanæ Sedis lege, quę taliter obſervandum eſſe imperavit: *Sancta autèm Romana Eccleſia &c. vel pietatis, vel neceſſitatis intuitu ſemel à ſe conceſſa, valet, vel in totum, vel in partem commutare. Prò neceſſitate namque corrigendorum vitiorum privilegia Eccleſiarum multarum, vel imminuuntur, vel penitùs immutantur, ſivè perſonalitèr, ſivè generalitèr* (*c*). Et quidèm certum eſt apud Juriſconſultos, quod privilegium, præſertim merè gratuitum, à Principe conceſſum, poteſt tùm ab ipſo Principe, tùm ab ejus ſucceſſore, etiàm ſinè causâ tolli, diminui, & moderari (*d*). Multò magis autem id fieri poteſt juxtà causâ concurrente. Et certè ſi Sedes Apoſtolica juſtis de cauſis poteſt Civitatibus, & Eccleſiis honorem Epiſcopalis Sedis auferre (*e*), nunquid non poterit formam Epiſcopalis electionis ex juſtâ causâ mutare?

25. Sixtus Papa III. Electum Ravennatum repulit, & ejus loco S. Petrum cognomento Chryſologum Imolenſem, extraneum, illi Eccleſiæ pręfecit (*f*). S. Gregorius Magnus Paulum, à Neapolitanis electum, admittere recuſavit, & ut ſolum apud eos Viſitatoris officio fungeretur, conceſſit (*g*). Leo II. Clero Ravennati, Exarchorum Imperialium potentiâ ſuperbienti, conditionis onus adjecit, ut eorum electio nulla eſſet, niſi Romani Pontificis auctoritate comprobaretur (*h*). Innocentius III. quibuſdam Canonicis Senonenſibus jus eligendi ſibi Archiepiſcopum ſuſtulit, eiſque ope Legati Apoſtolici Epiſcopum Cameracenſem extraneum in paſtorem præfecit (*i*). Alia exempla conſimilia in hiſtoriis legi poſſunt. Quarè autem his mutationibus, alterationibus, & modis, à conſueto diſtantibus, ità locus fuit? Profectò non niſi quià, uti ſcripſit S. Petrus Damianus Civibus Mediolanenſibus, nomine Nicolai Papę II. *Omnes ſivè Patriarchii cujuslibet apices, ſivè Metropoleon primatus, aut Epiſcopatuum cathedras, vel Eccleſiarum cujuslibet ordinis dignitates, inſtituit Romana Eccleſia* (*l*), quę uti talis ſicut illas inſtituit, ità quoque modum pręfigere poteſt, & ſuperveniente juſtâ causâ formam variare, quæ in præficiendo ipſis Eccleſiis Rectorem debeat obſervari; & ità licèt olim debuiſſent neceſſariò ad Sacerdotia præfici Clerici de gremio Eccleſiæ, adhùc tamen illa lex non ligabat Pontificem illius auctorem, qui propterea potuit illam immutare, & de facto in aliam mutavit: hocque jam ad effectum deducto; iſta ſic facta formę variatio nedùm Papæ proficit, ſed illis etiam, ad quos ſpectat, vel jure ordinario, vel delegato à Pontifice profluente, eccleſiaſtica beneficia impertiri. Et ſic cum per auctoritatem Sedis Apoſtolicæ jàm variata ſit forma proviſio-

(a) *Cap. cum dilectus 32. de election.*

(b) *Gloſ. in d. cap. cum dilectus V. de gremio.*

(c) *Cap. poſteaquam §. his ita 25. q. 2.*

(d) *Leg. reſcripta C. de prec. imper. offerend. Rubeus annot. ad deciſ. 666. Rot. tom. 3. p. 4. rec n. 38. 39.*

(e) *Cap. ita nos 25. cauſ. 25. q. 2.*

(f) *Breviar. Rom. die 2 Decemb. Rubeus in Hiſtor. Raven.*

(g) *Jo: Diacon. l. 3. cap. 23.*

(h) *Breviar. Rom. die 28 Junii.*

(i) *Cap. gratum. 2 de poſtul. Prælat.*

(l) *Cap. omnes 1. diſt. 22.*

viſionis beneficiorum per viam electionis Canonicæ, & nullus Canon vigeat, illam ad Clericos de gremio reſtringens, nedùm non hâc arctatur Pontifex, ſed neque ullus ex Collatoribus beneficiorum, vel Nominatoribus ad ea, utpotè in hoc participantibus de libertate Summi Pontificis.

26. Infrement ad hæc audita fortè Contradictores, ſed quæſo attendant. Chriſtus claves Regni Cœlorum ad liganda, & ſolvenda ea, quæ in terris ſunt, ut paritèr ſint in Cœlis, vel alligata, vel ſoluta, non Turbis, non Diſcipulis, non Apoſtolis credidit, ſed ſoli Petro, Eccleſiæ ſupremo Præſuli, Apoſtolorum Principi, ipſius Chriſti Vicario, Romanæque Urbis primo Pontifici (a), in quibus Clavibus Summa poteſtas regiminis Eccleſiaſtici ſymbolicè figurabatur, & in Petro tota Eccleſia repreſentabatur, teſtante S. Auguſtino: *Petrus, quandò claves accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificavit* (b). Et licèt, ut expendit S. Cyprianus, *eſſent utique & cæteri Apoſtoli quod fuit & Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis* (c), nimirùm quà Apoſtoli, & Epiſcopi; attamen quià *Eccleſia una eſt, ſuper unum, qui Claves accepit, voce Domini fundata eſt* (d). Apoſtolis ergò pars tantùm ſollicitudinis paſtoralis conceſſa eſt, & Eccleſiæ particulares concreditę ſunt; Petro verò tota plenitudo Pontificalis poteſtatis, univerſique Orbis, & Eccleſiæ generalis, regimen ſupremum, de quo ex Latinis S. Bernardus, de Conſideratione ad Eugenium Papam III. ſcribit: *Tu es, cui Claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii Cæli Janitores, & gregum paſtores, ſed tu tantò glorioſius, quantò & differentiùs utrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti, uni unus: non modò ovium, ſed & paſtorum, tù unus omnium paſtor* (e). Ex Grçcis quoque S. Joannes Chryſoſtomus ſentit, Petro commiſſum univerſum Orbem, ipſumque factum Paſtorem, & Caput totius Eccleſiæ (f).

(a) *Vid. Bellarm. de Rom. Pontif. l. 1. c. 12. objec. ult.*

(b) *S. Auguſt tractat. 50. in Joan.*

(c) *S. Cyprianus libr. de ſimpl. præl. n. 3.*

(d) *S. Cyprianus epiſtol ad Jubajan.*

(e) *S. Bernard. de conſid. l. 3. c. 7.*

(f) *S. Joan. Chryſoſt. homil 55. in Matth.*

27. A Petro autem, totius eccleſiaſtici regiminis in ſe plenitudinem continente, portio ſollicitudinis paſtoralis eſt in Apoſtolos diſtributa, quâ de rè S. Optatus: *Bono regiminis B. Petrus & præferri omnibus Apoſtolis meruit, & Claves Regni Cœlorum, communicandas cæteris, ſolus accepit* (g). Omittimus alia, idipſum probantia, quę ſuprà retulimus: Solumque opportunè adiicimus Bertrandum Auguſtodunenſem, in contradictorio cum Regiis Galliæ Miniſtris, Juriſdictionem Eccleſiaſticam impugnatibus, ità loquentem: *Origo hujus poteſtatis fluit à Deo immediatè, videlicèt à Chriſto, tradente eam certæ perſonæ, ſcilicèt Petro, prò ſe, & ſuis ſucceſſoribus, à quibus in alios derivatur* (h). Cui ſocium aggregamus Petrum Aliacenſem Cardinalem, & Epiſcopum Cameracenſem, de hâc eâdem rè talitèr diſſerentem: *Dominus &c. contulit Petro prò ſè, & ſuis Succeſſoribus auctoritatem diſponendi Miniſtros Eccleſiæ, & determinandi juriſdictionem, dicens, Paſce oves meas, ideſt ſis Paſtor generalis, ad quem pertineat diſpoſitio, & regimen generale ovium, & ovilis &c. Et ità in Petro fuit iſta plenitudo poteſtatis, quam tamèn poſteà diviſim aliis dedit, vocans eos in partem ſollicitudinis* (i). De eadem poteſtate ſic magiſtralitèr ſuo modo S. Thomas effatur: *Quamvis omnibus Apoſtolis data ſit communitèr poteſtas ligandi, & ſolvendi, tamèn ut in hâc poteſtate ordo aliquis ſignaretur, primò ſoli Petro data eſt, ut oſtendatur, quod ab eo in alios iſta poteſtas debeat deſcendere, proptèr quod etiam ei dixit ſingularitèr: Confirma fratres tuos, & paſce oves meas, ideſt loco mei, ut dicit Chryſoſtomus, Præpoſitus, & Caput eſto fratrum, ut ipſi tè in loco meo aſſumentes, ubique terrarum, & in throno tuo ſedentem prædicent, & confirment* (l).

(g) *S. Optatus contr. Parmen. l. 7.*

(h) *Bertrandus Auguſtodunen in Biblioth. Patr. to. 4. p. 1.*

(i) *Petr. Aliac. tractat. de Eccleſ. Auctor.*

(l) *S. Thom. 3. par. ſuppl. qu. 40. ar. 6. ad 1.*

28. Hinc licèt perſona Petri cum ejus morte ceſſaverit; ejus tamèn dignitas permanet in æternum, tranſiens in illius legitimos ſucceſſores, per temporum ordinatas vices, decurſu perenni: quarè D. Leo ait: *ſoliditas illius fidei, quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata, perpetua eſt: & ſicut permanet quod in Chriſto Petrus credidit; ità permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit* (m). In eundem ſenſum D. Joannes Chryſoſtomus declamavit: *quâ nam de causâ ſanguinem ſuum*

(m) *S. Leo ſerm 2. aſſumpt ſuæ.*

Chri-

Chriſtus fudit? Certè ut pecudes acquireret, quarum curam tùm Petro, tùm Petri ſucceſſoribus committebat. (*a*). Subſiſtit adhuc ergò, vigetque in dies dignitas Petri, ejuſque Primatus, cum illâ totali, ac ſupremâ regiminis poteſtate; quam Chriſtus ipſi Petro, in ejuſdem Succeſſores Romanos Pontifices traducendam, reliquit, prout fuſiùs probant Theologi (*b*). Quoniam verò in eâ ſupremâ regiminis poteſtate, cum poteſtate ligandi, atque ſolvendi, nec non cum poteſtate Clavium, Petro per Chriſtum collatâ, & per Petrum in cęteros Apoſtolos, eorumque Succeſſores Catholicos Epiſcopos, per portiones congruas diſpertitâ, rerum Eccleſię, & beneficiorum ejus diſtributio, citrà ullam ambiguitatem comprehenſa eſt; jam patet, quod prima, & radicalis poteſtas, beneficiorum Eccleſiaſticorum diſtributiva, ad Petrum tota refertur, & ad ſuos Succeſſores veracitèr retrotrahitur, à quibus originalitèr primò fluxit. Verùm nè in hujus rei examine, à veritatis tramite deflectatur; attendendum eſt, quod Petrus, Chriſti Vicarius, ejuſque in officio Succeſſores Romani Pontifices, qui plenitudinem poteſtatis diſtributivæ rerum Eccleſiaſticarum à Domino ſuſceperunt; ut Eccleſiæ gratificarentur, Apoſtolis, & reſpectivè Epiſcopis, aliiſque, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus, partem ejuſdem poteſtatis contulere, vi cujus modò ſub unâ, modò ſub aliâ formâ, ipſa beneficia conferrent, vel ad ea Clericos idoneos nominarent, non tamèn illam ità eiſdem communicarunt, ut majorem apud sè non retinuerint facultatem. Ità ſentiunt communitèr Canoniſtę (*c*).

(a) *S. Joan Chryſoſt. lib. 2. de Sacerdotio.*

(b) *Joan à S. Thoma in 2. 2. qu. 1. diſp. 1. art. 3. & 4. Jo: Bapt. Gonet. Clyp. Theolog. tom. 4. diſp. 4. art. 3. §. 2.*

29. Et nè videamur in hoc, nimium ſoli opinioni Canoniſtarum inhærere, placeat hìc audire D. Baſilium facundiſſimè perorantem de Chriſto, qui *Petra* erat (*d*), & quem ſcripturæ vocant *Lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum* (*e*): Nomen autem Petræ communicavit Simoni Petro (*f*). Licèt Petrus, inquit, *petra eſſet, non tamen petra erat ut Chriſtus. Ut Petrus, petra erat. Nàm Chriſtus verè eſt immobilis petra, Petrus verò proptèr petram. Dignitates namque ſuas Jeſus largitur aliis: largitur autem eas, nec illis ſpoliatur, ſed nihilominùs habet ea quæ dat* (*g*). Ad hujus normam ſermonis optimè ſyllogizando, dici poteſt, quod ſicut Chriſtus largiendo ſuas dignitates non eis ſpoliatur, & nomen ſuum *petræ* Petro conferendo, non illud à sè abdicavit, ſed uti priùs apud sè eminentèr retinuit; Sic & Petrus partem ſuæ facultatis, in diſpenſatione bonorum Eccleſiæ aliis impertiens, non illam talitèr à sè abſcidit, ut non eandem apud sè eminentèr, & inabdicabilitèr retinuerit. Sed ſimilitudinibus, & ratiociniis à negotio noſtro ſepoſitis, en auctoritas dilucidior Innocentii Papæ III. ad quoſdam Priores Diœceſis Cantuarienſis, ità ſcribentis: *Sic Apoſtolica Sedes intèr fratres, & Coepiſcopos noſtros paſtoralis diſpenſavit oneris gravitatem, ſic eos in creditæ ſibi ſollicitudinis partem aſſumpſit, ut nihil ſibi ſubtraheret de plenitudine poteſtatis* (*h*). Et alibi: *Romana Eccleſia, retentâ ſibi plenitudine poteſtatis, ad implendum laudabiliùs officium paſtorale, multos in partem ſollicitudinis evocavit, ſic ſuum diſpenſans onus in alios, & honorem, ut nihil ſuo juri ſubtraheret, nec juriſdictionem ſuam in aliquo minueret* (*i*).

(c) *Seraph dec. 1188 nu. 1. Pariſ. de reſign. benef. l. 1. qu. 10. n. 47. Gonzal. ad reg 8 Canc. § 1 proœm. per totum. Barboſ. jur. Eccleſ. l. 1. cap 2. n. 129.*

(d) *Actor. c. 4. n. 11. 1. Corinth. c. 10. n. 4. & Epheſ c. 2. n. 10.*

(e) *Iſaiæ c. 28. n. 16. Roman. c. 9. n. 33. 1. Petri c. 2. n. 6.*

(f) *Matth. cap. 16. num 18.*

(g) *S. Baſil. homil. 28. de pœnitent.*

(h) *Innocent. III. l. 1. epiſt. f. 170.*

(i) *Vid. Innoc. III. regeſt 13. ep. 9. regeſt. 14. ep. 32 regeſt. 15. ep. 22 regeſt. 16. ep. 165. & 177.*

30. Quarè tamquàm certum, & conſtantiſſimum pronuntiandum eſt, quod etiam vigente formâ proviſionis beneficiorum per viam canonicæ electionis, & ubi florebat mos eligendi ad Sacerdotia Clericos de gremio Eccleſiæ vacantis; tamèn Pontifex illâ non ligabatur. Et ſic quidquid ſit, an olìm electio facienda eſſet ex Clericis de gremio, ſivè ex honeſtate, ſivè etiam ex neceſſitate, ad excluſionem eorum, qui ab ipſo gremio erant extranei; tamèn hæc lex illos extraneos non pulſabat, quos Papa voluiſſet inibi beneficiis eccleſiaſticis inſignire. Quod ſi Summus Pontifex erat à dictæ legis vinculis abſolutus; ab ipſis etiam conſecutivè remanebant exempti Epiſcopi, aliique omnes, tùm ordinarii, tùm delegati beneficiorum collatores, vel ad ea nominatores: quatenùs, vel ſpeciali privilegio Apoſtolico fulti, hoc debitum excludente; vel generali indulto in Corpo-

re

re juris clauſo innitentes, quod à Pontificis approbatione legis auctoritatem ſortitur, & debitum eligendi de gremio relaxabat; quodammodò beneficia eccleſiaſtica Pontificio nomine largiebantur, vel ſaltem Papâ authorizante, ab obligatione eligendi de gremio erant immunes. Si autèm hoc verum erat eo tempore, quo forma Canonicæ electionis in viridi obſervantiâ ſubſiſtebat; quid nunc dicetur, cum jàm ipſa forma in non uſum prorsùs abivit? Igitur ex *cap. Metropolitano*, ſub hac conſideratione perpenſo, effectivè à Contradictoribus non probatur neceſſitas repellendi extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis.

31. Reſpondetur *nonò*, rursùs negando aliud ſuppoſitum, nempè quod idcircò præſcripta olim eſſet, veluti de jure, electio Sacerdotum, facienda ex gremio Eccleſiæ vacantis, ut à beneficiorum Epiſcopalium (& ſic reſpectivè aliorum inferioris ordinis) conſecutione excluderentur extranei. Non enim hæc fuit ratio, coarctans electionem ad Clericos de gremio, ſed vera, & germana ratio hujus limitationis fuit, primò nè Epiſcopus per vim daretur invitis, prout ſuprà lautè probavimus (*a*). Secundò ne ſcandala, & diffidentiæ intèr populos, & Epiſcopos, ab eis non petitos, oriretur. Sepè enim, teſte Hincmaro Remenſi, *intèr eum, qui de alienâ Eccleſiâ fuerit Pontifex factus, & intèr gregem ſibi commiſſum, ſcandala, & contentiones oriuntur, & peccatis facientibus, fit lupus, qui debebat eſſe Paſtor, & ſemper inter eos, ut ait Apoſtolus, foris pugnæ, intùs ſunt timores* (*b*). Ità accidit Panſophio à Nicomedienſibus ægrè accepto (*c*), Proclo à Cizicenis repulſo (*d*), Perigeni à Patrenſibus refutato (*e*), & aliis oppoſitione ſimili fatigatis: quę diù antè prævidit D. Leo, dùm Cleri, plebiſque conſenſum in electionibus adhibendum præproperè pronuntiavit, *nè civitas Epiſcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religioſa quàm convenit, cui non licuerit habere quem voluit*. Tertiò nè beneficiis Epiſcopalibus viri pręficerentur ignoti, & de quorum prudentiâ, moribus & doctrinâ non benè cunctis conſtaret: *Epiſcopi*, ait Albaſpinæus, *olim debebant eſſe cives illius loci, in quo ordinabantur, ut eorum mores, ac vita à civibus, quibus præficiebantur, & à quibus nominabantur, cognoſcerentur*. Sed cunctis excellentiùs Origenes homil. 6. in Levitic. quę ſolet appropriari D. Hieronymo, quatenùs eam è Græco tranſtulit in latinum, & noxia mutilando, illam veluti ſuam fecit, ut ipſemet teſtatur in epiſtolis ad Theophilum, & Vigilantium, & in prologo libri ſecundi in Michæam (*f*). *Requiritur in Ordinando Sacerdote præſentia populi, ut ſciant omnes, & certi ſint, quià qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc, aſtante populo, nè qua poſtmodùm retractatio cuiquam, nè quis ſcrupulus reſideret* (*g*).

32. Ad hæc tria inconvenientia evitanda, non verò ad extraneos protelandos, quà extraneos, redacta eſt interdùm alicubi electio Sacerdotum ad Clericos de gremio Eccleſiæ vacantis. Quæ inconvenientia nunc ceſſant, cum Papa, Imperator, Reges, & Epiſcopi, aliique omnes, tùm ordinarii, tùm delegati beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, beneficia ipſa elargiuntur. Hi enim antequàm pręebendas, & dignitates conferant, vel reſpectivè Clericos, & Presbyteros ad illas præſentent, exactâ diſcuſſione perpendunt vitam, merita, doctrinam promovendorum, ſataguntque, ut non niſi viros idoneos, dignos, populiſque gratos, Eccleſiis præficiant. Recenſet Ordericus Vitalis ingentem ſolertiam, quâ Guillelmus Rufus Rex Angliæ ſatagebat, ut beneficia Epiſcopalia, & Abbatialia ad ſolos viros meritiſſimos pervenirent: ait enim: Rex *Præſules, & Abbates, alioſque ſapientes conſiliarios convocabat, & eorum conſilio quis melior, & utilior, tàm in divinis rebus, quàm in ſæcularibus ad regendam Dei Domum videretur, ſummoperè indagabat* (*h*). De S. Ludovico quoque Francorum Rege nemo ignorat quantoperè eſſet in hac parte ſollicitus. Memorat Gutierez, ſedulitatem Philippi II. Hiſpaniarum Regis in hâc rè ſub tali dictatu: *Mirum in modum diligentiam adhibet, ac haberi ſemper inſtructione circumſpectiſſimâ providit, ut quotannis*

(a) *Vid. ſupr. in hoc cap n. 11. & 12.*
(b) Hincm. Remenſ. *formul 6.* Concil. Gall. *tom 2. f 645.*
(c) *Sozom. l. 8. c. 6. hiſtor.*
(d) *Socrat. l. 7. c. 28. hiſtor.*
(e) *Socrat. l. 7. c. 35. hiſtor.*
(f) *Vid. S. Hieron. ep. 62 & 75. & Gratian. poſt cap ſi quis 3. diſt. 36.*
(g) *Orig homil. 6. in Levit. cap. licet 15. cauſ 8. qu. 1.*
(h) *Orderic. Vital. hiſt Eccleſ lib 4. ad ann. 1070. f. 516. C.*

nis nomine regio ſcribatur Prælatis ſuorum Regnorum, qui eum, ſuoſque Regios Conciliarios certiores reddant virorum eminentiorum, & huic muneri Prælatorum præficiendorum convenientiorum, doctrinâ, moribus, omniumque virtutum meritis, cæteriſque requiſitis in ſuis Diœceſibus exiſtentium, ut ab his digniores in Prælatos eligantur &c. (a). Et paulò anteà: *Tenetur ipſe Rex rationabili quâdam diligentiâ ex ſibi oblatis à Secretario, vel ab eo, qui id officii habet, explorandi ſcilicet digniores, eligere digniorem. Nàm licèt ſint alii meliores in Regno, non tenetur Rex omnes explorare, & indagare* (b).

33. Hanc eandem, ſivè conſimilem diligentiam adhibet Papa, adhibet Imperator, adhibent alii Reges, & Epiſcopi, cunctique beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, & vel rectà, vel per Miniſtros, ad hoc peculiaritèr deputatos, de qualitatibus promovendorum talitèr certiorantur, talique ſedulitate, ac prudentiâ, beneficia ipſa diſpenſant, ut non niſi viros promoveant, meritis præſtantes: doctrinâ, & idoneitate, beneficiis congruâ, pollentes; taleſque, qui rationabilitèr debeant eſſe populis grati, & Eccleſias dignè regere, ac beneficia eccleſiaſtica miniſtrare. Qui beneficiis munerandi, licèt non ſint ipſis populis noti, quibus debent præeſſe; ſufficit tamèn, quod ſint noti iis, à quibus præficiuntur: noti, inquam, vel propriâ cognitione, & experimento: vel aliorum relatione, ſi quidem & famâ, & populorum laude, ac præconiis, poſſunt promovendorum merita innoteſcere, quemadmodùm, & olim cum vigebat forma electionis, eligebantur extranei, ſolâ famâ noti; & ità mortuo Nectario Tarſenſi, Epiſcopo Conſtantinopolitano, ſuffectus eſt illi S. Joannes Chryſoſtomus Presbyter Antiochenus, extraneus, extraprovincialis, & extranationalis, diſtans Conſtantinopoli pluſquàm mille milliaribus, nec ibi notus niſi aliorum relatione, de quâ hæc Sozomenus: *Cum igitur notis ob experientiam, ignotis ob famam, tàm eruditionis, tàm virtutis, per univerſum Romanorum Imperium clarus eſſet, dignus viſus eſt, qui Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus conſtitueretur* (c).

34. Porrò ſicut olim gravabatur conſcientia Cleri, & Populi, ſive eorum, ad quos ſpectabat Epiſcopos eligere, & Sacerdotia diſpenſare, ut non niſi virum dignum, idoneum, meritis, & doctrinâ fulgentem eligerent; ità gravatur nunc conſcientia Papæ, Imperatoris, Regum, & Epiſcoporum, aliorumque, ad quos pertinet beneficia ſacra conferre, ſive ad illa reſpectivè nominare, ut non niſi Clericos virtutibus, & eruditione præſtantes, beneficiis Epiſcopalibus, & reſpectivè aliis, inferioris conditionis, præficiant. Iſti enim quoàd electionem, ſuccedunt in locum Cleri, & populi, ſive aliorum, quorum erat, vigente formâ electionis Canonicæ, Clericos eligere, beneficiis eccleſiaſticis præficiendos. Credere autèm quod majorem ſollicitudinem, ampliorem zelum, ſolertiam exquiſitiorem, haberent olim Clerus, & Populus, vel quiſquis alius, ut ſuprà, electiones faciebat, pro præficiendis ſolùm viris dignis, & idoneis; quam habeant nunc Papa, Imperator, Reges, & Epiſcopi, aliique, vel jure ordinario, vel delegato, Electores Clericorum ad beneficia, vel eorum præſentatores, non eſt ſapere, ſed inſanire. In Clero enim, & Populo, aliiſque Electoribus crebræ diſcordiæ quæ oriebantur (d), Simoniæ quoque, ac pactiones illicitæ, quæ fiebant (e), alia demùm inconvenientia, quæ in electionibus emergebant (f), indicium ſunt vel pravæ intentionis, vel modi parum caſtigati, quo ab ipſis electoribus procedebatur, & quam juſtis querimoniis D. Hieronymus declamavit: *In Sacerdotibus comprobandis unuſquiſque moribus ſuis favet, ut non tàm bonum, quam ſui ſimilem, quærat præpoſitum* (g).

35. Non negamus quin & in Romanâ Curiâ, & in Cæſareâ, & in Regalibus Aulis, & in Epiſcoporum Palatiis, aliqua fortè inconvenientia poſſint aliquandò in beneficiorum largitione ſuccedere, ſed ſi hæc valdè rara, cum illis frequentiſſimis malis eventibus conferantur, qui tunc accidebant, quandò electionis forma vige-

(a) *Joan. Gutierez. Canon. quæſt. l. 2. c. 21. num. 2.*

(b) *Idem loc. cit. n. 2. prope fin.*

(c) *Sozomen. l. 8. c. 2. hiſtor.*

(d) *Cap. noſce 12. diſt. 63. cap. nec novum 17. cauſ. 8. qu. 1.*

(e) *Vid. ſupr. tom. 2. cap. 22. n. 4.*

(f) *Concil. Later. 4. cap. 24.*

(g) *S. Hieron. lib. 1. cont. Jovinian.*

(a) Job cap 9. n. 3. vigebat, *non poterimus eis reſpondere unum pro mille* (a). Fatemur, inquiebat Æneas Sylvius *In Romanâ Curiâ, quam regunt homines, non omnia eſſe nitida, & plurima fieri digna correctione &c. At ſi velis conferre ſimul omnia, & minores Sedes pro ſuis portionibus comparare majoribus, nullam oſtendes Curiam, in quâ minus morbi graſſetur, & in quâ magis ex ordine, rectoque inſtituto, quam in hac Romanâ res gerantur; nec uſquàm terrarum tantam doctrinam, tantamque rerum experientiam, tot bonarum artium ſtudia, tot viros ſanctimonia vitæ præclaros; quot in Romanâ reperies Curiâ: Ut verè hic domicilium literarum, & officinam virtutum quis affirmaverit. Quod ſi turpitudo illi eſt admixta, humanitati adſcribendum eſt, quæ nuſquàm candida reperitur. Ac propterea vendi Sacerdotia, vel minùs dignis committi contingit. Verùm ſi promotiones hinc Sedis Apoſtolicæ, illinc Capitulorum electiones conferas, fateberis profectò tantùm præſtare Romanæ Sedis ordinationem, quantum eſt primæ Sedis collegium, ſingularium Capitulis Eccleſiarum præſtantius, & ſublimius* (b). Eàdem proportione fiat ſermo de proviſionibus beneficiorum, quæ fiunt ad præſentationem Imperatoris, Regum, Principum, & omnium laicorum, & de illis quę fiunt per collationem Ordinariorum; & invenietur, ſatis longè majorem ſciſcitationem nunc fieri pro indagandis meritis, & virtutibus promovendorum; valdè magis nunc eorum mores, & prærogativas innoteſcere Collatoribus, & Præſentatoribus, qui vicem tenent Electorum; longèque tandem minora inconvenientia nunc in beneficiorum diſtributione ſuccedere, quam olim evenirent, cum eadem per viam electionis Canonicę prębebantur.

(b) Pius II. Opuſc. de moribus German.

36. Si addatur, quod nunc aſſenſus populorum Epiſcopali electioni non pręmittitur, quo pariter carent & aliæ proviſiones inferiorum beneficiorum, contrà id, quod tempore electionis Canonicæ ſuccedebat, ſicque populis præficiuntur viri non grati, & beneficiis donantur Clerici populis non accepti; reſponſio eſt in promptu, quod hic caſus quamvis metaphyſicè poſſit accidere, à parte rei tamen, & effectivè, aut nunquam, aut vix unquam, & valdè rarò ſuccedit, quia Papa, & Epiſcopi, aliique beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, non priùs Clericum Eccleſiæ viduatæ præficiunt, quam proſpiciant, an Clero, & Populo Urbis, Loci, & Eccleſię poſſit rationabilitèr diſplicere. Ipſi cavent, nè quiſquam ibi præſit, ibi degat, ibi præfulgeat, ubi odia, vel affectiones notabiles in ſe habet, ubi ſubditis contemptibilis, ubi ſociis poteſt eſſe deſpectus. Hoc ad eos pertinet præcavere: De hoc eorum oneratur conſcientia, non minùs quàm oneraretur ſynteresis Electorum, quandò forma electionum vigebat: ideòque moralitèr vix unquam caſus eveniet, in quo proviſus, ut ſuprà, beneficiis, vel ſubditis parum gratus, vel coęqualibus rationabilitèr ſit odioſus. Uno igitur verbo, Papę Epiſcoporum, eorumque, ad quos ſpectat beneficia conferre, vel ad ea pręſentare, horum, inquam, *gratificatio pro populi habetur aſſenſu* (c). Quarè cum ex dictis in totà hac nonà reſponſione, ſit ſatis proviſum fini, propter quem electio Canonica fuit olim ad Clericos de gremio reſtricta; nulla nunc eſt neceſſitas eandem reſtrictionem cum electionibus ſepultam, è tumulo revocandi. Et ſic ex eo, quo olim alicubi electiones fierent de gremio Eccleſiæ vacantis, non ritè infertur, nunc beneficia eccleſiaſtica eſſe ſolis indigenis conferenda.

(c) Hilar. PP. in Conc. Roman.

37. Reſpondetur *decimò*, quod admiſsâ etiam totâ ſerie argumenti, uſque ab initio propoſiti, adhùc tamen nihil omninò poteſt adversùs libertatem Eccleſię, in præficiendo extraneos ad beneficia ſacra, probari: negatur etenim paritas in ipſo argumento propoſita, & quatenùs paritas ſubſiſtat, retorquetur argumentum adversùs Contradictores. Diſparitas in hoc conſiſtit, quod jura, in oppoſitum allegata, loquuntur de Epiſcopatu, noſtra autem quæſtio eſt præcipue de beneficiis ordinis inferioris, & quidem merè ſimplicibus; ſeu quæſtio noſtra eſt principalitèr de beneficiis merè ſimplicibus, & cohęrentèr poſteà etiam de Epiſcopalibus, Curatis, & aliis reſidentialibus. Nimiùm autem intèr ſe diſtant hujuſ-

modi

modi beneficia; nimio inter ſe diſſident intervallo, quò poſſent cum Abraham; Epulonem redarguente, proſopopœjâ quadam effari, *in his omnibus intèr nos, & vos chaos magnum firmatum eſt* (a). Inter multas differentiæ rationes, quas hìc poſſemus coacervare, unam tantùm aſſignabimus, quæ Contradictorum propria eſt: nempè, quod ſi beneficium Epiſcopale detur extraneo; extraneus ille ſtatim ac Epiſcopatum recepit, evadit indigena quantum ad dignitatem, & ibi deſinit eſſe extraneus, quia illi loco, ſeù Eccleſiæ talitèr affigitur, ut apud eam debeat perpetuò commorari: quinimò tamquam Epiſcopus ſit primus, & primarius civis Urbis ipſius, ſibi commiſſæ: quod non ſuccedit in beneficiis ſimplicibus, eo quod Beneficiarius, in loco beneficii non reſidens, remanet prout anteà extraneus, nedum origine, ſed etiam dignitate, præſertim ſi alibi habeat beneficium altioris ordinis: quamvìs quoàd aliquos effectus ibi quoque reputetur ut Civis, habeatque quoad illos rationem quandam indigenatus.

38. Quibus ità ſe habentibus etiam in ſententiâ Contradictorum jam patet, quod jura, de beneficio Epiſcopali loquentia, paritatem cum beneficiis merè ſimplicibus non admittunt, utrobique enim ad ęqualitatem non quadrant, & per conſequens nihil adversùs nos, quoad beneficia merè ſimplicia convincunt. Et quatenùs etiam effectivè probarent intentum Contradictorum, eademque lex eſſet de beneficiis merè ſimplicibus, ac de Epiſcopalibus, juraque pro his facientia, vim ſuam ad alia quoque protenderent; jam argumentum, ut innuimus, retorquetur adversùs ipſos Contradictores: ſiquidèm huc uſque per nos probatum eſt multiplicibus, & efficaciſſimis rationibus, Scripturalibus, Theologicis, ac Legalibus, Hiſtoricis, Conciliaribus, Politicis, & ex SS. Patribus ſumptis, beneficia Epiſcopalia poſſe extraneis conferri, & ità de facto, ab initio Eccleſiæ uſquę aſt noſtram ætatem, decem & octo ſęcula jam tangentem, ſemper factum eſſe, nec unquam hujuſmodi praxim defeciſſe: quarè ſi paritas currit à beneficiis Epiſcopalibus, ad beneficia merè ſimplicia; ſequitur evidentèr, quod ſicut beneficia Epiſcopalia poſſunt liberè per Eccleſiam Clericis extraneis tradi; ſic etiam beneficia merè ſimplicia, eâdem erunt prædití qualitate, ut libere, & licitè valeant non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis diſpenſari.

39. Damus poſteà, tranſeat, quod jura, & alia documenta, loquentia de beneficiis Epiſcopalibus, afficiant etiam pro beneficiis Ordinis inferioris (b), ad formam doctrinæ, quam nos alibi allegavimus. Sed hoc, ſtrictè loquendo, ſolummodò locum habet in beneficiis Curatis, nec non & ſuo modo, in aliis beneficiis reſidentialibus, quibus vel omnes, vel aliquæ potiores rationes, in beneficiis Epiſcopalibus concurrentes, poſſunt aliqualitèr adaptari. Scimus etenim quod etiam aliqui Archidiaconatus olim per viam electionis conferebantur (c). Aliquę Præpoſiturę etiam Eccleſiarum Collegiatarum per electionem diſpenſabantur (d). Similitèr Archipresbyteratus aliqui electione diſtribuebantur, de quibus eſt textus in Jure, ità reſonans: *Si in plebibus Archipresbyteri obierint, aut pro aliquo reatu exindè ejecti fuerint, Archidiaconus quantociùs proficiſcatur illuc, & cum Clericis, & populis ipſius plebis electionem faciat, quatenùs dignus Paſtor domui Dei conſtituatur* (e). Et generalitèr in omnibus beneficiis, Curâ animarum præditis, obſervandam fuiſſe eandem formam electionis, innuitur à Concilio Ticinenſi, habito anno 855. & ut ſequitur decernente, *primam quidem ipſius loci Presbyteri, vel cæteri Clerici, idoneum ſibi Rectorem eligant: deindè Populi, qui ad eandem plebem aſpicit, ſequatur aſſenſus: Si autem in ipsâ plebe talis inveniri non potuerit, qui illud opus competentèr peragere poſſit; tunc Epiſcopus de ſuis, quem idoneum judicaverit, inibi conſtituat* (f).

40. Idipſum & in Canonicatibus, ac Præbendis Cathedralium locum habuit alicubi, ubi de jure providendos eos olim fuiſſe per viam electionis canonicę, patet ex pluribus textibus corporis canonum (g). Et ità, tùm quoad beneficia Curata, tùm quoàd Canonicalia, & alia reſidentialia, currere poteſt paritas ab eis

(a) *Lucæ cap.*19. *n.* 31.

(b) *Abb. in c. ad decorem num.* 3. *de inſtit.* Barboſ. *voc.* 13. *num.* 4. *lop. Al.* 13. *tit.* 15. *p.* 2.

(c) *Cap. legimus* 24. *diſt.* 93.

(d) *Cap.* 2. *de electione.*

(e) *Cap. ſi in plebibus* 20. *diſt.* 63.

(f) *Concilium Ticinenſe ann.* 855.

(g) *Cap. Ulterane* 31. *de elect. c.* 2. *de off. Archidiac. c. final. de ſuppl negl. prælator. c. ea naſcitur de his quæ fiunt &c. c. poſtulaſti de conceſ. præbend. c. quia de Mag ſtr. c. à collatione de appel. in* 6.

cis ad beneficia Epiſcopalia, & viceverſà. At quoàd beneficia merè ſimplicia, cum eis non conſonent rationes, quæ in beneficiis ipſis Epiſcopalibus concurrunt, & quæ electionem Epiſcoporum ad Clericos de gremio Eccleſiæ viduatæ contraxit; eniteſcit, quod jura, quę electionem Antiſtitum de gremio Eccleſiæ faciendam comprobant, nihil rè verâ convincunt pro eâdem lege beneficiis mere ſimplicibus ingerendâ. Et ità, quidquid ſit, an olim electio Epiſcoporum fieri deberet de gremio Eccleſiæ, extraneis repulſatis, non ideò benè concluditur, ergò etiam beneficiorum mere ſimplicium proviſio, fieri debet ex gremio Eccleſiæ, ubi conſtituta ſunt beneficia: tùm propter allatam diſparitatem, tùm etiam ex eo, quià præfatæ Eccleſiæ ut plurimum carent gremio Clericorum. Habet ergò hic Lector, habent Contradictores decem reſponſiones Argumento in oppoſitum allegato, de electione ex gremio Eccleſię faciendâ: quibus addant quinque illas reſponſiones, quas primo Argumento, ſive Objectioni Legali dedimus, ac tres, quas in diſſolutione ſecundi aſſignavimus, Capitulo præcedenti (omnes enim preſenti Objectioni occurrunt, ſingula ſingulis congrue referendo) & habebunt 18. reſponſiones, ex quibus eligant ſibi magis gratam, & nobiſcum ingenuè fateantur libertatem Eccleſiæ in præficiendo etiam Clericos extraneos eccleſiaſticis beneficiis.

C A P U T XIV.

In quo aliis Objectionibus Legalibus *reſpondetur, propoſitis adversùs eandem libertatem Eccleſiæ, in conferendo tùm Clericis indigenis, tùm extraneis, Eccleſiaſtica Beneficia.*

S U M M A R I U M.

1 *Errantibus oſtendenda eſt via veritatis. S. Auguſtinus correxit, quæ minus caſtigatè protulerat. Etiam Sedes Apoſtolica retractat, ſi quæ opus eſt.*
2 Sexta Objectio *petita eſt ex eo, quod non ceſſaverit Spiritus Canonum antiquorum, inhærens juri naturali, & divinæ traditioni pro arcendis extraneis.*
3 *Nullum datur jus divinum, vel naturale, vel traditio Apoſtolica, quæ electionem paſſivam ad ſolos Clericos de gremio coarctet.*
4 *De rigore Theologico dici non poteſt, quod de Spiritu Canonum inquiunt Contradictores. Spiritus Dei eſt ſubſtantia Dei, & eſt unicus, nec ſibi contrarius.*
5 *Solum lato modo, & impropriè dici poteſt ſpiritum Canonum eſſe Spiritum Dei, quatenùs Canones à Deo habent ut ſint.*
6 *Etiam leges Civiles à Deo eſſe habent, & tamen Spiritus earum non eſt Spiritus Dei. Aliqui Canones ſunt intèr ſè contrarii.*
7 *Aliquæ leges Civiles, ſunt contrariæ ſacris Canonibus. Horum autem Spiritus non poteſt eſſe Spiritus Dei, qui eſt unicus, & non ſibi ipſi contrarius.*
8 *Spiritus Dei per eſſentiam eſt incommutabilis: Spiritus Dei autem per participationem, qui eſt in creaturis, mutabilis eſt, ſicut illę mutabiles ſunt.*
9 *Jura poſteriora derogant prioribus. Spiritus Canonum ineſt etiam ultimis regulis editis ab Eccleſiâ, quæ admittunt extraneos.*

10 *Ec-*

10 *Eccleſia pluriès mutavit formam diſtributionis beneficiorum. Canones priſcorum Sæculorum antiquari potuerunt à Canonibus recentiorum.*

11 *Poteſt ergò Eccleſia novos edere canones; quo facto, cur ſtandum eſt primis Canonibus & non ſecundis?*

12 *Summus Pontifex habet poteſtatem condendi leges pro regimine eccleſiaſtico. Id enim Jura, Juriſconſulti, & Theologi affirmant.*

13 *Chriſtus dedit Papæ poteſtatem neceſſariam ad paſcendos populos. Nec ipſe autem, nec Petrus omnia circà Eccleſiæ regimen ordinarunt.*

14 *Ad ineffabilitatem divinæ providentiæ pertinet, quod Deus aliqua mutet. Nec ſunt majoris incommutabilitatis leges, quam ſint divina decreta.*

15 *Non ex inconſtantiâ, ſed ex diſpenſatione canones aliqui mutantur. Multa ex loco, ex tempore, ex perſonis differentius fieri oportet.*

16 *Mutatâ temporis causâ rectè non fieret, niſi lex mutaretur. Eadem eſt Eccleſia nunc, ac illa, quæ olim fuit, cum eâdem poteſtate.*

17 *Epiſcopus Alexandrinus ab initio ex ſolis presbyteris illius Eccleſiæ eligendus erat: ſucceſſu temporis dilatata eſt electio paſſiva etiam ad alios.*

18 *Mutata fuit illa forma, quia novæ cauſæ venerunt illam mutandi. Papa tenacitèr cuſtodit Canones: quos mutare poſſit, & quos non.*

19 *In iis, quæ ſpectant ad ſolam regiminis politiam, poteſt Papa leges mutare, eademque eſt vis canonum antiquorum, ac recentiorum.*

20 *Abbates olim eligendi erant ex gremio Monaſterii, & Epiſcopi de gremio Eccleſiæ, ac quid de aliis beneficiariis?*

21 *Non obſtante tamèn tali canone ſemper valida fuit electio extranei in Abbatem, dummodò eſſet ejuſdem ordinis, & profeſſionis.*

22 *De Jure novo, electiones Abbatum nec fiunt paſſivè ex viris de gremio Monaſterii; neque activè à fratribus Conventus.*

23 *Nimium ergò variata eſt forma electionis Abbatum. Aliæ formæ in Abbatiarum diſpenſatione variis in locis ſervatæ ſunt.*

24 *Si tot, & tantæ mutationes fieri potuerunt, pro Abbatialium beneficiorum diſtributione, idem fieri potuit pro aliis beneficiis.*

25 *Stat facultas Eccleſiæ in variandis pro temporum opportunitate ſacris Canonibus. Nèc minus ſunt Sancti Canones recentiores, quam antiquiores.*

26 Septima Objectio *deſumpta ex Jure Civili, ſanciente, in Eccleſiis ordinandos eſſe Clericos ejuſdem loci, adeòque indigenas.*

27 *Lex Civilis non obligat res, & perſonas eccleſiaſticas. Contrà Canones nihil pragmaticum valet, dictum eſt in Conciliis.*

28 *Clerici ſunt exempti de jure divino à juriſdictione Principum laicorum: pariaque ſunt foro ligari, & ſtatutis ſubiici.*

29 *Ubi ſunt Canones clari perperàm eſt allegare jura Civilia in cauſis eccleſiaſticis. Jura Canonicum, & Civile interdùm ſibi mutuo opitulantur.*

30 *Principis temporalis non eſt ea, quæ ad beneficiorum diſtributionem pertinent definire. Diſcere debet ab Eccleſiâ non ei præcipere.*

31 *Leges Civiles debent juribus Canonicis famulari, & oportet gladium eſſe ſub gladio. Variæ leges Civiles fuerunt per Canonicas correctæ.*

32 *Præſertim aliquæ circà Matrimonia. Leges in Codice Juſtiniani contentæ, de Clericis diſponentes, ſunt per Canones abrogatæ.*

33 *In cauſis beneficialibus Sanctiones Canonicæ, non Civiles ſervandæ ſunt. Qui fuerit circà hoc ſenſus Conciliorum, & aliorum.*

34 *Lex* In Eccleſiis &c. *non arcet à beneficiis extraneos, ſed providet, ne Clerici neceſſarii à propriis Eccleſiis, ob avaritiam abſtrahantur.*

35 *Malè in hâc lege aliqui fundant excluſionem extraneorum à beneficiis: Hæc namque non loquitur de promotione ad beneficia, ſed ad ordines.*

36 *Ex D. Hieronymo, & ex lege Juſtiniani, arceantur à bonis Eccleſiæ, habentes*

tei reditus proprios: Non erat olim idem ordines, & beneficia adipiſci.

37 *Argumentum nihil probat, quià probat nimium, nempè quod beneficia ſint danda nedum incolis ejuſdem regni, ſed etiam Clericis ejuſdem loci.*

38 *Juxtà legem, & canones præfatos, pro extraneis eſſent reputandi omnes, qui non ſunt nativi ex tali loco, vel Civitate, non vero ex Regno.*

39 *Textus legis in* Eccleſiiſeoneordatur *cum quibuſdam Canonibus, ex quibus patet, legem illam loqui ſolum conſultivè, & cæteris paribus.*

40 *Etiàm ſi lex præfata, & canones arƈtarent collationem ad ſolos indigenas adhuc præſervata intelligeretur in his poteſtas Eccleſiæ.*

(a) *Paralipom. cap. 19. n. 10.*

1. VBICUMQUE *quæſtio eſt de Lege, de mandato, de cæremoniis, de juſtificationibus*, oſtendendam eſſe errantibus viam veritatis, docent Scripturæ (*a*): & nos paritèr ſub eodem themate reſponſiones congruas adhibemus textibus legalibus, ſuper quibus Contradiƈtores quæſtionem faciunt, ut libertati Eccleſiæ præjudicent, in conferendo Eccleſiaſtica beneficia, etiam Clericis extraneis. Et quamvis modeſtè de illis prout poſſumus opinantes, cenſeamus, eos de veritate benè ſentire, ac quæ ſcripſerunt, nonniſi ad opportunitatem ſuæ causę aggregaſſe; tamèn quià illorum ſcripta de impuritate mentis ſuos carpunt Auƈtores; opus eſt vel horum, reƈtè ſentientium, diƈtata vindicare; vel errantium ſcripta ad veritatis ſemitam revocare. Quæcumque autèm fuerit eorum intentio, grave ipſi non habebunt audire verum ſenſum Canonum, quos ad præfatam libertatem labefaƈtandam allegant; rati, tàm errantes, quàm illorum ſcripta legentes, *neceſſarium eſſe admoneri, & habere aliquem advocatum bonæ mentis, qui in tanto fremitu, tumultuque falſorum*, veritatis lumen oſtendat (*b*). Sane ſicuti magni animi viri, ſi quæ fortè minùs reƈtè protulerunt, non abnuunt retraƈtare: Undè & S. Auguſtinus libentiſſimè correxit, quæ minùs caſtigatè pronuntiaverat (*c*). Et ipſa Sedes Apoſtolica, omnium Mater, & Magiſtra, *hoc ſolet habere præcipuum, ut non pigeat revocare, quod à ſe fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum* (*d*); Ità & confidimus, quod Contradiƈtores ea, quæ in hac causâ, à veritate declinando, ſcripſerunt; ex ſe aliquandò emendabunt: & interim eis non diſplicebit à nobis verum ſenſum Objeƈtionum, quas afferunt, publicari. Igitur

(b) *Seneca epiſt. 94.*

(c) *S. Auguſt. in libr. retraƈt.*

(d) *S. Bernard. epiſt. 180. ad Innocent.*

2. *Arguunt ſexto loco* Contradiƈtores, & dicunt. Licèt ceſſaverit obſervantia canonum antiquorum, mandantium eleƈtionem fieri de ſolo gremio Eccleſiæ vacantis, vel alio modo reſtringentium collationem beneficiorum ad ſolos indigenas; attamen non ceſſavit Spiritus ipſorum canonum, qui eſt Spiritus Dei incommutabilis, & æternus: neque ceſſavit ratio, ſive cauſa, propter quam ipſi canones editi fuerunt, nempe jus naturale, & divinum, ac traditio Apoſtolica, quorùm vi beneficia ipſa ſolis indigenis addicuntur: tantâ efficaciâ, ut nulla inobſervantia, nulla lex prævaleat in oppoſitum: Nàm adverſus canones, juri naturali innixos, benè ait D. Thomas: *Quantum ad hoc quod jura illa antiqua continent jus naturale, abrogari non poſſunt* (*e*). Adverſus etiam canones, conſtitutioni Divinæ, vel Apoſtolicæ traditioni inhærentes, nihil valet officere: & ut inquit Claudius la Place, *juri tàm naturali, quàm divino, nulla conſuetudo præſcribere poteſt* (*f*). Cum itaque ſacri canones hujuſmodi privilegium Eccleſiis uſque ab initio contulerint, ut eleƈtiones Epiſcoporum, aliorumque Altaris Miniſtrorum, de ſolo Eccleſiæ gremio fiant; perperàm nunc allegatur eorum inobſervantia, vel ab aulâ receſſus: perperàm nova jura contrarium pręſcribentia proponuntur, cum cauſa priſcorum canonum, eorumque ratio incommutabiliter adhùc vigeat, & nunc tantundem ſubſiſtat, quantum olim floruit, & pręvaluit: Undè ipſi canones alterari non potuerunt, de illiſque accommoda poteſt cum D. Leone Pontifice pronuntiari, *privilegia Eccleſiarum, Sanƈtorum Patrum Canonibus inſtituta &c. nullâ*

(e) *S. Thomas quodlibet 9. art. 15.*

(f) *Claud. la Place de ſingular. benef. c. 5. antidot. 6. 2. argum. 2.*

poſ-

poſſunt improbitate convelli, nullâ novitate mutari (a). Quarè cum vigeat adhuc ratio, quæ canones ſancivit, electionem ad beneficia ad ſolos Clericos de gremio Eccleſiæ reſtringens; dicendum eſt etiam ipſos Canones adhùc ſubſiſtere, & per conſequens beneficia Clericis à gremio Eccleſiarum extraneis, nullo modo poſſe conferri.

(a) *S. Leo Pap. Epiſtol. 55.*

3. Reſpondetur *primò* negando ſuppoſitum, & retorquendo argumentum. Suppoſitum eſt, quod detur jus Divinum, & naturale, ac traditio Apoſtolica, quæ paſſivam electionem ad ſolos Clericos de gremio Eccleſiæ viduatæ coarctet. Hæc nos negamus abſolutè: & conſtantiſſime, ac inflexibilitèr id negamus. In toto etenim examine, ac diſſolutione Objectionum Scripturalium, tam ex veteri, quam ex novo Teſtamento propoſitarum, expreſsè, & individuè demonſtravimus, nullum jus Divinum, nullamque dari à parte rei Apoſtolicam traditionem, quę de manibus extraneorum eccleſiaſtica vindicet beneficia, & ſi quod fruſtulum eſt Scripturæ, & ſi quæ eſt Apoſtolorum actio, quę hujuſmodi jus Divinum, vel traditionem Apolicam valeant colorare; id nonniſi in ſenſu accomodatitio ſubſiſtit, vel nonniſi ſymbolicè, vel taliter intelligitur, ut nullum poſt ſe relinquat obligationis veſtigium (b). In Objectionibus paritèr Theologicis enodandis pateſecimus, nullum jus naturale dari, arcens extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, niſi ad ſummum cœteris paribus, & in concurſu æqualium meritorum, quod eſt extra noſtram quæſtionem (c). Retorquetur poſteà argumentum, ex eo quod, ſi beneficia eccleſiaſtica ſunt conferenda illis, quos jus Divinum, & naturale, & traditio Apoſtolica ad ea vocat; cum nos Rationibus Scripturalibus, & Theologicis, ac alitèr multiformibus probationibus, per hoc, & per duo præcedentia volumina diſtributis, uberrimè oſtenderimus, quod tàm de jure Divino, quàm naturali, & de traditione Apoſtolicâ, tùm Clerici extranei, tùm indigenæ ſunt admittendi ad eccleſiaſtica beneficia; jam Contradictores ſuo gladio ſe confodiunt, dum hinc motivum ſumunt, viros extraneos à beneficiis eccleſiaſticis repellendi.

(b) *Vide ſuprà in hoc tom. cap. 1. & n. 2.*

(c) *Vid. ſuprà in hoc tom. cap. 3. & n. 4.*

4. Reſpondetur *ſecundò*, reconveniendo Contradictores, & ſciſcitando ab eis quid intelligant nomine Spiritus canonum, quem dicunt eſſe Spiritum Dei incommutabilem, & æternum? Nàm ſi nomine Spiritus canonum intelligunt robur illud, quo canones interdùm ea, quæ legis divinæ ſunt, proponunt, vel explicant, & elucidant: *Multa enim ſunt, ad humanam vitam conducentia, quæ tantum ex lege divinâ probabilitèr colliguntur &c. & quæ per legem humanam præſcribuntur &c. neceſſeque erat, ut lex divina ad certum tempus, & modum, per legem humanam determinaretur, ut conſtat in præceptis eccleſiaſticis de jejunio quadrageſimali, & de confeſſione annuâ, & communione Paſchali, quæ tempus, & modum divinorum prçceptorum determinant* (d); Vel ſi nomine Spiritus canonum intelligunt vim, quâ pollent canones obligandi fideles ad eorum obſervantiam, vel virtutem illis infuſam auctoritate Eccleſiæ, à quâ conditi ſunt: vel juſtitiam, quam in sè continent; vel inſtinctum, & lumen, quo dirigente fuerunt primò ſanciti; negamus quod talis vis, talis virtus, talis juſtitia, tale robur, & talis inſtinctus, atque lumen ſint Spiritus Dei incommutabilis; & æternus (e). Nàm Spiritus Dei, eſt ſubſtantia Dei (f): Nèc vis autèm, nec robur, neque virtus, nec juſtitia, nec inſtinctus, neque lumen præfata, ſunt ſubſtantia Dei, vel illius eſſentia. Prætereà Spiritus Dei eſt unicus, idem ſentiens, & nihil ſibi contrarius, Canones autem quandoque inter sè contraria diſponunt (g). Dè rigore ergò Theologico hęc propoſito non ſubſiſtit, quod Spiritus canonum ſit Spiritus Dei incommutabilis, & æternus, incommutabilitatem, & invariabilitatem Canonibus ipſis impertiens.

(d) *Gonet Clyp. Theol. tom. 3. diſput. 4. de lege human. art. 1. n. 2.*

(e) *Cap. Violatores 5. cauſ. 25. qu. 1.*

(f) *S. Thomaſ. 3. part qu. 39. art. 2.*

(g) *Cap. Domino 28. & ibi gloſ. V. diſcorſ. diſt. 50. cap. hoc ipſum 32. in fin. 33. qu. 2.*

5. Quarè ad ſummum lato modo, ſimilitudinariè, e per quandam ſimplicem analogiam, claudicantem pluribus pedibus, dici poteſt, ſpiritum canonum eſſe Spiritum Dei: Quatenùs Eccleſia, canones condens, auctoritati divinæ innititur; à quâ habuit, ut poſſet illos ſancire, & vim illis obligativam infundere: in quo conceptu, per quendam dicendi modum, verificatur, quod Deus ipſe fert leges, quas Ec-

Eccleſia, illius auctoritate freta, promulgat. Et ità quia ipſę leges, ſi non proximè, ſaltem remotè à Deo habent, ut ſint: & initiativè, ac radicalitèr à Deo provenit, ut ſint editę; ideò latè loquendo, dici poteſt, quod Spiritus Dei illis ineſt. Sed hoc evenit etiam in cunctis rebus creatis, quatenùs omnes Creaturæ denominantur à primo ente, per modum cujuſdam aſſimilationis, uti ſentiunt Theologi cum D. Thomâ (*a*), & participant ſuum eſſe à ſummo illo, & ſupremo ente divino, a quo cuncta creata ſunt, & ab eo creata omnia actualiter conſervantur, in illiſque aliqualitèr Deus eſt, quia hic ſuam immenſitatem ſuper univerſa entia diffundit, & hæc ſunt in Deo, vel tamquàm in conſervante, vel tamquàm in ſciente, quæ ſunt vita in Deo (*b*). Et hoc modo omnia ſunt vita in Deo, à quo, ut ait Evangeliſta, *quod factum eſt in ipſo vita erat* (*c*). Dicique ſolet in Scholis: *omnia creata in Deo ſunt creatrix eſſentia* (*d*): Sub quo proſpectu Spiritus Dei, qui Deus eſt, in cunctis rebus creatis eſt, & Spiritus omnium Creaturarum, per modum dicendi, poteſt appellari Spiritus Dei.

(a) *S. Thomas 3. par. qu. 6. art. 4.*
(b) *S. Thomas 3. par. qu. 8 art. 4.*
(c) *Joannis capit. 1. num 3.*
(d) *Seraph. Cappon. in append. ad S Thom. 3. p. qu. 18. art. 4.*

6. Peculiaritèr autèm idipſum evenit etiam in legibus merè cibilibus: hę namque, tamquam à legitimis Principibus editæ, à Deo, *per quem Reges regnant, & legum Conditores juſta decernunt* (*e*), radicaliter, & remotè proveniunt, ac provenire dicuntur, tùm a Theologis (*f*), tùm a Juriſconſultis (*g*). Et ſic Spiritus Dei dicitur legibus ineſſe. Veruntamen Spiritus legum Civilium non eſt Spiritus Dei incommutabilis, & ęternus. Sicut & ex mox dictis, Spiritus Dei, qui Deus eſt, cunctis rebus creatis ineſt, & tamèn ſpiritus omnium Creaturarum, non eſt Spiritus Dei incommutabilis, & æternus. Ità ergò & quamvis in ſacris Canonibus ſit Spiritus Dei; non ideò tamen Spiritus canonum eſt Spiritus Dei incommutabilis, & ęternus. Adde quod aliquandò canones ſunt ſibi ipſi contrarii: & ita in *cap. placuit. & cap. de puellis 36. qu. 2.* prohibetur mulieri raptæ matrimonium contrahere cum raptore: in *cap. autem ultim. de Raptoribus*, matrimonium inter reptorem, & raptam permittitur. Itèm conſtitutio Gregorii Papę X. in Concilio Lugdunenſi prohibet Ordinariis, ne procurationem viſitationis exigant in pecuniis; *canon verò Felicis III. de cenſibus*, id permittit: & ſic de aliis.

(e) *Proverbior. cap. 8 num. 15.*
(f) *Azorius inſtitut. mor. p. 1. l. 1. c. 5. § Conſtanſ. Bonac. tom. 2. de legibus diſput. 1. qu. 1. pun. 2. n. 5.*
(g) *Borel ſum. deciſ. tom. 1 tit 13. nu. 3. Sebaſt. Medices de legibus & Statut. p. 1. qu 1 num 5.*

7. Sæpeſepius quoque, ut notum eſt, inter canones, & leges civiles contrarietas diametralitèr intercedit: nàm in *lege celebrandis C. de nuptiis*, & *Inſtit. de nuptiis. §. inter eas*, conceditur matrimonium inter patrueles, & amitinos, ſive conſubrinos, quod in *cap. quędam 35. qu. 3. & cap. non debet de conſanguin.* pro irrito pronuntiatur. Pariter Jus Civile pœnas infligit viduæ, intra annum luctus ad ſecundas nuptias properanti (*h*). Jus verò Canonicum, omnes haſce pœnas abſcindit (*i*). Alias leges, & canones inter ſè pugnantes, legere eſt in utriuſque juris textibus; & tamen tàm leges, quàm canones, ut innuimus, inſtinctu Dei ſunt editę, & a Deo remotè proveniunt. Ac ſinè dubio canones inter ſè repugnantes, uti canones ab Eccleſiâ ſanciti, Spiritum canonum in ſè continent. Hic autèm ſpiritus quomodò poteſt eſſe Spiritus Dei incommutabilis, & æternus, ſi Spiritus Dei eſt unicus, idem ſentiens, & neququam ſibi contrarius? *Diviſus eſt Chriſtus?* improperabat Corinthiis Apoſtolus (*l*), & nos a Contradictoribus poſtulamus: Diviſus eſt nè Deus? diviſus eſtnè Spiritus Dei? Spiritus Dei eſtne ſibi ipſi contrarius?

(h) *Lege 1. Cod. de ſecund. Nupt.*
(i) *Cap. cum ſecundum de ſecund. nupt.*
(l) *1. Corinthior. cap. 1. n. 13.*

8. Diſtinguendum eſt igitur ſuper ly *Spiritus Dei*, & dicendum, quod aliud eſt Spiritus Dei per eſſentiam, aliud eſt Spiritus Dei per participationem. Spiritus Dei per eſſentiam, ſeu eſſentia, & ſubſtantia, Dei eſt incommutabilis, & æterna. Spiritus autèm Dei per participationem, quatenùs omnes Creaturæ, quæ producuntur, ex eo habent cauſalitèr, ut ſint; optimè commutabilis eſt, ſicuti commutabiles ſunt Creaturæ. Et ideò non eſt verum, abſolutè, ac theologicè loquendo, quod Spiritus Dei, qui eſt in ſacris canonibus analogicè, ſimilitudinariè, per participationem, ſeu quatenus dicit virtutem, & auctorizationem ſacris canonibus contributam, ſit Spiritus Dei incommutabilis, & æternus, quia non eſt eſſentia, vel ſubſtantia Spiritus Dei, ſed mera participatio auctoritatis illius, & ideò ipſe eſt mutabi-

tabi-

tabilis, & variabilis eo modo, quo ſunt mutabiles, & variabiles ipſi ſacri Canones. Et certè nunquid eſt magis incommutabilis, & æternus Spiritus Dei, ſemel infuſus ſacris canonibus, quam Spiritus Dei, qui erat in lege veteris Teſtamenti, ipſius Dei digito ſcriptâ (*a*). Certè non! Et tamèn lex veteris Teſtamenti fuit commutabilis, & ejus obligatio prorſus ceſſavit (*b*). Imò eam ceſſaſſe de fide eſt (*c*). *Tranſlato* namque *Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat*, inquit Apoſtolus (*d*). *Prodeunte fructu flos decidit*, ait D. Bernardus (*e*). *Supervacaneus eſt lychnus, ſi ſol apparuerit* declamabant Theodoretus (*f*), & cum *priusquam in toto orbe Evangelium coruſcaret, habuerint ſuum fulgorem præcepta legalia; poſtquam verò Majus Evangelicæ gratiæ lumen effulſit, & ſol juſtitiæ toti mundo sè prodidit, ſtellarum lumen abſconditum eſt, & earum radii caligaverunt*, ſcripſit D. Hieronymus (*g*). Multò magis ergò commutabilis eſt Spiritus Dei, ſacris canonibus inſitus; & hi optimè mutari poſſunt, variari poſſunt, & pro temporum diverſitate transferri. Perperàm igitur comminiſcuntur Contradictores, quod non potuerint canones priſci mutari, ſi qui formam promovendorum Clericorum de gremio Eccleſiæ ſanciebant: & quod, non obſtante obliteratione obſervantiæ ipſorum canonum, adhuc vigeat eorum ſpiritus, qui ſit Spiritus Dei incommutabilis, & æternus; hæ namque ſunt næniæ, ſunt locutiones fucatæ, & ſophiſmata inſubſiſtentia, quippè ſpiritus canonum toto Cœlo diſtat à Spiritu Dei incommutabili, & æterno.

(a) *Deuteronom. c. 5. num. 10.*
(b) *Galat. c. 3. & 4. Ephes. c. 2. Hebr cap. 7. & 8 cap unic. de purif. poſt part. S. Thom. 2. 2. quæſt. 87 ar 1. Becan. Analog. veter. Teſtam. c 15. qu 8*
(c) *Gonet. Clyp Theol. tom. 3. diſp 11. de lege divin. art. 4. §. 1. nu 43.*
(d) *Hebræor. cap. 7. num. 13.*
(e) *S. Bernard. homil. 1. ſup. miſſus eſt.*
(f) *Theodoret. in ep. ad Philippenſ. 3.*
(g) *S. Hieron. in cap. 4. epiſt ad Galatas.*

9. Reſpondetur *tertiò*, iterùm reconveniendo adverſarios, & ſciſcitando ab eis, quid per canones intelligant? Si nomine canonum intelligant leges illas, quas facit Eccleſia, pro ſui bono regimine: Et in propoſito beneficiorum eccleſiaſticorum, ſi intelligunt illas leges, quas fecit Eccleſia pro rectâ ipſorum beneficiorum diſtributione; debent, vel ſaltèm rationabiliter deberent loqui de legibus eccleſiaſticis, non carioſis, & obſoletis, ſed recentionibus, & modernis, hujuſmodi materiam tangentibus; quandoquidem voluntas poſterior Legislatoris præfertur priori, & noviora Jura derogant anterioribus. Ità Jus Canonicum (*h*). Ità Jus civile diſponunt (*i*). Ità Theologi (*l*). Ità Juriſconſulti proclamant (*m*). Et Gloſſa de his loquens ait: ſi Conſtitutiones oppoſitæ *ambæ ſunt generales, ſemper poſterior præjudicat* priori, *ut extr. de cogn. ſpir. c. 1. ff. de leg. non eſt novum. Sed qualitèr præfertur unus canon alteri, cum omnes ſint promulgati inſtinctu Spiritus Sancti 16. qu. 3. nemo? Reſpondetur, quod duo canones poſſunt eſſe contrarii, & tamèn uterque eſt juſtè inſtitutus: quod enim unus ſtatuit, & juſtè, alter contrarium poteſt ſtatuere, & juſtè 63. diſt. §. verum. extr. de Conſang. & affin. non debet* (*n*). Ultimę autèm leges, de beneficiorum diſtributione ſancientes, libertatem Eccleſię fovent in conferendo ſacras præbendas, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis, niſi ęqualitas meritorum aliud favore indigenarum expoſcat. Spiritus ergò Dei, qui ab eis dicitur eſſe ſpiritus canonum, & ſibi ipſi nullatenùs eſt contrarius; in noviſſimis hiſce canonibus continebitur: & ſic hi erunt obſervandi, quià in eis eſt ſpiritus canonum, de quo eſt ſermo: Et ſinè ambiguitate hi ſunt divino inſtinctu ſanciti; non minùs ac antecti (*o*).

(h) *Cap. Dominico 28 diſt 50. c. hoc ipſum 11. in fin 33 qu. 2. c. ultim. in princip de ſent. excom. in 6.*
(i) *L ſed & poſteriores ff. de legib. L. cum in plures ff. locati l. 1 in fin ff. de ſtipul. ſervor.*
(k) *Suarez de leg. l. 6 c. 26. Laym. tr 4 c. 23. n. 1. Azor. inſt mor. p. 1 l. 5. c. 2. & 21 Bonac. de leg. tom. 2 diſp. 1 qu. 1. pun. ult. § 1. num. 1.*
(m) *Borel. ſum. deciſ. tit. 13. n 86. Engel. p. 1. in proœm. n. 18 Tuſc. 12. 6 lit. P. concl. 451 Barboſ. Axiom. 83.*
(n) *Glo. in c. Domino V. diſcorſ. 28. diſtinct. 70.*
(o) *Capit. nemo 16. qu. 3. c. Violatores 25. qu. 1. cap. hoc ipſum 33. quæſt. 2.*

10. Si verò nomine Canonum Contradictores intelligunt illas ſolas priſcas regulas, quas Eccleſia edidit, ſub primis illis, vel antiquioribus ſuis ſæculis; cum nos ſuprà probaverimus, quod, quantum pertinet ad diſtributionem officiorum, & beneficiorum ſuorum, Eccleſia tredecim formas variavit; difficile erit invenire canones Spiritu Dei prędit os, quos quęritant Contradictores, ſi non deleantur de libro canonum omnes illi, qui poſt primos Eccleſię annos editi ſunt: vel non concedatur, dictum Spiritum ineſſe Canonibus ſubſequentibus, & quod canones primi, & ſecundi Sæculi potuerunt antiquari ab editis tertio, & quarto Sæculo: hi à promulgatis quinto, & ſexto, & ſic de ſingulis, uſque ad noſtram ætatem. Sanè ipſa lex Divina, data Moyſi, totumque vetus Teſtamentum, ore Dei promulgatum, potuit, ut innuimus antiquari, de quo Theologi cum D. Thomâ (*p*). Et literalitèr Apoſtolus ad Hebreos, dicens: *novum veteravit prius, quod autem antiquatur, & ſene-*

(p) *S. Thom. 1. 2. qu. 103. art. 3. & 4. Gonet. Clyp. Theol. tom. 3. diſp. 11. de lege divina ar. 4 §. 1.*

ſeneſcit, prope interitum eſt (*a*). Nunquid autèm non potuit Eccleſia, cudendo novos cauones, veteres, quos prius ediderat, antiquare? Dicant queſò, Contradictores, cur D. Petrus, aut Apoſtoli potuerint pro recto Eccleſię regimine condere canones, & non id potuerint alii Pontifices, & Epiſcopi eorum Succeſſores? Utquid ergò jam decem, & novem vicibus congregati ſunt Patres in Conciliis Generalibus; centies, & millies in Conciliis Nationalibus, Provincialibus, & Diœceſanis conſiderunt; ſi poteſtate carebant canones de novo edendi, & veteres antiquandi? Fuerunt ne iſti omnes, impii, deceptores, & uſurpatores auctoritatis, ſibi nullatenùs competentis?

11. Profectò deſipit, qui ſic loquitur. Potuit ergò Eccleſia, ejuſque Pontifices, & Concilia, juxtà temporum opportunitatem, Canones de novo procudere. Et hoc jam ad praxim redacto; cur quæſo ſtandum erit primis Canonibus, & non ſecundis? Cur credendum eſt fuiſſe in antiquis ſpiritum Canonum, qui à Contradictoribus dicitur eſſe ſpiritus Dei, & non fuiſſe in recentibus? Nunquid eſt alia Eccleſia nunc, ac illa, quæ fuit antiquioribus Chriſti Sæculis? Nunquid ſub alio Deo militabat, alium Deum habuit directorem, Eccleſia, quandò priſcos Canones promulgavit; & alium quandò poſteriores compoſuit? Nunquid non adfuit editioni ultimorum Canonum Spiritus Dei, qui adfuit editioni primorum? Chriſtus Dominus, qui ſe adfuturum ſuæ Eccleſiæ uſque ad ſæculi conſummationem promiſit (*b*): Qui nunquàm defuturam fidem Petri ſpopondit (*c*): Qui eidem jus paſcendi contulit Eccleſiam, à ſe fundatam (*d*): Et poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, binarum Clavium porrectione commiſit (*e*): Qui demum ipſi Petro munus addixit, ſuos fratres Apoſtolos, eorumque Succeſſores, prout expediret cognoſceret confirmandi (*f*); Ille, inquam, partem non habet cum Canonibus recentioribus? Blaſphemat, inſanit, qui ſic profatur. Ergò idem Deus, idem Chriſtus adfuit editioni ultimorum Canonum, qui adſtitit compoſitioni primorum, & per conſequens idem Spiritus Canonum eſt in modernis, ac in antiquis Eccleſię Regulis: ideòque non minor obſervantia eſt adhibenda recentibus Canonibus; quàm adhiberi præciperetur antiquis.

12. Habuit hoc ſemper Eccleſia, habuit, habebitque in futurum Romanus Pontifex ejus Rector, ut poſſit leges condere, prout ad opportunitatem eccleſiaſtici regiminis perpenderit opus eſſe. Textus ſunt clariſſimi in jure (*g*). Quibus innitentes Juriſconſulti paſſim hanc poteſtatem ineſſe Eccleſiæ, atque Pontifici confitentur (*h*). Eiſque conſentiunt Sacrę Scripturæ Interpretes (*i*). Nec non Theologi, tam Polemici (*l*), quam Scholaſtici (*m*), & Morales (*n*): Communiterque omnes, quos præit D. Thomas, integrâ queſtione demonſtrans, leges humanas (quales ſunt etiam Canones Eccleſiæ) mutabilitatem admittere (*o*). Cum enim uniuſcujuſque Reipublicæ prudens inſtitutio id expoſcat, ut poſſit leges ferre (*p*): Quod & ipſo ſimplici naturali lumine ductus commonuit Plato (*q*); id multò magis Eccleſiaſticę Reipublicę ratio depoſcit, quæ præ omnibus Rebuſpublicis eſt perfecta. Oppoſitumque ſentire eſt hæreſim incurrere, quam docuerunt Joannes de Vueſtphalia (*r*), Joannes Vuiclephus (*s*), Marſilius Patavinus (*t*), Vualdenſes (*u*), Calvinus (*x*), ac perfidus Lutherus (*y*), uno ſtrepitu coaxantes, nullam ineſſe Eccleſiæ, vel Papæ poteſtatem leges ſanciendi, & fideles ſuis conſtitutionibus obligandi, quorum deliria hìc fruſtrà eſt confutanda ſuſcipere, cum nobis otium non ſit his prolixiùs immorandi.

13. Unum eſt, certumque de fide, quod Chriſtus ſuę Eccleſiæ, illiuſque Summo Rectori, Romano Pontifici, omnem poteſtatem contulit neceſſariam, ad paſcendos in Chriſtianâ religione fideles, eoſque in diſciplinâ, illorum profeſſioni congruâ, continendi (*z*). Verùm ſicuti Chriſtus non omnia ex ſeipſo circà regimen Eccleſiæ, ordinavit, ſed plurima Apoſtolis diſponenda reliquit (*aa*), prout jam ſuperius oſtendimus, ità nec Petrus, nec Apoſtoli, omnia ex ſe ipſis, concernentia rectum Eccleſię regimen, decreverunt, ſed plurima ſubſequentibus Pon-

(a) *Hebræor. cap. 8. num. 13.*

(b) *Matthæi. cap. 28 num. 20.*

(c) *Lucæ capit. 22. num. 32.*

(d) *Joannis cap. 21 num. 15.*

(e) *Matthæi cap. 16 num. 19.*

(f) *Lucæ cap. 22. num. 32.*

(g) *Cap. ſunt quidam 25 q. 1. c. nō debet extr. de conſang. & affin. cap. Alma Mater. de ſent. excom.*

(h) *DD. in cap. non debet de conſang. & affin. & in cap. 1. de conſtit. in 6.*

(i) *Cornel à Lapid. in epiſt. ad Titū c. 1. n. 5. § Sicut. Bened Juſtinian. in eod. loc § deniq.*

(l) *Bellarmin. de Pontif l 4 c 16. Valent in D. Thom p. 2. diſp 7. q. 5 pun. 2. à §. eſt autem tom 2.*

(m) *Vaſqu. in p. 2. diſp. 152. c. 2. Suarez de legib.*

(n) *Laym l. 1 tr. 4 c. 9 n. 5. Bonac. to 2. de legib diſp. 1 q. 1. pun. 2. num. 5 &c.*

(o) *S. Thom. 1. 2. qu. 97 per tot. Gonet. Clyp. Theol tom. 3. diſp. 10 de legum mutation. art. 2.*

(p) *Cornel à Lapid. in epiſt ad Tit. c. 1. n. 5. § ſicut.*

(q) *Plato. lib 8. & 9. de legib.*

(r) *Alph à Caſtr. V. Eccl hæreſ. 3.*

(s) *Concil Conſtant. in condemn. art. 30. Jo: Vuiclepb.*

(t) *Marſil. Patav. in defenſ. Pacis.*

(u) *Vid S. Antonin. p. 4. tit. 11. c. 7. § 2.*

(x) *Calvin. l. 4. Inſtit. c. 10.*

(y) *Lutherus de captivit. Babylon. cap. de baptiſm. & lib. de libert. Chriſtian.*

(z) *Pius II. Conſtit. 30 extrav.*

(aa) *Vide Cornel. à Lapid. in epiſt. ad Titum c. 1. n. 5.*

Pontificibus, ac Eccleſiæ, in Conciliis congregatæ, determinanda ſuo tempore, dimiſerunt, ac reſpectivè alteranda, & prò perſonarum, locorum, ac temporum varietate, mutanda. Nec debet, inquiebant quadringenti Patres, Concilium Lateranenſe IV. cum Innocentio III. celebrantes, *non debet reprehenſibile judicari, ſi ſecundùm varietatem temporum, ſtatuta quandòque varientur humana, præſertìm cum urgens neceſſitas, vel evidens neceſſitas id expoſcit: quoniam ipſe Deus, ex his, quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in novo* (a). Nec ſolùm mutavit Deus in novo aliqua, quæ ſtatuerat in veteri Teſtamento, ſed etiam aliquando videtur aliquali varietate mutare illa, quæ ad regimen hominum, & ad eos in diſciplinâ continendos conſtituerat adimplere; undè Ambroſius hâc paræneſi cunctos allicit ad correctionem: *novit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum* (b).

(a) *Concil. Lateran. 4. c. 50.*

(b) *S. Ambroſ. in c. 3 Lucæ.*

14. Nec ullum vulnus, nec ullum præjudicium ſuæ incommutabilitati per hęc Dominus in sè ſentit: quippè, ad ſuæ providentiæ ineffabilitatem pertinet, prò perſonarum, & locorum varietate, ſua attributalia officia exercere; & ſua judicia incomprehenſibilia prout expedire cognoſcit, rerum opportunitatibus regulare: quâ de rè Patres Concilii VII. Toletani hęc Synodalia effata dictarunt; *Incommutabilis, eademque ſemper exiſtens Dei Natura, parcens, ſua ſæpè in ſacris literis legitur mutaſſe promiſſa, & prò miſericordiâ temperaſſe ſententiam. Undè quamlibet ſit impaſſibilis, atque immutabilis; ejuſdemque Deitatis licèt ſint dicta firmiſſima, crebrò tamèn ejus & juramenta leguntur, & pœnitentia, quæ ſacris extant myſteriis adoperta. Jurare namque Dei, eſt à ſeipſo nullatenùs ordinata convellere: pœnitere verò, eadem ordinata, cum voluerit immutare* (c). Si ergò ſinè diſpendio incommutatibilitatis Domini Dei noſtri, potuerunt ab eo aliqua opportunè variari, & pluriès mutata ſunt (d); Quid eſt, quod ſola Eccleſia non poſſit à primis ſuis ſanctionibus declinare: non novos Canones edere, non veteres antiquare? Suntne majoris incommutabilitatis leges Eccleſiæ (quę in ſeipſis, & rigorosè conſideretæ, non aliud ſunt niſi leges humanæ (e), tametſi ſacrę, & ad bonum animę ſpectantes) quam lex divina, comminationes divinę, divina dicta, vel promiſſa, revelata, & ſicut ſuprà conſiderata? Donum incommutabilitatis eſt ne magis proprium humanę legis, in Canonibus conſtitutæ, quàm legis Divinæ in libris Biblicis cuſtoditæ? Delirat ſi quis hoc cogitat, & prorsùs inſanus eſt, ſi quis in hoc propoſito, ſuæ opinionis nimium tenax, potritâ fronte ſe obſtinat.

(c) *Concil. Tolet. 8. c. 8 c. Incommutabilis 22. qu. 4.*

(d) *S. Thom. 1. 2. q. 103. art. 3. & 4. Valent. to. 2. diſp. 7. qu. 7. p. 7.*

(e) *Azor. Inſt. Mor. p. 2. l. 1. cap. 3. 4. Quod Gloſ. in proem. Clementinar. V. Juris.*

15. Itàque potuit, poteritque ſemper Eccleſia, ſuas mutare leges, novas regulas edere, antiquos canones abrogare: diverſa demùm à primis ordinamenta ſancire (f), *non inconſtantiâ præcipientis*, inquit D. Auguſtinus, *ſed ratione diſpenſationis* (g), quià prò diverſitate occaſionum, temporum, ac locorum, diverſa expediunt, & diverſa remedia opus eſt morbis mutantibus adhibere. Hęc omnium Chriſtianorum conſonans eſt opinio: Hæc Scripturæ Interpretum, hæc Juriſconſultorum, hæc Thelogorum, hæc Patrum, hæc Conciliorum; Quis ergò illam audeat impugnare, niſi velit *clavam de manu Herculis extorquere* (h)? Quod igitùr Eccleſia pluriès methodum in beneficiorum diſtributione mutavit, eſt quià, ut ait præfatus Auguſtinus: *lex temporalis, quamvis juſta ſit, commutari tamèn per tempora juſtè poteſt* (i). Quod autem lex temporalis poſſit juſtè per tempora commutari, eſt quià, teſte Hildeberto Turonenſi, *multa ex loco, multa ex tempore, multa ex perſonis differentiùs fieri oportet* (l). Non tàm proindè ad poteſtatem auctoritatis, quem ad neceſſitatem regiminis Eccleſiaſtici pertinet, prò temporum varietate Canones immutare, novos veteribus ſubrogare, priſcorum vim ad recentiores transferre: piaque, prudens, & diſcreta eſt Mater Eccleſia, quoties *de legibus, & Canonicis ſuis regulis diſpenſat, ubi ſuadet utilitas publica, cogit neceſſitas, probat Charitas, cui leges, & Canones omnes famulantur* (m).

(f) *Vid. ſupr. tom. 2. ſæcul. 18 c. 21.*

(g) *S. Auguſt. contr. Fauſtum.*

(h) *S. Bernard. epiſt. 180. ad Innocent.*

(i) *S. Auguſt. l. 1. de libert. arbitr.*

(l) *Hildebert. apud Dacherium lib. 10. c. 1.*

(m) *Thomaſſin. Vet. & Nov. diſcipl. p. 2. l. 3. c. 35. n. 11.*

16. Acquieſcant igitùr Contradictores Eccleſiæ, Canones immutanti, quibus olim uſa eſt ad beneficia ecclesiaſtica diſpenſanda: nec quià ſanctę, quià juſtæ,

quia providæ fuerint illæ primæ leges; recentiores mordeant, & impugnent: non enim verùm eſt, ait Auguſtinus, quod recte factum nullatenùs eſt mutandum: *Mutata quippè temporis causâ, quod rectè antè factum fuerat, ità mutari vera ratio plerumque flagitat, ut cum ipſi dicant, rectè non fieri ſi mutetur; contrà, veritas clamat, rectè non fieri, niſi mutetur; quià utrumque tunc erit rectum, ſi erit prò temporum varietate diverſum* (a). Cauſas hujuſmudi mutationis alibi allegavimus (b), nec eſt neceſſe hìc illas repetitè conſerere, ne volumen creſcat in immenſum. Unum eſt ergò, quod cum eadem ſit Eccleſia, quę poſterioribus ſæculis floruit, atque floret, ac illa quæ antiquis; parilique ſemper fuerit auctoritate ſtipata, ſemper æquè potens, æquè Sancta, ęquè Divino lumine ducta; ſequitur quod tanta eſt vis Canonum, ultimo tempore conditorum, prò diſtributione Sacrarum præbendarum, quanta fuit Canonum antiquorum: talis eſt ſpiritus Canonum recentium, qualis fuit ille priſcorum. Qui ſi eſt ſpiritus Dei incommutabilis, & æternus, uti contendunt Contradictores; idem Spiritus Dei ineſſe dicendus eſt novis Canonibus, ac vetuſtis; & ità quidquid ſit, an Canones antiqui præceperint Sacerdotia ſolis Clericis de gremio Eccleſiæ vacantis eſſe largienda; nos *veteres laudamus, & noſtris vivimus annis*, ut ait Petrus de Marcâ (c), ac quoniam noviores Canones admittunt ad beneficia eccleſiaſtica tàm extraneos, quàm indigenas; concludimus, ipſam Eccleſiam poſſe liberè, & licitè memorata beneficia non minùs Clericis extraneis, quàm indigenis elargiri.

(a) S. Auguſt. epiſt. ad Marcellin.

(b) Vid ſupr. tom. 2. ſæcul. 18. c. 22.

(c) Petrus de Marca l. 3. concord. c. 6.

17. Rem adhuc ad hominem, explicabimus, rememorando id, quod alibi tetigimus, de electione Epiſcopi Alexandrini, *ex Sacrario, & Clero* ipſius Eccleſiæ faciendâ. Illam refert S. Hieronymus, quę quià clariùs exponi non poteſt, ejus apices hìc apponimus: *Alexandrię à Marco Evangeliſtâ uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant, quomodò ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de sè, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent* (d). Eligebatur ergò Epiſcopus Alexandrinus ex Clero ipſo Eccleſię vacantis, indigena, originarius, vel alitèr gremio ipſius Cleri inſertus: hocque ex traditione Apoſtolicâ, ab ipſo D. Marco prolapsâ, ac methodo per 260. annos continuatâ; electis hoc modo poſt ipſum D. Marcum aliis duodecim Epiſcopis, nempè Aniano, Abilio, Cerdone, Primo, Juſto, Eumene, Marco II., Celadione, Agrippino; Demetrio, Heraclâ, & Dionyſio. Quis non crederet hanc diſciplinam, hunc Canonem, tàm antiquo themate conſtitutum, tàm juſtè fundatum, tàm tenacitèr radicatum, futurum eſſe conſtantem, impræ varicabilem, & ęternum? Attamèn poſt Dionyſium forma electionis Epiſcopi Alexandrini ſucceſſu temporum eſt mutata, alia via adhibita eſt, & electio ad illud beneficium eſt etiam ad extraneos dilatata. Eam ſic recenſet Dionyſius Petavius: *Ex Presbyterii Corpore, & ordine creabatur Epiſcopus Alexandrinus, idque ab ipſiſmet Presbyteris, ut indicat Hieronymus, ac tùm ordo, non meritum, creabat Epiſcopum &c. Nam fieri poterat ut in Presbyterio nemo eſſet Epiſcopatu dignus, eſſet autem in Diaconorum ordine, aut in hoc certè, longè quàm in illo, honore iſto dignior. Et tamèn quià non alius, quàm Presbyter creandus erat Epiſcopus, vel indignus, vel minùs dignus erat eligendus. Hoc meritò diſplicuit; & aliter inſtituenda res eſt viſa. Itàque multorum Sacerdotum judicio conſtitui placuit, Epiſcopum non ex ordine, ſed ex merito; hoc eſt etiam ex alio, quam Presbyterorum ordine* (e). Et ſucceſſivè nedùm ex Clero ejuſdem Eccleſię, ſed etiam ex alienis Diœceſibus pluriès beneficium Epiſcopale Alexandrinum viris idoneis datum eſt.

(d) S. Hieronym. ep. 85. ad Evagrium.

(e) Petavius de Eccl. hierarch. c. 13. n. 13.

18. Cur autem immutata eſt methodus, cur alterata eſt forma, cur tàm notabilitèr variatus eſt modus, antiquis Canonibus inſtitutus prò collatione beneficii Epiſcopalis Alexandrini? Non aliâ de causâ, niſi quià, novis ſupervenientibus cauſis, noviſque inconvenientibus excitatis, nova quoque remedia illis oportuit objectari. Et ità, *quod temporalitèr videbatur eſſe conceſſum; poſtmodùm eſt ſententiâ*

me-

meliore ſublatum (*a*). Eodem themate retento, ratiocinandum eſt de aliis Canonibus, ſucceſſu temporum immutatis, quoàd cæterorum beneficiorum diſtributionem. Eccleſia, ejuſque Caput Romanus Pontifex, quamvis ſuprà leges plenam habeant facultatem (*b*); tamèn prò cuſtodiâ Canonum antiquorum ſemper anxiè laborarunt, uti patet ex pluribus Capitibus in Decreto Gratiani contentis (*c*), adeò ut Zoſimus Papa hanc publicam emiſerit profeſſionem: *Contrà ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis poteſt auctoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam* (*d*). Quod tamèn intelligendum eſt de Canonibus, vel ad fidem ſpectantibus, vel ad capita legis naturalis, aut diſciplinę eſſentialis, ab Evangelio, vel ab Apoſtolis dictitatæ (*e*), de quibus Urbanus Papa I. ſic ſtatuit: *Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges. Quod & nos, non ſolùm non negamus, ſed etiam valdè affirmamus. Sciendum verò ſummoperè eſt, quià indè novas leges condere poteſt, undè Evangeliſtæ aliquid, & Prophetæ nequaquàm dixerunt. Ubi verò apertè Dominus, vel ejus Apoſtoli, & eos ſequentes Sancti Patres ſententialiter aliquid definierunt; ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius quod prædicatum eſt, uſque ad animam, & ſanguinem confirmare debet* (*f*).

19. At verò in iis, quę ad ſimplicem regiminis politiam ſpectant, proùt eſt beneficiorum eccleſiaſticorum largitio, nihil ad fidem, nihil pertinens ad jus naturale, neque ad morum ſubſtantiam, ſemper Eccleſia potuit, ſemperque poterit (ubi temporum, perſonarum, locorumque, ac occaſionum qualitas id expoſcit, prioreſque regulas minùs utiles, vel inofficioſas eſſe comprehendit) ſemper, inquam, potuit, ſemperque poterit, novos Canones conſtituere, prout ratio poſtulat, & ipſius regiminis congruentior ordo depoſcit. Cunctiſque Pontificibus, novos hoſce canones, prò rectâ beneficiorum diſtributione, ſancientibus, eam cenſemus fuiſſe mentem, quam Benedictus PP. IV. in causâ inter Argrinum, & Teutbaldum, beneficium Epiſcopale Eccleſiæ Lingonienſis prætendentes, cum voto Synodi pronuntiavit; *Non nobis videtur eſſe incongruum, ſed potiùs omni ſacrâ, & Canonicâ auctoritate fulcitum, more prædeceſſorum noſtrorum, mutare in melius, ut de multis exemplis evidentiſſimis approbare poſſemus* (*g*). Subſiſtente igitùr in Eccleſiâ, ejuſque Paſtore Romano Pontifice, plenâ facultate Canones prò temporum opportunitate mutandi; reſtat, ut eadem ſit vis poſteriorum Canonum, de beneficiis conferendis ſancientium, ac eſſet illa priorum. Cumque eadem ſit Eccleſia, idem Pontifex, utrorumque Conditor, vel reſpectivè approbator: omneſque Canones, ab illis conditi, inſtinctu Spiritus Sancti, ac ejus dono dictati ſint (*h*); Confitendum venit, quod quidquid ſit, an per antiquos Canones, electionem de gremio præſcribentes, arcerentur à beneficiis extranei; nobis ſatis eſt, quod recentiorum Canonum tenor Clericos extraneos æquè, ac indigenas, ad præbendas ſacras admittit: hos obſervare debemus, eorumque ſic *ſanctiones accipiendæ ſunt, tamquam ipſius Divini Petri voce firmatæ ſint* (*i*).

20. Ad cumulum diſſolutionis hujus argumenti, per Contradictores nobis oppoſiti, aliam inductionem adjungimus, ex formâ, in electione Abbatum olim tenendâ, de quâ in Jure ità ſtatuitur: *Defuncto Abbate cujuſquam Congregationis, non extraneus eligatur, niſi de eâdem congregatione, quem ſibi propriâ voluntate concors fratrum ſocietas elegerit &c. quod ſi aptam intèr ſe perſonam invenire nequiverit, ſolertèr ſibi dè aliis monaſteriis, ſimilitèr eligans ordinandum* (*l*). Textus eſt D. Gregorii, quem citat Gratianus, uti directum omnibus Epiſcopis, ſed verè eſt epiſtola ad Marinianum Epiſcopum Ravennatem data, favore Monaſterii Claſſitani (*m*). Utcumque autem ſit, juſſio eſt Corpori Canonum inſerta, & prò tempore, quo hæc forma viguit, vim habuit generalis conſtitutionis, quâ enixè præcipiebatur, nè Abbas extrà gremium Monaſterii eligeretur, tantâ obſervantiâ, ut cum Conradus II. Imperator, in Cœnobio Montis Caſſini conſiſtens, anno 1038.

ſe-

(a) *S. Leo. PP. I. epiſtol. 89.*
(b) *Hallier. de ſacr. ordin. ſec. 5. art. 9. §. 1. Barboſ. jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 2. n. 95.*
(c) *Cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 10. & ſeq. 25. qu. 1.*
(d) *Cap. contra. 25. qu. 1.*
(e) *Azorius inſt. mor. p. 1. l. 5. c. 14. q. 4. Sayr. Clavis Reg. l. 3 cap. 10. n. 6. Barboſ. in d. c. contr. n. 3.*
(f) *Cap. ſunt quidam 25. quæſt. 1.*
(g) *Benedict. PP. IV epiſt. 3. & 4.*
(h) *Cap. Violatores 25. qu. 1.*
(i) *Cap. ſic omnes diſt. 19.*
(l) *Cap. quam ſit 7. cauſ. 18. qu. 2.*
(m) *S. Gregor. lib. 7. epiſt. 18.*

Digitized by Google

ſemel, atque iterùm interpellaretur à Monachis, ut quem vellet aliundè, illis preficeret in Abbatem; reſponderit: *vos unum ex veſtris eligite &c. de Congregatione veſtrâ idoneum Abbatem vobis eligite* (*a*). Quod quidem de Abbatibus, ſeù de beneficiis Abbatialibus conſtitutum, locum etiam habere poteſt in beneficiis Epiſcopalibus, Abbatum enim, & Epiſcoporum electiones in multis coæquantur (*b*), & quod dicitur de beneficiis Epiſcopalibus, verum eſt etiam proportionabilitèr de beneficiis ordinis inferioris (*c*).

21. Et tamèn non obſtante *dicto cap. quam ſit 18. qu. 2.* adhùc electio Abbatis, facta in perſonam extranei à Monaſterio, valida ſemper fuit (*d*): Dummodò tamen eligeretur Monachus ejuſdem Ordinis, & in eo profeſſus, nec tantummodò profeſſus, ſed etiam in monaſticâ vitâ diù exercitatus, ſeù, ut ait Concilium Rotomagenſe, *Nullus ordinetur Abbas, niſi priùs diuturnâ converſatione monaſticæ vitæ diſciplinam aſſecutus fuerit. Quod & Canonicali auctoritate, atque decretis B. Nicolai Papæ ſancitum eſt* (*e*). Facit quoàd neceſſitatem profeſſionis *text. in cap. cum ad noſtram, cap. cum cauſam, cap. cum in Magiſtrum de elect. cap. nullus de elect. in 6. Clem. 1. §. Cæterum Prioratus verſ. ſanè de ſtat. Monac.* (*f*). Audiatur Joan. de Turrecrematâ in *cap. nullus invitis diſt. 61.* ità ſcribens: *ſi autem fiat quæſtio de Eccleſiis regularibus, ſubdiſtingue, quod aut imminet electio, ſeù proviſio prioratuum, ſeu aliorum officiorum Regularium inferiorum Abbatiis facienda, & tunc eſt iſta quarta concluſio, quod debet de Eccleſiâ ipsâ, ſivè de Monaſterio eligi: patet ſatis per notata in cap. cum ſingula de præbend. lib. 6. §. Prohibemus, & in Clementin. cum Romani de elect. Si autem imminet Abbatum electio, ſeù proviſio facienda, tunc eſt concluſio quinta, quod poterit de extraneo religioſo, dummodò ſit ejuſdem religionis & habitus, providere: patet Concluſio, quià hoc poterant illi, quibus eſt devoluta poteſtas &c.* ſed de Abbatum electione jam ſuprà pluribus, in locis factus eſt ſermo (*g*).

22. De jure novo ſuperfluum eſt effari, cum oculis quotidiè cernamus, in omnibus penè Orbis Monaſteriis, & electiones Abbatum non fieri de gremio Cœnobii, & ad officium, ac beneficium Abbatiale admitti extraneos æqualitèr, ac indigenas. Imò, exceptâ Germaniâ, nullibi Abbates per electionem Canonicam promoventur, factam à Monachis Monaſterii, ad quos de jure communi eam noſcitur pertinere (*h*). *At licèt*, inquit Tamburinus, *licèt de jure communi verum ſit, Abbatum tùm Generalium, quàm localium electionem ſpectare ad Religionem, ſivè Conventum, de cujus Prælati electione agitur; nihilominùs hodie Abbates locales apud monaſticas, & etiam Canonicorum Regularium Congregationes ferè omnes, non ampliùs à Religioſis illius Conventus, cui præficiendus eſt Prælatus, ſed per ſuffragia Generalium, vel Provincialium, & ſuorum Definitorum eliguntur, ut patet ex uſu, & videre eſt ex ſpecialibus ipſarum Congregationum conſtitutionibus, quæ ab ipſis regularibus præcipuè attendendæ ſunt, non autem illæ generales juris communis diſpoſitiones, quià generi per ſpeciem derogatur, cap. generi de reg. jur. in 6. Quæ conſtitutiones ſpeciali Sedis Apoſtolicæ privilegio munitæ eſſe habent, cum ſint correctoriæ juris communis, alias nullæ eſſent, cap. quod ſuper his de major. & obed.* (*i*).

23. Toto ergò Cœlo variata eſt forma electionis Abbatum, & qui olim præcipiebantur eligi de gremio, & à fratribus Monaſterii, hodie nec de gremio, nec à fratribus de gremio eliguntur: & ordinariè multi Abbates ſunt vel origine, vel profeſſione, à Monaſteriis, quibus præficiuntur, extranei. Hæcque forma electionis derogans juri communi, hæc ſervanda præcipitur, & effectivè à cunctis Religionibus obſervatur. Nec cenſeatur, hanc eſſe unicam variationem formæ in Abbatum electionibus obſervatæ, novam, recentem, & dignam epithetis, quibus Contradictores libentèr ſauciant Conſtituta, priſcorum Canonum ordinationibus derogantia: Nam ſacræ antiquitatis conſciis innoteſcit, quod ab initio Abbates deputabantur pleno jure ab Epiſcopis (*l*). Indè electio eorum monachis eſt com-

(a) *Chronic. Caſſin. lib. 2. c. 66.*

(b) *Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 1. diſput. 5. qu. 5. n. 3. Barboſ. Jur. Eccl. Univ. lib. 1. c. 17. n. 5.*

(c) *Rota ſuprà citata in hoc to. 3. c. 12. n. 18. Leſſius de juſt. & jure l. 2. c. 34. dub. 14. nu. 63. Barboſ. Vot. 33. num. 4. lib. 2.*

(d) *Cap. cum Monaſterium 13. cap. conſtitutis 47. de elect. Clement. I. eod. tit. Franciſc. Marc. deciſ. aur. qu. 1371. n. 11.*

(e) *Concil. Rotomag. ann. 1074.*

(f) *Vide Barboſ. Jur. Eccleſ. Univ. l. 1. cap. 17. n. 26. Tambur. de Jure Abbat. tom. 1. diſp. 5. qu. 10. nu. 1. & 6. Seraph. dec. 647.*

(g) *Vid. ſupr. tom. 1. cap. 14. à n. 23. to. 2. c. 6. à n. 14. & tom. 3. c. 7. à num. 12.*

(h) *Cap. 2. 3. & c. 18. qu. 2. c. 1. de elect. Navar. l. 1. Conſ. 3. n. 3. de elect. Tambur. de Jur. Abbat. to. 1. diſp. 5. qu. 1. n. 1. & qu. 8. num. 1. Barboſ. Jur. Eccleſ. Univ. l. 1. c. 17. n. 40.*

(i) *Tambur. de Jur. Abb. to. 1. diſp. 5. qu. 11. num. 3.*

(l) *Thomaſſ. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 1. lib. 2. c. 93. n. 19.*

commiſſa (*a*). Aliquandò Abbates obeuntes, ſucceſſorem ſibi prò libito deligebant (*b*). Aliquandò cum Monachis eligentibus, Clerus quoque, & Populus dabant prò Abbatis electione conſenum (*c*). Peculiarem olim modum prò Abbatum electione Gregorius IX. Pontifex approbavit (*d*). Aliam formam Innocentius Papa III. regulis conſtitutis, affixit (*e*). In Germaniâ Abbates per electionem Canonicam provehuntur (*f*). In Hiſpaniâ ad quaſdam Abbatias nominat Rex (*g*). In Galliâ paritèr Rex Abbates quoſdam deſignat (*h*). Alibi aliâ norma tenetur, & generalitèr Abbatiæ Regulares in Comitiis Religionum ab his, qui vocem habent in Capitulo, diſpenſantur (*i*).

(a) *Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 17. n. 40.*
(b) *Thomaſſin. loc. cit. par. 2. l. 2. c. 58. n. 2.*
(c) *Idem p. 2. l. 2. c. 39 num. 7.*
(d) *Idem loc. mox citat. n. 8.*
(e) *Cap. quia propter. de election.*
(f) *Nicolaus Pap. V. Conſtit. 1.*
(g) *Thomaſſin. ubi ſupr. p. 2. l. 2. c. 25. n. 8. §. illud.*
(h) *Leo Pap. X. conſtit. 20 §. 19.*
(i) *Tamburin. loco ſupra citat.*

24. Tot ergò, ac tantę mutationes cum in Abbatum deſignatione defluxerint, recurrit hìc ratiocinatio ſuperiùs allegata, quod non obſtante diſpoſitione juris communis, ne Abbatiæ aliis, quàm à fratribus Monaſterii, & alicui de gremio eorum conferrentur, adhùc forma conſtituendorum Abbatum pluriès mutata eſt: Canones antiqui de hâc rè ſtatuentes novioribus ceſſerunt: priſcorumque Canonum jàm nullatenùs attento tenore; tota Eccleſia poſt recentiores Canones abit, hos obſervat, prò iſtorum manutentione laborat; & conſequentèr in eo ſenſu verſatur, ut prò eo, quod pertinet ad formam diſtribuendi beneficia Abbatialia, poſſit Pontifex, poſſit Eccleſia priſcos Canones immutare, ac his recentibus ineſſe ſpiritum Canonum, nil minùs, quàm fuerit in antiquis. Ex quâ rè ducto diſcurſu ad beneficia Epiſcopalia, & proportionabilitèr ad alia minoris ordinis, patet, quod ſicuti potuit licitè, ac cum totius Eccleſiæ plauſu, & cunctarum Religionum obſervantiâ, forma electionis Abbatum Regularium variari, quamquàm olim hi non niſi ex gremio monaſterii deberent, juxtà vetuſtos Canones, deputari; ità etiam licitè potuit eadem mutatio fieri quoàd Epiſcopatus, & beneficia inferiora: non enim eſt major ratio de Abbatiis, quàm ſit de Epiſcopatibus, atque de cęteris beneficiis.

25. Stat igitur facultas Eccleſiæ in variandis Sacris Canonibus, prout, attentâ varietate temporum, ut varientur, comperit expedire. Stat facultas Eccleſiæ in alterandâ, quotiès operę pretium eſt, formâ prò beneficiorum diſtributione tenendâ. Ipsâque factâ mutatione, non minùs ſunt pii, juſti, & ſancti, Canones recentiores, quàm antiquiores: eodem Divino inſtinctu, quo priſci ipſi Canones editi fuerunt, cenſendum eſt, hos noviores etiam eſſe compoſitos: Spiritus Canonum eſt æqualitèr in utriſque: poſtremi ergò ſunt obſervandi, non primi. Et ità licet olim per antiquos Canones (qui nec etiam fuerunt ſemper, generalitèr, & ubilibet afficientes, neque in primis Eccleſiæ Sæculis conſtituti; tunc enim electio non fiebat de gremio) fuerit in præcepto, ut ad Sacerdotia promoverentur ſoli Clerici ex gremio Eccleſiæ vacantis; adhùc, quià per ſuccedentes Canones debitum electionis paſſivę de gremio eſt ſublatum, & per eos etiam viri extranei admittuntur ad eccleſiaſtica beneficia; ideò fatendum eſt, liberum eſſe Eccleſię, ſeù illis, qui Eccleſiam in beneficiorum diſtributione repreſentant, ad eadem etiam extraneos evocare.

26. *Arguunt ſeptimo loco*, Contradictores ex Jure Civili in *leg. in Eccleſiis 11. Cod. de Epiſcopis, & Clericis*, ubi Imperatores Arcadius, & Honorius Eutychiano Præfecto Prætorio ità ſcribunt: *In Eccleſiis, quæ in poſſeſſionibus (ut fieri aſſolet) diverſorum, vicis, vel etiam quibuslibet locis ſunt conſtitutę, Clerici non ex aliâ poſſeſſione, vel vico, ſed ex eo, ubi Eccleſiam eſſe conſtiterit, ordinentur: ut propriæ capitationis onus, aut ſarcinam recognoſcant: itaùt prò magnitudine, vel celebritate uniuſcujuſque vici, Eccleſiis certus judicio Epiſcopi Clericorum numerus ordinetur.* Ex quibus verbis, ac totâ ſerie juſſionis, & ex ipsâ textuali lecturâ, clarè eniteſcit, in quibuslibet Orbis Eccleſiis, non niſi Clericos ejuſdem loci, eſſe ordinandos, & ſic ſolis indigenis patere beneficia, extraneis ablegatis. Nàm ſi extranei prohibentur ordinari in præfatis Eccleſiis; interdictâ ordinatione, venit ex conſequenti, quod prohibita ſit eorum admiſſio ad eccleſiaſtica beneficia: quip-

Digitized by Google

quippè ibi patere non poteſt Clericis aditus ad ſtipendia Clericalia, quę ſunt idem ac beneficia, ubi ordinatio eis noſcitur interdicta. Et ſic nedùm ex Canonico, ſed etiam ex ipſo Jure Civili, Clerici extranei ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi.

27. Reſpondetur *primò*, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; Nàm licèt oppoſita lex de facto fuerit ab Imperatoribus conſtituta,& corpori civilisJuris inſerta; tamèn eo ipſo quod eſt lex civilis, nullam vim obtinet ad res, & perſonas eccleſiaſticas obligandas, per textum in pluribus Canonibus (*a*), & per unanimem Doctorum ſenſum (*b*), præſertìm reſpectu ad beneficia eccleſiaſtica, circà quæ Jus civile certum eſt non eſſe attendendum (*c*). Quarè ad argumentum, Pragmaticę Imperiali innixum, quadrat reſponſum datum à Patribus Concilii Chalcedonenſis favore Photii Epiſcopi Tyrienſis, adverſus Euſtatium Berythenſem, juſſionem quandam Cæſaream allegantem: *Contrà Canones nihil pragmaticum valebit: Regulæ Patrum teneant* (*d*): quo paritèr ductu, Patres Concilii Romani V. tempore Nicolai Papæ I. inſtantiam Synodi Silvanectenſis reſpuerunt, poſtulantis, ut appellationi Rhotaldi Sveſſionenſis Sedes Apoſtolica non deferret, uti cui leges Imperiales obluctabantur (*e*). Nihil ergò probat, nihil afficit textus *in l. in Eccleſiis* ex adverſo allegatus contrà admiſſionem Clericorum extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia, quia leges laicales, & Principum temporalium edicta, vim nullam habent perſonas eccleſiaſticas obligandi, ſaltèm regularitèr loquendo, & prę ſertìm in materiâ, de quâ hìc agitur.

28. Et ratio rationis eſt, primò, quià Clerici ſunt exempti de jure Divino à juriſdictione Principum Sęcularium (*f*). Quorum Principum nulla eſt lex Clericos eximens à laicali juriſdictione: neque lex talis eſt privilegii conceſſoria, ſed ad ſummum eſt ejuſdem declaratoria (*g*), cum diù ante ipſius legis editionem Clerici eſſent à laicali foro prorſus exempti: paria autèm ſunt foro ligari, & Statutis ſubiici (*h*). Cum igitùr in Imperatoribus condentibus *legem in Eccleſiis* defuerit juriſdictio ſuper Clericis, defuit quoque poteſtas ſtatuendi quidquam adverſus eos. Et ſic lex illa Cæſarea omninò inofficioſa eſt, ad repellendos à beneficiis ſacris extraneos. Secundò, quia *lex in Eccleſiis* eſt contrà libertatem Eccleſiaſticam; coarctat enim poteſtatem Epiſcoporum, & aliorum, ad quos pertinet beneficia ſacra conferre, ne ipſamet pro eorum libito dilargiantur, & nè Eccleſiis viros, quos magìs idoneos cognoverint, poſſint undecùmque præficere. Statuta autèm laicorum, libertatem eccleſiaſticam vulnerantia, ex defectu poteſtatis in eorum Conditoribus, vi carent, perſonas eccleſiaſticas obligandi (*i*).

29. Sicuti proindè in cauſis eccleſiaſticis fruſtrancum eſt afferre leges civiles, & pragmaticas Principum temporalium, ubi ſunt jura Canonica, de tali rè diſertè loquentia; ità perperàm per Contradictores nobis obiicitur *lex in Eccleſiis Cod. de Epiſc. & Cler.* Porrò, ut innuimus, in cauſis beneficialibus non leges civiles prævalent, ſed Canonicæ: hæque ſunt allegandę, juxta has eſt judicandum, ac harum diſpoſitio eſt unicè, atque totalitèr obſervanda (*l*). Non quod jura profana ſacris juribus ſempèr obſiſtant: cum imò hæc duo interdùm ſibi mutuò opitulentur (*m*), ſed quia utriuſque poteſtatis, eccleſiaſticæ: & laicalis auctoritas eſt diverſa: principia earum ſunt diverſa, confinia diverſa, diverſæ functiones, diverſaque ſubjecta; demum, uti ſcripſit Gregorius Papa II. Leoni III. Iſaurico Imperatori: *Alia eſt eccleſiaſticarum conſtitutionum inſtitutio, & alius ſenſus ſæcularium* (*n*). Ad Imperatores profana ſpectant, ad Pontifices ſacra: illi politicas, atque civiles res moderantur; iſti eccleſiaſticas, & religioſas: hi ſtipendia Clericalia diſtribuunt, illi militaria impertiuntur. Accomodèque ad hoc, non minùs, quàm egregiè, locutus eſt D. Ambroſius, dum cum Imperatore, manus ad res eccleſiaſticas extendente, hunc aliquandò habuit dialogiſmum; *Allegatur Imperatori licere omnia, ipſius eſſe univerſa. Reſpondeo: noli te gravare Imperator, ut putes te in eâ, quæ Divina ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutiùs imperare*

(a) *Cap. 1, & 2. diſt. 10 capit. benè quidem cum ſequ. diſt 96. c. quę in Eccleſiarum capit. Eccleſia S. Marię de conſtitut.*

(b) *Abb in c. quod Clericis de for. comp. Afflict. dec. Neap. 275 Borel. ſum deciſ tom. 1 tit. 43. num. 7. 60 172. 138. Bellet. disquiſ. Cler. par. 1 de exemp. Cler. à Statut. Sæcul. § 1. num. 1.*

(c) *Card. de Luca de benef. diſc. 16. n. 13. & de jurepat. diſc. 16 n. 8*

(d) *Concil. Chalced. Action 2.*

(e) *Conc. Roman. an. 863. Baron. eod. ann. num 82.*

(f) *Gloſ. in cap. ſi Imperator, V. diſcuti diſt. 96. & in c. quamquam V. divino de cenſ in 6. Navar in c. novit n. 6 & 30. de Judic. Duard. ad Bull. Cœn. l. 2. c. 15. qu 8 n 6.*

(g) *Bellet. disquiſ. Cler p. 1 de fav. Cler. perſ. § 1 n. 25.*

(h) *Cap. 2 de conſtit. in 6. Bellet. ubi ſuprà p. 1. de exempt. Cler. à Statut. Sęcul. § 1 n. 6. 7*

(i) *Cap. Clerici de judic. cap. ſi diligenti de for. compet. Azor. inſt. mor. p. 1. l. 5. cap. 12. §. Tertio quęritur Bellet. loc. mox citat. n. 8.*

(l) *Borel. ſum. deciſ. tom 1. tit 20. n. 297. de Luca de jurep diſc. 16. n 8*

(m) *Barboſ. in cap. ſuper ſpecula 28. nu. 2. de privileg.*

(n) *Gregor II. epl. ad Leon. Iſaur.*

perare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt, quæ Dei, Deo, quæ Cæſaris, Cæſari, Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſię. Publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non Sacrorum &c. (*a*).

(a) *S. Ambroſ. epiſt. 33. ad Marcellinam*

30. Itàque patet, quod, quantùm ad beneficiorum largitionem, Imperatoribus, aliiſque laicis Magiſtratibus nunquàm licuit, nunquàmque licebit, normam aliquam conſtituere: non formam definire, in eorum diſtributione tenendam; non numerum illorum deſignare: non Clericos ad eadem admittendos ſtatuere: non tandèm quidquam circà ipſa auctoritativè ſancire: Non enim ad eos ſpectat Eccleſiæ legem dare, ſed ab illâ potiùs accipere: Quod Oſius Cordubenſis Conſtantio Cęſari ſic expreſſit; *ne præcipe nobis in hoc genere, ſed ea potius à nobis diſce; Tibi enim Deus Imperium commiſit, nobis ea, quæ ſunt Eccleſię, concredidit* (*b*). Hinc tota Chriſtianorum Collectio, quoàd beneficia diſtribuenda, & recipienda, & cauſas omnes beneficiales, non alias leges veneratur, non alias agnoſcit, niſi eccleſiaſticas, vel à Pontifice conditas, vel ab ipſomet approbatas: quidquid autèm prætèr hæc à Principibus Laicis definitur, Eccleſiam non afficit, Clericos non coarctat, *reddentes*, quidem *omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem honorem* (*c*); Sed in hoc ingenuè conclamantes, *non obedio præcepto Regis, ſed præcepto legis* (*d*). Quarè quantumvis Imperatores Arcadius, & Honorius, legem edentes, *in Eccleſiis de Epiſc. & Cler.* præſcripſerint, ut Eccleſiis nonniſi Clerici de eodem vico præficerentur; adhùc tamèn non per hoc Clerici extranei ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi: quià lex illa; tamquam à Judice laico, incompetente, & contrà Eccleſiæ libertatem ſancita, nullius eſt ponderis, & momenti, per ea, quæ mox allegavimus num. 28. & 29.

(b) *S. Athanaſ. in epiſt. ad Solitar.*

(c) *Romanorum cap. 13. v. 7*

(d) *2. Machabæorum cap. 7. n. 30.*

31. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Nàm quamvis *lex in Eccleſiis* præmemorata, fuerit legibus Codicis interſerta; adhuc tamèn fuit ſucceſſu temporum antiquata, & correcta per poſteriores canones, quos in probationibus legalibus aggregavimus (*e*), admittentes ad beneficia eccleſiaſtica, non minùs Clericos extraneos, quam indigenas; ſicque ipſa lex ſi quid unquam habuit auctoritatis, quod negamus, reſpectu ad præſens negotium; jam illam prorsùs amiſit, & conſequenter Clericos extraneos, à beneficiis eccleſiaſticis non repellit. Nèc novum eſt, nèc inſolitum, quod leges civiles, per canonicas ſint correctę, cum civilia jura debeant Canonicis juribus famulari (*f*), & oporteat gladium eſſe ſub gladio, ac temporalem auctoritatem ſpirituali ſubiici poteſtati (*g*). Hinc utriuſque juris conſciis innoteſcit, plures, ac plures leges civiles, correctionem à Canonicis legibus accepiſſe. In *l. ſi unus & l. ultima C. de Teſtamentis*, invalidatur teſtamentum, niſi ſeptem teſtium ſit munimine conſtipatum: at verò *in cap. cum eſſet, & cap. relatum de Teſtam.* idem approbatur, ſi numerus adſit duorum teſtium. Itèm in *l. juri gentium ff. de pactis*, tollitur actio in promiſſione nudâ abſque ſolemni juris formulâ emiſsâ: at verò in *cap. 4. de pactis, & in c. Juramenti* 32. *qu.* 2. ad nudum pactum quiſque cogitur obſervandum. Paritèr in *l. cum notiſſimi C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *annor.* datur, ut poſſeſſor malæ fidei uſucapiat, ſive præſcribat: at verò in *c. ult. de præſcript. & in c. poſſeſſor de reg. jur. In* 6. poſſeſſorem malæ fidei nunquam præſcribere poſſe decernitur. Rurſus in *cap. de Concubinis*, concubinæ hominibus permittuntur: aut verò in *cap. nemo tibi, & cap. Meretrices* 32. *qu.* 4. Concubinarum retèntio condemnatur.

(e) *Vide ſuprà tom. 1 Sæcul. 13. cap. 37*

(f) *Barboſ. ad cap. ſuper ſpecula 28. nu. 4. de privileg.*

(g) *Extrav. Unam Sanctam de major. & Obed.*

32. Innumerabiles aliæ leges civiles afferri poſſent, per Canonicas correctioni ſubjectas, ſi otium eſſet his hìnc indè colligendis diutiùs immorari: ſufficiat innuiſſe *l. in conſenſu c. de repudiis*, ubi Imperator multis de cauſis libellum repudii, & connubii diſſolutionem admittit, quam Jus Canonicum in *cap. ſunt qui* 27. *qu.* 2. omninò prohibuit. Paritèr leges civiles interdicunt fœminis nubere ſinè conſenſu Patris, aut fratrum; has verò leges, per canones eccleſiaſticos, libertatem Matrimonii tuentes, certum eſt fuiſſe correctas. *cap.* 1. 27. *qu.* 2. *cap. un.* 30. *qu.* 2. Et generalitèr

omnes leges Civiles circà Matrimonia, recipiunt correctionem à lege Canonicâ (*a*), quià lex Secularium, non poteſt diſponere de Matrimoniis: ſunt verba *Martæ* in margine citati *num. 3. cui adhæret Federic. de Seniſ. Conſ.* 340. Eodem ergò modo, quo præfatæ leges Civiles per jura Canonica ſunt correctæ, eodem & lex *in Eccleſiis de Epiſcop. & Cler.* fuit per jura ſubſequentia, inſerta Corpori Canonum, abolita. Et individualiter quod leges Civiles, in Codice Juſtiniani conſcriptæ, de Clericis diſponentes, ſint per Canones abrogatæ, & tamquàm conditæ ab Imperatoribus, juriſdictione carentibus, nullus ſint virtutis, & efficaciæ, ac nec etiam ſint allegandæ, tradunt *Marta qui ſupr. par. 4. cent. 1. caſ. 1. n. 21. & Cent. 2. caſ. 137. n. 6. Decius in c. Eccleſia Sanctæ Mariæ à n. 88. & in c. quæ in Eccleſiarum col. 3. de conſtit. Butr. in c. quod Clericis de for. compet. Alexand. Conſ. 211. vol. 2. n. 2.* Quâ de re adhuc magis ex propoſito vide Thomam del Bene de Immunitate (*b*).

33. Porrò in cauſis beneficialibus ſervandas eſſe ſanctiones Canonicas, non Civiles, ſuprà innuimus (*c*). Nunc addimus, in eundem ſenſum deſcendiſſe Patres Concilii Colonienſis, ſtatuentes, quod ſi rectâ forma, à ſacris Canonibus definita, à collatoribus beneficiorum parochialium non ſervaretur, eſſe *rem totius Concilii nomine ad Summum Pontificem deferendam, petendamque Sedis illius proviſionem, & declarationem, irritantem tales collationes &c.* (*d*). Et infrà, ſalubri decreto occurrit pluralitati beneficiorum reſidentialium, *Donec Cæſarea Majeſtas proviſionem meliorem adverſùs licentiam hanc à Summo Pontifice impetret: id, quod ab eccleſiaſticis Imperii ſtatibus rogatus, in ſè recepit à Sanctitate ejus eniti, atque efflagitare velle* (*e*). Idipſum ſentit Concilium Moguntinum, expreſſo Canone ſanciens, ne quis plures Parochias poſſet inſimùl retinere, & ſi qui ſecundam ſpontè dimittere recuſarent, *Cauſa illius ad Sedem Apoſtolicam referatur, ejuſdemque judicium expectetur, quem ſui beneficii modum eſſe velit* (*f*). Ex quibus patet, mentem Patrum utriuſque Concilii, nec non Statuum Eccleſiaſticorum Imperii, ipſiuſque Imperatoris, fuiſſe, ut in cauſis beneficialibus ſola Canonum auctoritas, ſola attendenda ſint Sedis Apoſtolicæ Conſtituta. Quapropter, nihil relevante dictatu *legis in Eccleſiis Cod. de Epiſc. & Clericis*, quę ad repellendos à beneficiis extraneos allegatur, reſtat, ut judicium de hâc re fieri debeat ſecundùm Canones, ipſis extraneis uberrimè ſuffragantes.

(a) *Vid. Martam de juriſd. par. 4. cent. 1. caſ. 70. n. 6. de Luca de Matr. in ſum. n. 7. & de Uſur. in ſum. n. 6.*

(b) *Thomaſ. del Bene de immunit. c. 9. dub. 1. num 16 17. 18.*

(c) *Borel. ſum. deciſ. tom 1 tit 20 n 297 de Luca de Jurepatr diſc. 16. n 8.*

(d) *Concil Colon an. 1549. tit. de inſtitutis pleno jure.*

(e) *Idem Concil Colon. tit. de reſtringenda &c.*

(f) *Concil. Moguntin. ann. 1549. c. 64.*

34. Reſpondetur *tertiò*, negando ſuppoſitum, nempè quod *lex in Eccleſiis*, in oppoſitum allegata, diſponat de eccleſiaſticis beneficiis, hoc enim non eſt ejus intentum, ſaltèm primarium, teſte *Gothofred. ad dict. leg.* ſentiente, *quod hâc lege conſtituitur, ideo reſpicis, nè ſui cuique loco deſint Clerici, ſi aliundè petantur*. Per quandam namque æmulationem loca, Clericis deſtituta, ſic aliundè Clericos conquirebant, Eccleſiis apud ſe vacantibus præficiendos, ut quandòque illę Eccleſiæ, pro quarum ſervitio ipſi Clerici fuerant ordinati, ſacris Miniſtris viduæ remanerent. Et licèt præceſſiſſent ſanctiones Canonicæ vetantes, nè Sacerdotibus pateret de unâ ad aliam Eccleſiam, de minori ad ampliorem acceſſus, tamen quià vel malâ interpretatione aſſerebatur, quod hæ in ſolis Epiſcopis locum haberent, non verò in presbyteris, & miniſtris ordinum inferiorum; vel quia proptèr avaritiam, hìnc indè presbyteros ad pinguiores Eccleſias adipiſcendas, urgentem, ipſi Canones conculcabantur; ideò illos poteſtas Imperialis ſuâ auctoritate fulcivit, interdicens, nè clericalia officia, nundinando majora de minoribus, captarentur, neque Clerici à propriis locis avocarentur: Sed ſi fortè contingeret, Eccleſias vicorum, vel poſſeſſionum remanere Clericis deſtitutas, eis Epiſcopus, vel unum, vel plures ordinaret, ex eodem loco progenitos, vel alitèr ad eundem locum pertinentes, alias verò Eccleſias propriis Clericis non nudaret. Non ergò hæc lex arcet à beneficiis extraneos, ſed providet, ne Clerici neceſſarii à propriis Eccleſiis abſcindantur, nè Clericale miniſterium ibi exercendum offeratur, ubi majus exibetur ſtipendium: quod nos non impugnamus,

mus, ſed libentiſſimè confitemur eſſe rectè, & ſatis providè conſtitutum.

35. Malè itàque hìc fundant ſuam opinionem, pro repellendis Clericis extraneis à conſecutione præbendarum, aliqui Doctores (*a*), cum re verâ *lex in Eccleſiis* excluſionem præfatam extraneorum, nec à limine reſalutet: quamquàm & nec ipſi Doctores arceri dicant *extraneos*, ſed *peregrinos*: ignotos nempè Clericos, advenas, & gyrovagos, quorum incognita ſit origo, celati mores, abſcondita converſatio, contrà quos, nè recipiantur omnia jura clamant. Addimus quod præfata *lex in Eccleſiis* non loquitur de promotione ad beneficia, ſed ad ordines eccleſiaſticos, quod quidem Contradictores contendunt eſſe idem ac promotionem ad beneficia, ſed nos non verum eſſe ſentimus, ſaltèm univerſaliter. Quippè invenimus, nedùm nunc, ſed etiam olim fuiſſe differentiam intèr promotionem ad Ordines, & ad beneficia, nec ſemper inſignitos ordinibus participaſſe de ſacris ſtipendiis, quibus nunc ſuccedunt eccleſiaſtica beneficia: ſed imò Clericos habentes de proprio, non potuiſſe ſine culpâ, rerum eccleſiaſticarum eſſe participes. *Quod habet Eccleſia*, inquit S. Proſper, *cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid indè eis, qui ſibi de ſuo ſufficiunt, debet erogare, quandò nihil aliud ſit habentibus dare, quam perdere* (*b*). Hanc ſententiam D. Proſperi tranſcribit Concilium Aquiſgranenſe (*c*). Et nè putetur ejus contentum afficere ſolos laicos, vel alios quâlibet formâ cenſus incrementa ſibi ex rebus eccleſiaſticis conſiſcentes; audiatur D. Hieronymus in epiſtolâ ad Damaſum ſic perorans.

(a) *Covar. pract. qu. c. 35. n. 5. Ceval commun. qu. 693. n. 36. Gòza. ad reg. 8 Canc. gloſ. 9. ꝗ. 1. n. 37.*

(b) *S. Proſper. de vit. Contempl. l. 2. c. 9.*

(c) *Cōcil. Aquiſgran. an. 816. c. 35.*

36. *Clericos illos convenit ſtipendiis Eccleſiæ ſuſtentari, quibus parentum, & propinquorum bona nulla ſuffragantur: qui autem bonis parentum, & opibus propriis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium committunt*. Refertur hic textus D. Hieronymi in *Cap. quoniam ultim.* 16. *qu.* 1. ubi *gloſ. in verb. Parentum*, ait: *videtur loqui de illis Clericis, qui Eccleſiæ non ſerviunt ſupr.* 10. *qu.* 3. *cavendum.* 12. *qu.* 1. *illi autem.* 31. *queſt.* 1. *quomodò*. Ex quibus apparet, quod olim non omnes Clerici participabant de ſtipendiis Eccleſiæ, nec omnes Clerici Eccleſiæ actualiter deſerviebant. Conſonant Canones Apoſtolici (*d*), & Concilium Antiochenum, ſtatuentes, ut de bonis eccleſiaſticis ſumat ſibi Epiſcopus quantum indiget, *ſi tamen indiget* (*e*), quæ particula conditionalis, locum non habens, niſi ubi verificatur conditio; docet, quod Sacri Altaris Miniſtri, patrimonialibus facultatibus præditi, eſſe non poterant cum aliis Clericis in bonorum eccleſiaſticorum diſtributione participes. Et ut nedùm doctrinâ Sanctorum Patrum, & Conciliorum, ſed etiàm legalitèr hoc probemus, en verba Juſtiniani in *Auth. dudùm collat.* 1. *tit.* 3. *ut determin. ſit numerus &c.* ubi loquens de eccleſiaſticis proventibus, ait: *illis hæc miniſtrentur, qui pro veritate egent, & non habent aliundè alimentorum occaſionem. Hoc enim Dominum Deum placat, & non in patrociniis, & ſtudiis hominum, eccleſiaſticas expenſas hominibus locupletibus diſtribuant, & ideò inopes neceſſaria non mereantur*. Ex quibus apparet, olim ſtipendia eccleſiaſtica non omnibus Clericis, ſed illis ſolis eſſe collata, qui patrimonium proprium non habebant: Et ità non fuiſſe idem Ordines, & beneficia ſacra adipiſci. Quarè *lex in Eccleſiis C. de Epiſc. & Cler.* loquens de non ordinandis extraneis, nihil probat pro excluſione extraneorum, ab eccleſiaſticis beneficiis.

(d) *Canon. Apoſtolorum c. 41.*

(e) *Concil. Antiochen. c. 25.*

37. Reſpondetur *quartò*, Argumentum nihil probare, quia probat nimium: probat enim, quod beneficia nedùm conferenda ſint indigenis, ideſt Nationalibus, ex eodem Regno, & Regione progenitis, uti conantur probare Contradictores, ſed etiàm ex ipſo *pago* prodeuntibus, ex ipsâ *Parochiâ*, ex ipſo *Caſtro*, & ut habet textus, ex ipſo *vico*, *& poſſeſſione*, *ubi Eccleſiam eſſe conſtiterit*: quarè non meritum, non doctrina, non probitas morum, non habilitas ad miniſteria ſacra, Clericos præficiet Eccleſiis, ſed nativitas, origo naturalis, & con-

ditio ruſticana, hæreditariam quodammodò ſucceſſionem in Eccleſiarum conſecutione conſtituens; contrà præceptum Domini, vetans, nè hæreditate poſſideatur Sanctuarium Dei (*a*). De quo ſuprà latiùs pertractavimus. Et ut res benè perpendatur, notanda eſt varietas ſacrarum legum, de hoc negotio verba facientium: nedum etenim intèr ſe non conſonant, ſed etiam effectivè diſcordant: *nam cap. nullus* 13. *diſt.* 61. præcipit eligi aliquem *de Civitatis ipſius Clero*. Concilium Conſtantinopolitanum IV. cap. 13. non Clericos omnes Civitatis, ſed ſolos Clericos illius *Eccleſię*, in quâ beneficium vacare contingit. Concilium Remenſe vult eligendum eſſe *indigenam illius loci* (*b*). Concilium Ticinenſe mandat, ut eligatur aliquis ex *ipsâ plebe* (*c*). Lex in Eccleſiis C. de Epiſc. & Cler. coarctat electionem ad Clericos ex *vico*, *&* *poſſeſſione* vacantis Eccleſię. In *Cap. Te nobis*, *de Cler. peregr.* deſideratur in viro eligendo, ut ſit de *proprio Epiſcopatu*. In *Cap. Sacrorum* 34. *diſt.* 63. dicitur, quod electio fiat de *propriâ Diœceſi*. Concilium Valentinum rem diffuſiùs extendit, ut quis eligatur in *Clero*, *vel in Diœceſi*, *vel ſi opus ſit*, *in vicinâ* (*d*).

(a) *Pſalm.* 82. *n.* 13.

(b) *Concil. Remenſ. an.* 630 *in fin.*

(c) *Concil. Ticinenſe ann.* 855.

(d) *Concil. Valent. ann.* 855 *c.* 7.

38. Ex tantâ legum varietate, & ex textibus adeò ſibi diſcordantibus, vix quidquam præſidii valent adipiſci, qui cauſam Indigenarum promovent ad excluſionem extraneorum, quippè Leges, & Canones, adversùs extraneos allegati, uniformitèr non declarant, quinam ſint rè verâ pro extraneis reputandi. Certè ſi canonibus locus eſſe debet, non ſolum extranei à Regno, & Provinciâ, ſed etiam â Civitate, oppido, atque vico, erunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi, quippè *ex ipſo loco*, ex *ipſo vico*, ex *ipsâ plebe*, mandatur eligi promovendus: Et ubi Canones latiùs electionem extendunt, eam intrà *ipſam Civitatem*, vel *Diœceſim* coarctant. Igitùr argumentum probat nimium, quia qui non ſunt ex ipſo loco, ex ipſo vico, ex ipsâ plebe, vel ſaltèm ex ipsâ Civitate, aut Diœceſi, quantumvìs intrà Regnum, & intrà provinciam nati ſint, à beneficiis eccleſiaſticis repellentur. Et ſic Contradictores ſuum ex hinc non conſequentur intentum, pro naturalibus Regni, aut regionis, ibi ubilibet admittendis. *Decretis Cœleſtini Papæ*, inquit Thomaſſinus, *Capitularibus Caroli Magni*, *&* *legibus Codicis*, *præfici*, *&* *ordinari cuique Eccleſiæ non ſinebantur*, *niſi proprii ejus Cives*, *dùm in iis eſſent*, *qui omnes ejuſdem officii numeros obire poſſent*. *Itàque longo ex intervallo ſequimur priſca illa ſtatuta*, *ſi non alios beneficiis abigimus*, *quàm qui ex ipſo Regno oriundi non ſunt*, *aut jura Regni Principum diplomate ſpeciali non ſunt aſſecuti*. *A vero*, *aut à veri certè ſimilitudine non aberrabis*, *ſi exiſtimes*, *quidquid novatum eſt in hac diſciplinæ parte*, *profectum id eſſe à majori Eccleſiarum*, *tùm intèr ſe privatim communione*, *tùm conjunctione cum Summo vertice ſuo*, *poſteriori hâc ætate* (*e*).

(e) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p.* 2. *l.* 1. *c.* 103. *n.* 9.

39. Reſpondetur *quintò* Textum legis *In Eccleſiis C. de Epiſc. & Cler.* non eſſe præceptivum, ſedmerè exhortatorium, & conſultivum, quod indicat gloſ. marginalis ibidem appoſita, quæ hanc legem corcordat cum *Cap. hortamur* 8. *diſt.* 71. & cum *cap. te nobis* 4. *de Cler. peregr.* in quorum primo D. Auguſtinus ſic loquitur: *hortamur Chriſtianitatem veſtram juxtà ſanctorum Canonum inſtituta*, *ut in Eccleſiis à vobis fundatis*, *aliundè veniens Presbyter non ſuſcipiatur &c.* Et in ſecundo Honorius Papa III. ità decernit, *quidam Prælati Eccleſiarum tuæ juriſdictionis*, *in Eccleſiis ſibi commiſſis*, *ſine conſcientiâ tuâ Clericos de alienis Epiſcopatibus inſtituere non verentur*: *attendentes igitur*, *id eis nullâ ratione licere*, *cum ſit honeſtati contrarium*, *&* *à Sanctorum Patrum inſtitutionibus alienum &c. Inquiſitioni tuæ talitèr reſpondemus*, *quod tibi liceat eos exindè removere*, *niſi aliquos ex diſpenſatione in iiſdem Eccleſiis duxeris admittendos*. Ex quibus patet, excluſionem extraneorum non eſſe præceptivam, ſed conſultivam, per verbum *hortamur*, non per verbum *præcipimus*, in ſacris Canonibus enuntiatam, & non ideò interdictam, quia juſtitiæ oppoſitam, ſed quia *honeſtati contra-*

Digitized by Google

trariam : ideòque tùm *lex in Eccleſiis* ; tùm cap. *hortamur* , & *cap. te nobis* oſtendunt , quod extranei non ſunt abſolutè à beneficiis eccleſiaſticis repellendi , ſed ſolùm comparativè , ſeù quod illis Clerici Diœceſani cœteris paribus ſunt præferendi , ut habet *gloſ. in d.cap. hortamur* , & nos hucuſque multiformitèr comprobavimus : ità tamen , ut hæc cœterorum paritas non niſi à collatoribus , & diſpenſatoribus beneficiorum ſit facienda .

40. Præterquamquòd etiam ſi dicti , vel alii Canones , & Leges præceptivè diſponerent ; adhuc tamen ſalva remanet facultas Eccleſiæ in illis diſpenſandis. Hanc etenim , quantùm pertinet ad Summum Pontificem , ſartam tectam in quâlibet obligatione remanere certum eſt (*a*) , cum & ſingulorum Epiſcoporum poteſtas diſpenſativa ad hoc sè extendat , ut habet *textus in d. cap. te nobis* , *& ibi gloſ. in verb. ex diſpenſatione de Cler. peregrin.* Hocque adeò verum eſſe cenſuit Emanuel Gonzalez , ut in expoſitione dicti Capituli *te nobis* , non dubitaverit affirmare : *quià adhùc extranei* , *& alienigenæ diſpenſante Epiſcopo* , *ideſt doctrinam* , *& mores eorum approbante* , *ad dignitates* , *& beneficia eccleſiaſtica admittebantur* , *ut liquet ex canonibus 71. diſt. cum tantùm ex honeſtate* , *& congruentiâ prohibitum eſſet peregrinos* , *& exteros in beneficiis eccleſiaſticis indigenis oriundis præferri* ; *ideò ſingulæ Nationes curarunt ſpeciali lege ſibi cavere* , *& à Sede Apoſtolicâ privilegium impetrare* , *ut tantum oriundi ex eâ natione ad beneficia eccleſiaſtica admitterentur* . Itàque lex in Eccleſiis , jàm quinque reſponſionibus funditùs exinanita , viribus caret , ad expellendos à ſacris beneficiis extraneos ; illæſaque in conſpectu ejus ſtat libertas Eccleſiæ , ac illorum , qui Eccleſiæ nomine beneficia largiuntur , ad eadem etiam viris extraneis impertienda , & per conſequens liberum , & licitum eſſe dicendum eſt Eccleſiæ , illiuſque miniſtris , atque in primis Papę , ipſius Eccleſiæ Capiti ; nec non Epiſcopis , aliiſque omnibus , tàm ordinariis , quàm delegatis beneficiorum Collatoribus , atque ad ea Nominatoribus , eccleſiaſtica beneficia , non modò Clericis indigenis , verùm etiàm extraneis elargiri .

(a) *Paſchal. II. ep 6. cap ſignificaſti , & ibi gloſ V. excipiatur de electione Cajet. in 2.2. D. Th. qu 88. art. 2. verſ dubium 2.*

C A-

CAPUT XV.

In quo proponitur alia Objectio notabilis adverſus libertatem Eccleſiæ, *in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, tùm Clericis indigenis, tùm extraneis. Et antequàm ad illam reſpondeatur, agitur de* Plenitudine poteſtatis, *quæ in Romano Pontifice reperitur.*

SUMMARIUM.

1 *Ineſt Summo Pontifici* Plenitudo poteſtatis, *tamen Contradictores eam impugnant, ac ſupponunt olim fuiſſe inauditam, & ſub Cæleſtino III. incæpiſſe.*

2 *Dicunt quod ſolus Chriſtus habet in Eccleſiâ plenitudinem poteſtatis: quę tametſi inveniretur in Papâ, debeat eſſe limitata.*

3 *Quod Papæ poteſtas ſit ad ædificationem, non ad deſtructionem, nec quidquam poſſit ultrà limites legis naturalis, & Divinæ, atque ſacrorum canonum.*

4 *Sicut Deus aliqua facere non valet,ità quod Pontifex nil valeat ultrà canonum præſcripta, non ejus detrahit dignitati.*

5 *Quod bona eccleſiaſtica ſpectent ad Communitates locorum beneficii, & Papa nec etiam de plenitudine poteſtatis poſſit hæc extraneis impertiri.*

6 *Plenitudo poteſtatis eſt illa, quâ major in terris dari non poteſt. Plenitudo enim connotat menſuram, quæ non admittit majoritatem.*

7 *Alia proferuntur ex Scripturis circà plenitudinem. Virtutes humanæ habent ſuos gradus. Plenitudo eſt, quæ adjectione non indiget.*

8 *Poteſtatis Pontificalis plenitudo fuit in Chriſto, tanta, ut dici debuerit omnipotens, tamquam Deus homo. Prout verò ſolus homo, fuit plenipotens.*

9 *Plenipotentiam Chriſtus è mundo diſceſſurus Petro contulit. Eccleſia nunc non eſt diverſa ab eâ, quam Chriſtus ipſe in terris degens rexit.*

10 *Ex Sanctis Patribus deducitur, quod Chriſtus plenitudinem poteſtatis commiſit Petro, à quo ad Succeſſores dimanavit.*

11 *Chriſtus contulit Petro plenitudinem poteſtatis, quando ei dedit claves Regni Cælorum. Per claves enim ſignificatur poteſtas.*

12 *Nullus ex Apoſtolis, prætèr Petrum, à Chriſto claves accepit. Et per eas fuit ſignificata plenitudo poteſtatis.*

13 *Nullus Catholicorum unquàm negavit Papæ plenitudinem poteſtatis. Eam aliqui ex Hæreticis, & Schiſmaticis impugnarunt.*

14 *Hilarius Arelatenſis impetiſſe videtur Pontificiam poteſtatem, quem S. Leo coarguit: ille verò errorem ſuum, ut creditur, correxit.*

15 *Sicut Papa eſt caput Eccleſiæ, ità etiam habet plenitudinem poteſtatis. Alio modo Chriſtus, alio modo Pontifex eſt caput Eccleſiæ.*

16 *Paritèr aliomodo Chriſtus, & alio modo Pontifex, habet plenitudinem poteſtatis. In quo conſiſtat hæc differentia.*

17 *Explicat Bellarminus quomodò Chriſtus, & quomodò Papa ſit caput Eccleſiæ, ac qualitèr unus, & qualitèr alter habeat plenitudinem poteſtatis.*

Digitized by Google

18 *In unoquoque Principe terreno, ſuperiorem non agnoſcente, reperitur plenitudo poteſtatis. Hæcque clauſula, ubi apponitur quid ſignificet?*

19 *Si cuilibet ſupremo Principi Sæculari ineſt uſus plenitudinis poteſtatis, cur eâ uti non debet Summus Pontifex, qui habet poteſtatem immediatè à Chriſto.*

20 *Uterque Cyrillus Hieroſolymitanus, & Alexandrinus, talia proferunt, quibus pateat, ineſſe Petri Succeſſoribus plenitudinem poteſtatis.*

21 *Quid ſentiat D. Bernardus de plenitudine poteſtatis. Etiam Imperator eâ utitur: Electores vero ſunt in partem ſollicitudinis conſtituti.*

22 *D. Thomas aſſignat Papæ plenitudinem poteſtatis, eoſque docet errare, qui eandem negant. S. Bonaventura de eâ quid ſentiat?*

23 *Sancti Bernardinus Senenſis, Joannes de Capiſtrano, Antoninus, & alii plenitudinem poteſtatis in Pontifice agnoſcunt.*

24 *Ex Joanne Gerſonio plenitudo poteſtatis eſt in Papâ, aliàs Eccleſię regimen non eſſet Monarchicum. Qualiter ſit exercenda?*

25 *Quid ſentiant Petrus de Aliaco, Alvarus Pelagius, Titelmanus, Hoſius, Joannes de Neapoli &c. de eadem plenitudine poteſtatis Papæ.*

26 *S. Julius Papa I. ſive Vigilius, necnon S. Leo I. & partem ſollicitudinis, & plenitudinem memorant Apoſtolicæ poteſtatis.*

27 *S. Gregorius I. Gregorius IV. & Joannes VIII. Papæ poteſtatis plenitudine uſi ſunt. Plures Papæ his verbis uſi ſunt ante Cœleſtinum III.*

28 *Innocentius III. ſcribens Regibus Armeniæ, & Dalmatiæ, ac Patriarchæ Conſtantinopolis, ait Papæ competere plenitudinem poteſtatis.*

29 *Ex aliis ejuſdem epiſtolis ad diverſos Epiſcopos, & Abbates, in Regnis Franciæ, Hiſpaniæ, Islandię, Syriæ, datis, eadem poteſtatis plenitudo aſſeritur.*

30 *Eandem poteſtatis plenitudinem plures Summi Pontifices coram primariis Regibus, & Præſulibus uſi ſunt.*

31 *Canon Nicænus 39. ex Arabico dat Summo Pontifici ſupremam in Eccleſiâ poteſtatem. Quanta ſit auctoritas canonum Nicænorum.*

32 *Canones Nicænos fuiſſe 70. quomodo probatur. Ipſi canones ex Arabico Romam delati ſub Pio IV. ex Bibliothecâ Alexandrinâ.*

33 *Ex Concilio Palmari, ſeu ex Ennodio Ticinenſi, ac ex Concilio Melfitano deducitur eadem plenitudo poteſtatis.*

34 *Ea, quæ in Conciliis Lateranenſi IV. & Lugdunenſi II. facta ſunt, probant ineſſe Papę plenitudinem poteſtatis.*

35 *Ex Clementinâ, in Concilio Viennenſi editâ, & juris corpori inſertâ: nec non ex Concilio Florentino idem comprobatur.*

36 *Concilio Lateranenſi V. approbante, Leo Papa X. Concordata Gallicana inivit, in quibus plenitudo poteſtatis innuitur.*

37 *Concilium Tridentinum ſupremam, plenamque auctoritatem Apoſtolicæ Sedis agnoſcit. Pluresque Bullæ idem concernunt.*

38 *Patres, Papę, Concilia, Canones eandem poteſtatem aſtruunt, quę multò antè Cæleſtini Papę III. tempora cognita fuit.*

39 *Eâ crebrò uſi ſunt Pontifices favore, tùm Regum, tùm Regni Neapolitani. Quo ſenſu eam impetant Contradictores.*

40 *Alię occaſiones enuntiantur, adhibitæ à Papis plenitudinis poteſtatis, reſpectu ad res Regni Neapolitani.*

1. **E**ST *caput Corporis Eccleſiæ* Romanus Pontifex, *ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit Deo omnem Plenitudinem inhabitare* poteſtatis Pontificalis (*a*). Sed in hanc plenitudinem poteſtatis Pontificalis virulenter inſurgunt Contradictores, illamque Summo Eccleſię Antiſtiti negant, & ſi ejus nomen expungere non valent; ſignificationem tamen nominis, tàm anguſtè coarctant, ut prætèr ſpectrum nudæ appellationis, vix ſit quidquam ſubſtantię in plenitudine poteſtatis, quam ipſi Romano Antiſtiti aſſignant. *Arguunt proindè octavo loco* ipſimet Contradictores *ex c. licet 2. de præbend. in 6. & ex Clementin. I. ut lite pendente &c.* in quorum primo Clemens Papa IV. aſſerit, quod *Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio, ad Romanum noſcitur Pontificem pertinere.* Et in ſecundâ Clemens Papa V. idem confirmat. Quodque Clemens IV. ſub nomine *plenariæ diſpoſitionis* connotaverat; Clemens V. appellatione *plenitudinis poteſtatis* indigitat, dicens dè Romano Pontifice: *ad quem Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum plena, & libera diſpoſitio ex ſuæ poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere.* Verbum autèm hoc *plenitudinis poteſtatis*, inquiunt Contradictores ipſi, antiquis ſęculis fuiſſe ignotum, & ad finem duodecimi, primò irrupiſſe, cum Cœleſtinus Papa III. ad dirimendas contentiones, quæ inter Archiepiſcopum, & Capitulum Eboracenſe vertebant, propter largitionem Decanatus illius Eccleſię, *fretus ſuâ poteſtate*, ait Rogerius, *de cujus amplitudine dubitare fas non eſt, Decanatum contulit* (*b*).

(a) *Ad Coloſſenſ. cap. 1. n. 18.*

(b) *Rogerius Oved. in Annalib.*

2 Pergunt ipſimet Contradictores, dicentes: Poſt Cœleſtinum, Innocentius III. ejus ſucceſſor, & ſubindè alii Pontifices, hac phraſi uberius uſi ſunt, & sè *plenitudine poteſtatis* eſſe præditos ſunt profeſſi, cum tamèn rè verâ Pontifex eâ careat: nec ullus in Eccleſiâ plenitudinem poteſtatis obtineat, niſi ſolus Chriſtus. Sed dato etiam, quod in Papâ poteſtas ſimilis reſideret; tamen hic nonniſi ad quoſdam regulatos limites eam poſſet extendere, nè ſub obtentu plenitudinis poteſtatis, cunctorum ſacrorum canonum conſtituta convellat. Siquidèm ſi præfata plenitudo poteſtatis nullis ſit circumcluſa cancellis, ſed præcipiti illapſu, quocumque arbitrium Pontificis Romani ſe inclinat, illa eo effrenatè ſe effundat; Pontificem vertimus in Tyrannum, omnia impunè facientem, cui benè improperari poterit cum Bernardo: *ſic factitando, probatis, vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitiæ fortè non ità. Honorum, ac dignitatum gradus, & ordinis quibuſque ſuos ſervare poſiti eſtis, non invidere &c. At quomodò non indecens tibi, voluntate pro lege uti, & quià non eſt ad quem appelleris, poteſtatem exercere, negligere rationem &c.* (*c*). Ergò plenitudo poteſtatis Pontificalis, debet eſſe regulata, & intrà juſtos limites circumcluſa, quos Altaſerra, præfatam Clementinam explicans, reſtringit ad jus præventionis in largitione beneficiorum, dicens; *Ex hâc conſtitutione, ex dicto capit. 2. de præb. in 6. per præventionem ſcilicèt, quià Romanus Pontifex concurrit cum omnibus Ordinariis, & jure prçventionis, habet collationem omnium beneficiorum: capit. ſi à Sede de prçbend. in 6. capit. quià diverſitatem de conceſ. prçbend.*

(c) *S. Bernardus de conſid. ad Eugen. lib. 3. cap. 4.*

3. Alii hujuſmodi plenitudinem poteſtatis Pontificalis ſic explicant, ut non excedat confinia generalis illius curæ, quâ Pontifex, tamquàm primus Eccleſiæ Antiſtes, debet ſatagere, ut bona eccleſiaſtica ritè, & congruè diſpenſentur ab Epiſcopis, qui ſunt particulares eorum diſpenſatores. Quo fit, ut Papa non ſit Dominus bonorum Eccleſiæ, neque eorum diſpenſator immediatus, ſed diſpoſitor ſupereminens, & generalem ſollicitudinem gerens, ut ipſa bona ab immediatis diſpenſatoribus, juxtà Canones erogentur. Et cum poteſtas, à Deo data Pontifici, non ſit *ad deſtructionem, ſed ad ædificationem*, uti de omni poteſtate Eccleſiaſticâ inquit Apoſtolus (*d*), ſequitur, ex doctrinâ Cajetani, quod Papa *de plenitudine poteſtatis, non poſſit ad libitum dare bona Eccleſiæ cui voluerit, aut con-*

(d) *2. Corinthior. cap. 13. num. 10.*

Digitized by Google

conſanguineis &c. ſed teneatur fideliter diſpenſare, ut recta ratio ſuadet, juxtà illud; hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur (*a*). Ideſt non poſſit, niſi ſecundùm pondus, & menſuram, à ſacris Canonibus, à lege naturali, & Divinâ, præſcriptam, de bonis & beneficiis ſacris diſponere. Hinc benè Navarrus ait, quod Verbum *liberè*, poſitum in Clementinâ *ſi duobus, ut lite pend.* quamvis *ſignificet ſinè licentiâ, & conſenſu, & non obſtante contradictione alterius, juxtà gloſ. celebrem in Clement. dudùm V. liberè de ſepulturis; recipit tamèn interpretationem, & reſtrictionem per alia jura &c. & debet intelligi ſinè præjudicio tertii &c. & ſignificat libertatem ab impedimento &c. Licèt enim Papa habeat plenariam adminiſtrationem bonorum Eccleſiæ, ut ſupra dictum eſt, non tamèn licèt ei de illis prò libito diſponere* (*b*). Eodem modo explicat præfatam Clementinam Soto de juſtitiâ, & jure (*c*).

(a) *Cajet.in 2.2. qu. 100.art.1.ad 7.*

(b) *Navar.de Spol. Cleric.§ 3.n.3.*

(c) *Soto de juſt. & jur.l.3 qu.6.art.2.ad 5*

4. Proſequuntur adhùc Contradictores, addentes: Nec ideò detrahitur Pontificiæ dignitati, quià dicatur, quod non poſſit bona, & beneficia eccleſiaſtica prò ſuo libito, ſed ſolùm ſecundùm Canones diſpenſare, quoniam, uti ratiocinatur Natalis ab Alexandro: *Sicut quod Deus ſeipſum negare non poteſt, laus eſt, non limitatio Omnipotentiæ Divinæ; Ità laus eſt pleniſſimæ poteſtatis, Romano Pontifici à Chriſto conceſſæ, quod nihil adversùs veritatem, & æquitatem, ſed prò veritate plus cæteris conſacerdotibus poteſt, ut ait Facundus Hermianenſis. Et ſicut Deus multa facere non poſſe quodam ſenſu dicitur, quià ſapientiæ ipſius, atque conſiliis repugnarent: nec tamèn omnipotens eſſe deſinit, quià non impotenter, ſed ſapienter non poteſt; ità Summus Pontifex non deſinit habere plenitudinem poteſtatis, quamvis contra Canones, & æquitatem nihil poſſit: quià Canonum obſervantiam ſibimet ſummâ ſapientiâ, & Sancti Spiritus, quo reguntur afflatu, Chriſti Vicarii præſcripſerunt, atque præſcribunt. Undè quod Canones violare non poſſint, non impotentèr, ſed ſapientèr non poſſunt, ut non minùs plenitudinem juſtitiæ, quàm plenitudinem poteſtatis habeant* (*d*).

(d) *Natal.ab Alexandr.hiſt.tom.6.c.4. art.30 ſæcul.9.& 10.*

5. Quià ergò beneficia, & bona particularium Eccleſiarum, ſpectant ad earum Communitates, quibus à fundatoribus præbendarum tributa ſunt, ad uſum Deo ſervientium, uti ſentit Joannes Pariſienſis (*e*); hinc fit ut Papa, etiam de plenitudine poteſtatis, non poſſit ea conferre viris extraneis, proptèr præjudicium tertii, nempè tùm proptèr damnum, quod infert indigenis, componentibus Communitatem ipſarum Eccleſiarum: tùm proptèr præjudicium, quod infert Epiſcopis, ad quos ſpectat beneficia ſuæ ditionis conferre; de quibus Thomaſſinus: *ſuperioribus capitibus declaratum eſt, eſſe Epiſcopos, & ſemper fuiſſe collatores univerſales omnium beneficiorum, ex eo jure, quod ab origine fuerint ipſi, majoreſque eorum, fundatores omnium Eccleſiarum &c. Cum nè alitèr quidem fieri potuerit, quin & Epiſcopi, Apoſtolorum in vicem ſuccedentes, Eccleſias fundarent, eaſque quibus vellent paſtoribus, aſſignarent regendas* (*f*). Cum ergò poteſtas Pontificalis, etiam uti plenitudinem poteſtatis involuens, non poſſit ſe extendere ad præjudicium tertio inferendum, prout dictum eſt cum Navarro, neque ad rem injuſtam faciendam, uti firmat Giurba, cum pluribus ab eo allegatis (*g*); ſequitur, quod, vel Pontifex non habet ſuppoſitam plenitudinem poteſtatis, vel ſi habet, hæc quoàd diſtributionem beneficiorum, non excedit facultatem à Sacris Canonibus conſtitutam: qui cum interdixerint beneficiorum collationem extraneis; conſequitur, quod Papa, nec etiam de plenitudine poteſtatis, poſſit licitè beneficia Clericis extraneis impertiri. Hæc eſt ſubſtanctia argumenti, à Contradictoribus diffusè allegati, & hic prò poſſe contracti; quo directè Papam impetunt: proportionabilitèr verò etiam ad inferiores Collatores, vel Nominatores beneficiorum, vis ipſius argumenti sè extendit. Ad ejus ergò enodationem.

(e) *Jo.Pariſ.de poteſt.Reg.& Pap.c.6.*

(f) *Thomaſſ. de benef.tom.2.l.1.c.44.n.9*

(g) *Marius Giurba Conſil.1.*

6. Reſpondetur, quod ipſum argumentum, & ferè omnia in illo contenta, ſi ritè, ac rectè applicentur, probant, non adversùs libertatem, ſed prò libertate Eccleſiæ, in conferendo beneficia eccleſiaſtica etiam viris extraneis. Verùm quià in

Digitized by Google

eo ſeptem continentur ſuppoſita, inferiùs declaranda (*a*), quæ opus eſt hic fundituſ ventilare; ad ea pedetentim exſufflanda, opus eſt primum de quidditate, & antiquitate iſtius *Plenitudinis Poteſtatis* fuſiùs aliquantulum diſceptare, ut poſt eam accuratè perpenſam, efficacioribus viribus valeamus ad eorum enodationem procedere. *Plenitudo poteſtatis Pontificalis* illa eſt ſumma, & eminens poteſtas Eccleſiaſtica, quâ major in terris dari non poteſt (*b*). Hoc etenim ipſa vox *plenitudinis* ex ſe oſtendit, quippe hęc in aliis rebus menſuram illam ſignificat, quę ad ſummitatem pertingit, & augmentum quodammodò non admittit. Sic D. Auguſtinus, conſiderans excellentiam virtutis miraculorum factivæ, quæ inerat ſacris vinculis, quibus D. Petrus fuerat colligatus, dicit, in eis fuiſſe plenitudinem virtutis, longè majorem, quàm eſſet in umbrâ Petri, tangente, & reſanante languentes: *Si tunc*, ait, *opem ferre poterat umbra Corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis* (*c*)? Sic D. Maximus eminentiam fidei attendens, quâ D. Laurentius martyrii palmam in premium meruit obtinere; vocat eam plenitudinem fidei, tamquàm quâ major dari non poſſet: *nec immeritò*, inquit, *cum Apoſtolorum ſupparem prędicamus, cui & caſtitas animi Leviticum miniſterium dedit, & plenitudo fidei martyrii contulit dignitatem* (*d*). Sic S. Ambroſius excellentiam benedictionis, quæ pani Euchariſtico per conſecrationem Sacramentalem infertur, vocat plenitudinem benedictionis, tamquam quâ major dari non poteſt: *deſcendat*, inquit, *ſuper panem tibi ſacrificandum plenitudo tuæ benedictionis* (*e*).

7. Sic & in Scripturis memoratur *plenitudo divinatis* Chriſti (*f*), tamquam in quo talitèr ineſt divinitas, ut eâ magis, nec major eſſe non poſſit. Sic & fit mentio *plenitudinis temporum*, miſſionis Chriſti (*g*), tamquàm quæ talitèr ad extremum pertingerat illius periodi, à Deo ad hoc definitæ, ut ampliùs dilatari non poſſet. Sic & dicitur timorem Domini eſſe *plenitudinem ſapientiæ* (*h*), quià major ſapientia dari non poteſt, quàm Deum timere. Sic demùm dicitur, quod *plenitudo legis eſt dilectio* (*i*), quià lex Divina magis adimpleri non poteſt, quàm Deum diligendo, ac proximum: *in his enim duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ*, ait Chriſtus (*l*). Et ſciendum quod virtutes, atque humanæ qualitates, ſuos gradus habent, infimum, medium, ac ſummum; ipſaque una virtus, aut qualitas, aliquandò ad infimum gradum, aliquandò ad medium, aliquandò pertiugit ad ſummum: quod eleganter explicat D. Auguſtinus, dicens: *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt: Charitas provecta, provecta juſtitia eſt: ſed Charitas de corde puro, conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, illa excellens, & plena charitas eſt* (*m*). Ergò ſicut in aliis rebus *plenitudo* ſignificat excellentiam illam, & ſummitatem rei, de quâ prædicatur, quę ampliùs augeri non poteſt, undè ait Symmachus in Synodo Romanâ (*n*), & Anacletus Papa in ſuâ epiſtolâ primâ (*o*), *plenitudo eſt, quæ adjectione non indiget*; Ità & in juriſdictione Eccleſiaſticâ plenitudo poteſtatis Pontificalis eſt illa, quâ major in terris eſſe non poteſt.

8. Quod hæc plenitudo poteſtatis Pontificalis fuerit in Chriſto, uti negare ſtultum eſſet; ità eſt ſuperfluum diſputare. Chriſtus enim, citrà dubium, fuit Summus Antiſtes, prouti clarum eſt ex Conciliis Epheſino (*p*), ac Tridentino (*q*), & probant Scholaſtici cum D. Thomâ (*r*), dictus propterea à Pſalmiſta, *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech* (*s*), & ab Apoſtolo, Pontifex, *ſempiternum habens Sacerdotium* (*t*). Fuit etenim ſummus Sacerdos (*u*), Obtulitque Deo Sacrificium, quo perfectè prò peccatis hominum ſatisfecit (*x*). Eo modo autum, quo Chriſtus fuit Summus Pontifex, ità & habuit plenitudinem poteſtatis Pontificalis: ipſe etenim ſic de ſeipſo eſt profeſſus: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terrâ* (*y*). Et in præciſis terminis, de eo Apoſtolus: *Ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quià in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare* (*z*). Plenitudinem, ideſt eminentiam, excellentiam, celſitudinem poteſtatis, quam ità explicat D. Ambroſius: *plenitudo in ipſo eſt, & manet, quià omnia poteſt ſemper,*

(a) *Vide Capitula ſequent.*
(b) *Vid ſupr. to.1. ſect.ult.14 cap.42.n.23.*
(c) *S. Auguſt. ſerm. 28 de Sanct. in med.*
(d) *S. Maxim homil. 3. de S. Laurent.*
(e) *S. Ambroſ. in Orat pręparat. ad Miſſam fer. 6.*
(f) *Coloſſenſ. c. 2. num 9.*
(g) *Epheſior. cap. 1. num. 10.*
(h) *Eccleſiaſtic. cap. 1. num. 20.*
(i) *Romanor. cap. 13. num. 10.*
(l) *Matth. cap. 22. num. 40.*
(m) *S. Auguſt. de natur. & grat. c. 7.*
(n) *Symmach. in Concil. Rom cap bene quidem 1. diſt. 96.*
(o) *Anacl. epiſt. 1. cap. ſi omnia 6. qu. 1.*
(p) *Concil. Epheſin. 1. can. 10*
(q) *Concil. Trident. ſeſſ. 22 cap. 1. & 2.*
(r) *S. Thom. 3. p. de Salvat qu 22. per tot.*
(s) *Pſalm 109. n. 4.*
(t) *Hebræor. cap. 7. num 24.*
(u) *Bellarm. to 1. de Chriſto mediator. l. 5. cap. 3.*
(x) *Suarez. de Incarn. diſp 46 ſect. 2.*
(y) *Matth. cap. 28. num. 18.*
(z) *Coloſſens. cap. 1. num. 16.*

per, ut nihil exceptum ſit, quod non per eum poſſit præſtari (*a*). Notando tamèn, quod in Chriſto plenitudo poteſtatis, uſque adeò ſe extulit, ut nedùm plenipotens dici debuerit, ſed etiam omnipotens, in quantum videlicet Deus homo. Nam in quantum homo ſolus, Chriſtus non fuit omnipotens, uti docent D. Thomas (*b*), Bellarminus (*c*), Valentia (*d*), Pennafiel (*e*), Suarez (*f*), Hurtado (*g*), & communitèr Theologi, quia humanitas non eſt capax attributorum, quæ ſunt propria Divinitatis, ut eſt eſſe æternum, omniſcium, incommutabilem, omnipotentem, immenſum &c. Quarè Chriſtus, tamquam Deus homo, fuit omnipotens: uti vero ſolus homo, fuit plenipotens.

9. Hanc autem plenipotentiam, ſivè plenitudinem poteſtatis Pontificalis, quam in ſe habuit, dum inter homines verſabatur, Chriſtus Dominus, Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech, & Pontifex, ſempiternum habens Sacerdotium; hanc, inquam, antè ſuum è mundo diſceſſum, Petro cum Summi Pontificatus apice, contulit. Quod patet primò rationibus Theologicis. Siquidèm cum Pontificatus, Petro collatus, ſit dignitas Monarchica, uti latè probat Bellarminus de Romano Pontifice (*h*), & paſſim alii Controverſiſtæ; oportet ut hęc habeat plenitudinem poteſtatis, qua nullus Monarcha in ſuæ ditionis orbità caret. Secundò itèm ratione, quià nimiùm imperfecta eſſet dignitas Pontificalis, ſi eſſet poteſtatis plenitudine denudata, quâ poſſet uti prò opportunitate perſonarum, temporum, & locorum: quarè benè ait Pius PP. II. *Petrus Paſtor extitit, ab ipſo Domino inſtitutus, atque omni poteſtate donatus, quæ ad benè regendum commiſſas oves neceſſaria ducitur: alioqui Chriſtus, qui ſapientia Patris eſt, & omninò ſapientèr agit, Eccleſię ſuæ haud ſufficientèr providiſſet, quod eſt nefarium aſſerere* (*i*). Tertiò paritèr ratione, quià Eccleſia nunc vigens eadem eſt ac Eccleſia, quàm rexit Chriſtus, quandò inter mortales homines verſabatur (*l*). Ergò idem eſt Pontificatus Chriſti, & Petri, non ſucceſſione parilis in parem, ſed Viceſgerentis in Dominum (*m*); Ergò Pontificatus Petri eaſdem habuit perfectiones, & qualitates, quas habuit Pontificatus Chriſti, congruâ ſemper proportione ſervatâ. Sed Pontificatus Chriſti præditus fuit plenitudiue poteſtatis; nàm Chriſtum, ait Cardinalis de Lugo, *non ſolum fuiſſe Sacerdotem, ſed Epiſcopum, & Summum Pontificem in gradu excellentiſſimo; & eminentiſſimo* (*n*): non fuiſſet autem Pontifex in gradu perfecto, & eminentiſſimo, ſi defuiſſet ei plenitudo poteſtatis Pontificalis; ergò etiàm Pontificatus Petri eâdem ditatus eſt perfectione plenitudinis poteſtatis; quę tamen in Chriſto, quoàd bona eccleſiaſtica, illorum totale dominium etiam proprietatis comprehendit, in Petro autem ad ipſorum ſolam diſpenſationem, & adminiſtrationem ſe extendit.

10. Quartò probatur tandèm auctoritate D. Cyrilli Alexandrini, de præſenti rè ſic loquentis: *ſicut Chriſtus accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ Gentium, Dux ex Iſrael egrediens, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, ſuper omne quodcumque eſt, ut ei cuncta curventur; ſic & Petro, & ejus Succeſſoribus pleniſſimè commiſit, & nulli alii, quàm Petro Chriſtus, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit*. Et rurſus: *Pedes Chriſti humanitas eſt, ſcilicèt ipſe homo, cui tota Trinitas pleniſſimam dedit poteſtatem, quam unus trium aſſumpſit, in unitatem perſonæ tranſvexit ad Patrem, ſuper omnem Principatum, & poteſtatem, ut adorent eum omnes Angeli Dei, quem totum dimiſit per Sacramentum, & poteſtatem Petro, & Eccleſiæ ejus* (*o*). Referunt hanc S. Cyrilli doctrinam S. Thomas (*p*), Cajetanus (*q*), & Bellarminus (*r*). Notentur autem verba illa *pleniſſimè*, *plenum*, *pleniſſimam*, *totum*, quæ reſonanti euphoniâ ſuclamant, quod Chriſtus poteſtatem, quam acceperat à Deo Patre, totam, plenam, & pleniſſimè transfudit in Petrum, ejuſque in Summi Pontificatus apice ſucceſſores, quantùm terrenus homo ejuſdem eſt capax. Sicque Petrus, ac qui ei in Pontificatu ſuccedunt, plenitudinis poteſtatis Pontificalis fuerunt, & ſunt compotes. Hucque facillimè proſpexit D. Auguſtinus, ſivè quiſquis eſt Auctor quęſtionum veteris, & novi Te-

(a) *Benedict. Juſtinian. in Coloſſ. 1. 19.*

(b) *S Thomaſ. 3. p. de Sacrament. q 3 per tot.*

(c) *Bellarmin. lib. 3. de Chriſto à cap. 13.*

(d) *Valentia tom. 4. diſp 1 qu. 2 punct 3.*

(e) *Leonard Pennafiel tom 3 de Incarnat. diſp 12 ſec. 1 ſubſec. 2. n. 99. & diſp 22 n. 1.*

(f) *Suarez de Incarnat diſp. 31. ſec. 1.*

(g) *Petr. Hurtado de Incarn. diſp. 57. qu 1.*

(h) *Bellarm. de Rom. Pontif. l. 1. c. 9. & ſeq.*

(i) *Pius PP Conſtit. 10. § 10. in med.*

(l) *Bellarm de Pontif l 1. c. 9. § quinta ratio.*

(m) *Pennafiel de Incarn diſp 24. ſec. 2. n. tom. 4.*

(n) *Card. de Lugo de Incarn. diſp. 30. ſec. 3. num 41.*

(o) *S. Cyril. Alex. lib Theſaur.*

(p) *S. Thom in Opuſc. contr. Græc.*

(q) *Cajetan. opuſc. 10. 1 tr. 3. c. 14 n. 20.*

(r) *Bellarm. de Pont. l. 1. c. 25. §. Cyrillus.*

Teſtamenti, quę ſunt in 4. tom. operum S. Auguſt. dum inquit, *Sicut in Salvatore erant omnes cauſæ Magiſterii; ità & poſt Salvatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit Caput eorum, ut paſtor eſſet Grægis Dominici* (*a*): Et hæc eadem eſt ratio, cur D. Joannes Chryſoſtomus, ità de Petro Apoſtolorum Principe declamavit, *quamvis Petrus homo ſit mortalis, cæleſti tamèn pollet poteſtate* (*b*); plenitudine videlicet poteſtatis, quę quodammodò aliquid Cœleſte eſt, & non niſi cœlitus attributa Petro, tunc eam accipienti, & qui nunc *vivit in ſucceſſoribus ſuis* (*c*).

(a) S. Auguſt. tom. 4. quæ. 75.

(b) Corneł. à Lap. in Matthæi. 16. 19. ſ. Dicef.

(c) S. Leo ſer. 2 in anniv. aſſumpt. ſuæ

11. Si quæratur, quandònam Chriſtus contulerit Petro plenitudinem poteſtatis Pontificalis? Reſpondemus id fuiſſe, cùm ei dixit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis* (*d*). Clavium metaphora eſt aptatiſſima ad ſignificandam poteſtatem. Et ideò in profanis, ſi cui Oeconomi committitur officium; de illo per porrectionem Clavium inveſtitur. Si Urbes, ſi Oppida alicui Principi ſubmittuntur; ei Claves illorum locorum protinùs offeruntur. Sed clariùs res habetur in ſacris. Deſcribit Iſaias depoſitionem Sobnæ Pontificis, & ſubſtitutionem Eliacim, filii Helciæ, atque ad primum: *expellam tè de ſtatione tuâ, & de miniſterio tuo deponam te &c. Vocabo ſervum meum Eliacim, filium Helciæ, & induam illum tunicâ tuâ, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu ejus, & erit quaſi Pater habitantibus Hieruſalem, & Domui Juda. Et dabo clavem Domus David ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat* (*e*). Quo loco patet, per ſymbolum Clavis, nedum poteſtatem, ſed etiàm totam, & totalem, ac pleniſſimam poteſtatem Hebraici Pontificatus ſignificari, de Sobnâ in Eliacim transferendam. Per Clavem quoque in Apocalypſi repreſentatur plenitudo poteſtatis Chriſti, de quo ibi fit hic ſermo; *Hęc dicit Sanctus, & verus, qui habet Clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit* (*f*).

(d) Matthæi. cap. 16 n. 18.

(e) Iſai. c. 22. n. 19. Vid. ibi Interpretes.

(f) Apocalypſis c. 3. num. 7.

12. Quod autem per Clavium porrectionem, Chriſtus Petro, nedùm ſimplicem, aliiſve Apoſtolis coæqualem, contulerit poteſtatem, ſed etiam ſummam, eminentem, & tantam, quanta homini poterat divinâ ordinatione concedi, patet tùm quià nullus ex Apoſtolis, præter Petrum, à Chriſto Claves accepit, uti probant Cajetanus ex Theologis (*g*), ac ex Scripturalibus Maldonatus (*h*), & alii. Tum quià ſi per Clavis porrectionem plenitudo poteſtatis Pontificatus Hebraici fuit, uti notavimus, intellecta; cur & non eandem ſignificationem habuit pollicitatio Clavium, Petro à Domino delatarum? Certè per Claves indicari plenitudinem poteſtatis conſonant Patres, Scripturę Interpretes, & Theologi. Ex Patribus, Beda ſic eloquitur: *Beatus Petrus, qui Chriſtum verâ fide confeſſus, verò eſt amore ſequutus, ſpecialitèr Claves Regni Cælorum, & principatum judiciariæ poteſtatis accepit* (*i*). Notetur, quod non partem judiciariæ poteſtatis, ſed principatum ejus accepit. Quid autem per *principatum* judiciariæ poteſtatis, niſi *plenitudo* poteſtatis Pontificalis oſtenditur? Ex Interpretibus Sacræ Scripturæ, Cornelius à Lapide hoc, quod ſequitur, dat judicium: *Per claves hic ſignificatur ſumma poteſtas, tàm Ordinis, tùm Juriſdictionis &c. quaſi diceret Chriſtus, ego, ò Petre, dabo tibi quaſi Pontifici, ac conſequenter Pontificibus cæteris tibi ſuccedentibus, Claves Regni Cælorum, ideſt ſummam poteſtatem regendi univerſam Eccleſiam &c.* (*l*). Si ſummam; ergò plenam, excellentem, confertam, & talem, quæ non aliud nomen mereretur, quàm plenitudinis poteſtatis. Ex Theologis adeſt Bellarminus, ità de eâdem proloquens poteſtate: *Nos, & Catholici, omnes, per Claves datas Petro, intelligimus ſummam poteſtatem in omnem Eccleſiam* (*m*). *Summam*, quià *Eccleſia, quæ una eſt, ſuper unum, qui Claves ejus accepit, voce Domini fundata eſt*, ut ait S. Cyprianus (*n*). *Summam*, quià per Clavium traditionem, teſte S. Joanne Chryſoſto-

(g) Cajetan. in opuſc. 10. 1. tr. 3. de Roman. Pontif. c. 5. 6. ſ. 51

(h) Maldonat. in Matthæi c. 16 n. 19.

(i) Beda Homil. in feſt. SS. Petr. & Pauli.

(l) Cornel. à Lap. in Matth. 16. 19. ſ. Et tibi.

(m) Bellarm. de Pontif. l. 1 c. 12. ſ. At nos.

(n) S. Cyprian. epiſt. ad Jubaian.

ſoſtomo, commiſſus eſt Petro univerſus Orbis terrarum, & factus eſt Paſtor, & Caput totius Eccleſiæ (a). *Summam* tandem, quià ut inquit D. Leo, *de toto mundo unus eligitur Petrus, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvìs in populo Dei multi ſint Sacerdotes, multique paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus* (b).

13. Hanc ſummam, plenam, totam, Cœleſtem poteſtatem, quod idem eſt ac *plenitudinem poteſtatis Pontificalis*, Romano Antiſtiti nullus unquàm homo ſanę mentis, & fidei denegavit, adeò ut prędoctus Thomaſſinus non ambigat aſfirmare: *Ex antedictis micat, ità imminere Collegio Epiſcopali, ità univerſæ Eccleſiæ Paſtorum univerſitati, & paci prçeſſe Spiritum Sanctum, ut nunquam paſſus ſit Capiti controverſiam fieri de Apoſtolicę poteſtatis jure, & plenitudine ipsâ. Si quà autem temporum, & cauſarum fuere diſcrimina, ubi reſtitum; eò tantummodò ſpectatum eſſe, ut poteſtatis modus, & uſus is eſſet, qui Canonibus obſervandis, alendæ paci Eccleſiarum, & tuendę, aut reſarciendæ diſciplinæ congrueret* (c). Attamen & Hęretici aliqui, & Schiſmatici, aliquandò eam impetere non ſunt veriti; in primiſque Joannes Calvinus perfidus, & impudens hæreſum pronuntiator, & fautor, inter alia, quibus Pontificiam dignitatem temerariiſſimè vellicavit, hoc quoque in eam deliranter telum intorſit, quod Apoſtolus ad Epheſios ait, unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti, & non dixit, uni data eſt plenitudo poteſtatis, & ut Chriſti vices gerat, ſed data eſt ſingulis ſua portio (d). Ex Schiſmaticis eandem plenitudinem poteſtatis, antè Calvinum Pontifici denegarunt Patres illi, qui Concilium Baſileenſe, ritè anteà congregatum, deſiliendo à Capite, in Synagogam Sathanæ converterunt; quos improbans Epiſcopus Meldenſis, Orator Caroli VII. Galliarum Regis, ſuorum Principis, & Nationis nomine, aſſeruit: *Nimio fervore reſiſtendi ad hanc veſaniam devenerunt, quod ſupremam poteſtatem in uno ſuppoſito conſiſtere denegant, ſed eam in multitudine, quæ citò in diverſa ſcinditur, collocant. Et ſic pulcherrimam Monarchiam Eccleſiæ, quę Chriſtianos hucuſque tenuit in unitate fidei, in unâ profeſſione religionis Chriſtianę, in uno ritu Sacramentorum, in unâ obſervantiâ mandatorum, in eiſdem cęremoniis divini cultus, atque pacem, & tranquillitatem aſſeruit, nunc abolere, & ſupprimere contendunt, nobiliſſimam politiam, quæ beatitudinem Cæleſtem habet prò fine, ad democratiam, vel ariſtocratiam redigentes &c. Porrò Concilium olim Baſileenſe unam extremitatem nimis exacuit, quandò veritatem de supremâ poteſtate in uno extinguere pertentavit. Concilium autèm Florentinum hanc veritatem benè quidem lucidavit, ut patet in Decreto Græcorum, ſed prò regulando uſum hujus poteſtatis nihil edidit, nihilque locutum eſt* (e).

14. Memorandus quoque eſt hìc Hilarius Arelatenſis, & qui cum eo tenuerunt, in causâ Chelidonii, & Projecti Epiſcoporum Provinciæ Viennenſis, quorum alterum Hilarius depoſuit; alteri adhuc viventi ſucceſſorem auctoritate propriâ ſubintruſit, Archiepiſcopi Viennenſis jura deturbans, quæ à Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſuſceperat; ob quod & adversùs hujus poteſtatem magnis ejulatibus oggannivit. Sanctus verò Leo, tunc Pontificatum tenens, cuncta per Hilarium facta reſcidit: Et ad Epiſcopos Provincię Viennenſis ea, quæ ſequuntur, ſuis literis intimavit: *Hanc petrę iſtius ſacratiſſimam firmitatem, Deo ut credimus, ædificante conſtructam, nimis impiâ vult præſumptione violare, quiſquis ejus poteſtatem tentat infringere, favendo cupiditatibus ſuis, & id, quod accepit à Veteribus non ſequendo, cum nulli ſe ſubditum legi, nullius inſtitutionis Dominicæ credit legibus contineri &c. Hunc tramitem &c. Hilarius, Eccleſiarum ſtatum, & concordiam Sacerdotum, novis præſumptionibus turbaturus exceſſit, ità ſuæ vos cupiens ſubdere poteſtati, ut ſè Beato Apoſtolo Petro non patiatur eſſe ſubjectum &c. Ipſius quoque beatiſſimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo &c. Cui quiſquis principatum eſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem,*

(a) *S. Jo. Chryſoſt. homil. 55 in Matth.*

(b) *S. Leo ſer. 3. de Aſſumpt. ſua.*

(c) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 1. lib. 2. c. 6. n. 21.*

(d) *Jo. Calvin. Inſtit. l. 4. c. 6. §. 2.*

(e) *Vid. Gaguin. in Carol. VII. Reg. Franc. Raynald. an 1441. n. 10 Sfondrat. Regal. Sacerd. l. 2. §. 16.*

(a) S. Leo PP. Epiſt. 89.

tatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuę, ſemetipſam in inferna demergit &c. (*a*). Plenitudinem ergò poteſtatis, quâ Romani Pontifices à ſubjectione Archiepiſcopi Arelatenſis, Epiſcopos Provinciæ Viennenſis exemerant, Hilarius impetebat: Sed aliquandò correctus, errorem depoſuit, & pietate florens, poſt mortem meruit inter Cœlites numerari, uti piè creditur à nonnullis (*b*). Illum etenim nomine Viri Sancti D. Proſper Aquitanicus decoravit (*c*). Alii eum aliis laudibus affecerunt, de quibus ſuprà (*d*). Porrò Contradictores, qui plenitudinem poteſtatis Romano Pontifici ſuis ſcriptis, & integris foliis, ac lacinioſis Capitulis, denegarunt, non poſſunt niſi cum viris de Eccleſiâ malè merentibus computari.

(b) Card. Baron. an. 445 n. 12.
(c) Henric. Noris. Hiſtor. Pelag. f. 167.
(d) Vid. ſuprà tom. 1. ſec. 5. c. 9 n. 31.

15. Uuuſquiſque antem Catholicorum, ut innuimus, plenitudinem poteſtatis in Summo Pontifice confitetur: quem ſicuti Caput Eccleſiæ viſibilis eſſe credit, ſic & plenâ poteſtate prẹditum eſſe non ambigit, quam decet tantum Caput, quam Summum Eccleſiæ Præſidem opus eſt iu ſe inabdicabilitèr continere. Ineſt verò ipſa plenitudo poteſtatis, uti mox tetigimus, principalitèr Chriſto, cui & principaliter ineſt ratio Capitis totius Eccleſiæ, de quo Apoſtolus: *ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quę eſt Corpus ipſius* (*e*). Et nedùm eſt Caput hominum, ſed etiam Angelorum, uti late probat Angelicus D. Thomas (*f*), & cum eo paſſim Theologi (*g*). Verũ quamvìs eſſe Caput Eccleſiæ, ſecundùm influxum interiorem gratiæ, ſit proprium ſolius Chriſti; tamen eſſe Caput Eccleſiæ ſecundùm exteriorem influxum regiminis, quo extrinſece gubernatur, eſt proprium etiam Papæ (*h*): *Nec fallaris*, inquit Cajetanus, *antiquâ Schiſmaticorum invectione in Catholicos, tamquam monſtra fingentes, dùm Eccleſiæ caput Petrum dicimus: quandòquidem Chriſtus eſt Caput Corporis Eccleſiæ &c. Et ſi Petrus Caput Eccleſiæ ponitur, duo Capita uni Corpori, non ſinè monſtro, junguntur. Frigida ſunt hęc: quoniam Petrus aliâ ratione caput Eccleſię dicitur, ab eâ ratione, qua Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ. Chriſtus enim eſt Caput ratione ſui ipſius: Petrus autem ideò caput, quià eſt vicecaput: eſt enim loco Chriſti, in Cælis reſidentis, Caput in terris. Undè totius Eccleſiaſtici Corporis unum tantùm ponitur Caput ſimpliciter, & abſolutè, ideſt Chriſtus: Loco cujus in terris, Petrus non aliud Caput, ſed vicecaput conſtitutus eſt. Undè nulla intervenit Monſtruoſitas in eccleſiaſtico corpore, niſi apud nolentes intelligere eccleſiaſtica nomina, in ſenſu, in quo dicuntur* (*i*).

(e) Epheſior. cap. 1. n. 22.
(f) S. Thom. 3. par. de Salv. qu. 8. art. 1. 2. 3. & c.
(g) Turrecrem. l. 2. de Eccl. cap. 45. Card. de Lugo de Incarn. diſp. 17. n. 1. 2. 2. Pennafiel. eod. tit. diſp. 24. ſec. 1. n. 1. & 2.
(h) S. Thom. 3. par. de Salv. qu. 8. art. 6. & ibi Seraph. Cappon.
(i) Cajet. in Opuſc. tom. 1. tr. 3. c. 6. & undè.

16. A' Capite Eccleſiæ transferendo ratiocinium ad plenitudinem poteſtatis, dicendum eſt, quod hæc tàm in Chriſto, quàm in Pontifice reperitur &c. Sed alio modo Chriſtus, alio modo Pontifex poteſtatis plenitudinem iu ſe habent: Chriſtus uti Caput inviſibile, & Rector totius Eccleſię, tàm militantis, quàm triumphantis: *eſt enim Caput omnium eorum, qui ad Eccleſiam pertinent, ſecundùm omnem locum, & tempus, & ſtatum*, ut ait optimè D. Thomas (*l*). Papa verò, uti Caput viſibile, Locumtenens Chriſti, & Rector ſolius Eccleſię militantis, ſeù eorum, qui in terris pertinent ad Eccleſiam: *eſt enim Caput totius Eccleſię, tempore ſui Pontificatus, & ſecundùm determinatum ſtatum, prout ſcilicèt ſunt in ſtatu viatoris*, inquit idem D. Thomas (*m*). Et in hoc ſenſu dictus eſt a D. Joanne Chryſoſtomo *Eccleſię Paſtor, & caput, homo piſcator, & ignobilis*, ideſt D. Petrus (*n*). Sic & à D. Auguſtino dictum eſt: *poſt Salvatorem in Petro omnes continentur: ipſum enim conſtituit Caput eorum, ut Paſtor eſſet dominici gregis* (*o*). Sic & in Concilio Epheſino dictum eſt, *totius fidei, cæterorumque Apoſtolorum Caput Beatum Petrum Apoſtolum extitiſſe* (*p*). Sic & à Concilio Nicæno II. dictum eſt, quod Petrus *per totum terrarum Orbem primatum obtinens, lucet, omniumque Eccleſiarum Dei Caput exiſtit* (*q*). Sic & dùm ab aliis Patribus, Pontificibus, & Conciliis, Petrus, aut Papa dictus eſt Caput Eccleſię; denominatio Capitis eſt in prẹfato ſenſu ſalubritèr, & diſcretè intelligenda.

(l) S. Thom. 3. p. de Salvat. qu. 8. art. 6. in corp.
(m) S. Thomas loc. citat.
(n) S. Jo. Chryſoſt. homil. 55. in Matth.
(o) S. Auguſt. quæſt. Vet. & Novi Teſtam. qu. 75.
(p) Act. Concil. Epheſin.
(q) Concil. Nicæn. 2. Action. 2.

17. Sed audiendus eſt doctiſſimus Bellarminus, reſpondens de hac materiâ impio Calvino: *Quamquàm Caput Eccleſiæ totius eſt Chriſtus, tamèn quià ipſe à militante Eccleſiâ abeſt ſecundum viſibilem, præſentiam, exigitur neceſſariò unus ali-*

quis

Digitized by Google

quis Chriſti loco, qui viſibilem hanc Eccleſiam in unitate contineat &c. Ad illud, de plenitudine poteſtatis, reſpondeo, Summum Pontificem, ſi conferatur cum Chriſto, non habere plenitudinem poteſtatis, ſed tantùm ſuam quandam portionem, ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Chriſtus enim regit omnem Eccleſiam, quæ eſt in Cælo, in purgatorio, in terris, & quæ fuit ab initio mundi, & erit uſque ad ſinem, ac præterea prò arbitrio poteſt leges condere, Sacramenta inſtituere, gratiam tribuere, etiam ſine Sacramentis. At Papa ſolum regit eam Eccleſiæ partem, quæ eſt in terris dum ipſe vivit, nec poteſt leges Chriſti mutare, aut Sacramenta inſtituere, aut peccata sinè Sacramento remittere. Si tamen Summus Pontifex cum Epiſcopis cæteris comparetur, meritò habere dicitur plenitudinem poteſtatis; Quià cæteri definitas habent regiones, quibus præſint, definitam etiam poteſtatem; ipſe verò toti Orbi Chriſtiano præpoſitus eſt, & totum, ac plenam habet eam poteſtatem, quam Chriſtus ad Eccleſiæ utilitatem in terris reliquit (*a*). Quæ quidem plenitudo poteſtatis eſt in Eccleſiâ neceſſaria, ſicut in omnibus Monarchichis Dominiis, & aliis politicis regiminibus neceſſaria omninò eſt; undè quemadmodùm Imperatori Imperialis plenitudo poteſtatis, Regibus Regia, Ducibus Ducalis denegari non debet; ſic & Summo Pontifici Pontificalis plenitudo poteſtatis eſt omnimodè deferenda, quià ut ait D. Hieronymus, *Eccleſiæ ſalus in Summi Sacerdotis dignitate pendet; cui ſi non exors quædam, & ab hominibus eminèns detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur Schiſmata, quot Sacerdotes* (*b*).

18. Profectò in unoquoque Principe Supremo (ſive ſuperiorem in terris non agnoſcenre, vel qui Ditionem ſuam nulli terreno Principi ſubditam habet, aut habet quidem, ſed ab eo ſibi collatam retinet cum juribus ſupremi dominii, & ut vulgò dicitur, *in ſovranità*) reſidet plenitudo poteſtatis ſæcularis, de quâ Rodulphinus in tractatu de ſupremâ, ſeù abſolutâ Principis poteſtate (*c*), & alii tàm Theologi (*d*), quam Juriſconſulti (*e*). Hæcque plenitudo poteſtatis eſt illa, cujus cauſæ in Principe non eſt ratio requirenda (*f*), & eſt idem cum ſuâ poteſtate abſolutâ (*g*). Ità ut ubi hæc clauſula, de plenitudine poteſtatis, reperitur appoſita, intelligatur, ut quatenùs poteſtas Principis se poterat dilatare; eatenus, nihil omninò dempto, sè porrigat effectus illius actus, cui clauſula ipſa eſt appoſita (*h*). Quæ nihilominùs poteſtas adeò non eſt illimitata, & effrenis, ut ſuos non habeat cancellos, quos ultrà non valeat pertranſire: habet enim in Principe Jus naturale, ac Divinum, & interdùm etiam humanum (*i*), non ſecus ac ei ex Job dicatur: *Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos* (*l*). Imperator Occidentis Imperialis poteſtatis utitur plenitudine, ut videre eſt in Bullâ Aureâ Caroli IV. (*m*), & in aliâ Friderici II. (*n*). Imperator quoque Conſtantinopolitanus eadem plenitudine poteſtatis utebatur, uti legitur in hiſtoriis de Alexio Angelo (*o*), & in diplomate Ludovici Tarentini (*p*). Reges Regiæ poteſtatis utuntur pariter plenitudine (*q*); & Duces Ducalis (*r*). Cumque Principes, Duces, Comites, & Marchiones abſoluti, nec recognoſcentes Superiorem in terris, poſſint in ſuis ditionibus, id quod poſſunt Reges in ſuo Regno (*s*), ſequitur, quod uno verbo, cuncti Dynaſtæ ſupremi, Dominum non agnoſcentes in terris, uti valeant plenitudine poteſtatis.

19. Si autem in quolibet terreno Dynaſtâ ſupremo reſidet plenitudo poteſtatis, illique ineſt ejuſdem uſus; neſcimus videre, cur hæc deeſſe debeat Romano Pontifici. Terreni Principes, tametſi ſupremi, totam tamen ſuam poteſtatem habent ab hominibus (*t*). Undè D. Baſilius: *Si poteſtatibus ſæcularibus, quæ ex lege humanâ imperandi poteſtatem habent &c. pietatis cultores voluit eſſe ſubjectos; quanta obedientia debetur ei, qui à Deo conſtitutus eſt præſes, & imperandi poteſtatem à legibus illius accepit?* (*u*). Quod ſi hoc non obſtante, reſpectu poteſtatis ab hominibus adeptæ, Principes terreni uti valent plenitudine poteſtatis; cur ejuſdem uſum habere non debebit Summus Pontifex, cujus tota poteſtas immediatè provenit à Chriſto? (*x*). Et cum quo unum dicitur habere tribunal, & conſiſto-

rium

(a) *Bellarmin. de Pōtif. l. 1. c. 9.*

(b) *S. Hieron. Dialog. adv. Lucifer. in med.*

(c) *Ludov. Rudolph. de ſupr. Princ. poteſ. c. 5. & 6.*

(d) *Sanchez de Matrim. l. 2. diſp. 15. Henriquez in ſum. p. 1. l. 7. c. 37. § 4 lit. C.*

(e) *Barboſ. tract. var. clauſul. 41. Tuſc. lit E. concl. 342 tom 1.*

(f) *Bald. in l. 2. de ſerv. & aqu. Barboſ. ubi ſupr. n 2.*

(g) *Natta Conſ. 112. num. 19.*

(h) *Ferdin. Vaſquius illuſtr. Controv. l. 1. c. 26 n 2.*

(i) *Sanchez loc. cit. num. 3 Menoch. conſ. 1. n. 414. Barboſ repert. pract. Concl. V. Princeps.*

(l) *Job. c. 38 n. 11.*

(m) *Bull. Aur. Carol. IV. c. 1 n. 1. & 20. c. 2 n 8. c. 16. n 1.*

(n) *Rocch. Pirr. Sicil. ſacr. tom. 1. in Pariſio Archiep. Panorm n. 4.*

(o) *Vid ſupr. Tom. 1. Sæcul. 13. c. 37 n. 20.*

(p) *Ughell. Ital. ſacr. tom 9. in Epiſc Caſtellanet. n. 13.*

(q) *S. Thomas 2. 2. qu. 89 art 9 ad 3.*

(r) *Dominio della Sede Apoſtolica ſopra Comacchio § 81 f 276.*

(s) *Farinac. Conſ. 94. num 6 Barboſ repert. pract. concluſ. V. Princeps.*

(t) *Bellet diſq. Cleric. p. 1. de ſau. Cleric. perſonal § 1. n. 28.*

(u) *S. Baſil. Conſtitut. Monaſt. cap. 43.*

(x) *Cap. novit. 14 de judic. Thom. del Bene de immunit. c. 5. dub. 9. num. 17.*

Digitized by Google

rium (*a*)? Ineſt ergò Summo Pontifici plenitudo poteſtatis, quam definiunt Juriſconſulti, quod ſit plenitudo arbitrii, nulli neceſſitati ſubjecta, neque Juris publici regulis limitata (*b*), & ut in Summo Pontifice conſiderata, eſt poteſtas Vicarii Chriſti, adeòque eſt principalitèr poteſtas Chriſti (*c*), & eſt illa tota, integra, & totalis poteſtas, quam Chriſtus ad Eccleſiæ utilitatem in terris dereliquit, Petro primum commiſſa, & ab hoc ad ſucceſſores ſuos tranſmiſſa: tandiù in Romanis Pontificibus duratura, quandiù Eccleſia Chriſti ſubſiſtet: taliterque Papæ inhærens, ut ejus propria ſit in quarto modo dicendi per sè, inabdicabilis, inſeparabilis, & incommutabilis, nec ulli alteri Epiſcoporum, & nec ſingulis Epiſcopis ſimul ſumptis, conceſſa. Eam D. Bernardus vocat *inconcuſſum privilegium*, Petro, & Papæ collatum, *tam in datis Clavibus, quam in ovibus commendatis* (*d*), & ideò tanta ejus eſt antiquitas, quanta eſt Chriſtianæ Eccleſiæ, ac Summi Pontificatus inſtitutio. Nec ſolum eſſentia hujus ſublimiſſimæ poteſtatis antiqua eſt, & fundationi Vicariatus Chriſti coæva, ſed etiam verba ipſa, quibus nunc à Catholicis explicatur, nempè *plenitudo poteſtatis* antiquiſſima ſunt in Eccleſia. Quod ut appareat, ponemus hic primo Sanctos Patres, alioſque pios, & primæ notæ Scriptores Eccleſiaſticos: deindè Pontifices: poſteà Concilia, & demùm Canones, de illâ expreſsè, vel verbis æquipollentibus eloquentes, ut videant Contradictores, quàm longè à veritate aberrent, plenitudinem poteſtatis impetendo, & eam intèr novitates Pontificias recenſendo.

(a) *Bellet. loc. cit. §. 3. n. 28. Barboſ. jur. Eccleſ. Univ. l. 1. c. 2. n. 92*
(b) *Bald. in l. 2. C de Serv. & aqu. Marta de juriſd. par. 4. cent. 2. c. 195. n. 34.*
(c) *Del Bene de Immunit. c. 8. dub. 43. ſec. 2 num. 10.*
(d) *S. Bernard. de Conſider. l. 3. c. 2.*

SANCTI PATRES, & SCRIPTORES ECCLESIASTICI.

20. *S. Cyrillus Patriarcha Hieroſolymitanus*. Natione Syrus, vir doctrinâ, & Sanctitate conſpicuus, qui floruit anno Chriſti 365. ità de Pontificiæ poteſtatis plenitudine ſcripſit, proſopopœjam in perſonâ Chriſti ad Petrum Apoſtolorum Principem formans: *Tu eum ſine, & ego ſine ſine, eum omnibus, quos loco tuî ponam, plenè, & perfectè, Sacramento, & auctoritate, ero ſicut ſum, & tecum*. Hac ſententiâ utitur Cajetanus ad poteſtatem Summi Pontificis propugnandam (*e*).

S. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini, Natione Ægyptii, qui floruit anno Chriſti 430. jam ſupra teſtimonium de eadem poteſtatis plenitudine, in Pontifice reſidente, retulimus (*f*). Nunc placet ejus verba ex D. Thomâ decerpere, & hic per extenſum apponere. *Ut membra maneamus in Capite noſtro Apoſtolico throno Romanorum Pontificum, à quo noſtrum eſt quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipſum venerantes, ipſum rogantes pro omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ſolvere, & ligare, loco illius, qui ipſum ædificavit, & nulli alli, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit, cui omnes jure divino caput inclinant, & primates mundi, tamquàm ipſi domino Jeſu Chriſto obediunt* (*g*). In eo ergò ſenſu fuit uterque Cyrillus, quod Chriſtus plenè, & perfectè, quod ſuum eſt *plenum*, & totale auctoritatis, Petro, & ſucceſſoribus ejus contulit: quid autem hoc eſt, niſi ſub diverſis terminis, poteſtatis plenitudinem elargiri? *Plenum jus* verba ſunt latiſſima, & ſignificant jus, ſine aliquâ diminutione (*h*).

21. *S. Bernardus* Abbas Clareævallenſis, Natione Burgundus, vir Apoſtolicus, & tàm ſapientiæ, quàm miraculorum gloriâ ſublimis, qui floruit anno 1130. in libris de Conſideratione ad Eugenium, de plenitudine poteſtatis Pontificalis per hanc apoſtrophen ſic perorat. *Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii Cæli janitores, & gregum paſtores, ſed tu tantò glorioſiùs, quantò & differentiùs, utrumque præ cæteris nomen hæreditaſti: Habent illi ſibi adſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi crèditi, uni unus. Non modò*

(e) *Cajet. Opuſc. to. 1. tr. 3. c. 14.*
(f) *Vid. ſuprà in hoc cap. n. 10.*
(g) *S. Cyril. apud S. Thom. 3. par. ſuppl. qu. 72. art. 6. in corp.*
(h) *Rot. p. 2. tr. 1. dec. 305. n. 4. & ibi Bald. Conſ. 293. n. 3. l. 4. Decius in c. præterea de off. deleg. n. 34.*

dè ovium, ſed & paſtorum tu unus omnium paſtor. Undè id probem quæris? Ex verbo Domini &c. Paſce oves meas? Quas? Illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed à adſignaſſe omnes? Nihil excipitur ubi diſtinguitur nihil &c. Ergò juxtà canones tuos, alii in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es (a). Phraſis hæc loquendi eſt adeò propria, ut etiam Imperator potiri dicatur plenitudine poteſtatis, Electores verò *Cæſareæ ſublimitati aſſiſtant in partem ſollicitudinis conſtituti* (b). Rursùs D. Bernardus ad Mediolanenſes ſcribens hanc eandem poteſtatem ſequenti eloquio commendat: *Plenitudo poteſtatis ſuper univerſas Orbis Eccleſias, ſingulari perogativâ Apoſtolicæ Sedi donata eſt: qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Poteſt, ſi utile judicaverit, novos ordinare Epiſcopatus, ubi hactenùs non fuerunt. Poteſt eos, qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit: itaut de Epiſcopis ereare Archiepiſcopos liceat, & è converſo, ſi neceſſe viſum fuerit. Poteſt à finibus terræ ſublimes quaſcumque Perſonas eccleſiaſticas evocare, & cogere ad ſuam præſentiam, non ſemel, aut bis, ſed quotiès expedire videbit* (c). Paritèr in epiſtolâ ad Innocentium Papam, favore Guidonis Abbatis Cariloci exaratâ, dicit, *Sedi Apoſtolicæ ſummam rerum auctoritatem, & plenariam poteſtatem*, ineſſe (d), clariùſne potuiſſet effari?

Stephanus Tornacenſis vir celebris, alibi per nos laudatus, in epiſtolâ ad Alexandrum Papam III. effatur: *Parata Sedes veſtra Pater, ut de plenitudine ejus omnes accipiant, & profectum parvulis, & ſtatum provectioribus pollicetur* (e).

22. *S. Thomas de Aquino*, Ordinis Prædicatorum, Neapolitanus, vir Angelicæ doctrinæ, & Sanctitatis luce præclarus, omnique encomio ſublimior, qui floruit anno Chriſti 1265. de plenitudine Pontificiæ poteſtatis hæc ſentit: *quià Summus Pontifex gerit plenariè vicem Chriſti in totâ Eccleſiâ, ipſe habet plenitudinem poteſtatis* (f). Et alibi: *Papa in Eccleſiâ habet plenitudinem poteſtatis, ex quâ poteſt quædam, quæ ſunt ſuperiorum ordinum, committere quibuſdam inferioribus: Sicut quibuſdam Presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad poteſtatem Epiſcopalem. Et ex hâc plenitudine poteſtatis conceſſit B. Gregorius, quod ſimplices Sacerdotes hoc Sacramentum Confirmationis conferrent* (g). Et in Opuſculo de regimine Principum, ipſe D. Thomas, vel quiſquis ejus eſt auctor, ità proloquitur: *Si plenitudo poteſtatis Summi Pontificis dicatur referri ad ſolam Spiritualem poteſtatem, hoc eſſe non poteſt, quià temporale, & corporale ex ſpirituali, & perpetuo dependet, ſicut corporis operatio ex virtute animæ eſt* (h). Alio in loco affirmat quod Papa habet plenitudinem poteſtatis, ſicut Rex in Regno ſuo: Epiſcopi verò aſſumuntur in partem ſollicitudinis, quaſi Judices in ſingulis civitatibus præpoſiti (i). Et in Opuſculis ex propoſito docet, quod Papa habet plenitudinem poteſtatis: totius eſt orbis Magiſter, & Doctor: eadem ac Petrus poteſtate potitur: quod ſubeſſe illi eſt de neceſſitate ſalutis: quod præeſt Patriarchis: & quod errant contrà unitatem Corporis myſtici, qui Papæ denegant plenariam poteſtatem (l).

S. Bonaventura Doctor Seraphicus, Angelici D. Thomæ Sinchronus, & amicus, idipſum cum eo ſentit, affirmans, quod Pontifex habet plenitudinem poteſtatis, quam Chriſtus Eccleſiæ contulit, & quod ubique in omnibus Eccleſiis habet illam, ſicut in ſuâ ſpeciali Sede Romanâ, à quo emanat in omnes inferiores eccleſiaſtica auctoritas (m).

23. *S. Bernardus Senenſis*, Ordinis minorum Etruſcus, vir miraculis paritèr, & literarum ſcientiâ clariſſimus, qui floruit anno Chriſti 1430. de poteſtate Pontificiâ tractans, ità ſuum aperit ſenſum: *Cum Papa ſit Chriſti Vicarius, & gerat vicem Dei in terris, ex quo ſequitur, quod habet plenitudinem poteſtatis, & illud, quod facit, præſumitur facere auctoritate Dei; ideò ipſo approbante ali-*

(a) *S. Bernard. de Conſid. l. 3. c. 7. vid. & ſupr. hic tom. 2. c. 33. num. 31.*

(b) *Bulla Aurea Caroli IV. Imper. c. 30. §. 1.*

(c) *S. Bernard. epiſt. 131.*

(d) *S. Bernard. epiſt. 198.*

(e) *Stephan. Tornacenſ. epiſt. 22. Vid. ſupr. Tom. 1. Sæcul. 12. c. 34. n. 18. & 19.*

(f) *S. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 12. ad 3. Vid. etiam in 4. diſt. 7. qu. 3. art. 1. qu. 3. & diſt. 25. qu. 1. ad 3.*

(g) *S. Thom. 3. part. de ſacram. qu. 13. art. 11. ad primum.*

(h) *S. Thomas de regim. Princ. l. 3. c. 10.*

(i) *S. Thomas 2. 2. qu. 89. art. 9. ad 3. & 3. par. qu. 72. art. 11. ad primum.*

(l) *S. Thomas Opuſc. 1. c. 64. 65. 66. 67. 68. 69.*

(m) *S. Bonaventura in Opuſc. quarè fratres min. prædic. in princ. f. 403.*

aliquid, & nos approbare debemus. Imò ipſius ſententiæ eſt magis ſtandum, quam ſententiæ totius Mundi (a).

S. Joannes de Capiſtruno Samnites, Ordinis minorum, vir potens opere, & ſermone, atque à Joanne Trithemio appellatus homo *in divinis Scripturis eruditus, & in jure Canonico egregiè doctus &c.* (b), qui floruit anno Chriſti 1440. de Papali auctoritate ſermonem habens, ſe de illâ taliter ſentire profeſſus eſt: *Papa vocatus eſt in plenitudinem poteſtatis, cæteri autem Epiſcopi in ſollicitudinis partem* (c). Et alibi *Protenditur auctoritas Papæ ad omne bonum, & ad nullum malum: eſt enim quaſi Deus in terris, major homine, & minor Deo, plenitudinem obtinens poteſtatis*. Et infrà: *Ipſe poteſt aliquem abſolvere ab obligatione, quâ tenetur homini de plenitudine poteſtatis, quam habet* (d).

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, Ordinis Prædicatorum, Etruſcus, vir magnus, & eximius, tàm doctrinâ, quàm ſanctitate, qui floruit anno 1450. de Summi Pontificis ſupremâ auctoritate ſic ſcribit, *quicumque aſſeris, quod Romanus Pontifex non habeat plenitudinem poteſtatis ſuper omnes, auferre conatur privilegium Eccleſiæ Romanæ à Chriſto traditum &c. ſed ſentiens appellandum eſſe à Papâ, ſentit ipſum non habere poteſtatis plenitudinem ſuper omnes; ergò &c.* (e).

S. Laurentius Juſtinianus vocat Papam Principem, & Patrem, quem Redemptor noſter poſt aſcenſionem ſuam, in terrâ vicem ſuam gerentem voluit habere in Eccleſiâ, ad quem univerſi confluerent, & apud quem totius Eccleſiæ eſſet auctoritas (*f*).

B. Albertus Magnus de Romano affirmat Pontifice, quod eſt unus in plenitudine poteſtatis, & Petrus in poteſtate (*g*).

24. *Joannes Gerſonius* Monachus Cœleſtinus, Gallus, Cancellarius Pariſienſis, vir abundè doctus, & pius, qui floruit anno 1420. de præfata plenitudine Pontificiæ poteſtatis hujuſmodi profert effata: *Plenitudo poteſtatis eccleſiaſticæ, complectitur in ſè plenitudinem duplicis poteſtatis, ſcilicèt ordinis, & juriſdictionis, tàm in foro interiori, quàm exteriori, quæ circà quemlibet de Eccleſiâ poteſt immediatè, & abſque limitatione exerceri, clave non errante.* Item: *Plenitudo poteſtatis Eccleſiæ, ſic propriè ſumpta, non poteſt eſſe de lege ordinariâ, niſi in unico Summo Pontifice: Alioquin eccleſiaſticum regimen non eſſet Monarchicum &c. Nec tamen plenitudo poteſtatis Papalis, ſic intelligenda eſt immediatè ſuper omnes Chriſtianos, quod pro libito poſſit juriſdictionem in omnes, per ſè, vel alios extraordinarios paſſim exercere. Sic enim præjudicaret Ordinariis, qui jus habent immediatum, imò immediatiſſimum, ſuper plebes eis commiſſas, actus hierarchicos exercendi. Extenditur igitùr plenitudo poteſtatis Papæ ſuper omnes inferiores, ſi, quandò ſubeſt neceſſitas, ex defectu Ordinariorum inferiorum, vel dùm apparet evidens utilitas Eccleſiæ* (h).

25. *Petrus de Alliaco*, ſeù Alliacenſis, Cardinalis, & Epiſcopus Cameracenſis, Gallus, vir ſcientiâ, & probitate memorandus, qui floruit anno 1410. de prætaxatâ plenitudine poteſtatis, ſermocinatur ut infrà: *Dominus contulit Petro pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus, auctoritatem diſponendi Miniſtros Eccleſiæ, & determinandi juriſdictionem, dicens, paſce oves meas; ideſt ſis paſtor generalis, ad quem pertineat diſpoſitio, & regimen generale ovium, & ovilis &c. Et itâ in Petro fuit iſta plenitudo poteſtatis, quam tamen poſteà diviſim aliis dedit, vocans eos in partem ſollicitudinis* (i). Omittimus Alvarum Pelagium (*l*), Franciſcum Titelmanum (*m*), Stanislaum Hoſium (*n*), Joannem de Neapoli (*o*), Michaelem Maculrerum (*p*). Omittimus infinitos alios recentiores Theologos, & Canoniſtas, apud quos tanta certitudo eſt exiſtentiæ plenitudinis poteſtatis in Romano Pontifice, ut nullam ambiguitatis ſpeciem admittat.

(a) S. Bernardin. in Mariali part. 3. ſermon. 3.

(b) Jo. Trithem. de Script. Eccleſ.

(c) S. Jo. de Capiſtr. de Pap. & Conc. auctor. par. 2 f. 38.

(d) S. Joan de Capiſtr. loc. cit. par. 3 f. 93. & 94.

(e) S. Antonin in ſumma tit 23 c 3 § 3.

(f) S. Laur. Juſtin lib. de obedient.

(g) B. Albert. Magn. in cap. 36. Matthæi.

(h) Joan Gerſon. tom. 1. fol. 125. 126. 145. & tom. 4. in arbor. de poteſt. Eccl f. 109.

(i) Petrus Alliac de Eccl Auct. p. 3 c 1. eſt inter oper. Jo. Gerſon. tom. 2 in fin.

(l) Alvar Pelag. de planc. Eccl. lib 1. c 58.

(m) Titelman in Cãtic. c. 7.

(n) Hoſius in Confeſſ. Cathol.

(o) Vide ſupr. To. 1. Sæcul. 14. c. 42. n. 21.

(p) Maulder de Monarch. Eccleſ. p. 2. l. 4. cap. 8.

SUM-

SUMMI PONTIFICES.

26. Poſt Sanctos Patres, & Eccleſiaſticos Scriptores, jam Summorum Pontificum de ipſometargumento ſententias inferamus. *S. Julius Papa I.* qui Pontificatum ſuſcepit anno Chriſti 336. ità aliquandò decrevit: *Qui ſe ſcit aliis eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat aliquem eſſe ſibi prælatum. Ipſa namque Eccleſia, quæ prima eſt, ità reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit largiendas, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis* (*a*). Hoc decretum, tamquàm editum ab ipſo Julio, citat S. Joannes de Capiſtrano, in tractatu de Papæ, & Concilii, ſive Eccleſię auctoritate (*b*), paſſimque alii antiquiores illud uti fœtum Julii notabant. Nùnc tamèn communitèr habetur pro fragmine epiſtolæ *Vigilii Papæ* ad Etherium (*c*), quod utcumque sè habeat, cum Vigilius Pontificiis tęniis decoratus effulſerit anno Chriſti 540, Sanctio eſt pluſquàm antiqua, quippè in eâ jam ſaltèm à duodecim Seculis reperitur in præciſis terminis memorata plenitudo Apoſtolicæ poteſtatis.

(a) *Cap. qui ſe ſcit, 12. cauſ. 2. qu. 7*

(b) *S. Jo: de Capiſtr; de Papę, & Conc. auctor. p. 2 f. 38*

(c) *Vide Notas ad Gratian. poſt dict. cap qui ſe ſcit. 2. qu. 7*

S. Leo Papa I. Cognomine Magnus, vir facundiſſimus, & ſanctiſſimus, ad Summi Pontificatus apicèm provectus anno Chriſti 440. Anaſtaſio Theſſalonicenſi, qui adverſus Atticum Nicopolitanum, Veteris Epiri Metropolitam, judicialitèr exceſſerat, hæc intèr cœtera ſcriptis literis intimavit: *Etiam ſi quid grave intolerandumque geſſiſſet, noſtra erat expectanda cenſura, ut nihil prius ipſe decerneres, quàm quid nobis placeret agnoſceres. Vices enim noſtras ità tuę credidimus charitati, ut in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis* (*d*).

(d) *S. Leo l. ep. 84. c. 3 ad fin.*

27. *S. Gregorius Papa I.* cognomento & ipſe Magnus appellatus, vir doctrinâ, & Sanctitate nulli ſecundus, qui Pontificalem dignitatem auſpicatus eſt ann. Chriſti 590. verbis individuis plenitudinem poteſtatis non legitur memoraſſe, verùm quod verbis conticuit, lautè operibus conclamavit, adeò ut de illo non formidaverit Thomaſſinus, de veteri, & novâ Eccleſiæ diſciplinâ, hæc effari: *indubitatum certè eſt, neminem Pontificum Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & univerſalitate, tàm longè, latèque regnaſſe, quam Gregorium* (*e*). *Hàc plenitudine poteſtatis* (inquit D. Thomas) *conceſſit B. Gregorius, quod ſimplices Sacerdotes Sacramentum* Confirmationis *conferrent* (*f*).

(e) *Ludov. Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 1 l. 1. c. 6. n. 21*

(f) *S. Thomas 3. p. de Sacram qu. 13. art. 11. ad primum*

Gregorius Papa IV. ad Summi Sacerdotii culmen evectus anno Chriſti 827. hanc ſanctionem, favore Aldrici Epiſcopi Cenomanenſis, emiſit: *Si quid, quod abſit, grave intolerandumque ei objectum fuerit, noſtra erat expectanda cenſura, ut nihil priùs de eo, qui ad ſinum Sanctæ Eccleſiæ Romanę confugit, & ejus implorat auxilium, decernatur, quàm ab ejuſdem Eccleſię auctoritas fuerit præceptum: quæ vices ſuas ità aliis impertivit Eccleſiis, ut in partem ſint vocatę ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis* (*g*).

(g) *Gregor. IV. rel. in cap. decreto 11. cauſ. 2.*

Joannes Papa VIII., qui Pontificalem tiaram induit anno Chriſti 872. plenitudinis poteſtatis memoriam facit in epiſtolis à sè datis (*h*). Ità prętèr Sanctos Patres ſuperius memoratos, ſaltèm quatuor, vel quinque Papas habemus, qui hac voce *plenitudinis poteſtatis* uſi ſunt, plurimis Sæculis, antequàm oriretur Cœleſtinus Papa III. quem Contradictores dicunt fuiſſe primum, ex cujus calamo, & ore, utraque hęc vox pullulaverit. Sed proſequamur ſeriem Pontificum.

(h) *Joan. VIII. ep. 219*

28. *Cœleſtinus Papa III.* Pontificatum adeptus anno Chriſti 1191. hac plenitudine poteſtatis pontificalis uſus eſt, dùm, referente Rogerio, in Eccleſiâ Cantuarienſi, *fretus ſuâ poteſtate, de cujus amplitudine dubitare fas non eſt, Decanatum contulit* (*i*).

(i) *Roger. Oveden. in Annal.*

Innocentius Papa III. cujus Pontificatus incæpit anno 1198. non ſemel, & iterùm, ſed penè centiès hujuſmodi plenitudinem poteſtatis pontificalis aſſeruit, & eam coram Regibus, & Patriarchis, & Epiſcopis, & Abbatibus, & demum totâ

Eccleſiâ, tuitus eſt, & exercuit. Nàm Leoni Regi Armeniæ ſcripſit: *Romani Pontifices ſucceſſores Petri, & Vicarii Jeſu Chriſti, ſibi invicem per ſucceſſivas varietates temporum ſingularitèr ſuccedentes, ſuper Eccleſiis omnibus, & cunctis Eccleſiarum prælatis, imò etiam fidelibus univerſis, à Domino Primatum, & Magiſtratum acceperunt, vocatis ſic cæteris in partem ſollicitudinis, ut apud eos plenitudo reſideat poteſtatis* (a). Vulcano Dalmatiæ, & Diocliæ Regi, ſcripſit: *Romani Pontifices, Vicarii Jeſu Chriſti, in Beato Petro Apoſtolorum Principe, ab ipſo Domino receperunt plenitudinem poteſtatis, & conſtituti ſunt ſuper gentes, & regna, ut juxtà verbum propheticum, evellant, & deſtruant, ędificent, & plantent &c,* (b). Thomæ Maurocœno Patriarchę Conſtantinopolitano ſcripſit: *Prærogativa dilectionis, & gratiæ, quam Apoſtolica Sedes exhibuit Eccleſiæ Byzantinæ, cum eam in patriarchalem Sedem erexit, eccleſiaſticæ plenitudine poteſtatis, quam non homo, ſed Deus, imò veriùs Deus homo in B. Petro Eccleſiæ Romanæ conceſſit, evidenter atteſtatur, & quod Pontifex Romanus ejus Vicarius ſit oſtendit, qui & primos noviſſimos, & noviſſimos facit primos* (c).

29. Item Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus &c. Regni Franciæ ſcripſit: *licèt commiſſa nobis à Domino poteſtatis eccleſiaſticæ plenitudo univerſis Chriſti Fidelibus nos conſtituerit debitores &c.* (d). Archiepiſcopo Compoſtellano ſcripſit: *licèt unum ſit corpus Eccleſiæ, in quo Chriſtus eſt caput, & univerſi fideles ſunt membra; ille tamen, qui à Chriſto Petra dictus eſt Petrus, etiam à Chriſto capite vocatus eſt caput, ipſo teſtante, qui ait: Tu vocaberis Cephas, quod ſecundum unam interpretationem exponitur caput, quià ſicut plenitudo ſenſuum abundat in capite, ad cætera verò membra pars aliqua plenitudinis derivatur; ità cæteri vocati ſunt in partem ſollicitudinis, ſolus autèm Petrus aſſumptus in plenitudinem poteſtatis* (e). Epiſcopis Schalaholtdenſi, & Holenſi in Iſlandiâ ſcripſit: *Romana Eccleſia, tamquàm Magiſtra, non humanâ, ſed Divinâ diſpoſitione, univerſis, & ſingulis per orbem Eccleſiis eſt prælata &c. cujus Paſtor ità ſuas aliis vices diſtribuit, ut cæteris vocatis in partem ſollicitudinis, ſolus retineat plenitudinem poteſtatis* (f). Epiſcopo Tripolitano in Syriâ, anteà Epiſcopo Apamienſi, malè per Patriarcham Antiochenum de unâ ad aliam Sedem tranſlato, ſcripſit: *Quamvis ſecundum ſacrorum Canonum inſtituta, utrâque carere deberes, de plenitudine poteſtatis à prioris vinculo te ſolventes, auctoritate præſentium tibi duximus concedendum, ut de benignitate Sedis Apoſtolicæ, quaſi novo conſenſu Tripolitanam Eccleſiam de cæterò, tamquàm proprius Pontifex &c. ſtudeas gubernare &c.* (g). Sed quid ſi vellemus ſingula loca ſcrutari, in quibus Innocentius Papa III. de plenitudine poteſtatis eloquitur? Pagina creſceret in immenſum, & non minùs tædium legentibus, quàm faſtidium audientibus generaret.

30. Silemus alios Pontifices ſubſequentes, quibus obvius, & frequens fuit uſus verborum, plenitudinem poteſtatis Pontificię exprimentium. Silemus *Clementem* Papam IV. profitentem, quod *beneficiorum eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio ad Romanorum noſcitur Pontificem pertinere* (h). Silemus Clementem Papam V. in Concilio Generali Viennenſi definientem de Romani Pontificis poteſtate, quod ad eum omnium *beneficiorum eccleſiaſticorum plena, & libera diſpoſitio, ex ſuæ poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere* (i). Silemus *Clementem* Papam VI. Eduardo III. Anglorum Regi hæc ſcribentem; *Ad Romanum Pontificem omnium Eccleſiarum &c. & beneficiorum eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio noſcitur pertinere* (l). Silemus Eugenium Papa IV. Alphonſo Regi Luſitaniæ denuntiantem: *Jura tribuunt Sedi Apoſtolicę, & Petri Succeſſoribus liberam Eccleſiarum omnium diſpoſitionem* (m). Liberam, ideſt plenam, pleniſſimam, ſupremam, & abſolutam, ac nulli legi ſuppoſitam (n). Silemus Bullam Sixti Papa V. quâ de *plenitudine poteſtatis* addicit ſolis Valentinis beneficia Regni Valentiæ (o). Hæc ſilemus, & ſufficiat produxiſſe plures Pontifices in ipſis antiquioribus Eccleſię Sæculis, & per multa annorum centena antè Cœleſtinum III. poteſtatis Pontificalis plenitudinem indivi-

duè

(a) *Innoc. III epiſt. ad Leon. Reg. Armen tom. 1 fol 402,*

(b) *Innoc. III. epiſt. ad Vulcan. Dalmat. Reg. tom. 1 f. 252*

(c) *Idem ap Raynal. an 1205. n. 16*

(d) *Innoc. III tom. 1 epiſt fol. 168.*

(e) *Idem loco citat. fol. 350.*

(f) *Idem ubi ſuprà fol. 150.*

(g) *Innoc. III loco citat f. 243.*

(h) *Capit. licet 2. de præbend. in 6.*

(i) *Clementin. I. Ut lite pend. in fin.*

(l) *Raynald. an. 1344 num. 58.*

(m) *Raynal. an. 1440 num. 3.*

(n) *Socin conſ. 170. n. 8 lib. 2. Roland. lib. 1. conſ. 42. n. 17.*

(o) *Sixtus V. Conſtit. 64.*

Digitized by Google

duè, atque verbis expreſſiſſimis memorantes. Sufficiat circà ipſam ętatem Cœleſtini, produxiſſe Innocentium III. non in angulo, non ſub modio, ſed in propatulo, & ſuper candelabrum, coràm primariis Eccleſię Pręſulibus, Conſtantinopolitano, & Antiocheno, Compoſtellano &c. coram Epiſcopis Galliæ, Iſlandiæ, ac Syrię, coram Regibus tandèm Dalmatię, & Armeniæ, plenitudinem ſuę poteſtatis, & prędicantem, & exercentem. Sufficiat demùm allegaſſe Pontifices, plenitudinem poteſtatis, ſive *plenariam*, & *liberam* diſpoſitionem omnium beneficiorum, & proteſtantes, & tuentes, ad Romanum Pontificem pertinere; ut appareat quàm juſtè, & quàm inconcuſſo fundamento nititur plenitudo poteſtatis, quàm Contradictores omni conatu, ſi poſſent, evertere niterentur.

CONCILIA, & CANONES.

31. Sanctis Doctoribus, & Summis Pontificibus, *Concilia* ſubnectemus: inprimiſque occurrit *Concilium Nicœnum* Generale I. habitum anno Chriſti 325. cujus Canon 39. ex Arabico ſic effatur: *Patriarcha eſt loco Patris, qui tamquàm filiis præeſt omnibus, qui ſunt ſub poteſtate ejus. Sicut qui Sedem Romæ tenet Superior eſt, & Princeps omnium Patriarcharum, ſiquidem ipſe eſt primus, ut Petrus, cui datus eſt principatus in omnes Principes Chriſtianos, & eorum populos, quià eſt Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper populos ejus, & ſuper omnes Eccleſias Chriſtianorum. Et quicumque contradixerit huic Canoni, Sancta Synodus eum excommunicat* (*a*). Scimus in dubium vocari fidem Canonum Nicœnorum, qui excedunt numerum vigeſimum, eo quod totidem tantum fuiſſe aſſerat Theodoretus (*b*). Et totidèm Nicœnis Canonibus, tùm Dionyſius Exiguus, tùm Iſidorus Mercator, eorum collectiones canonum inſpersère. Viginti pariter, & non ultrà Gelaſius Cyzicœnus; & Rufinus Aquilejenſis adnumerant (*c*). Nec plures Atticus Conſtantinopolitanus, & Cyrillus Alexandrinus Patribus Concilii VI. Carthaginenſis, eos depoſcentibus, tranſmiſerunt (*d*). Sed ſcimus etiam plures quàm viginti Canones, velut à Nicœnis Patribus editos, fuiſſe à Dalmatio Cyzicœno ſuę Canonum collectioni conſertos (*e*). Et certè plures quàm viginti oportet ipſos fuiſſe, cum ab Euſebio (*f*), Ambroſio (*g*), Hieronymo (*h*), Auguſtino (*i*), & à Patribus Concilii III., & IV. Carthaginenſis (*l*), quidam Canones allegentur, tamquàm ex Nicœnis, qui tamèn inter viginti Nicœnos vulgatiſſimos non leguntur.

(a) *Concil. Nicæn. ex Arabic. c. 39.*

(b) *Theodoret. hiſt. lib. 2. c. 8.*

(c) *Ruffinus Hiſtor. lib. 1. c. 6.*

(d) *Acta Conc. Carthag. 6.*

(e) *Cabaſut. notit. Eccleſ. Sæcul. IV. de num. Can. Nicęn.*

(f) *Euſeb. Vit. Conſtant. lib. 3.*

(g) *S. Ambroſ. epiſt. ad Epiſcop. Vercellen.*

(h) *S. Hieronym. epiſt. 3.*

(i) *S. Auguſtinus epiſt. 118.*

(l) *Concil. Carthag. 3 cap. 48 & Carthag. 6. can. 3.*

32. Et ſinè dubio ex epiſtolâ Julii Papæ I. ad Orientales, & ex aliâ ejuſdem, ad Synodum Antiochenam, Canones Nicæni numerum ſeptuagenarium attingunt (*m*). Quam primam Julii epiſtolam, licèt David Blondellus Calviniſta corrodat, morſibuſque impetat impuriſſimis, ſuo potiùs æſtui, quam veritati ſubſerviens; tamèn hoc unum eſt, quod & ex epiſtolâ Liberii Papæ ad Athanaſium (*n*), & ex aliâ Athanaſii ad Marcum Papam, ſeptuaginta eſſe numero, Nicæni Canones evincuntur (*o*). Et quoàd Canones Nicęnos, ex Arabico in latinum tranſlatos, eos dicitur primò Romæ illuxiſſe tempore Pii Papæ IV. (*p*). Turrianus verò affirmat eos anteà cuſtoditos in Bibliothecâ Marcelli Papæ II. tùm addit: *reperit poſteà Pater Baptiſta Romanus Societatis Jeſu Alexandrię eoſdem Canones Nicęnos integros, Arabicè quoque ſcriptos, quos ex libro Patriarchæ Alexandrini idem P. Baptiſta deſcripſit, & huc attulit Romam* (*q*). Et alibi de iiſdem Canonibus hęc eloquitur: *Negabunt fortè Magdeburgenſes veros eſſe Canones Nicænos, qui antè paucos annos ex libro Patriarchæ Alexandrini Arabicè deſcripti, & hùc allati ſunt. Sed quid mirum ſi negent, qui non poſſunt aliter dogmata ſua falſa defendere, niſi epiſtolas Pontificum Apoſtolicorum, & Sanctorum Apoſtolorum Canones, imò omnes veteres Patres, quicumque eis contradicunt, nævis, & corruptelis plenos eſſe calumnientur, qui neque Sacris, & Canonicis Stripturis parent? Quid verò fidem faciat omnibus, qui judicii aliquid habeant, eſſe iſtos Arabicè ſcriptos, nuper repertos*

(m) *Julius Papa I. epiſt. 1. & 2.*

(n) *Liberius Papa epiſt. ad Athanaſ.*

(o) *S. Athanaſ. epiſt. ad Marcum.*

(p) *Vid. tom. 1. Concil. f. 351.*

(q) *Franciſc. Turrian. adv. Magdeburg. prò epiſt. Rom. Pont. lib. 3. c. 8.*

pertos, veros Canones Nicænos, dicam poſteà loco proprio &c. Illu d tantùm nunc dicam, ut in ore duorum, vel trium &c. ſtet omne verbum, unum ex his Canonibus Nicænis in Arabico repertis, citari à B. Baſilio in epiſtolâ ad Corepiſcopos: is autem eſt Canon de Clericis ordinandis, ac ducendis ad Corepiſcopum, & à Corepiſcopo ad Epiſcopum: item alium citari à B. Auguſtino, qui eſt dè non relinquendo ſucceſſore ab Epiſcopo (a). Hos Canones Arabicos Abraham Echellenſis Syrus Orthodoxus, cenſet fuiſſe à S. Jacobo Niſibitâ collectos, qui Nicænæ Synodo interfuerat (b). Utcumque res sè habeat, quantum ad negotium noſtrum, nobis ſufficit prefatum Canonem 39. ex Arabicè ſcriptis, tamquam ex Nicænis allegari à Viris doctis, & eruditis, quos inter Franciſcus Amicus (c), Joannes Baptiſta Gonet (d), Alanus Copus, Franciſcus Turrianus, & alii: ſatiſque nobis eſt paritèr, in Canone ipſo poteſtatis plenitudinem contineri, ſi non individuis verbis, ſaltem æquipollentibus, & talibus, quę eidem plenitudini Pontificalis poteſtatis reddunt congruum teſtimonium.

33. *Concilium Palmare* Romæ in Vaticano habitum eſt, ſub porticu S. Petri anno 502. in quo dilutæ ſunt calumnię Symmacho Pontifici impactæ. Ennodius autem Ticinenſis, juſſu alterius Concilii, Romæ anno ſequenti celebrati, mirâ eloquentiâ, & Pontificis innocentiam, & Schiſmaticorum dicteria, & ipſius Synodi Palmaris rectitudinem, apologetice comprobavit, intèr cætera, ſic exaggerans: *Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem Sedis ejus, factam toto Orbe venerabilem, dùm illi quidquid fidelium eſt, ubique ſubmittitur, dùm totius Corporis Caput eſſe deſignatur, de quâ mihi videtur dictum per Prophetam: Si hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium, & ubi relinquetis gloriam veſtram* (e)? Si Papa, ejuſque Sedes totius Corporis Eccleſiæ Caput eſt; ſi ei ubique ſubmittitur quidquid fidelium eſt; nonne diverſis verbis poteſtatis Pontificiæ deſcribitur plenitudo?

Concilium Melfitanum Melfiæ in Apuliâ indictum eſt anno 1090. ſub Urbano Papâ II. in quo inter cætera hoc decretum Synodalitèr eſt ſancitum: *Nullus laicus decimas ſuas, aut Eccleſiam, aut quidquid Eccleſiaſtici juris eſt, ſinè conſenſu Epiſcopi, vel Romani conceſſione Pontificis, Monaſteriis, aut Canonicis offerre præſumat. Quod ſi quis Epiſcopus improbitatis, & avaritiæ causâ, conſentire noluerit, Romano Pontifici nuncietur, & cum ejus licentiâ, quod offerrendum eſt offerat* (f). Hic plenitudo poteſtatis Pontificalis expreſſis dictionibus non habetur, tacitis tamen ſatis manifeſtè enuntiatur: non niſi enim de plenitudine poteſtatis, poterat Pontifex conſenſum, ab Epiſcopis Diœceſanis, prò decimarum, vel Eccleſiarum traditione negatum, ipſe interponere, & factum auctorizare, cui Ordinarii conſenſio deficiebat.

34. *Concilium Lateranenſe IV.* habitum eſt anno 1215. cui tàm Latinorum, quàm Græcorum ingens numerus Epiſcoporum interfuit: In eo autem ſancitum eſt: *Sacrâ univerſali Synodo approbante*, quod *Romana Eccleſia, diſponente Domino, ſuper alias omnes ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, utpotè Mater univerſorum Chriſtifidelium, & Magiſtra*: eodemque decreto Innocentius Papa III. Synodo præſidens, Epiſcopo Conſtantinopolitano primum locum poſt Romæ Antiſtitem impertitus eſt, antè alios omnes Orbis Patriarchas (g). Quod non niſi de plenitudine poteſtatis potuiſſe fieri idem Pontifex eſt profeſſus, in eâ, quam ad Thomam Maurocœnum Patriarcham Conſtantinopolitanum dedit, epiſtolâ, cujus verba paulò ſuprà retulimus (h).

Concilium Lugdunenſe II. anno Chriſti 1274. generalitèr convocatum eſt, in quo Michael VIII. Paleologus Conſtantinopolis Imperator, in literis per ſuos Oratores Papæ tranſmiſſis, hæc intèr cætera, ſolemnitèr eſt profeſſus: *Ipſa quoque Sancta Romana Eccleſia ſummum, & plenum primatum, & principatum ſuper omnem Eccleſiam Catholicam obtinet, quem sè ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum Principe, ſivè vertice, cujus Romanus Pontifex eſt Succeſſor, cum*

pote-

(a) *Turrianus loc. cit. lib. 1. prò Canon Apoſt. c. 24. circ. finem*
(b) *Cabaſut. loc. cit. fol. 231. n. 21.*
(c) *Amicus de fide diſp. 6 ſect. 3.*
(d) *Gonet. Clyp. Theol. tom 4. de Sum. Pontif. diſp. 4 art. 3. §. 1. n. 28.*
(e) *Ennod. Ticinenſ. in Apologet.*
(f) *Concil. Melfit. ann. 1090. c. 5.*
(g) *Concil. Lateranenſ. 4. Can. 5.*
(h) *Vid. ſupr. in hoc cap. n. 28. in fine.*

poteſtatis plenitudine, recepiſſe, veracitèr, & humilitèr recognoſcit (*a*).

35. *Concilium Viennenſe* generale XV. celebratum eſt anno Chriſti 1311. in quo variç Conſtitutiones editæ ſunt, quæ licèt non omnes conciliaritèr prodierint, uti ſupponit, ſivè uti notat Joannes Andreæ (*b*), tamèn quantùm ad nos ſufficit, quod una earum, tamquàm edita in Concilio, Juri Communi eſt in Clementinis inſerta, ſub titulo, *Ut lite pendente &c.* ubi *plenitudo poteſtatis* Pontificalis individuè memoratur (*c*). Eam paulò antè annuntiavimus (*d*), ideò ab illâ hìc novitèr exarandâ abſtinemus.

Concilium Florentinum, Generale XVII. coadunatum eſt anno 1438. coaſſidentibus in eo Eugenio Papâ IV. cum Joanne Paleologo Imperatore Conſtantinopolitano, prolixoque numero Patrum Latinæ, & Græcç Eccleſiæ. Ibi in decreto unionis utriuſque Eccleſię definitur, *Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum Orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam, à Domino noſtro Jeſu Chiſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodùm etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur* (*e*).

36. *Concilium Lateranenſe V.* Generale XVIII. congregatum eſt anno Chriſti 1512. & in eo Bulla promulta eſt de Concordatis, inter Leonem Papam X. & Franciſcum I. Galliarum Regem iuitis, ubi Papa inter cætera hæc decernit, quod ſi Rex prædicta Concordata, eorumque literas intrà ſex menſes non approbaret, & in ſuo Regno faceret acceptari, publicari, & regiſtrari; *Literæ ipſe, & indè ſecuta quæcumque, eſſent caſſæ, & nulla, nulliuſque roboris, vel momenti, Sacro Lateranenſi approbante Concilio, Apoſtolicâ auctoritate, & poteſtatis plenitudine approbamus, & innovamus &c.* (*f*). Hujus Concilii vim, & auctoritatem, ac Generalis Synodi poteſtatem, atque honorem ſuprà tuiti ſumus (*g*). Certè autem non niſi de plenitudine poteſtatis valuit Leo jus canonicè electionis in cunctis Eccleſiis Epiſcopalibus, & Abbatialibus Franciæ abrogare; totamque facultatem deſignandi earum prælatos jure patronatus in Regem Gallicum excirare, obſtrepentibus Preſulibus, & Clero Gallicano, ſeù eorum quâdam parte, ut videre eſt apud Genebrardum (*h*), & Thuanum (*i*), quorum ejulatus, prò tuendis Concordatis diſpeſcuit Andreas Sauſai Epiſcopus Tullenſis in ſuâ Panopliâ Epiſcopali (*l*).

37. *Concilium Tridentinum*, ultimum Generale incæptum anno 1545. ſupremam Sedis Apoſtolicę auctoritatem in pluribus decretis agnovit (*m*), & dicendo ſupremam, quid niſi plenam confeſſum eſt? Ad eam Synodum aliquandò interruptam, rurſus reaſſumendam, & continuandam, Julius Papa III. Bullam edidit, in quâ ex certâ ſcientiâ, & *de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine*, ſtatuit diem prò ſeſſione undecimâ celebrandâ, & aliis ſucceſſivè tenendis (*n*). Inde S. Pius Papa V. decreto dicti Concilii, habito *ſeſſ.22. cap.2.* inhærens, ejus contenta, prò Clericis Sæcularibus facientia, ad Regulares etiam non profeſſos, *de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine* extendit (*o*). Pius Papa IV. vim decreto Concilii prò reſidentiâ Antiſtitum, & Beneficiarorum, curâ animarum, vel aliàs ad reſidentię debitum adſtrictorum, edito, adjungens, *Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine* pręfatos ad reſidendum peculiari Conſtitutione coegit, & contraria indulta de eâdem poteſtate, reſcidit (*p*). Iterùmque aliâ Conſtitutione, *de poteſtatis plenitudine*, Auditori Cameræ impoſuit, ut inobedientes declararet, pęnas non reſidentibus inditas incurriſſe (*q*). Demùm idem Pontifex, ad roboranda decreta ipſiuſmet Concilii, revocantia exemptiones, & privilegia quædam, variis locis, & perſonis uſque tunc impertita; eadem, peculiari Conſtitutione, *de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine*, revocavit (*r*).

38. Ad ultimùm *Canones* hìc adjungimus, *de Plenitudine Poteſtatis* in Romano Ponti-

(a) *Raynald. an. 1274. num. 14.*

(b) *Joan. Andr. in exordio Clementinar.*

(c) *Clement. I. Ut lit pend. in fine.*

(d) *Vid. ſupra in hoc cap. n. 30.*

(e) *Concil. Florent. ſeſ. 25. in literis. unionis.*

(f) *Conc. Later. 5. ſeſ. 11.*

(g) *Vid. ſupr. tom. 2. Sæcul. XVI. c. 2.*

(h) *Gilbert. Genebr. in Chron. ſub Leon. X.*

(i) *Thuanus Hiſtor. lib. 2.*

(l) *Sauſai Panoplia Epiſcopalis lib. 2.*

(m) *Conc. Trid. ſeſ. 24 cap. 1. & 7. &c.*

(n) *Bulla Julii III. ant. ſeſ. 11. Conc. Trid.*

(o) *Bulla S. Pii V. in fin. Conc. Trid.*

(p) *Bulla Pii IV. in fin. Concil. Trident.*

(q) *Bulla ejuſd. in fin. ipſius Concil.*

(r) *Bull ipſius Pii IV. in fin. ejuſd. Conc.*

Pontifice reſidente, verbis præciſiſſimis eloquentes, nempè *cap. decreto 2. qu.6. cap. multum 3. qu.6. cap. propoſuit de conceſſione præbendarum, cap. licet de præbendis in 6. cap. ad honorem de auctoritate, & uſu pallii, cap. unic. verſ. & ideò. Ut benef. ſin. dimin. confer. Clementina ſi duobus Ut. lit. pendent. nihil innovetur*: quos expendunt, & ſequuntur, Abbas, Fagnanus, Gonzalez, & alii Canonum interpretes (*a*). Conſonantque *Lotter de rè benef. lib.2. qu.22. num. 25. Barboſ. Jur. Eccleſ. univerſ. lib.1. cap.2. num.100. & 118. Caſtrenſ. Conſ.467. Viſo puncto col.3. in fin. & col.4. in princ. Tuſc. lit.P. concl.43. num.7. Moſcun. de Majeſt. Eccl. milit. lib.1. cap.1.§.in conc. fol.4. Decius in Cap. Canonum de conſtit. num.20. Marta de Juriſd. par.4. cent.2. cap.95, num.7. 14. 19. & 23.* qui affirmat Plenitudinem Pontificiæ poteſtatis *ſoli Summo Pontifici convenire, qui fuit Succeſſor illius ſummæ, atque ſupremæ poteſtatis, & juriſdictionis, datę Chriſto Domino noſtro à ſuo Patre æterno*. Ex quibus ſatis eniteſcit, juridicè, rationabilitèr, fundatiſſimè, ac inconcuſſo, & pluſquàm inconcuſſo titulo, adſcribi Summo Pontifici per omnes Catholicos plenitudinem poteſtatis, in eâque aſſerendâ, & tuendâ convenire Patres, Concilia, Pontifices, Canones, Juriſconſultos, Theologos, & totam prorsùs Eccleſiam. Quibus etiam patet, quod nullâ ſcatent novitate præfatâ verba *plenitudinis poteſtatis*, ſed antiquiſſima, & vetuſtiſſima ſunt; non à Cæleſtino Papâ III. adinventa, neque ab eo primùm adhibita, quippè, & Patres, & Papæ, & Concilia, multis ſæculis Cæleſtinum præcedentia, eam, vel ipſiſſimis, vel verbis equipollentibus, expreſſerunt.

(a) *Vid. alia ſupr. to. 1 Sæcul. XIII. c. 35 à n. 9 ad 35. & n. 43.*

39. Quorum tenores cum optimè cenſeri poſſit innotuiſſe Contradictoribus, utporè qui profuſo ſermone ingentia fragmina Sacræ antiquitatis ſuis paginis inſperſerunt; nihil aliud poſſumus hìc probabilitèr opinari, niſi quod ea, quæ ipſi adversùs illam ſcripſerunt, non ex conſcientiâ, neque ex verò animi ſenſu, ſed merè ad placitum, & ad opportunitatem ſuæ cauſæ dictarunt; prompti alioquin de eâdem plenitudine poteſtatis ingenuè confiteri, quod Eccleſia ſentit, quod Patres, quod Concilia, quod Canoniſtę, & Theologi, quod cuncti demùm Orthodoxi unanimitèr profitentur: Ac ipſi eorum Antenati ſapientiores ingenuè faſſi ſunt, prout S. Thomas Aquinas jam ſuperiùs recenſitus, & Joannes de Neapoli, dicens, quod *Papa habet ſpirtualem poteſtatem plenariam juriſdictionis ſuper totam Eccleſiam, quodque ad hanc poteſtatem pertinent omnia reſpicientia regimen Eccleſiæ, & hæc plenaria, & totalis in ſolo Papâ eſt: in aliis autem Prælatis eſt partialis, & limitata, & à Papâ derivata* (*b*). Præſertim cum nullus forte ſit locus, in quo oportuerit Papas impenſius uti plenitudine poteſtatis, quam in Regno Neapolitano, maximè favore Principum, qui eidem Regno præfuerunt. Nàm cum antiqui Reges Apuliæ aliqua beneficia conferrent (*c*), ut ipſi quoque recenſent Contradictores; hæc facultas in Regibus illis non potuit excitari niſi à Papâ, & quidem de plenitudine poteſtatis (*d*). Prætereà cum Carolus II. Andegavenſis propter pacta non ſervata, ſe à juribus Regiis metueret decidiſſe; Bonifacius Papa VIII. ei caducitatem, pœnaſque omnes de plenitudine poteſtatis remiſit (*e*). Eugenius Papa IV. Inveſtituram Regni Alphonſo I. Regi concedens, sè id facere de poteſtatis plenitudine declaravit (*f*), Honorius Papa III. in confirmatione Capitulorum Regni, clauſulam appoſuit de plenitudine poteſtatis (*g*). Quę Capitula etiam Ferdinandus I. Rex mandavit ſequentibus temporibus obſervari (*h*).

(b) *Joan. de Neapol. qu. 39 p. 2. Vide ſupra hoc tom. 1. Sæcul. XIV. cap. 42. n. 21. 22. 23.*
(c) *Gloſs in cauſ. 16 q. 7. Verb. Eccleſia Afflict. ad Conſtit. Regn. prelud qu 15 n. 1. & 2*
(d) *Vid. ſupr. tom. 1. Sæcul XIII c. 38. à nu. 23 ad 28.*
(e) *Bonif. 8. 8. Kal. April. Pontif. an. 1.*
(f) *Eugen. IV. l. 26. epiſt. f 2.*
(g) *Honor. III. lib. 1. epiſt 93. Raynald. ann. 1285 à 4. 56.*

40. Pariter quod Rex Neapolis aſſenſum Regium valeat interponere in proviſione Eccleſiæ Luceriæ Saracenorum, Benedictus Papa XI. de plenitudine poteſtatis indulſit (*i*). Quod de quibuſdam aliis beneficiis, in eodem Regno poſitis, Reges valeant prò eorum voluntate diſponere, à conceſſione Pontificiâ de plenitudine poteſtatis factâ ſunt aſſecuti (*l*). Alia permulta ſimilis tenoris reperiet ſedulus rerum antiquarum ſcrutator, & quiſquis Inveſtituras, Indulta, Diplomata, Brevia, Paginaſque percurret, quas Romani Pontifices Regno, Regibus, ac Regnicolis conceſſerunt. Hiſque ità sè habentibus, judicet benignus Lector quantâ ratio-

(h) *Rovit. Pragmat. Regn de Cler. & Diac. Prag. 2 § 16. f. 78.*
(i) *Ughel. Ital. Sacr. tom 9. in Epiſc. Luceriæ f 453.*
(l) *Ughel Ital. Sacr. tom. 7. in Archiep. Bari & in Epiſc. Luceriæ tom. 8. Vid. hic ſupra tom. 2. c. 24. n. 9. 11*

ratione, ac æquitate Contradictores plenitudinem poteſtatis Pontificiæ audeant vellicare. Sed jam de plenitudine poteſtatis Papæ ſit ſatis dictum: de quâ etiam intueatur Lector, ſi ei placet, quę alibi per totum præſens Opus ſparſim locuti ſumus. Tempus eſt enim, ut tandem Objectionem, initio pręſentis Capituli propoſitam diluamus, à quâ ſtatim enodandâ neceſſitas nos diſtraxit, ut prius oſtenderemus, quid ſit plenitudo poteſtatis: undè, & quando emerſerit: quidque de de illâ Patres ſenſerint? Quid Pontifices, quid Canones, quid Concilia. Sequenti ergò Capitulo id adimplebimus, & ad quid ſe plenitudo Pontificię poteſtatis extendat conſentaneè differemus.

C A P U T XVI.

In quo reſpondetur Objectioni, ſive Argumento, initio Capituli antecedentis propoſito. Atquè oſtenditur, uſque ad quos limites ſe extendat Plenitudo Poteſtatis, quæ in Summo Pontifice reperitur.

S U M M A R I U M.

1 *Plenitudo poteſtatis Pontificiæ non eſt effrenata, nàm coercetur juribus Divino, & naturali, ac æquitate. In quolibet Principe ultrà poteſtatem ordinariam, eſt abſoluta poteſtas.*

2 *Etiam in Deo poteſtates ordinaria, & abſoluta diſtinguuntur, cum alia ſecundum; alia ſuprà, vel præter ordinem naturæ peragit.*

3 *Papa tamquàm Pontifex, & Chriſti Vicarius, duplici præditus eſt poteſtate, ordinariâ, & abſolutâ, quæ tamen ſuos habet limites.*

4 *Tirannorum eſt omnia pro arbitrio agere. Papa Sanctiſſimus, & Beatiſſimus dicitur, qui talis eſt, vel talem ejus dignitas eum facit.*

5 *Variæ prerogativę, denominationes, & epitheta, de Romano Pontifice prædicantur, ſic ut quodammodo Deus terrenus eſſe videatur.*

6 *Papa eſt infallibilis. Judicium ejus cæleſte arbitrium appellatur. Quod ipſe judicat, à Chriſto judicari videtur.*

7 *Plenitudo poteſtatis, non facit quod Papa ſit Dominus abſolutus omnium Eccleſiæ bonorum, ſed ſolum quod ſit eorum diſpenſator ſupremus.*

8 *Etſi Papa ſit ſummus diſpenſator bonorum Eccleſiæ, non valet tamen de ipſis injuſtè diſponere, etiam vi plenitudinis poteſtatis.*

9 *Plenitudò poteſtatis non tribuit Summo Pontifici dominium abſolutum cunctorum Eccleſiæ bonorum, ut probat Sotus.*

10 *Canones non adſcribunt Pontifici abſolutum dominium bonorum Eccleſiæ, ſed ſolummmodo plenam eorum diſpoſitionem, idemque ſentiunt Canoniſtæ.*

11 *Si fortè minus caſtigatè circà hęc ſunt locuti aliqui Canoniſtæ; illorum verba ſunt ad ſenſum congruum reducenda.*

12 *Bona Eccleſiarum non pertinent ad fideles componentes Communitatem illius loci, ubi erecta ſunt beneficia, quidquid ſcripſerit Joannes Pariſienſis.*

13 *Principes non habent dominium bonorum Eccleſiæ: quid de hâc rè ſcripſerit Hincmarus Remenſis. Neque Communitates locorum illud habent.*

14 *Dominium bonorum Eccleſiæ eſt apud Chriſtum, & ità ſentiunt Canones, Pa-*

tres,Concilia,Theologi,Juriſconſulti. Nec data ſunt Eccleſię cum ullo onere.

15 *Innuitur ingens antiquus liber Monaſterii Farfenſis,in quo ſcriptæ ſunt infinitę donationes bonorum, factæ illi Cœnobio à fidelibus .*

16 *Fideles Eccleſiis bona ſua donabant, liberè, ſolo intuitu pietatis, & abſque ullo onere, vel obligatione, ut patet ex dicto libro .*

17 *In præfatis conceſſionibus legitur clauſula* ad habendum *, cum liberâ traditione, & translatione dominii in Eccleſiam .*

18 *Bona ergò data ſunt liberè, & abſque ullâ obligatione Eccleſiis, ſeu Deo, non Communitatibus locorum ubi ſunt Eccleſię ipſæ .*

19 *Negatur ſuppoſitum ſuppoſiti, quod dentur Communitates Eccleſiarum, quibus debeantur beneficia. Laici non ſunt capaces beneficiorum .*

20 *Laici de plenitudine poteſtatis habilitari poſſunt ad conſequenda eccleſiaſtica beneficia, & aliqui eadem habuerunt .*

21 *Collatio beneficiorum facta extraneis, non eſt contra jus divinum, nec naturale: neque lędit jus tertii: neque fit vi plenitudinis poteſtatis .*

22 *Papa conferendo beneficia Clericis extraneis, & Principes literas naturalitatis concedendo alienigenis, non id faciunt de plenitudine poteſtatis .*

23 *Plenitudo poteſtatis adhibetur, quando fit aliquid contrà jus: non eſt autem contra jus, ſed ſecundum jus, extraneos præficere beneficiis .*

24 *Initio Eccleſiæ bona à fidelibus præbebantur Eccleſię liberè. Et Sportulæ ſolis Clericis indigentibus præbebantur .*

25 *Ob tres fines beneficia ſunt inſtituta: & quos? Nec debent ad unicum tantum finem cohiberi. An conferuntur primariò ut præmium .*

26 *Papa concurrere poteſt cum omnibus Ordinariis, qui ſicut extraneos poſſunt præficere beneficiis; ità id poteſt facere Pontifex .*

27 *Quemadmodum fundatores beneficiorum ad illa vocare poſſunt extraneos; ità etiam idipſum facere poteſt Papa .*

28 *Plenitudo poteſtatis ad quæ ſe extendat? In Papâ illâ utente, ſtat pro ratione voluntas; directa tamen à ratione .*

29 *Ex D. Paulo omnia licent, ſed non omnia expediunt. Nec omnia, quæ poteſt Papa exercere, ſemper & ubique facere debet .*

30 *Neceſſaria eſt in Eccleſiâ perſona Papę. Cum Canones non providerint pro omnibus caſibus; opus eſt ut Pontifex interdùm eos relaxet .*

31 *Ubi conſtat de voluntate, non eſt ambigendum de poteſtate Pontificis, cujus tamen plenitudo ad quatuor non ſe extendit .*

32 *Non poteſt Pontifex diſpenſare in iis, quæ juris divini ſunt, vel naturalis, ſed ſolum in iis, quę ſunt juris humani .*

33 *Quædam Apoſtoli fecerunt, uti organa Chriſti, & hæc ſunt juris divini, indiſpenſabilia à Pontifice. Alia egerunt ut Epiſcopi, & hæc ſubſunt diſpenſationi Pontificis .*

34 *Ad ea, quæ ſunt juris naturalis, plenitudo poteſtatis Pontificię non ſe effundit. Quę ſunt juris naturalis immutabilia ſunt, & indiſpenſabilia .*

35 *Nec ad ea, quæ ſtatum Eccleſię in ſubſtantialibus immutarent: ut eſt tollere Canonem ſi quis ſuadente Diabolo &c.*

36 *Neque ad ea, quæ in Eccleſiâ magnum ſcandalum excitarent, ut matrimonium cunctis presbyteris indulgere: Jejunium quadrageſimale abolere &c.*

37 *Etſi non poſſit Pontifex in jure divino, vel naturali diſpenſare, poteſt ea tamen interpretari, in caſibus particularibus .*

38 *Prętèr quatuor ſupradicta, in reliquis Papa poteſt ſuper Canonibus diſpenſare. Omnia jura in ſcrinio pectoris ſui continet: eſtque ſuper jus .*

39 *Poteſtas ineſt Summo Pontifici diſpenſandi ſuper legibus eccleſiaſticis, tametſi canonum cuſtodiam cordi habeat .*

40 *Debet Pontifex moderatè procedere in uſu plenitudinis poteſtatis, ne jus tertio*

an-

auferat, & Ordinariorum facultatem divellat.

41 *Quoàd vim directivam Pontifex ſubeſt Canonibus. Patres, Oratores, Hiſtorici, unâ voce ſuclamant, Principem debere legibus vivere, quas aliis præcipit obſervandas.*

42 *Sine juſtâ causâ Canones relaxando, in eiſque diſpenſando, Pontifex culpam incurrit pro ratione exceſſus, & ſcandali.*

43 *Improbantur diſpenſationes factæ abſque causâ. Quoties verò adeſt juſta cauſa, nedùm poteſt, ſed etiàm interdùm debet ſuper Canonibus diſpenſari.*

44 *Innuuntur exempla diſpenſationum, quas antiqui Pontifices contrà Canones interpoſuerunt. Hæc idcircò poteſtas non eſt Pontifici deneganda.*

45 *Natalis ab Alexandro ſentit, poteſtatis Pontificiæ plenitudinem ad relaxandos Canones non ſe extendere: lex tamen decernit oppoſitum.*

46 *Judicis, ac teſtis inimici judicio non eſt ſtandum. D. Thomas docet oppoſitum illius, quod ſentit Natalis: Magiſtro ergò ſtandum eſt, non diſcipulo.*

47 *Reges Galliæ, olim à Parlamento pendentes, carebant plenitudine regiæ poteſtatis. Illâ carens Reges Angliæ. Carolus I. Rex ab Anglis occiſus.*

48 *Si plenitudo poteſtatis Papæ ad Canones, non ſe extenderet, non eſſet plena, nec ejus regimen eſſet Monarchicum.*

49 *Deus non ceſſat eſſe omnipotens, tametſi aliqua non poſſit, quæ involvunt contradictionem; impoſſibilitas enim illa non eſt ex parte Dei.*

50 *Contradictores, ac qui cum illis ſentiunt, clamitant, ſervandos eſſe Canones, non à Pontifice relaxandos, quando eiſdem ità expedit, aut placet.*

51 *Capitula corpus juris Canonici componentia, à Pontifice habent vim legis. Anteceſſorum decreta poteſt ſucceſſor relaxare.*

52 *Concilia generalia vim non habent, niſi poſtquàm eadem confirmavit Pontifex, cujus poteſtatem illa expreſſè præſervant.*

53 *Canones quicumque ſint, ſi non concernunt quatuor præfata, poteſt in eis Pontifex diſpenſare, qui habet plenitudinem poteſtatis, quaſi Rex in Regno.*

54 *Prò admiſſione Clericorum extraneorum ad beneficia, non opus eſt plenitudine poteſtatis: cum admiſſio ipſa ſit de jure.*

1. BENEDICTUS *Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis* (*a*), quo auſpice, ac ductore, quidditatem *plenitudinis poteſtatis*, in Summo Pontifice reſidentis, diſcuſſimus, ejuſque originem ventilavimus: documenta vetuſtiſſima, de ipsâmet loquentia, congeſſimus, & quid de illâ Patres, quid Pontifices, Canoneſque ſenſerint, & Concilia, competenti elocutione notavimus. Nùnc retrotracto ſermone ad Argumentum, initio Capituli præcedentis propoſitum, *Reſpondetur primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod *plenitudo Pontificiæ poteſtatis* effrænatam quandam, & illimitatam facultatem præſeferat, omnia pro arbitrio faciendi, Canones peſſundandi, & cuncta ſuſque dèque turbandi. Negamus hoc: & dicimus, eandem plenitudinem poteſtatis intrà æqui, & recti limites coerceri, Juribus naturali, atque Divino concludi, nec extrà eorum lineas dilatari poſſe, non eorum repagula infringere, non ipſorum orbitam tranſilire. Ad quod affatìm oſtendendum, ſupponimus, quod in quolibet Principe, ſuperiorem in terris non agnoſcente, duplex eſt poteſtas, ordinaria, & abſoluta. *Ordinaria* eſt illa, quam juxtà ordinem juris poſitivi Princeps exercet (*b*). Poteſtas verò *abſoluta* eſt illa arbitrii plenitudo, nulli neceſſitati ſubjecta, nulliuſque publici juris regulis limitata, quâ Princeps aliquid facit, & id faciendo non illi obiici poteſt, cur ità facis (*c*). In quo agendo ſi intrà æquitatis lineas sè contineat, dicitur uti plenitudine poteſtatis (*d*). Si verò exorbitet à juſtitiâ, & facultate abutatur; feſtivè dici ſolet, quod utitur plenitudine tem-

(a) 1. *Corinthiorum c. 1. n. 3.*

(b) *Monets de Commut ultim. volunt. c. 5. n. 78 & 82. Barboſ. jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 3. n. 102. 103.*

(c) *Abbas in c. ad hæc de reſcript. n. 7. Decius in c. quæ in Eccleſiarum n. 98. & 103. de Conſtit.*

(d) *Barboſ. tract. var. Clauſul. 42. n. 2. & 20.*

Digitized by Google

tempeſtatis: notantibus appoſitè ad hoc Doctoribus, quod Romani Conſules pleṇâ poteſtate inſtructi anima dvertendi in omnes, prçmittebant ſibi faſces cum ſecuri, ligatos tamèn: ut ſciant Principes, sè debere ligatam habere poteſtatem, nec eâ ſinè causâ gravi, & rationabili, uti (*a*).

2. Alitèr alii diſtinguunt differentiam inter utramque poteſtatem; ut videre eſt apud Covarruviam (*b*), & alios (*c*). Quod cum ad intentum noſtrum parum referat, hìc opportunè notamus, quod nedùm in Principibus, ſed etiam in ipſo Deo poteſtas ordinaria, & abſoluta diſtinguitur: Deus etenim terrenorum Principum Dominus, & exemplar, aliqua de ordinariâ ſuâ poteſtate facit, quæ ſcilicèt, ordine, & naturali curſu rerum nullatenùs immutato, facit: Alia de poteſtate abſolutâ, quæ videlicèt ſuprà, vel prætèr ordinem rerum naturalium peragit; uti cum ſolem, in luctuoſo Chriſti funere, caliginoſâ eclipſi velavit (*d*): Cum ficum virentem, vibratâ in eam per Chriſtum maledictione, areſecit (*e*): Cum ſolem nutu Joſue conſiſtere (*f*), & ad preces Iſaiç fecit decem gradibus retroire (*g*): Cum orbem, diluvio immiſſo (*h*), & Sodomam, igne cælitùs jaculato, percuſſit (*i*): Cum fluenta Jordanis ſtare (*l*), & cum pelagi profunda fecit vento deficante nudari (*m*): Cum lucem in tenebras (*n*): Cum aquas in ſanguinem, fecit coram Pharaone converti (*o*): Cum tandem infinita alia miracula perpetravit, quæ de Chriſto in Evangeliis, de Moyſe in Scripturis, & de Sanctis in hiſtoriis ſæcularibus paritèr, & eccleſiaſticis recenſentur. De utrâque Divinâ poteſtate loquens D. Auguſtinus ſic ait: *Quià miracula Dei, quibus totum mundum regit, univerſamque creaturam adminiſtrat, aſſiduitate viluerunt &c. ſecundum ipſam ſuam miſericordiam ſervavit ſibi quædam, quę faceret opportuno tempore, prætèr uſitatum curſum, ordinemque naturæ, ut non majora, ſed inſolita videndo, ſtuperent, quibus quotidiana viluerunt* (*p*).

3. Simili quodammodò in Papâ, tamquàm Summo Pontifice (*q*), Epiſcopo Univerſalis Eccleſię (*r*), totius Orbis Rectore, & qui eſt ſuper omnes, ac omnibus preeſt (*s*), qui nullum tandem in terris ſuperiorem agnoſcit (*t*), duplex poteſtas eſt, Ordinaria, quâ ſecundùm regulas Juris poſitivi regit Eccleſiam. Et abſoluta, quâ ſecundùm tempora, occaſiones, & perſonas, independentèr ab ordine Juris poſitivi, aliquid facit: hancque dicimus *plenitudinem poteſtatis*, ſupremam, abſolutam, prædominantem; virtute cujus nemo dicere poteſt Papę, cur ità facis (*u*)? Sed tamèn hæc poteſtas, cum ſit in *ædificationem*, *& non in deſtructionem* (*x*), ſuos habet limites, & confinia, ultrà quæ protendinon valet, nempè jus Divinum, & naturale, ac juſti, & æqui lineas, quorum repagulis circumſcribitur. Profectò id ſolum poſſumus, inquit lex, quod jure poſſumus *leg. ſed licet ff. de off. Præſid. l. penult ff. de furt. l. nepos ff. de verb. ſignif. l. 3. & 4. ff. de uſur. l. In eadem ff. ex quibus cauſ. mai l. veſtis §. veſtimento ff. de aur. & arg. legat: cap. illud* 11. *qu.* 1. *cap. faciat homo* 22. *qu.* 2. & egregie Papinianus in *l.* 1. *ff. de conditionibus inſtitut*: *Quæ facta lędunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & contrà bonos mores fiunt; nec facere non poſſe eredendum eſt* (*y*): Quod & habetur in *leg.* 29. *ff. de jure Dotium. Barboſ. jur. Eccl. univ. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 102. *Monet. de commut. ult. volunt. cap.* 5. *num.* 81.

4. Tyrannorum eſt, inquit Ariſtoteles, ſolam voluptatem ſibi in mente proponere; Regum, honeſtatem (*z*). Tyrannicumque eſt dicere cum Caligulâ, *memento tibi omnia, & in omnes licere* (*aa*). Hæc intèr Barbaros, hæc intèr Scythas, & Turcas, locum fortè poterunt invenire; ſed non inter Principes Chriſtianos, eccleſiaſticos, vel ſæculares, quibus perſuaſum eſt, nonniſi quod juſtum eſt eſſe licitum. Et hunc ſenſum de quolibet Principe habuit Antigonus Rex Macedoniæ, ſolo naturalis legis lumine ductus (*bb*). Hoc autèm magis verificari debet in Summo Pontifice, quem *Sanctiſſimum* dicimus, & *Beatiſſimum* (*cc*), quià vel talis eſt, vel talis eſſe ſupponitur: *quis enim Sanctum dubitat eſſe, quem apex tantę dignitatis attollit. In quo ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiunt, quę à loci De-* cef-

(a) *Sanfelic. decif. Neapoli* 62. *num.* 159. *§ quo.*
(b) *Covarruv. var. reſol.* 3. *c.* 6. *n.* 8.
(c) *Moneta ubi ſupr. n.* 79. *Barboſ. jur. Eccl. univ. l.* 1. *c.* 3 *n.* 101.
(d) *Matthæi cap.* 27 *num.* 45.
(e) *Matth. c.* 21. *n.* 19 *Marc. c.* 11. *n.* 13.
(f) *Joſue c.* 10. *n.* 12.
(g) 4. *Regum cap.* 20 *num.* 11.
(h) *Geneſis cap.* 7.
(i) *Geneſis capit.* 19. *num.* 17.
(l) *Joſue c.* 3. *n.* 16.
(m) *Exodi cap.* 14. *n.* 21.
(n) *Exodi c.* 10 *n.* 22.
(o) *Exodi c.* 7. *n.* 20.
(p) *S. Auguſt. tract.* 24. *in Joannem.*
(q) *Barboſa jur. Eccleſ. univ. l.* 1. *c.* 3. *n.* 6.
(r) *S. Thomas opuſc.* 19. *de Error Græc. Cajetan. de Primat. Rom. Eccl. c.* 13. *ad* 5. *Turrecrem. in c. in nono n.* 6. *diſt.* 21.
(s) *Cap. cuncta per mundum* 9. *qu.* 3. *Barboſ. loc. cit. n.* 13.
(t) *Bzov de Pontif. c.* 15. *Barboſ. jur. Eccl. univ. l.* 1. *c.* 2. *n.* 75.
(u) *S. Joan. de Capiſtr. de poteſt. Pap. p.* 3. *fol.* 130 *Borel. ſum. decif. tom* 1. *tit.* 4. *n.* 14. *Lotter. de rè benef. l.* 2 *qu.* 22. *n.* 52.
(x) 2. *Corinthior. cap.* 13. *n.* 10.
(y) *Regal. Sacerd. l.* 4. *§* 4. *n.* 1.
(z) *Ariſtot. Polit. l.* 5. *cap.* 1.
(aa) *Sveton. in Caligula cap.* 29.
(bb) *Plutarc. in Apophtegmat.*
(cc) *Barboſ. jur. Eccleſ. univ. l.* 1. *c.* 2. *nu.* 8. *&* 9.

Digitized by Google

ceſſore præſtantur. Aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur, illuſtrat (a). Idcircò perperàm Contradictores, & qui cum illis ſentiunt, invident plenitudini poteſtatis, quàm in Pontifice Catholici recognoſcunt: fruſtrà adverſus illam oblatrant: ac injuſtè nos, & qui nobiſcum vera fatentur, poterunt aſſentatorum ſcommate denotare, atque adulatorum improperio lacerare, tamquàm ſi illimitatæ, & effrænatæ poteſtatis aſſertores, & defenſores eſſemus: quia illam ſatis limitatam ponimus, dùm eam juribus divino, & naturali dicimus coarctari, & undequàque recti, ac juſti circumferentiâ circumcludi.

5. Eſt igitùr Summus Pontifex, in Apoſtolico Petri ſolio ſuccedens, Princeps Principum, & Dominus Dominantium, ut eum vocant Doctores (b). Eſt *Primatu Abel, Gubernatu Noè, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, Dignitate Aaron, Auctoritate Moyſes, Judicatu Samuel, Poteſtate Petrus, Unctione Chriſtus* (c). Eſt Chriſtianorum Monarcha (d), Eccleſiæ Catholicæ Primas (e), Orbis Doctor (f), Unctor Regum (g), Princeps Paſtorum (h), & uno verbo, Chriſti Vicarius (i). Illum communitèr dicitur habere cum eodem Chriſto commune tribunal, unumque facere Conſiſtorium (l), Demùm Papa eſt vir à Deo aſſumptus (m), Homo ſuprà ſtatum hominum elevatus, & veluti Deus terrenus (n). Nèc mireris lector audiens titulum tàm eximium: Nàm & Romam dixit Terrarum Deam, gentiumque Martialis (o); Et Menander, Regem animatam Dei in terris imaginem appellavit (p), & de Imperatore Attalaricus Rex pronuntiavit, haud dubiè Deus terrenus eſt Imperator (q). Intèr talia tamèn, ac tanta, & adeò magnifica Pontificiæ majeſtatis epitheta, nihil Papæ poſſe conceditur, niſi quod juſtum eſt, ac juribus Divino, naturali, atque eccleſiaſticæ æquitati non officit.

6. Et eo modo, quo Cajus Ceſtius, notiſſimus inter Romanos, aſſerebat, Principes terrenos Deos eſſe, hâc tamen lege, ut nihil injuſtum facerent, quemadmodum, & Dii cœleſtes, inquiebat ille, nonniſi juſtas preces exaudiunt: quâ de rè Tacitus in ſuis annalibus (r); Sic & nos, & qui ſententiæ noſtræ adhærent, Deum quodammodò terrenum Pontificem nominamus; *Eſt enim quaſi Deus in terris, major homine, & minor Deo*, inquit S. Joannes de Capiſtrano (s). Talis ab eo conſtitutus, qui etiam Apoſtolos hac denominatione proſecutus eſt, cum dixit: *vos, qui Dii eſtis, quem mè eſſe exiſtimatis* (t). Ipſe Pontifex cœleſti poteſtate præditus eſt, vi cujus eſt Judex infallibilis controverſiarum fidei (u), & quod ille promulgat, à Deo cenſendum eſt promulgari: judicium enim ejus cœleſte arbitrium appellatur in legibus (x), & à Doctoribus (y). Quos omnes præit Origenes, conſonè dicens: *Vide quantam poteſtatem habeat Petra, ſuprà quam fundatur Eccleſia, ut etiam judicia maneant firma, quaſi Deo judicante per eam* (z). Sed tamen eum tale Numen eſſe remur, talem Deitatem inter homines præſeferre, ut vi totius plenitudinis ſuæ poteſtatis, quam ei Patres, quam ei Concilia, quam ei Canones dant, & Theologi, atque Juriſconſulti; nihil attamèn, ut innuimus, niſi juſtum facere poſſit, non jus Divinum traſgredi, non juri naturali obniti, non à rectitudinis tramitè declinare, non tandem æquitatis jura calcare. Verum ergò non eſt ſuppoſitum Contradictorum, quod plenitudo poteſtatis, Pontifici det facultatem illimitatam, & jus extrà omnem æquiorbitam pertranſiliens, vi cujus effrænatè poſſit omnia pro arbitrio facere, & quælibet pro ſuo voto, vel iniquiſſima pertentare. Infrà adhùc magis individualitèr enunciabimus plura, ad quæ ſe plenitudo poteſtatis Pontificiæ non extendit, nunc ſatis ſit allegatum ſuppoſitum evertiſſe. Ad alia tranſeamus.

7. Reſpondetur *ſecundè*, iterùm negando aliud ſuppoſitum; nempè quod per plenitudinem poteſtatis aſſignetur Summo Pontifici dominum abſolutum omnium bonorum eccleſiaſticorum, quibus poſſit uti, & abuti, atque illa, tamquàm ſupremus deſpota, & diſpoticus Dominus, pro ſuo arbitrio diſpenſare, peſſundare, tradere, donare, mercari, nulli de hoc, neque Deo, neque hominibus unquam reddi-

turus

(a) *Cap. non nos 2. d.ſt.40.*

(b) *Baldus conſ. 388 l. 4 Moſconius de Majeſt. milit. Eccl. l. 1. c. 1. § appellatur.*

(c) *S Bernard. de Conſid. ad Eugen. l. 3.*

(d) *Bzov. de Pontif. cap 1.*

(e) *Idem loco citat. cap 6.*

(f) *Idem ubi ſuprà cap. 23.*

(g) *Bzov. de Roman. Pontif. c. 44.*

(h) *Barboſ jur. Eccl. univ l. 1. c. 2. n. 15, Bzovius loc. cit c. 14.*

(i) *Cap. inter, capit. quanto, capit. licet, de transl. Epiſc. Moſcon. loc. cit. Barboſ. ubi ſupr. n 17 Bzov. de Pontif cap. 4.*

(l) *Alvar. Pelag. de planct. Eccl. lib 1. c. 29. Navar. in capit. novit. de Judic. Borel ſum. deciſ tom 1. tit 5. n. 17. Barboſ loco cit. nu 92. Bellet. diſquiſ. Cleric. de favor. Cleric. perſonal § 2. n. 29.*

(m) *Bzov. de Pontif. Roman. c. 2.*

(n) *Vide Turrecremat. ſum Eccl l. 2. c. 37 Barboſ. loc. cit. n. 74.*

(o) *Martial. lib. 12. Epigram. 8.*

(p) *Menander. apud Jagl ar. Scuola di veritat. verit 1. § 4.*

(q) *H Boet hiſtor. l. 2*

(r) *Cornel. Tacit. Annal 3.*

(s) *S Jo. de Capiſtr. de Pap. & Concil auctorit p. 3 f. 93 & 94.*

(t) *S. Hieronym. lib. 3 in Matthæi cap 16*

(u) *Bzov. de Pontif. c. 14. Sfondrat. in Regali Sacerdot. Joan. à S. Thoma in 2 2. D Th. tom 4. de auctor. Sum. Pontif diſp. 1. art. 1. in ſol. Object. n. 6 & diſp. 2. art. 2. n. 11. & diſp 3 art. 1. n. 8.*

(x) *Leg 1. in fin. Cod. de ſum. Trinit. & fide Cathol.*

(y) *Borel. ſum. deciſ. to. 1. tit. 4. n. 17. Barboſ. jur. Eccl. univ. l. 1. c. 2. n. 93. Lotter. de rè beneſ. l. 1. qu. 11. n. 14.*

(z) *Origen. homil. in Matth. 16.*

turus rationem. Falſa hæc ſunt, & omnimodè commentitia, neque hoc infert plenitudo poteſtatis, Romano Pontifici competens; neque ſapientiores Doctores, ejuſdem defenſores, ita de illâ ſentiunt, ſed cum D. Bernardo, uti ſequitur, profitentur: *Diſpenſatio*, loquitur ille ad Eugenium Papam III. *diſpenſatio tibi ſuper orbem credita eſt, non data poſſeſſio. Non tu ille, de quo Propheta; & erit omnis terra poſſeſſio ejus. Chriſtus hic eſt, qui poſſeſſionem ſibi vendicat & jure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris. Cui enim alteri dictum eſt: poſtula à mè, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ? poſſeſſionem, & dominium cede huic, tu curam illius habe* (a). Sed preſſius adhùc, & magis conſentaneè D. Thomas: *Quamvis res Eccleſiæ ſint Papæ, ut principalis diſpenſatoris, non tamen ſunt ejus ut Domini, & poſſeſſoris: & ideò ſi reciperet pro aliquâ re ſpirituali pecuniam de reditibus Eccleſiæ alicujus, non careret vitio Simoniæ* (b). Vide quod Papa non eſt Dominus bonorum Eccleſiæ, ſed diſpenſator: Summus diſpenſator, ſupremus diſtributor, ſuperexcellens Oeconomus, & talis, qui ea poteſt pro libito moderari, ſed ſemper uti providus diſpenſator, non tamquàm Dominus abſolutus.

(a) S. Bernard. de Conſid. ad Eugen. l. 3.

(b) S. Thom. 2. 2. qu. 100 art. 1.

8. D. Thomam tota ſequitur ejus ſchola, & communitèr Theologi, inter quos Cajetanus, commentans dictum textum D. Thomæ, ſic ait: *nota tertiò, quod cum poteſtas Papæ quoàd res temporales Eccleſiæ, ſit poteſtas non Domini, ſed diſpenſatoris &c. conſequens eſt, ut plenitudo poteſtatis Papalis circà bona Eccleſiæ temporalia non exeat limites poteſtatis diſpenſativæ. Sicut in naturalibus plenitudo potentiæ calefactivæ non excedit limites poteſtatis calefactivę. Et in politicis plenitudo poteſtatis regiæ non exit limites regię poteſtatis. Ac per hoc non poteſt Papa ad libitum donare res Eccleſiæ, ſed poteſt tamquàm habens apicem diſpenſativæ poteſtatis, multò plus de iiſdem diſpenſare, quam quicumque alius proximus Eccleſię alicujus prælatus.* Et infra: *Ex eodem quoque fundamento, ſcilicèt quod Papa non eſt Dominus, ſed diſpenſator, ſequitur quod de plenitudine poteſtatis non poſſit ad libitum dare bona Eccleſiæ, cui voluerit, aut conſanguineis &c. ſed tenetur fidelitèr diſpenſare, ut recta ratio ſuadet, juxtà illud, hìc jam quęritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Et rurſus: Fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram, & non ad libitum quantum valet.* Hæc Cajetanus, & quidem ſapientiſſime, ac diſcretiſſimè, diſpoſitionem bonorum Eccleſiæ dans Pontifici: Dominium verò ratione poſtulante, detrectans; & ſic nec ejus poteſtatem infrà juſti tramitem deprimens, nec ultra ęquitatis metas extollens (c).

(c) Cajetan. in 2. 2. qu. 100 art. 1. verſ. nota 3.

9. Eandem ſententiam tenuit Soto, in libris de juſtitiâ, & jure, ubi introducto de hàc rè ſermone, quoad dominium Summi Pontificis in bonis eccleſiaſticis, ſic effatur: *Nullatenùs eſt Dominus: aliàs profectò ſicuti de illo dictum eſt, qui de ſuis bonis propriis Sacerdotium creat, liberum ei eſſet, tamquàm vero Domino conferre cui mallet, quod nemo auderet aſſeverare. At nullo opus eſt argumento, ubi Apoſtolica tuba canit: Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum ejus &c. Perſpice ergò quo pertingit Pontificiæ poteſtatis plenitudo, certè non ut Dominus ſit, ſed ut plenariam habeat diſpoſitionem &c. Idem patet ex ſuperioribus, commonſtratum enim reliquimus, hæc bona eccleſiaſtica ſtipendia eſſe populi pro miniſtris, quorum idcirèò Papa eſt merus diſpenſator. Imò arbitror illos, qui Dominum beneficiorum eum appellant, propriam vocem ignorare. Nàm ſi Dominus eſt, retinere ſibi poteſt, & in proprios uſus convertere, ac pro libito eis uti, quod tamen nemo ſanæ mentis admittet. Si autèm pro libito non poteſt uti, ſed tenetur ratione diſpenſare, non eſt Dominus* (d). Et infrà loquens de penſionibus: *Ego, licèt de plenariâ Pontificis poteſtate in diſpenſandis beneficiis nihil ambigam; ſemper tamen arbitratus ſum, hæc eſſe periculoſiſſima &c. nàm ſi verum eſt &c. Summum Pontificem non eſſe Dominum, ſed diſpenſatorem beneficiorum, quæ ſunt Eccleſiarum ſtipendia; conſequens indè ſit, ut illa adjudicare nequeas, niſi pro Altaris,*

(d) Soto de juſt. & jur. l. 3. qu. 6 art. 3 ad 5

ut ait

Digitized by Google

ut ait Paulus, miniſterio, vel tamquàm mercedem pro alio ſervitio Eccleſiæ, etiam ſi non eſſet ſpirituale, ut puta duci, aut militi, qui Eccleſiam tempore neceſſitatis propugnat; quâ de causâ decimarum tertię Regi Hiſpanię tributa ſunt &c. (a).

10. Eandem fuiſſe mentem Canoniſtarum, quotquot de hâc rè ſcripſerunt, nullatenùs eſt ambigendum. Cum etenim in *capit. licèt 2. de prębendis in 6. & in Clementin. I. Ut lite pendent.* non aliud dicatur, niſi quod Summo Pontifici omnium beneficiorum plenaria competit diſpoſitio; dominium excluditur, & ſic plenitudo poteſtatis Papæ in beneficialibus non illum dominum conſtituit, ſed ſimpliciter diſpenſatorem. Nec alia mens ineſſe potuit Interpretibus Canonum, ſi Canones textualitèr hoc indigitant; Et ità expreſsè loquuntur Abbas, Decius, Lotterius, & alii (b). In quo paritèr ſenſu debent intelligi Juriſconſulti illi, qui communitèr dicunt, Papam in beneficialibus habere pleniſſimam auctoritatem; ſupremam poteſtatem, effuſas, laxaſque habenas, & ſimilia, quę videre eſt apud illos (c). Intelligendi ſunt, inquam, de plenâ, ſummâ, liberâ, ſupremâ poteſtate, ſed tali, quæ non pręſeferat abſolutum dominium, ſed ſolam plenariam diſpenſationem: plenariam autem non utcumque, ſed cohærentèr ad limites juſtitiæ, & ad regulas æquitatis.

11. Quod ſi aliqui minùs fortè circumſpectâ voce dictitarunt, Papam eſſe dominum omnium Eccleſiarum, omniumque beneficiorum, uti aliqui fecerunt (d); horum videntur caſtiganda utilitèr verba, ne notam contrahant adulatorum, de quâ in puncto Barboſa (e), & ideò dicendum eſt, locutos eſſe quoàd dominium reſpiciens jus collationis, uti eos interpretatur Joannes Petrus Moneta (f): Vel quoàd dominium reſpectu tituli beneficialis, qui ſicuti per Papam creatur, ità & per ipſum poteſt annichilari; uti eos exponit Melchior Lotterius (g): Vel demùm cum eodem Monetâ reducendi ſunt ad ſenſum, quem de his habet Azorius dicens; *Romanus Pontifex plenè, & liberè poteſt de beneficiis ſtatuere, non quià dominium beneficiorum, aut rerum eccleſiaſticarum habeat, ſed quià quatenùs ſupremam obtinet in Eccleſiâ poteſtatem, ut Summus Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſor, ampliſſimam habet omnium bonorum eccleſiaſticorum adminiſtrationem. Quarè cum Jure dicitur Pontifex plenam, & liberam in beneficiis diſpoſitionem habere, poſſeque jus ipſum relaxare in his, quæ ad beneficia pertinent; non intelligitur poſſe jus naturale, vel Divinum, ſi quod eſt in beneficiis, diſſoluere, abrogare, vel mutare; ſed quià ferè innumera ſunt de beneficiis jure ſcripto Canonico conſtituta; ideò dicitur Papa plenè, & liberè poſſe de beneficiis ſtatuere; ſcilicèt in his omnibus, quæ jus Canonicum circà beneficia conſtituit* (h).

12. Reſpondetur *tertiò*, denuò negando aliud ſuppoſitum, quod eſt tertium, nempè quod bona Eccleſiarum pertineant ad fideles, componentes Communitatem illius loci, ubi erectum eſt beneficium, quibus fundatores beneficiorum ſua bona contulerunt ad uſum Clericorum, Eccleſiæ inibi deſervientium. Falſum eſt hoc, prorſuſque aereum, & commentitium; nec aliud fundamentum habet, niſi opinionem Joannis Pariſienſis, qui dum viveret, in pręfato ſenſu ſe verſari patefecit: ſed quià hìc Doctor incidit in illa tempora infeliciſſima, quando notiſſimum exarſit incendium inter Bonifacium Papam VIII. & Philippum IV. Galliarum Regem, cognomine Pulchrum, ob materiam beneficiorum, Joannes verò Pariſiis morabatur; nil mirum ſi Auctor hic, ad opportunitatem cauſæ Regalis plura ſcripturiit, in Sedem Apoſtolicam minùs æqua (i). Intèr hæc eſt dixiſſe, quod bona eccleſiaſtica ſpectant ad Communitates locorum, ubi erecta ſunt beneficia: quod ille idcircò protulit, ut aſſumptum Regis conſtiparet, conantis beneficia Regali auctoritate conferre, & Pontifici obniti, ne Gallica beneficia cuiquam extrà Gallos Clericos largiretur. Et ità Joannes Pariſienſis ad opportunitatem cauſæ Regię, prout ab eo illorum temporum, & ſuæ utilitatis ratio depoſcebat, ſuam & doctrinam moderatus eſt, & linguam inflexit, & calamum temperavit. Sed rè verâ nec proprietas, nec dominium, neque hypotheca in bonis beneficialibus ad Communitates illo-

(a) *Domin. Soto loco cit. circà finem art. 4.*

(b) *Abb in c. Conſtitutus n. 13. de relig domibus Decius in c. ſignificaſti de elect num. 28. Lotter de re benef. l. 1 qu. 4. n. 57. & lib. 2. qu. 22. n. 10. Moſcon. de majeſt Mil Eccl. p. 1 c. 4 §. in beneficialibus Moneta de Commut. ult. vol. c. 5. n. 97 99.*

(c) *Garcia de benef. p 1. c. 5 §. 2. nu. 274 & p 8 c 2. n. 50. Barboſ. Jur. Eccl univ l. 1. c 2. n. 96, & alii ab his cit.*

(d) *Borel. ſum. deciſ. tit. 1. tit. 15 n. 7 Seraph. deciſ. 45. n. 4. Menochi conſ 192. n. 7. & alii.*

(e) *Barboſ. jur. Eccl. univ. l. 1. c. 2. n 98.*

(f) *Jo: Petrus Moneta de Commut. ult. vol. c. 5. num: 100*

(g) *Lotter. de re benef. l. 2. c. 22. n. 15.*

(h) *Azorius Inſt. mor. p. 2. l. 6. c. 26. qu. 1.*

(i) *Bellarmin. de Script. Eccl. in Joann. Pariſienſ.*

illorum locorum pertinent, ubi erecta ſunt beneficia: neque illæ Communitates, nec quiſquam ex illis, jus ullum habent in ipſis bonis, niſi jus illud vagum, & generale, quod dicitur in ſpe, & eſt commune cunctis Orbis hominibus, qui ad profitendam vitam eccleſiaſticam admittuntur.

13. Quid de dominio, vel jure Communitatum in bonis eccleſiaſticis, ſentiendum ſit, deducatur ex eo, quod generalitèr laicis nullum jus competit, in rebus eccleſiaſticis ſe immiſcendi (*a*), & de Principibus Communitates repreſentantibus, vel earum in sè jura continentibus, hæc dictavit Hincmarus Remenſis, ſcribens Ludovico III. Regi Galliarum: *Sunt qui dicunt, ut audivi, quià res eccleſiaſticæ &c. in veſtrâ ſint poteſtate; ut cuicumque volueritis, eas donetis. Quod ſi ità eſt, ille malignus ſpiritus, qui &c. primos parentes noſtros perdidit, perditionem veſtram in aures veſtras ſuſurrat. Sancti namque ſpiritus per eos, qui cum Chriſto in Cœlis regnant, & in terris miraculis corruſcant, dixit &c. Res, & facultates eccleſiaſticæ oblationes appellantur, quià Domino offeruntur, & vota ſunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum* (*b*). Si ergò bona Eccleſiæ ad Principem non ſpectant, in quo eminenter Communitates ſibi ſubditæ continentur; profectò neque ad ipſas Communitates ſpectabunt. Neque paritèr ad fundatores Eccleſiarum, ſive beneficiorum, aut ad eorum hæredes, multò minus ad compatriotas, & nativos locorum pertinet dominium, proprietas, aliudue jus in bonis beneficialibus; quippè niſi Fundatores ſibi jus patronatus expreſsè reſervaverint, totâ decidunt poteſtate, quam in ipſis antè fundationem, uti earum domini retinebant: textus eſt expreſſus in jure, ex Concilio Toletano IV. deſumptus, ubi decernitur (*c*): *Noverint Conditores Baſilicarum, in rebus, quas eiſdem Eccleſiis conferunt, nullam ſe poteſtatem habere; Sed juxtà Canonum inſtituta, ſicut Eccleſiam, ità & dotem ejus ad ordinationem Epiſcopi pertinere: cap. noverint* 10. *qu.* 1. Conſonant *cap. ſunt qui opes, & cap. ſacrilegium* 17. *quæſt.* 4.

14. Dominium ergò, poteſtas, hypotheca, & quidquid juris eſt, quoad ſubſtantiam bonorum, eſt apud Chriſtum, de cujus ſunt patrimonio, & ità ſentiunt Canones (*d*), ità Patres (*e*), ità Theologi (*f*), ità Juriſconſulti (*g*), ità Sacræ Scripturæ Interpretes (*h*), & Concilia (*i*). Nec verum eſt, quod bona Eccleſiarum à fundatoribus data ſint Communitatibus earum, cum onere, vel conditione, ut ſint ad uſum Deo inibi famulantium. Nàm bona Eccleſiis liberè dantur, & liberè ſemper data ſunt, ut patet ex dicto *cap. noverint* 10. *qu.* 1. undè ſi non conſtet expreſsè de onere illis injecto, in actu traditionis factæ Eccleſiæ; libera ſunt, & exempta à quolibet onere reputantur, nec illis aliud onus eſt adiiciendum, nec alia eſt illis ſervitus imponenda (*l*). Falſum eſt, inquit Cardinalis de Lugo, *fideles dediſſe bona Eccleſiæ, cum pacto, vel conditione, ut deberent ex juſtitiâ expendi, ad miniſtrorum ſuſtentationem, ad Dei cultum, & opera pietatis: ſed fidentes rectæ, & piæ Eccleſiæ adminiſtrationi, ea bona ſub tali ſpè ei liberè obtulere* (*m*). Quod ut adhùc evidentiùs evincatur, ſatis erit percurrere formulas Marculfi, Auctoris vetuſtiſſimi, utpotè qui opus ſuum inſcripſit Landerico Epiſcopo Pariſienſi, cujus ætas incidit in medium circitèr Sæculi ſeptimi (*n*), formulas, inquam, Marculfi, vel alias illi adjectas, quarum una ſic cantat: *Ego in Dei nomine, ille &c. cedo ad Sacroſanctam Eccleſiam Sancti illius &c. locum, rem proprietatis meæ, illum, ſitum in pago illo &c. Itàut ab hodiernâ die quidquid exindè pars ipſius Eccleſiæ, ejuſque Rectores de ipsâ rè facere voluerint, liberam, & firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem faciendi* (*o*).

15. Fuimus nudius tertiùs ad Abbatiam, ſeù Monaſterium Acutianum, vulgo Farfenſe, in Sabinis, antiquiſſimum, ac ſolemniſſimum Cœnobium, ac tantæ dignitatis, ut æqualibus privilegiis cum Monaſteriis celeberrimis Lerinenſi, Agaunenſi, atque Luxovienſi fuerit decoratum (*p*). In cujus Archivio vidimus diligentèr aſſervatum vaſtæ molis librum, ex pergamenâ compoſitum, chara-

ctere

(a) *Cap. Laicis* 16. *qu.* 7.

(b) *Hincmar. Remenſ. epiſtol. ad Ludov. III. Gal. Reg. &c. p.* 4.

(c) *Concil. Toletan. IV. c.* 32.

(d) *Cap. cum ex eo de elect. in* 6. *cap. cum ſecundum de præbend. c. nullus* 12 *qu.* 2.

(e) *S. Auguſt. de oper. Monach. c.* 25. *tom.* 3. *S. Proſp. de vit. Contempl. l.* 2. *c.* 16.

(f) *Turrecr. ſum. Eccl. l.* 3. *c.* 22. *Navar. de redit. Eccl. monit.* 40. *nu.* 14. *Bonac. to.* 1. *diſp.* 4. *de oblig. benef. pu.* 2. *n.* 2 *& tom.* 3 *diſp.* 1. *qu.* 15. *pu.* 6 § 6. *n.* 10.

(g) *Fagnan. in c. relatum n.* 32. 37. *ne Cler. vel Mon. lib.* 3. *Decius in c. ſignificaſti de elect. n.* 27. *Barboſ. in c.* 16. *n.* 3. *de præbend. Vivian. de Jurepatr. p.* 1. *l.* 2. *c.* 3 *n.* 42. *Lotter. l.* 3. *qu.* 4. *num.* 57.

(h) *Alphonſ. Toſtat. in* 1. *Paralip.* 26 *qu.* 36

(i) *Conc. Trid. ſeſ.* 25. *c.* 1. *de reform.*

(l) *Lotter. de re benef. l.* 1. *qu.* 33. *n.* 10. *de Luca de Paroch. diſc.* 35 *nu.* 8. *& de Jurep. diſc.* 4 *n.* 3 *diſc.* 31. *n.* 2. *& diſc.* 32. *n.* 4.

(m) *Card. de Lugo de Juſt. & jur. diſp.* 4 *ſec.* 3. *n.* 7.

(n) *Vid. ant. Formulas Marculfi in Biblioth. Patr.*

(o) *Formul.* 36. *poſt Formulas Marculfi.*

(p) *Carol. Magnus in libr. mox citando num.* 143. *Monaſt. Acutiani.*

ctere antiquo ſemigothico ſcriptum, benè compaginatum, chartulatum, ſive numeratum, tabuliſque corio tectis, ac bullis quibuſdam ex oricalcho, munitum: in quo ſcripta leguntur infinita diplomata, inſtrumenta, conceſſiones, mandata, privilegia, teſtamenta, donationes, contractus, acta demum publica, quæ à diverſis perſonis, nedùm privatæ conditionis, ſed etiam à Principibus, & Monarchis, edita ſunt; favore, vel occaſione præfati Monaſterii: & præſertim à Ducibus Spoletanis, atque à Regibus Longobardorum, Luitprando, Rachiſio, Aiſtulpho, Deſiderio &c. Nec non ab Imperatoribus Carolo Magno, & Calvo, à Ludovico Pio, Lothario, Conrado, Othonibus, Henricis &c. incipiendo ab anno Chriſti 705. uſque ad annum 1190. Totum librum illum libenti ſedulitate percurrimus, ut cerneremus, ſub quâ phraſi, quibuſque clauſulis, bona per fideles Eccleſiis antiquitùs conferrentur, & an donationibus ſuis, vel teſtamentis, ullum onus apponerent, vel obligationem, aut gravamen, ſub quo bona ad Eccleſias tranſirent. Voluimus, & revoluimus librum, paginaſque illius ſumus ſingularitèr perſcrutati; nullam verò invenimus obligationem, quæ bonis ut ſuprà donatis, aut legatis, eſſet ſolita imponi.

16. En aliqua eorum exemplaria. Tranſmundus Dux Spoleti circà tempora Luitprandi, qui regnare cæpit ſuper Longobardos anno Chriſti 712. (*a*), in ſuâ donatione dicit: *Donamus, atque concedimus in Monaſterio S. Dei genitricis Mariæ, decimas de vino, & grano, ſeù & de Oleo, vel de tertiâ, quæ à populo colligitur &c. Similitèr pro mercede, & abſolutione animæ noſtræ, donamus, & concedimus in ipſo Monaſterio terram in fundo &c. Ità ſanè, ut ab hâc die firmum, & ſtabile ſit in ipſo Monaſterio donum noſtrum &c.* (*b*). Item aliud: *Regnantibus Dominis noſtris Deſiderio, & Adalgiſo piiſſimis Regibus &c. Ego Lucianus &c. dono bonâ voluntate meâ medietatem de ſubſtantiâ Arnonis &c. & conquiſitum meum, quod habeo à parentibus meis, ad hoc Monaſterium S. Dei genitricis Mariæ, & tibi D. Halane Abbas, vel ſucceſſoribus tuis, & caſas, vineas, terras, ſilvas &c. omnia in ipſo Sancto Monaſterio tradidi poſſidenda, & quidquid exindè facere volueritis liberam habeatis poteſtatem* (*c*). Item ſub Othone III, Imperatore anno 1012. Quidam fratres bona ſua præfato Monaſterio donant, ejuſque Abbati, dicentes, ſe illa donare *propriâ, ſpontaneâ, bonâque voluntate, pro redemptione animæ noſtræ, & genitoris noſtri, & aliorum parentum noſtrorum &c. Ad habendum, tenendum, poſſidendum, locandum, & quidquid opus utilitatis fuerit faciendum, in omnibus habeatis poteſtatem* (*d*).

(a) *Card. Baron. an. 712. n. 8.*

(b) *Liber Magnus Monaſterii Acutiani, ſeù Farfenſis n. 11.*

(c) *Ibidem num. 66.*

(d) *Ibidem fol. 166.*

17. Notetur clauſula *ad habendum*, quæ importat dominii translationem (*e*), ac liberam facultatem, nedùm bona poſſidendi, verùm etiàm eadem alienandi (*f*). Sed & alia ſubjungamus. Anno 1058. quidam Franco, & Maria ejus uxor, in donatione dicunt: *Conſiderantes Dei omnipotentis miſericordiam, & pro redemptione, & abſolutione animarum noſtrarum, & dilectorum parentum noſtrorum, ut in die illâ adveniente futuri judicii miſericordiam à Domino Deo recipere mereamur &c. ideò tradimus, atque concedimus in Monaſterio, quod dicitur in Farſa & tibi Domino B. Ven. Abbati, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum &c. Ità ſanè quod à præſenti die habeatis, teneatis, ac defendatis &c. & quidquid de eis à præſenti die facere volueritis, & vendendi, donandi, commutandi, in omnibus habeatis poteſtatem, & pleniſſimam largitatem* (*g*). Attende lector ad verba illa *vendendi, donandi, commutandi, habeatis poteſtatem*, quæ operantur, ut res data dicatur irrevocabilitèr, pleno jure, liberè in perpetuum, & jure proprio contributa (*h*), nec quid uberius deſiderari poſſit, pro integro, totali, & abſoluto dominio ipſius rei, in proprietatem loci pii, ſeù Eccleſiæ transferendo. Addè quod in aliquâ ex dictis traditionibus, dicitur, illa bona conferri, *ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ Romanæ* (*i*).

(e) *Barboſ. tract. var. Clauſul. 4. nu. 14. Gratian. diſcep. for. c. 96. n. 2. & 586 n. 3.*

(f) *Barboſ. loco cit. num. 7.*

(g) *Liber. citatus Abbatiæ Farfenſis n. 1001.*

(h) *Gratian. diſc. for. c. 932. n. 5.*

(i) *In d. libr. Farfenſi f. 1197.*

18. Vides quod bona eccleſiaſtica non ſunt tradita Communitati locorum, neque Clero Eccleſiarum, quippè quandòque Clero carent: Sed Deo, & Sanctis

ejus, non cum aliquo onere, ſed liberè, liberrimè, abſolutè, abſque ullâ obligatione, vel reſtrictione, aut conditione: ſoloque pietatis intuitu: & non ad uſus Communitatum, vel Clericorum hujus, vel illius loci, ſed ad illos uſus, quibus Rectores Eccleſiarum ipſa bona voluerint applicare: ſicque dominium, uti diximus, reſidet apud Chriſtum; uſusfructus verò ad illos pertinet, quibus Rectores Eccleſiarum voluerint applicare. Primarius autem Rector Eccleſiarum in qualibet Diœceſi eſt Epiſcopus: Supremus verò Rector omnium Eccleſiarum in toto Orbe eſt Summus Pontifex. Et ità tùm Pontifex, tùm Epiſcopi, utendo eorum, vel ordinariâ facultate, vel reſpectivè aliquandò plenitudine poteſtatis, in diſtributione bonorum Eccleſiæ, ſive extraneis, ſive indigenis, utuntur jure ſuo, nihil de jure Communitatum locorum, ubi ſunt Eccleſiæ, abſtrahunt; nullam illis inferunt injuriam, nullum illis irrogant præjudicium. Et idem eſt de Clericis illius loci, imò & illius Eccleſiæ, ſi Clerum habet. Quotiès enim non conſtet, bona, ſive beneficia ad illum peculiarem finem fuiſſe Eccleſiæ collata, ut cedant in utilitatem Clericorum, inibi deſervientium, bona ſunt libera, ſpectatque ad Ordinarium, vel ad Summum Pontificem, illa vel Clericis localibus in beneficium dare, vel ad alios uſus applicare, vel Clericis, alibi Eccleſiæ deſervientibus, impertiri; prout eorum prudentiæ, Eccleſiæ generalis utilitati, & Dei ſervitio, meliùs viderint expedire.

19. Quodque dicitur de Papâ, & de Epiſcopis, locum habet, ex paritate rationis, etiam in aliis omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, ut illa poſſint pro eorum libito non minùs Clericis extraneis, dummodò benemerentibus, quam indigenis, elargiri, abſque eo quod ullum inferant præjudicium, ullum jus minuant Communitatum locorum, vel Clericorum Eccleſiæ deſervientium. Imò negatur ſuppoſitum ſuppoſiti; nempè quod dentur Communitates illarum Eccleſiarum, in quibus erecta ſunt beneficia: nàm ſi pro iſtis Communitatibus intelliguntur laici illius Urbis, Oppidi, aut pagi, ubi eſt Eccleſia, in quâ fuit erectum beneficium, hoc eſſe non poteſt, quià laici ſunt incapaces beneficiorum (*a*), uti legitur in Conciliis Remenſi (*b*), Meldenſi (*c*), Toloſano (*d*), aliiſque ſacris canonibus. Et ideò Fulbertus Carnotenſis hanc querulosam epiſtolam Franconi Pariſienſi direxit: *Doleo ſuper tè, chariſſime, eum te à priſtinâ virtute apoſtatare video. Olim apud me conquerebaris de tuo Anteceſſore, qui ſacrilegâ temeritate altaria laicis in beneficium dederat, nunc mihi ſuades, ut ego ſimilitèr faciam. O Cœlum! O Terra! quid clamem? Aut quid tuis meritis digno modo te objurgare poſſim? Sed compenſa nunc ferventes animi mei fluctus, donec te præſentialitèr exquiſitis increpationum tormentis excruciem. Vale* (*e*).

(a) *Card de Luca de Jurepatr. diſc. 46. n. 4. Barboſ jur. Eccl. Univ lib 1. c. 11. n. 159.*
(b) *Concil. Remenſe an 6, c. 5.*
(c) *Concil. Meldenſe an. 845.*
(d) *Concil. Toloſan. ann. 1056.*
(e) *Fulbert. Carnotenſ. epiſt 42.*

20. Undè patet, quod laici nonniſi de plenitudine poteſtatis poſſunt ab beneficia conſequenda per Pontificem habilitari. Sicut enim ex indulto Apoſtolico habere poſſunt jus eadem conferendi (*f*), quod & mulier, tametſi alioquin omninò incapax beneficiorum (*g*), poteſt ex Pontificiâ conceſſione adipiſci (*h*); ſic & beneficia conſequi valent. Et ità apud Hiſtoricos (*i*), imò & apud Concilia reperiuntur aliquandò beneficia, à laicis acquiſita (*l*). Ex quo naſcitur, quod Contradictores, qui denegant Papæ plenitudinem poteſtatis quoàd beneficialia, oportet ut illam neceſſariò concedant, niſi velint Principes, & laicos omninò incapaces reddere beneficiorum, aut fructuum, quæ ex illis accipiunt. Si verò per Communitates prædictas intelliguntur Clerici; cum in permultis, & infinitis Eccleſiis campeſtribus, & ſolitariis, Cleroque carentibus, erecta ſint beneficia, ſequeretur, quod hęc, vel non eſſent beneficia, vel beneficia hujuſmodi deberentur Clericis, non exiſtentibus in rerum naturâ, quod ridiculum, & ſtultum eſt affirmare. Undecùmque ergò ſermo ducatur, hujuſmodi Communitates non dantur, quibus fiat injuria, quorum juri præjudicetur in collatione beneficiorum, Clericis extraneis factâ: Et ideò nec Papæ, & Epiſcopis ordinaria; nec Imperatori, Regi-

(f) *Tuſc. tom. 4. concl. 452. n. 28. del Bene de Immun. c. 9 dub. 6 ſect. 6. n 10.*
(g) *Lambert. de Jurepatr. l. 2. p. 1. qu. 76 n. 1. Barboſ. in c in nova n. 5. de pænit. lib. 5.*
(h) *Bellet. diſquis Cler. par. 1. de diſcipl. Cler §. 8 n. 27.*
(i) *Regino in Chron. l. 2. ann. 933. Aivoin. de geſt. Franc. l. 5. c. 24. in fin. Robert. à Mont. append. ad Sigebert. an. 1078 §. Vvilhelmus.*
(l) *Conc. ad Theodonis villam an. 844. c. 4 Conc Cariſiac. an. 858. c 8 Conc. Meguns. ann. 888. c. 25.*

Regibus, & aliis ad beneficia diſpenſanda deputatis, delegata facultas negari poteſt; multoque minùs Summo Pontifici plenitudo poteſtatis detrahi valet, vi cujus poſſint Clericos extraneos beneficiis eccleſiaſticis inſignire. Hocque maximè in illis locis, ubi vel alia remanent beneficia, pro alendis Clericis ibi famulantibus deputata; vel promoti Clerici ad titulum patrimonii, ſub eo Eccleſiæ deſervire pacti ſunt, nec poſſunt conqueri ſi beneficia eccleſiaſtica non acquirunt.

21. Reſpondetur *quartò*, rurſus negando aliud ſuppoſitum, quod eſt quartum, ex quadruplici capite. *Primò* quod collatio beneficiorum facta extraneis ſit contrà jus naturale, vel divinum, & ideò ad illam nec ordinaria facultas, nec plenitudo poteſtatis ſe extendat. *Secundò* quod Papa, & per conſequens etiam Imperator, Reges, & alii, indulto Pontificio beneficia, vel collationis, vel præſentationis jure, diſpenſantes extraneis, lędant jus tertii, nempè Epiſcoporum, à quibus, vel ab eorum Anteceſſoribus beneficia ſint erecta. *Tertiò* quod Papa, beneficia extraneis conferendo, utatur plenitudine poteſtatis. *Quartò* quod bona Eccleſiis collata, ad hoc tantùm fuerint à largitoribus deſtinata, ut in ſolos uſus ibi famulantium applicentur. Hæc etenim gratis aſſeruntur, & in facto omnimodè non ſubſiſtunt. Non *primum* quia ex infinitis propemodùm rationibus, Scripturalibus, Theologicis, Legalibus, Hiſtoricis, Conciliaribus, deſumptis ex Sanctis Patribus, & Politicis, uſque nunc allegatis (*a*), pluſquam lautè probatur, admiſſionem extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia, nedùm non eſſe contrà jus divinum, & naturale (niſi fortè datâ paritate meritorum, ab ipſorum beneficiorum diſpenſatoribus judicandâ) ſed imò eſſe utrique conſentaneam; & potiùs tàm contrà divinum, quam contrà naturale jus eſſe, eorundem excluſionem ab ipſis. Non *ſecundum* ſuppoſitum, quia beneficia eccleſiaſtica non fuerunt ab Epiſcopis fundata, neque ab eorum Anteceſſoribus proprio ære, boniſque propriis, niſi quatenùs Epiſcopi interpoſuerunt decretum erectionis, ut bona à fidelibus oblata in titulum beneficialem erigerentur; in quo ſenſu dici poteſt, omnia beneficia fuiſſe ab Epiſcopis fundata. Verum cum non propria bona, ſed aliena ſintilla, ex quibus beneficia erecta ſunt, nil ſpectat ad Epiſcopos, niſi jus collationis, quotiès talitèr vacant, ut ſecundum leges eccleſiaſticas ad eos pertineat præfatorum beneficiorum diſpoſitio: & ità vel per Papam, vel per Imperatorem, aut Reges, aut alios, ad quos de jure, vel ex privilegio ſpectat ipſa beneficia elargiri, ea dent indigenis, vel extraneis; nil exindè læditur jus Epiſcoporum, qui eadem fundarunt, ſeù erexerunt, non ex ęre proprio, ſed alieno.

22. Paritèr non ſubſiſtit *tertium* ſuppoſitum, nempè quod Papa conferendo beneficia Clericis extraneis, utatur plenitudine poteſtatis: rè verâ enim non hâc utitur, ſed ſuâ facultate ordinariâ, naturali, & ſuæ dignitati coęvâ. Papa enim ſuccedit D. Petro in poteſtate ordinariâ regiminis monarchichi Eccleſiæ, uti probant Bellarm. de Pontifice (*b*), & alii (*c*), ſicut autem Petrus non uſus eſt plenitudine poteſtatis admittendo ad officium, & beneficium, ſive ſtipendia Diaconalia Nicolaum unum ex ſeptem Diaconis advenam Antiochenum (*d*), ità & nec Papa conferendo beneficia Clericis extraneis, utitur plenitudine poteſtatis, ſed ſuâ facultate ordinariâ. Itèm ſicuti Princeps ſupremus non utitur plenitudine ſuæ poteſtatis, ſed ſuâ facultate ordinariâ, dando literas naturalitatis Clericis extraneis, ut in ſuâ ditione poſſint conſequi eccleſiaſtica beneficia, ubi eſt privilegium favens Nativis; ità & neque Papa Clericis extraneis beneficia ipſa largiendo, utitur plenitudine poteſtatis. Hocque convincitur ex facto. Nam clauſula *de plenitudine poteſtatis* eſt odioſa (*e*): Nec Princeps hac uti ſolet, vel eâ uti præſumitur, niſi expreſsè declaret, ſe illam velle adhibere (*f*). Nullus autem Papa Clericis extraneis beneficia concedens, nullus Princeps, literas naturalitatis conferens ut ſuprà viris extraneis, apponit clauſulam de plenitudine poteſtatis: Ergò ſe id facere ſatis clarè patefaciunt de ſuâ ordinariâ facultate.

23. Demùm ſicut Epiſcopi, beneficia extraneis elargientes, non id faciunt

(a) *V. à ſupra tom. 1. & 3. per tot.*

(b) *Bellarmin. de Rom. Pontif. l. 2. c. 12. in princ. & § tertio.*

(c) *Abraham Bzovius de Pont. ſ. c. 5.*

(d) *Ailorum cap. 6. num. 5.*

(e) *Barboſ. tract. var. Clauſul. 41 n. 5.*

(f) *Felyn. in c. 1. n. 27. de Conſtit. Barboſ. Jur. Eccl. Univ. lib. 1. c. 2. n. 188.*

de plenitudine poteſtatis, quià eâ carent,ſed ſuâ ordinariâ facultate,quam habent in ſuis Diœceſibus; ità etiàm Papa eadem faciens, non niſi ſuâ ordinariâ facultate illa complet, quam in toto terrarum Orbe tenet, tamquàm qui eſt Ordinarius Ordinariorum (*a*). Et ratio rationis eſt, quia plenitudo poteſtatis tunc adhibetur,quandò contrà Juris poſitivi ſtatuta aliquid adimpletur; ſed nec Epiſcopi, nec Papa, conferentes beneficia Clericis extraneis, faciunt hoc contrà Juris poſitivi decreta, ſed potiùs juxtà jurium diſpoſitionem; ergò hæc agendo, non plenitudine poteſtatis, ſed propriâ eorum naturali, & ordinariâ facultate id exercent. Non demùm ſubſiſtit *quartum* ſuppoſitum, nempè quod bona Eccleſiis per fideles ad hoc fuerint contributa, ut in ſolos uſus ibi famulantium convertantur, quia uti ſuprà oſtendimus num. 14. & ſeq. bona à fidelibus collata ſunt liberè, ſine onere, ſine pactis, ſine obligatione, peculiaritèr prætaxatâ, ſed ſub totali arbitrio Rectoris Eccleſiæ, ut ipſe, prout magìs expedire cerneret, ea uſibus eccleſiaſticis applicaret. Id clarè probant documenta ibidem allegata. Verùm ne videamur calamum ſterilem agitare, alia ſubjungimus, idem affatim comprobantia.

(a) *Cap.cuncta per mundum cap per princ. cipalem 9 qu 3. Boreſſum deciſ.tom. 1. tit.4. num.10.*

24. In Actis Apoſtolicis ſequens periodus regiſtratur: *Quotquot poſſeſſores agrorum, aut Domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quę vendebant, & portabant ad pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat* (*b*). Ex quo patet, quod ab initio, bona Eccleſiis delata, non ad uſufructuandum Clericis, & Sacerdotibus porrigebantur, ſed omnia mero arbitrio Rectorum Eccleſiæ committebantur, ut ipſi de illis facerent, quidquid magìs expediens videbatur,& ſive ad hunc,ſive ad illum pium uſum eadem applicarent. Rem explicat Concilium Pariſienſe, ità loquens: *Initio naſcentis Eccleſiæ vota fidelium antè pedes ponebantur Apoſtolorum, eorumque judicio unicuique, prout opus erat diſtribuebantur. Et licèt, creſcente fidelium devotione, copioſiſſimis, ac munificentiſſimis eorum liberalitatibus Sancta donata ſit Eccleſia; eumdem tamen uſum Apoſtolorum Succeſſores in tractandis, & diſpenſandis eccleſiaſticis rebus, ſè ſervare debere meminerint* (*c*). Non tàm ergo Clerici, quàm Pauperes, Captivi, vel alio modo indigentes, aut ad Eccleſiam ſpectantes, de ipſis bonis participabant, & aliis opportunitatibus eccleſiaſticis eorundem bonorum uſu occurrebatur, Clericiſque ſolæ ſportulæ, ſive victualia congrua tradebantur: & non cunctis, ſed illis tantùm, quibus proprium patrimonium non ſufficiebat, uti ex Sanctis Proſpero (*d*), & Hieronymo (*e*), alibi dictum eſt, & clariſſimè definitur in Canonibus Apoſtolorum (*f*), & in Concilio Antiocheno (*g*), permittentibus Epiſcopo portionem dictorum bonorum, non abſolutè, ſed ſub præciſâ conditione, *ſi tamen indiget*.

(b) *Actorum cap.4. num.34.*

(c) *Concil.Pariſienſ. ann.829.c.15.*

(d) *S.Proſper.deVit. contempl.l 2.c.9.10.11 12.*

(e) *S.Hieron.epiſt ad Damaſum.*

(f) *Canon Apoſt.41.*

(g) *Concilium Antiochen.c.25.*

25. Quarè perperàm autumatur, quod bona eccleſiaſtica, vel ex eorum naturâ, vel intentione illorum, qui eadem obtulerunt, ad hoc præciſè fuerint deſtinata, ut in uſum cedant Clericorum, Eccleſiæ illi peculiari deſervientium, cui bona ſunt tradita: quippè antequàm bona ipſa inciperent in beneficium erigi, promiſcuè ad omnes pios uſus fuerunt deputata, quos Eccleſiarum Rectores, tunc magìs expedire agnoſcebant. Poſtquàm verò bona in titulum beneficii aſſignari inceperunt, licèt ſiut Clericorum uſibus deſtinata; tamèn quantum eſt in sè, & ex eorum propriâ conditione,non ſunt ad hoc unicè, & præciſè inſtituta, ut ſint merces ſervientium illi Eccleſiæ peculiari, imò & nulli Eccleſiæ: nàm hujuſmodi labori de rigore non aliud præmium debetur, niſi gloria beatorum. Non enim, inquit D.Thomas: *Divina myſteria hominibus committuntur proptèr eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro* (*h*), quem textum Angelici Doctoris expendens Vaſquez, addit: *Beneficia non conferuntur ut pręmia, & remuneratio, quam in alio Sæculo debent homines expectare &c. ſed ſunt prœmia, & bona communia, diſtribuenda ſecundùm dignitatem cujuſcumque in ordine ad gubernationem* (*i*). Sunt ergò beneficia eccleſiaſtica tribus ex finibus inſtituta,nempè ut prò libito,

(h) *S.Thom.ap Vaſquez loco mox citando.*

(i) *Gabr. Vaſquez. Opuſc.de benef. cap.2. dub. 1 §. 3. verſ. ſed iſtam.*

bito, & prudentiâ Collatorum, vel dentur Clericis tamquàm ſtipendium ſervitutis, quam Eccleſię alicui impendunt: vel uti honorarium incumbentium Militiæ Clericali: vel uti bona communia Eccleſiæ, de sè, & primariò in bonum ipſius Eccleſiæ inſtituta (*a*), non verò in gratiam, & bonum Eligendorum, ſeù Eccleſiaſticorum, niſi ſecundariò (*b*), uti pręmia benemerentibus conferenda prò arbitrio Collatorum: & hoc eſt verum judicium de illis faciendum, cui adhærent ex Scripturalibus Benedictus Juſtinianus (*c*), ex Theologis Vaſquez allegatus (*d*), & Juriſconſultis Lotterius (*e*). Quapropter cum beneficia, ut ſic, ob pręfaros fines ſint geneneraliter inſtituta; non eſt cur ad unicum tantùm debeant cohiberi; & ſic corruit ſuppoſitum illud onus, per Contradictores ipſis adjectum, ut ad ſolum uſum deſervientium Eccleſiæ tali, in quâ erecta ſunt beneficia, debeant applicari, undè poſteà eb eorum conſecutione Clerici extranei repellantur.

(a) *S. Thomas 2.2.q.63 art.2. in corp. & q.185 art.3. in corp.*
(b) *Card. de Lugo de juſt. & jur. diſp.35. ſec. 9. n.13 15.16.*
(c) *Bened Juſtinian. in 1. Corinth. 9 n.8.*
(d) *Gabriel. Vaſquez de beaef. loc. cit.*
(e) *Lotter. de re beneſ. l.3. c.2. n.1.*

26. Reſpondetur *quintò*, retorquendo argumentum. Nàm juxtà doctrinam Contradictorum, in argumento allegatam, Papa poteſt concurrere cum omnibus Ordinariis in collatione beneficiorum; ergò illa poteſt eâ libertate conferre, quâ valent Ordinarii. Sed Ordinariis liberum eſt beneficia Eccleſiaſtica non modo Clericis extraneis, verum etiam indigenis elargiri; ergò etiàm Papa poteſt beneficia eccleſiaſtica, non ſolù Clericis indigenis, verùm etiam extraneis elargiri. Et ſic hoc poteſt Papa, id etiam poterunt Imperator, Reges, & alii omnes, qui ab eo cauſam habent, in diſtributione beneficiorum: iſti enim quoàd hoc in jure Pontificio ſuccedunt, & dicuntur eſſe in hâc parte, organa, & inſtrumenta Pontificis (*f*). Quam quidem doctrinam Contradictorum, quod Papa poſſit concurrere cum omnibus Ordinariis, admittimus: eam enim docent communibus ſenſibus Canoniſtę (*g*). Sed negamus hanc pręventionem, ſeù concurſum eſſe totam ſummam plenitudinis poteſtatis Pontificalis, ut ex adverſò proponitur ex Azevedo. Tùm quià Papa non concurrit cum Ordinariis de plenitudine poteſtatis, ſed ex ſuâ nativâ, & ordinariâ facultate, quâ cum habeat, ut ſit ſupremus omnium Eccleſiarum Paſtor, & Rector; omnia etiam beneficia, in illis erecta, à ſuâ ordinariâ juriſdictione dependent; & ſic in illorum diſtributione poteſt cum omnibus, & ſingulis Ordinariis concurrere. Tùm quià, dato etiàm, quod jus concurrendi cum omnibus Ordinariis competeret Pontifici ob ſuæ plenitudinem poteſtatis; tamèn plenitudo ipſa poteſtatis non ad hunc tantum actum limitatur, ſed ad plura quoque alia ſe extendit, uti paulò infrà dicetur.

(f) *Marta de juriſd. p.4. cent.1. caſ.46 n.13 de Luca de beneſ. diſc. 9. n.12. Fagnan. in cap. quod nobis n. 42. de Cland. deſponſ.*
(g) *Decius in c. Canonum de Conſtit. Garcia de beneſ. p.5. c.1. n. 8. Borel ſum. dec.80. t. tit.42. n.241. Lotter. l. 2 c.22. n.22. Engel. Colleg. jur p 2 l.3. tit.25. § 2. num.7.*

27. Reſpondetur *ſextò*, iterùm retorquendo alio modo argumentum, ex duplici capite. Primò ex eo quod, cum in ſententiâ Contradictorum, eccleſiaſtica beneficia ſint ab Epiſcopis, vel ab eorum Anteceſſoribus fundata, juxtà doctrinam Thomaſſini, in Argumento allegatam; ſequitur quod poſſint ab Epiſcopis ipſis prò eorum libito, tàm extraneis, quàm indigenis diſpenſari, eo modo, quo laici, & alii omnes beneficiorum fundatores, & in illis jus patronatus habentes, liberè poſſunt illa vitis ſibi benè viſis largiri, ſivè extraneis, ſivè indigenis (*h*); Si autèm hâc libertate potiuntur Epiſcopi, eccur illâ carebit Pontifex, primarius omnium Eccleſiarum Antiſtes? Eccur illâ deſtitutus erit Imperator, Reges, & alii, quicumque auctoritate Pontificali eccleſiaſtica diſtribuunt beneficia? Secundò retorquetur argumentum, ex eo quod cum in ſententiâ Contradictorum, in argumento appoſita, plenitudo Poteſtatis Pontificalis ſit juxtà Canones coarctanda; inter Canones autem ſint, *cap: licet 2. de Præbend. in 6. & Clement. 1. ut lite pendent*, qui Canones dant Papæ plenitudinem poteſtatis in beneficialibus: Itèm *Cap. propoſuit de conceſſ. præbend.* quod eidem dat, ut *ſecundum plenitudinem poteſtatis de jure poſſit ſuprà jus diſpenſare*; jam patet, primò, quod ideò detrahi non poteſt Papę plenitudo poteſtatis in diſtribuendis prò ſuo arbitrio beneficiis, quià eam pręfati Canones illi aſſignant. Secundò, quod ideò plenitudo poteſtatis Papalis non poteſt Canonibus coerceri, quià Canones expreſsè definiunt, ipſam plenitudinem poteſtatis vim omnium Sacrorum Canonum tranſilire.

(h) *Cap. ſi quis Epiſcoporum 16. qu 5. cap. decernimus 16 qu 7. c. ſignificaſti, & ibi gloſ. V. pręſentaverint 18. de Jurepatr.*

28. Evacuatis viribus argumenti, reſtat, ut quoàd exercitium Plenitudinis pote-

Digitized by Google

poteſtatis Pontificalis , dicamus , illam ad duo potiſſimè ſe extendere , nempè ad diſpenſandum in jure : & ad beneficia eccleſiaſtica concedenda . Quamvìs autem eâ fruatur Romanus Pontifex , illam tamen non debet paſſim , & ſinè rationabili causâ ; ſeu prout dicunt Legiſtę, ſinè clavi diſcretionis, exercere (a), alioquin , ſi abutatur ſuâ poteſtate irrationabilitèr , paſſim, & indiſcrete, dicetur uti non plenitudine poteſtatis , ſed tempeſtatis (b) . Non ſum tàm rudis, inquiebat D. Bernardus ad Eugenium : *Non ſum tàm rudis , ut ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem , non in deſtructionem : ubi neceſſitas urget , excuſabilis diſpenſatio eſt : ubi utilitas provocat , diſpenſatio laudabilis eſt : utilitas dico communis, non propria : nam cum nihil horum eſt ; non planè fidelis diſpenſatio , ſed crudelis diſſipatio eſt* (c) . Licet ergò intuitu plenitudinis poteſtatis, videatur dici poſſe , quod in Pontifice ſtet pro ratione voluntas (d) :Nec ei ulla poſſit opponi exceptio, vel quidquam obiici , quod ejus factum annullet (e) ; Attamen rè verâ non voluntas , conſilii expers , ſed voluntas pia , prudens , & à ratione directa , debet eſſe ductrix exercitii plenitudinis poteſtatis (f) , ne liceat irrationabilitèr operari Papæ , qui eſt primus , & ſummus inter animalia rationalia : & nè in eum reverberet ſermonem ſuum D. Bernardus , ad aures præfati Eugenii Papę inſuſurrans : *quomodò non indecens tibi voluntate prò lege uti , & quià non eſt ad quem appelleris , poteſtatem exercere , negligere rationem* (g) ?

29. Paulus Apoſtolus , repetita proteſtatione, ſcribens Corinthiis , eſt profeſſus : *omnia mihi licent , ſed non omnia expediunt : omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant* (h). Idipſum opus eſt ut & Papa ſibi præfigat in mente , nec vi plenitudinis poteſtatis , niſi honeſta , & licita peragat :quinimò , & nec omnia licita peragat , ſi ſolitam regiminis normam excedant : ne omnia licita faciens , etiam ad illicita facienda promptiùs sè diſponat : Nàm , ut ait Clemens Alexandrinus , *qui faciunt quidquid licet , facile dilabuntur , ut faciant quod non licet* (i) . Ergò nedum licita , & honeſta eſſe debent ea , ſuper quibus Pontifex vult ſuæ poteſtatis plenitudinem exercere , ſed etiam decentia , expedientia , & talia , ut laude à populo , & à ſapientibus , & inſipientibus (quibus debitor eſt) præconiis , non verò maledictionibus, ſint probabiliter excipienda (l) . Normam ſuper hoc , præmemorato Eugenio , prębuit D. Bernardus , adjungens : *Spiritualis homo omne opus ſuum trinâ conſideratione præveniet : primò an liceat : deindè an deceat : poſtremò an expediat . Nàm etſi conſtat in Chriſtinâ utique philoſophiâ non decere, niſi quæ licent ; non expedire , niſi quæ decent , & licent ; non continuò tamen omne quod licet, decere , aut expedire conſequens erit* (m) . His circumſtantiis concurrentibus , Pontifex tutè poteſt , & quandòque etiam debet, ſuę uti plenitudine poteſtatis , quià quemadmodùm benè advertit D. Leo: *Sicuti quędam ſunt , quæ nullâ poſſunt ratione convelli ; ità multa ſunt , quæ aut prò neceſſitate temporum , aut prò conſideratione ætatum, oporteat temperari* (n).

30. Nec quiſquam ſanæ mentis unquàm negabit Summo Pontifici jus ſupremæ ſuæ poteſtatis exercendę , cum eam refutare non ſit Eccleſiæ conſulere , ſed illi detrimenta præſtare . Etenim prouti benè , ac ſapienter loqui ſolebat Henricus IV. Gallorum Rex , cognomine Magnus , ſi per hypotheſim , in Eccleſiâ Dei Summus Pontifex non adeſſet ; oporteret illum in eâdem ex condicto ſtatuere , ac votis communibus collocare , ut opportunè poſſet Reipublicę Chriſtianæ indigentiis interdùm occurrentibus providere . Nàm Canonum Auctores , nec omnes caſus poſſibiles præviderunt , nec illis ſucceſſu temporum eventuris , individualiter occurrerunt : Quorum ſanè aliqui tales ſunt , ut juxtà eorum circumſtantias , æquius ſit legem ſolvi , quàm adimpleri (o) . Oportet ergò ut in talibus caſibus Pontificis diſpenſatione Canones emolliantur : publicoque tunc bono plùs confert , vim canonum charitate Eccleſiaſticâ relaxari ; quàm Hebraicâ ſuperſtitione ſervari. Sic opus fuit ut Simplicius Papa ſuper loco , & formâ ordinationis Antiocheni Præſulis , ad inſtantiam Zenonis Principis diſpenſaret (p). Sic Sanctus Gre-

(a) *Marta de juriſd. p.4. cent. 2. caſ. 296. n. 19 Borel ſum. deciſ. to. 1. tit 4. num. 15. Franc. Marc. deciſ. 1222. n. 1. vol 1.*

(b) *Sanfelic. deciſ. Neapol c. 2. n. 159. §. quo. Barboſ. Clauſul. 42 n 25.*

(c) *S. Bernard. de conſid. ad Eugen. l. 3.*

(d) *Gloſ. in c. ſi gratioſè V. à Romano de reſcr. in 6. Lotter. de rè benef. l. 2 qu. 22. n. 13 Barboſ jur. Eccl l. 1. c. 2 n. 57.*

(e) *Sanchez de Matrim l. 2. diſp. 15. n. 3. Mandoſ ad reg. 16. Canc qu. 7. n 6. Barboſ. Clauſul 42 n 20. 22.*

(f) *Sfondr Regal. Sacerd. l. 4 §. 4. n. 1.*

(g) *S. Bernard. loco citato.*

(h) *Corinth. c. 6. n. 12 & c. 10. n. 22.*

(i) *Clemens. Alexandrinus l. 3. Stromat.*

(l) *Romanorum cap. 14. 14.*

(m) *S. Bernard. de conſid. ad Eugen. l. 3.*

(n) *S. Leo. epiſt. 90 ad Ruſtic. Narbonen. &c.*

(o) *S. Thom in 3. diſt. 37 qu 1. art. 4 ſub initio.*

(p) *Vid ſupr. ſect. 1. ſect. 6. c. 13 n. 24. & 31.*

Gregorius diſpenſavit cum Anglis, ut in gradibus, per Canones prohibitis, matrimonia celebrarent (*a*): Et cum Epiſcopis Siciliæ, ut non bis, juxtà Canonem 5. Concilii I. Generalis, ſed ſemel ſolùm in anno, Concilia convocarent: quippè tales circumſtantię perſonarum, temporum, ac locorum, tunc occurrerunt, ut valdè proficuum eſſet à rigore præfatorum Canonum deſilire. Neceſſaria ergò omninò eſt in Pontifice hæc facultas, cui alluſiſſe cenſemus Gelaſium Papam I. cum ſcripſit: *neceſſariâ rerum diſpoſitione compellimur, & Apoſtolicæ Sedis moderamine convenimur, ſic canonum paternorum decreta librare, & retrò præſulum, deceſſorumque noſtrorum præcepta meriri, ut quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibitâ conſideratione diligenti, quantùm poteſt fieri, temperemus* (*b*). Sed quid dicimus de Papa? Etiam in ſingulis Epiſcopis, præſtat ad opportunum Eccleſiæ regimen, ut ſit facultas, prò ratione eorum gradus, & prò menſurâ Epiſcopalis juriſdictionis, aliquandò Canones relaxandi, juſtis tamèn de cauſis, & in terminis, de quibus Concilium Tridentinum: *ſicut publicæ expedit legis vincula quandòque relaxare, ut pleniùs evenientibus caſibus, & neceſſitatibus, prò communi utilitate ſatiſfiat; ſic frequentius legem ſolvere, exemploque potiùs, quàm certo perſonarum, rerumque delectu, petentibus indulgere; nihil aliud eſt, quàm unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire &c.* (*c*).

31. Itàque vi plenitudinis poteſtatis Papa omnia poteſt, & cum omnibus, clave non errante, uti ſentiunt tàm Theologi (*d*), quàm Canoniſtę (*e*), intellectâ rè tamèn in ſuo ſenſu, & cum exceptionibus mox addendis. Adeòque ubi conſtat de illius voluntate; de ipſius poteſtate non eſt facilè diſputandum (*f*). Veruntamèn ejus plenitudo poteſtatis ad quatuor non ſe extendit. *Primò* ad ea, quę ſunt *Juris Divini*: hæc etenim alterare, horum vìm diſſolvere, in his diſpenſare, nullatenùs valet. Textus eſt literalis in epiſtolâ Urbani Papæ, dicentis: *Ubi apertè Dominus, vel ejus Apoſtoli, & vos ſequentes Sancti Patres, ſententialitèr aliquid definierunt; ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potiùs quod prędicatum eſt, uſque ad animam, & ſanguinem, confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apoſtoli, & Prophetę, deſtruere, quod abſit, niteretur; non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur* (*g*). Conſonant *cap. omne, & cap. ſatagendum* 25. *qu.*1. *cap. literas de reſtit. ſpoliat. cap. cum ad Monaſterium in fin. de ſtat. monach. S. Bern. de præcept. & diſpenſ.* Hancque ſententiam unâ voce confitentur Canoniſtæ. *Decius in cap. quæ. in Eccleſiarum de conſtit. num.*45. *& in cap. ſignificaſti de elect. num.*11. *Sylveſt. verb. Papa qu.*16. 17. *Abbas in cap. propoſuit de conceſ. præbend. Barboſ. jur. Eccl. univ. lib.*1. *cap.*2. *num.*96. *Covar. de Sponſ. p.*2. *cap.*6. §.9. *num.*4. *Menoch. de arbitr. caſ.*421. *Duard. ad Bul. Cœn. lib.*1. *cap.*4. *qu.*7. *num.*24. *Monet. de commut. ult. vol. cap.*4. *num.*103. *& cap.*6. *num.*3. *Paris conſ.*68. *vol.*4. Et ratio eſt clara, tùm quià lex Divina eſt immutabilis: tùm quià relaxatio legis non poteſt fieri à Judice inferiori (*h*). Pontifex autem proculdubiò inferior eſt Deo.

32. Nèc diſſimilis eſt opinio Theologorum, quorum Princeps Angelicus D. Thomas ità eloquitur: *dicendum, quod Papa habet plenitudinem poteſtatis in Eccleſiâ, ità ſcilicèt, quod quæcumque ſunt inſtituta per Eccleſiam, vel Eccleſiæ Prælatos, ſunt diſpenſabilia à Papâ. Hæc enim ſunt, quę dicuntur eſſe juris humani, vel juris poſitivi. Circà ea verò, quæ ſunt juris divini, vel juris naturalis, diſpenſare non poteſt, quià iſta habent efficaciam ex inſtitutione divinâ. Jus autem divinum eſt, quod pertinet ad legem novam, vel veterem*: Et poſtquam addidit, legem veterem multa habuiſſe, quæ ad cultum Dei, & multa, quæ ad judicia intèr homines pertinebant, ſublata per legem novam, addit, quod in hac, ea *quæ pertinent ad determinationem Divini cultus liberè permiſit Chriſtus, qui eſt novæ legis lator Prælatis Eccleſiæ, & Principibus Chriſtiani Populi determinanda. Undè hujuſmodi determinationes pertinent ad jus humanum, in quo Papa poteſt diſpen-* ſare.

(a) *S. Gregor. lib.*12. *epiſt.*31.

(b) *Gelaſius Pap. I. epiſt.*4.

(c) *Concil. Trident. ſeſ.*25. *c.*18.

(d) *Joan. Gerſon to.*2. *fol.*245.

(e) *Decius in cap. canonum* 2. 21. *de Conſtit. Hoſtienſ. in cap. quanto de transl. Epiſ.*

(f) *Barboſ. Jur. Eccleſ. univ. l.*1. *c.*2. *num* 99. *Lotter. de rè beneſ. l.*2. *c.*22. *n.*13.

(g) *Cap. ſunt quidā* 6. *cauſ.*25. *qu.*1.

(h) *Cap. inferior. diſt.*21. *Clement. ne Romani de elect.*

ſare. In ſolis verò his, quæ ſunt de lege naturæ, & in articulis fidei, & Sacramentis novæ legis, diſpenſare non poteſt (a): S. Thomam ſequuntur *Valent in* 1.2. *diſp.*7. *qu.*4. *pun.*6. *verſ. & quoad priorem. & qu.*8. *pun.*4. *verſ. diſpenſatio. &* 2.2. *diſp.*19. *qu.*3. *pun.*5. *col.*4. *verſ. Certum eſt. Sotus in* 4. *diſt.*18. *qu.*1. *art.*5. *& de juſt. & jur. lib.*1. *qu. ult. art. ult. Azorius inſtit. mor. par.*1. *lib.*5. *cap.*35. *qu.*4. *Suarez de Euch. qu.*74. *art.*2. *diſp.*43. *ſec.*4. *Sanchez de Matrim. lib.*8. *diſp.*6. *Regal Sacerd. lib.*6. §.1. *num.*2. & alii.

(a) *S. Thomas Quod. lib.*4. *qu.*8. *art.* 13. *in corp.*

33. Veruntamèn in iis, quæ ſunt de ſimplici ordinatione Apoſtolicâ, & non contrà fidem, Papa diſpenſat, quià Apoſtoli alia fecerunt, ſeù dictarunt uti organa Chriſti, patefaciendo illius voluntatem; alia uti Epiſcopi. Quæ fecerunt velut Epiſcopi, ſubſunt juriſdictioni Pontificis. Ità quamvis Apoſtolus ad Timotheum, & ad Titum diſponat, Epiſcopum debere deligi *unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, non litigioſum, non cupidum &c.* (b); tamèn Papa diſpenſat ad Epiſcopatum, ſi vult, cum bigamo, cum vinolento, cum neophyto &c. quià hæc Apoſtolus docuit, non uti Apoſtolus, & Conditor Sacræ Scripturæ, ſed uti Doctor, & Epiſcopus, condenſque legem Eccleſiaſticam, non Divinam. Sic & ad ſimilia ordinationis Apoſtolicæ sè poteſtas Pontificalis extendit. *Turrecrem. lib.*3. *ſum. cap.*54. *Anguſt. Triumphus de poteſt. Eccl. qu.*60. *Azorius par.*1. *lib.*5. *cap.*15. *qu.*4. *Gregor. Sayr. Clau. Reg. lib.*3. *cap.*10. *num.*6. *Regal. Sacerd. lib.*4. §.1. *nu.*4. *limit.*4. *Lotter. de rè benef. lib.*1. *cap.*46. *num.*59. Idem dicendum eſt de illis rebus, quæ vinculum, ſeù obligationem in sè continent Juris Divini, ſed tamèn ab humanâ promiſſione dependent, prout ſunt Juramenta, Vota &c, quæ quamvis juris Divini in sè vim teneant, uti tamèn elicita ab humanâ voluntate, legibus humanis ſubſunt, & multò magis auctoritati Pontificis, ut ſuper illis valeat ex causâ rationabili, diſpenſare, eorumque vinculum, vel ordinariâ facultate, vel ſaltèm de poteſtatis plenitudine, relaxare.

(b) 1. *Timot. cap.*3. *num* 3. *& ad Titum cap.*1. *n.*7.

34. *Secundò* ad ea, quæ ſunt *juris naturalis*, Plenitudo poteſtatis Pontificiæ non sè extendit. Ratio poteſt ex dictis hìc paulo antè (c). Quibus addimus immutabilitatem juris naturalis, de quo Cicero: *huic legi nec derogari fas eſt, nec abrogari aliquid ex hâc licet, nec tota abrogari poteſt. Nec verò aut per Senatum, aut per populum, ſolvi hac lege poſſumus: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis: alia nunc, alia poſt, ſed in omnes gentes, omnique tempore, una lex, & ſempiterna erit immutabilis* (d). Si ergò lex naturalis eſt immutabilis, talis etiam erit ejus obligatio: ſi autem utriuſque obligatio eſt immutabilis, proculdùbiò non poterit ſuper eâ per Pontificem diſpenſari (e). Huic effugio potiſſimè ſuam cauſam commiſit Henricus VIII. Rex Angliæ, cum anſam repudiandæ Catharinæ Uxoris, & Annæ Bolenæ pellicis ſibi copulandæ, quærebat. Obtendebat enim ſe Catharinæ Auſtriacæ levirum, & hanc eſſe ſibi fratriam, utpotè quæ priùs Arturo fratri ſuo defuncto fuerat matrimonialitèr copulata: inter levirum autem, & fratriam prohibitas eſſe nuptias jure naturæ aſſerebat, imò & etiam jure Divino: Nec ſuffragari diſpenſationem, per Julium II. Pontificem interpoſitam effutiebat, quippè Papa in jure naturæ non potuiſſet diſpenſare. Sophiſmata hæc erant inſubſiſtentia, eo quod jus naturæ matrimonium inter levirum, & fratriam nullatenùs interdicit, imo & nec jus Divinum illud interdicebat, in terminis Henrici VIII. uti probat ex propoſito Cajetanus (f). Attamèn patet, ſemper viguiſſe in Eccleſiâ hanc opinionem, quod in iis, quæ ſunt juris naturalis, ut ſic, auctoritas Pontificia, diſpenſativâ poteſtate nil poteſt (g). Contrarium tamèn eſt in iis, quæ ſunt juris naturalis permiſſivi: ut ubi agitur de libertate hominum, de communione bonorum &c. (h).

(c) *Vid. paulò ſupra hic n.*31. *&* 32.

(d) *Cicer.* 3. *de Republic.*

(e) *Vid Gonet Clyppeus Theol. to.*3 *diſp.*3 *de legib. art.* 4. §. 1. *num.*65.

(f) *Cajet. Opuſc. tom.*3. *tr.*14. *c.*5. *&* 6.

(g) *Decius in rubric. ant. tit. de exception. nu.*12. *&* 13. *Barboſ. Jur. Eccl univ l.*1. *c.*2. *num.* 96. *Moneta de commut. ult vol. cap.*4. *num* 105. *c.*5. *n.*147. *& cap.*12 *n* 79.

(h) *Sfondr. Regal. Sacerdot. l.*4 §1. *n.*5.

35. *Tertiò* ad ea, quæ ſtatum Eccleſiæ in ſubſtantialibus immutarent, plenitudo poteſtatis Pontificiæ non ſe extendit (i). Ut ſi vellet tollere Canonem *ſi quis ſuadente Diabolo*, vetantem percuſſionem Clericorum ſub pœnâ excommunicationis,

(i) *Barboſ Jur. Eccl. univ. lib.*1. *c.*1 *nu.*194. *Mars de juriſd par.*2. *cap.*6 *n.*29. *Tuſc. lit. P. concl.*50. *n.*33.

tionis, quippè hoc decoloraret faciem Eccleſiæ, quam totam proſpicit dictus Canon (*a*), Vel ſi vellet privilegio fori Clericos, & omnes perſonas Eccleſiaſticas denudare, illas in totum Judicibus laicis ſubmittendo (*b*). Quamquàm in aliquibus caſibus particularibus id poſſit fieri juxtà DD. in margine citatos. Imò nedùm perſonas, ſed & nec cauſas Eccleſiaſticas poteſt Papa in totum, & totalitèr ſubmittere Judici laico, ut ait *Card. in cap. perpendimus de ſent. excom. Grammat. dec.* 29. *num.* 11. *Mart. loc. cit. par.* 2. *cap.* 6. *num.* 26. & 29. quià hoc eſſet contrà ſtatum univerſalis Eccleſiæ, & ejus decorem in ſubſtantialibus immutaret: eo maximè quod privilegium fori Clericis competere de jure Divino ſentiunt Canoniſtę cum *gloſ. in cap. ſi Imperator verb. diſcuti diſt.* 96. & *in cap. quamquàm verb. Divino de cenſ. in* 6. *Felyn. in cap. Eccleſia S. Mariæ de conſlit. Butrius ibid. Mart. loc. cit. num.* 27. *cum aliis*. Et ex Theologis *Azorius inſtit. mor. par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 12. *Almayn. de ſupr. poteſt. Eccleſiæ cap.* 8. *prop.* 3. *Sylveſt. V. Immunitas qu.* 4. *Angel. Verb. immunitas num.* 33. *verſ.* 11. & alii. Quinimò & Concilia Lateranenſe ſub Leone Papâ X. (*c*), & Tridentinum (*d*), Clericorum Immunitatem eſſe affirmant de Ordinatione Divinâ: nec aliter eſſe poteſt, quippè alioquin Pontifici non fuiſſet facilè tot homines, illorumque bona juriſdictioni Principum ſæcularium ſubtrahere, ſi eorundem immunitas juri divino innixa non eſſet (*e*).

36. *Quartò* ad illa, per quæ magnum aliquod ſcandalum in Eccleſiâ excitaretur, vel Eccleſiæ ſtatus confunderetur, & notabilitèr perturbaretur, Pontificia poteſtas, etiam de ſuâ plenitudine nihil agit: *cap. magnæ.* 7. *de voto, cap. ideò* 16. §. *ſi ergò* 25. *qu.* 1. *Mart. de Jurid. par.* 4. *cap.* 93. *num.* 15. *Decius in cap. ſi quando num.* 14. *de reſcript.* & *in cap. cum teneamur num.* 14. *de præbend. Barboſ. Jur. Eccl. univ. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 195. Talia eſſe videntur, ſi vellet cunctis Presbyteris Matrimonium generali lege indulgere, cum prò Cœlibatu in Eccleſiâ Latinâ cuſtodiendo infinitis laboribus, legibus, & decretis, tùm Pontifices prædefuncti, tùm Concilia generalia, & provincialia, diutiſſimè deſudaverint. Poſſet tamen Pontifex in aliquo caſu particulari cum Presbytero diſpenſare ſuper voto continentiæ, & ut matrimonium contraheret, ſi aliqua magna cauſa ità expoſceret (*f*). Similitèr magnum ſcandalum, & confuſionem excitaret, ſi Papa ſtatueret, ut dies Solemnis Paſchæ, non primâ Dominicâ poſt æquinoctium vernale, ſed ipsâ æquinoctii die in totâ Eccleſiâ, & ab omnibus celebraretur: cum ad diſtinguendum Chriſtianorum Paſcha, à Paſchate Judæorum, ingentibus laboribus, conſtitutionibus, & ſtatutis, Eccleſia ipſa dictam diem Dominicæ deputaverit. Vel ſi jejunium quadrageſimale prorsùs expungere aggrederetur, & univerſalitèr abrogare, prò quo cuſtodiendo, ex exactè ſervando, perplures emanarunt in Eccleſiâ Dei ſanctiones, & Pontificum, Patrum, atque Conciliorum paręneſes. Vel ſi officium Divinum, & Sacram pſalmodiam vellet totalitèr à cunctis Sacerdotibus, & ab Eccleſiis univerſis auferre (*g*). Aut ſi quid aliud Papa tentaret, vel novum facere, vel ex antiquis ritibus abrogare, vel aliud contrà bonos mores invehere, per quod ſcandalum univerſale, maledicta, & clamores in totâ Eccleſiâ excitarentur. Quià tunc plenitudine poteſtatis non uteretur, ſed abuteretur; nec ſuæ dignitatis vim ad ędificationem, ſed ad deſtructionem adhiberet, contrà Apoſtoli monitum, & Dei, atque Chriſti intentum, à quo plenitudinem poteſtatis accepit, ut piè, & rectè ſe gerat, non ut magna ſcandala pariat, & Eccleſiam dehoneſtet.

37. Verùm licèt Pontifex neutrum Jus, naturale, & Divinum poſſit ſuæ poteſtatis plenitudine attingere, vel in eo, ut innuimus, diſpenſare; concors tamen omnium tùm Theologorum, tùm Juriſconſultorum opinio eſt, ut juxtà rerum contingentias, utrumque valeat explicare, an in tali, & tali caſu, locum habeat, & obligationem inducat, an verò vis divinę, aut naturalis legis deficiat: vel quià majus bonum ex ejus obſervantiâ impediretur: aut quià aliquod grave damnum indè ſequeretur. Nàm cum dentur interdùm aliqui caſus, inquit D. Thomas, in qui-

(a) Barboſ. ubi ſupr. num. 194.

(b) *Bellet. diſquiſit. Cler. de fav. Cler. perſ.* §. 3. *nu* 7 *Mart. de juriſd p.* 3. *c.* 7 *n.* 13. *c.* 46 *num.* 6. *c.* 142. *n* 6. *Barboſ. loc. cit n.* 191.

(c) *Concil Later.* 5. *ſeſ.* 6. *in Bull. refor. Curiæ.*

(d) *Concil Trid. ſeſ.* 25. *c.* 20 *de ref.*

(e) *Thomaſ. del Bene de Immun. c.* 1. *dub.* 2. *ſec.* 3. *n.* 25.

(f) *Joan. à S. Thoma in* 2. 2. *D. Th. qu.* 38. *diſp.* 29. *art.* 18.

(g) *Abbas in cap* 1. *col.* 2. *de celebr. Miſſ. Decius in cap. quæ in Eccleſiarum nu.* 530. *de Conſtit.*

quibus *eſt nocivum obſervare legem* (*a*); Si tunc deeſſet in Pontifice poteſtas utramque legem juxtà æquitatem & epikejam interpretandi, Chriſtus non dediſſet Eccleſiæ ſufficientem poteſtatem, quâ poſſet congruè gubernari. Leges enim interpretationem admittunt per epikejam, ſivè epykiam (*b*). Et ideò neceſſe eſt, ut Summus Pontifex, tamquàm Eccleſiæ Caput, hac omninò præditus ſit facultate. *S.Thom.2.2.qu.88.art.10. S.Bonavent. in 4.diſt.38.art.2.qu.3. S.Antonin.p.2. tit.17.§.20. Sot. de juſt.& jur. lib.1.qu.7. art. ult. ad fin. Sayr. Clav. reg. lib.6. cap.11.num.4. Azorius inſtit. mor. par.3. lib.1.cap.5. verſ. quarto. Sanchez de Matrim. lib.8. diſp.6. à num.2. ad 9. Regal. Sacerd. lib.4. §.1. num.5. Verſic. Limitatur 5. Sylveſ. verb. Papa qu.16.in fin.* Et ex Legalibus *Decius in cap.ex parte n.24. de off.delegat. DD. in cap. quæ in Eccleſiarum de Conſtit. Barboſ. jur. Eccl. univ. lib.1.cap.2. num.121. Hojed. de incomp. beneſ. par.2. cap. ult. in fin. Mart. de juriſd.par.2.caſ.37.num.1. & par.4.caſ.93. num.3.15.16. & caſ.194. num.7. Monet. de commut.ultim. volunt.cap.4. num.105. & cap.6.num.5. & cap.12. num.79.*

(a) *S. Thomas 2.2. qu.120 art.1. in corp.*

(b) *Gonet Clyp.Theolog.to.3. diſp.9. de leg. art.unic.n.2.& 3.*

38. Prętèr autem illa quatuor, ad quæ numeris præcedentibus diximus, plenitudinem poteſtatis Pontificiæ non ſe extendere; in reliquis ad omnia sè dilatat, nec ullis Eccleſiaſticarum legum limitibus circumſcribitur, ſed cunctos canones tranſilit, & in eorum ſanctionibus prò voluntate diſpenſat. Ità Canones definiunt (*c*), Ità Theologi docent (*d*), Ità Juriſconſulti unanimiter confitentur (*e*). Undè paſſim evenit, ut Pontifex dicatur omnia jura in ſcrinio pectoris ſui continere (*f*), ac omnia poſſe contrà jus, ſuprà jus, & prętèr jus (*g*). Quæ non profuſo eloquio, ſed rationabili ſenſu, à Canonum profeſſoribus proferuntur: quippè vel Canones, ex quibus jus canonicum conſtat, editi ſunt à Summis Pontificibus, & in illis valet Papa legitimè diſpenſare, quià non fuit major auctoritas Pontificis defuncti, edentis Canonem, quàm ſit illa viventis, ipſum Canonem diſſolventis. Vel Canones ſunt editi à Conciliis provincialibus, & ſinè dubio, cum hæc vim non habeant ligandi quemlibet Chriſtianum extrà ſuam provinciam; multò minùs valebunt auctoritatem Summi Pontificis devincire. Vel demùm Canones ſunt à Concilio generali ſanciti, & cum Concilium nec poſſit dici generale, neque Canones in eo lati poſſint dici leges Concilii generalis, niſi approbentur à Pontifice (*h*), cujus etiam auctoritas in ipsâ approbatione ſemper præſervata intelligitur (*i*); Hinc fit, ut re ſincerè ponderatâ, verè hoc Summo Pontifici competat, quod nullis Canonum Sanctionibus, ejus facultas valeat coerceri.

(c) Cap. *propoſuit: de conceſ. præbend. cap.innotuit de electione cap. per venerabilem qui fi ſint legit.*
(d) *Azorius inſt mor p.2.l.5.c.15.qu.5. Sayr.Clav.reg l.3.c.10 num.6.*
(e) *Lotter de beneſ.l 1.qu 46 n.58.59. Mart. de juriſd par.2. cap.17. n.3.& 5 Monet.de cõmut. ult. vol. cap.7.n.27 Barboſ Jur. Eccl.univ l.1.c.2 n.95 98.105.118.128.179.*
(f) *Barboſ.loc.citat. num.118.*
(g) *Baldus in cap. ſuper eo col.1. de cauſ. poſſeſ. Marta loco cit.*
(h) *Card. Baron.an. 878 n.27 &c.*
(i) *Greg.VII.in Apologet.Rom.Conc.cap.3 Paſchal.II. ep.6. cap. ſignificaſti de elect. Concil.Trid.ſeſ.25.c.21.*

39. Audiendus eſt Gratianus, totam negotii ſeriem ſic elegantiſſimè exponens: *Sacroſanta Romana Eccleſia jus, & auctoritatem Sacris Canonibus impertitur, ſed non eis alligatur. Habet enim jus condendi Canones, utpotè quæ caput eſt, & cardo omnium Eccleſiarum, à cujus regula nemini diſſentire licet. Ità ergò Canonibus auctoritatem pręſtat, ut sè ipſam non ſubiiciat eis: & ſicut Chriſtus, qui legem dedit, ipſam legem carnaliter implevit, octavâ die circumciſus, quadrageſimâ die in templo cum hoſtiis præſentatus, ut in ſeipſo eam ſanctificaret; poſteà verò, ut sè Dominum legis oſtenderet, contrà legis literam, leproſum tangendo mundavit &c. Sic & Summæ Sedis Pontifices, Canonibus, ſive à sè, ſive ab aliis ſuâ auctoritate conditis, reverentiam exhibent, & eis sè humilitando ipſos cuſtodiunt, ut aliis obſervandos exibeant. Nonnunquàm verò, ſeu jubendo, ſeu definiendo, ſeu aliter agendo, ſe decretorum Dominos, & conditores eſſe oſtendunt. In præmiſſis ergò capitulis aliis imponitur neceſſitas obſequendi: Summis verò Pontificibus oſtenditur ineſſe auctoritas obſervandi, ut à ſe tradita obſervando aliis non contemnenda demonſtrent: exemplo Chriſti, qui Sacramenta, quæ Eccleſiæ ſervanda mandavit, primò in ſeipſo ſuſcepit, ut ea in ſeipſò ſanctificaret. Oportet ergò primam ſedem, ut diximus, obſervare ea, quæ decernendo mandavit, non neceſſitate obſequendi, ſed auctoritate imperandi. Licet itàque ſibi contra generalia decreta ſpecialia privilegia indulgere, & ſpeciali beneficio concedere, quod generali prohibetur decreto. Quamquàm, ſi decretorum intentionem diligenter advertamus, nequaquàm contrà ſanctorum Canonum*

nonum

nonum auctoritatem aliquid concedere invenietur. Sacri ſiquidem Canones ita aliquid conſtituunt, ut interpretationis auctoritatem Sanctę Romanę Eccleſiæ reſervent. Undè in nonnullis capitulis Conciliorum, cum aliquid obſervandum decernitur; ſtatim ſubinfertur, niſi auctoritas Romanæ Eccleſiæ aliter imperaverit &c. Cum ergò aliqua privilegia ab Apoſtolico aliquibus conceduntur, & ſic contrà generalem legem aliquid ſonare videantur, non tamen contrà ipſam aliquid concedere intelliguntur, cum ipſius legis auctoritate privilegia ſingulorum penès matrem omnium Eccleſiarum reſerventur &c. Valet ergò, ut ex præmiſſis colligitur, Sancta Romana Eccleſia ſuis privilegiis quoslibet munire, & extrà generalia decreta, quędam ſpeciali beneficio indulgere, conſideratâ tamen rationis ęquitate, ut quæ mater juſtitię eſt, in nullo ab eâ diſſentire inveniatur &c. (*a*).

40. Rè verâ ergò negare non poſſumus Romano Pontifici exemptionem ab omnibus Juris poſitivi Sanctionibus, & poteſtatem ſuper cunctis Canonibus diſpenſandi. Neque à nobis diſſentire cenſemus Contradictores: quamquàm ad opportunitatem ſuæ causę contraria dictaverint. Qui ſi poſteà in eâ ſunt opinione, ut debeat Pontifex moderatè procedere in uſu plenitudinis poteſtatis, ſive in diſpenſando, ſive in diſtribuendo beneficia, ſive in aliis actibus exercendis ſpiritualis juriſdictionis, ne effrænato impetu ad cuncta agibilia manum extendat, maximè ubi eſt jus tertiò quęſitum, vel ubi agitur de factis, quæ pacta deſtruunt, & jura aliena diſſolvunt; hoc & nos fatemur (*b*). Sed præterquamquòd præſumitur Papam moveri ex rationabili causâ, quando utitur plenitudine poteſtatis (*c*), certè hanc ęquitatem inſitam eſſe animo Pontificio declarat regula Cancellariæ *de jure non tollendo, & cap. reſcripta cum ſequ. 25. qu. 2. c. 15. de off. Jud. deleg.* Tantundemque infertur ex eo, quod Pontifex nunquàm plenitudine facultatis uti cenſetur, niſi exprimat, ſed ſuâ potius ordinariâ poteſtate, uti præſumitur (*d*). Ità & ſi dicatur, quod non talitèr ipsâ plenitudine poteſtatis uti debet, ut præjudicet Ordinariis, eorumque ſolitam facultatem imminuat, prouti ſuprà cum Joanne Gerſonio ponderatum eſt (*e*). Idipſum & nos tenemus, optamuſque, ut quâ D. Gregorius, modeſtiâ imperet, diſcretione regnet, moderatione ſuæ plenitudine poteſtatis utatur: *Indubitatum eſt enim*, inquit Thomaſſinus, *neminem Pontificum Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & univerſalitate, tàm longè, latèque regnaſſe, quàm Gregorium. Sed adverte illud quoque æque indubium, neminem humiliùs, ſanctiùs, modeſtiùſque regnaſſe, neminem propenſiùs ſolis Eccleſiæ utilitatibus deſerviſſe* (*f*). Et certè hac moderatione tranſgreſſâ, provocarentur fortè Prælati ad reclamandum, & reſiſtendum, eo ſenſu, quo Domitius Conſul adverſus Neronem Imperatorem, dolentem, quod ab eo ſperneretur intonuit: *Quid te habeam ut Imperatorem, ſi mè non habes ut Conſulem?*

41. Paritèr ſi Contradictores in eâ ſunt opinione, quod etiam Pontifex quoad vim directivam ſubſit Canonibus; nos quoque idipſum ſentimus, id edocti ex *cap. juſtitiæ. cap. contrà ſtatuta 25. qu. 1. cap. ſi ea. cap. inſtitutionis. cap. quod verò. cap. deceſſorum. cap. poſteaquam 23. qu. 2. cap. magnæ de Voto. Quod* enim, inquit Gelaſius Papa, *univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, nullam magis exequi ſedem præ cæteris oportet, quàm primam, quæ & unamquamque Synodum ſuâ auctoritate confirmat, & continuatâ moderatione cuſtodit* (*g*). Ex Patribus D. Ambroſius in epiſtolâ ad Valentinianum (*h*): Ex Oratoribus Plinius in Panegyrico Trajani (*i*): Ex Theologis Divus Thomas in Summâ (*l*): & generalitèr omnes Hiſtorici, Politici, peritioreſque Doctores, unâ voce ſucclamant, Principem exemplo debere alios præire: ipſum primum implere quod aliis præcipit: & legibus debere vivere, quas obſervandas aliis præſcribit. Unum pro multis hic adjungimus D. Iſidorum, ità de præſenti rè differentem: *Juſtum eſt Principem legibus obtemperare ſuis. Tunc enim jura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quandò & ipſe illis reverentiam præbet &c. Juſta eſt enim vocis eorum auctoritas, ſi quod populis prohibent, ſibi licere non patiantur* (*m*). Inſerta ſunt hæc verba Corpori Juris Canonici (*n*).

(a) *Gratian. in Decret. cap. ideò § ſi ergò 25. qu. 1.*

(b) *Joan à S Thomâ in 2. 2. S. Thom. tom. 4. qu. 38. de Voto diſp. 19. art. 19 n. 4.*

(c) *Abb. in cap. cum veniſſent n. 8 de judic. Barboſ. clauſ. 41. n. 23.*

(d) *Cap. propoſuit §. licet de conceſ. præben.*

(e) *Joann. Gerſonius Vid. cap. præced. n. 24.*

(f) *Thomaſſin. vet. ac nova Eccl. diſc. p. 1. l. 1 c. 6. n. 23.*

(g) *Gelaſ. Pap. epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ.*

(h) *S. Ambroſius l. 5 ep. 32.*

(i) *Plinius in Trajan. panegyr.*

(l) *S. Thomas 1. 2. qu. 96. art. 5.*

(m) *Iſidor. l. 3. ſent. de ſum bon. c. 51.*

(n) *Cap. juſtum eſt diſt. 9.*

Digitized by Google

Et lex Civilis clamat; *Digna vox majeſtate regnantis eſt, legibus alligatum ſe Principem profiteri* (*a*). Alibique: *parito legi quiſquis legem ſanxeris* (*b*). Igitùr etiam Papa, quoàd vim directivam, & ſi non quoàd coactivam, ſtatuta Canonum debet promptiùs obſervare. Et idem eſt de Imperatore, de quo narrant Dio in Hiſtoriâ (*c*), & Strabo in Geographiâ (*d*), Auguſtum eo anno, quo ab illo victus eſt Marcus Antonius, obtinuiſſe, ut prorsùs eſſet ſuis legibus abſolutus, quod & cœteri Imperatores habuerunt, populo ità ſuam poteſtatem in Imperatorem transferente, ut ſuis eſſet legibus abſolutus, quoàd vim coactivam, quamquàm quoàd directivam eas deberet obſervare. Itàque ſicut omnes legislatores; ità& Papa, quoàd viam directivam incumbere debet obſervandis legibus eccleſiaſticis. Coactivè tamen humanis legibus non adſtringitur (*e*).

(a) *Leg. digna vox Cod. de legibus.*
(b) *Leg Princeps digeſt. de legib.*
(c) *Dio Caſſius Hiſtor. lib 57.*
(d) *Strabo Geographiæ lib. 13.*
(e) *Vide Gonet. Clyp. Theolog. tom. 3. diſp. 5. de legibus art. 5. §. 1.*

42. Si paritèr Contradictores hanc tenent ſententiam, quod Pontifex, ſine justâ causâ Canones relaxando; vel sè ab eorum obſervantiâ irrationabilitèr eximendo; vel utcumque in eis abſque causâ diſpenſando, culpam incurrat pro ratione exceſſus, & ſcandali; nos quoque albicalculum noſtrum eorum jungimus opinioni, cum *D. Thomâ 1. 2. quæſtion. 79. art. 4. Valent. tom. 2. diſp. 7. qu. 5. punct. 9. Suar. de legibus lib. 6. cap. 18. num. 9. Layman. Theol. mor. lib. 1. tr. 4. cap. 22. num. 13. Tanner. in 1. 2. diſp. 5. qu. 7. dub. 2. num. 29. Azorio Inſtit. moral. part. 1. lib. 5. cap. 15. qu. 2. Barboſ. jur. Eccl. univ. lib. 1. cap. 2. num. 183. Moneta de commut. ult. volunt. c. 5. num* 80. 81. *Cajet. in ſum. Verbo diſpenſatio. in princ. Covarruv. 4. decret. 2. par. 2. c. 6. §. 9. num. 7. Sanchez. de Matrim. lib. 8. diſp. 17. num. 7. &* 7. Quamvis præfata diſpenſatio, vel Canonum relaxatio ſinè causâ facta valida ſit, ſi agatur de Canonibus, jus poſitivum tantummodò concernentibus (*f*). Sed ſi agâtur de diſpenſatione concernente illa, quę ſunt juris Divini, vel naturalis, uti votum, juramentum &c. quoties cauſa legitima deſit; diſpenſatio nedum eſt illicita, ſed etiàm invalida. *Innoc. in cap. cum ad Monaſterium n. 4. de ſtat. monac. Leſſius de juſt. & jur. l. 2. cap. 40. dub. 12. n. 101. Navar. in manual. prol. 9. n. 13. Barboſ. loc. ſupr. cit. n. 124. Covar. de Sponſal. p. 2. c. 6. §. 9. n. 11. Sanchez ubi ſupr. l. 8. diſp. 17. n. 2. & 3. Regal. Sacerd. lib. 4. §. 4. num. 3. Sayr. Clav. Reg. lib. 5. cap. 8. num. 12.*

(f) *Barboſ. Moneta, Sanchez, & alii mox citati.*

43. Porrò diſpenſationes, ſic ut ſuprà factas, legitimâ deſtitutas causâ, hac cenſurâ percuſſit D. Damaſus Papa in epiſtolâ ad Aurelium Carthaginenſem: *Violatores voluntarii Canonum graviter à Sanctis Patribus judicantur, & à Spiritu Sancto, cujus inſtinctu, ac dono dictati ſunt, damnantur, quemadmodùm blaſphemare Spiritum, non incongruè videntur, qui contrà eoſdem Sanctos Canones, non neceſſitate compulſi, ſed libentèr, ut præfixum eſt, aliquid aut protervè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſpontè conſentiunt &c. Diabolica verò nequitia pleroſque ſubtilitèr fallere ſolet, & ità quorundam imprudentiam per ſimilitudinem pietatis ſæpiſſimè illudit, ut pro ſalutaribus nocitura perſuadeat. Idcircò norma Sanctorum Canonum, qui ſunt Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentiâ conſecrati, fidelitèr à nobis eſt ſcienda, & diligentèr tractanda, ne quovis modo Sanctorum Patrum ſtatuta, abſque inevitabili neceſſitate, quod abſit, tranſgrediamur, ſed fideliſſimè per ea gradientes, cum eis, qui eos inſtinctu divino condiderunt, mercedis gloriam, & laboris cumulum eorum meritis, auxiliante domino, habere mereamur* (*g*). Cœterùm juſtâ causâ intercedente, præſertim urgente, & ſecum trahente conſequentias relevantes, vel divini cultus amplificandi, vel peccata, & ſcandala diſpellendi; quod Papa, & reſpectivè alii Prælati, pro menſurâ ſuæ auctoritatis, nedùm poſſint, ſed etiam debeant contrà ſanctiones Canonum diſpenſare, tenent Doctores, quos videre eſt apud *Sanchez. de matrim. lib. 3. diſp. 10. per tot.* ubi articulum diffuse pertractat.

(g) *Damaſ. Pap. 1. epi. ad Aurel Carthag. eſt in tom 1. Conc.*

44. Jam ergo pluſquàm ad evidentiam patet, Papam eſſe ab omnibus Juris poſitivi, Sacrorumque Canonum ſanctionibus abſolutum; in illis poſſe diſpenſare; illorum vim relaxare, illos vel tempore, vel pro opportunitate temporum abrogare: hancque eſſe Theologorum, hanc Juriſconſultorum ſententiam: hunc totius

Eccle-

Eccleſię ſenſum, prout patet ex dictis. Hanc quoque eſſe Eccleſiæ praxim, prætèr inumera recentiora, quę afferri poſſent, agnoſcitur recolendo, S. Martinum Papam I. contrà ſacros Canones, bigamum ad minores, atque ad Subdiaconatus ordinem diſpenſaſſe (*a*). S. Gregorium Magnum contrà ſacros Canones, Matrimonium uſque ad ſeptimum gradum Conſanguinitatis vetantes, cum Anglis diſpenſaſſe, ut intrà quartam, & quintam generationem connubia poſſent legitimè celebrare (*b*). Formoſum Papam contrà Canonem octavę Synodi, qui promotos à Photio, à dignitatibus repellebat, Ignatio Conſtantinopolitano, & Stiliano Noeceſſarienſi, poſtulantibus, diſpenſaſſe (*c*). Et ità de aliis. Si ergò & rationibus, & exemplis probatur, Papam & poſſe Canones relaxare, & de facto multotiès jam à temporibus antiquiſſimis relaxaſſe; oportet quod vel magnâ laborent ignorantiâ; vel ingenti agitentur perfidiâ, qui audent hanc facultatem Summo Pontifici denegare: niſi negantes vitium in ſe habeant Haſpaſtis, captivę Senecę, quæ lucis defectum ſuſtinens, non ſè cæcam dici patiebatur, ſed in aeris obſcuritatem, & in famulorum malitiam, quod feneſtras domus non aperirent, oculorum ſuorum tenebras refundebat (*d*).

45. Opponunt nobis Contradictores fragmen doctrinę Natalis ab Alexandro, in argumento propoſitę, quâ negat, plenitudinem Pontificiæ poteſtatis ad Canones relaxando ſe extendere. Nos autem dicimus, quod ſi Natalis loquitur de Canonibus jus divinum, vel naturale continentibus, vel de illis, quorum relaxatio Eccleſię ſtatum turbare, vel in eâ poſſet magnum aliquod ſcandalum generare; cum illo ſentimus. Sed ſi ipſe de aliis Canonibus loquitur, ſolùm jus poſitivum continentibus; nos ei, viro aliàs docto, ſed Pontificiæ dignitati parum ęquanimi, contraponimus textum legis *in cap. propoſuit 4. de conceſſ. prębend.* ubi diſertè affirmatur, ſecundùm plenitudinem ſuæ poteſtatis, de jure poſſe Papam ſuprà omne jus diſpenſare. Et cur autem quęsò credemus magis Natali ab Alexandro; privato Doctori; cujus etiam aliquorum librorum lectio eſt Eccleſiæ auctoritate prohibita, quàm textui legis communis, ſeu Papæ illius Auctori, & ſimul Orbis Doctori, cujus dictatum eſt corpori Juris Canonici inſertum? Papam potiùs, quàm aliū debemus admittere in Judicem controverſię præſentis, & ejus deciſioni deferre, quâ determinat, uſquequò plenitudo illius poteſtatis ſe extendat, cum privilegiorum Sedis Apoſtolicæ ipſe ſolus Papa ſit Judex (*e*). Quippè, & jurium ſuæ Eccleſiæ uniuſcujuſque Epiſcopus Judex eſt (*f*).

46. Vel ſaltem ſi judicem hujus cauſę nolumus habere Papam; nec habeamus etiàm Natalem ab Alexandro, virum quidem, ut innuimus doctrinâ eximium, ſed in ſedem Apoſtolicam parum propenſum, utpotè cujus prærogativas, quantum potuit deprimere, non omiſit. Judici etenìm adverſo, reluctanti, inimico, nulla permittenda eſt facultas ſententialitèr pronuntiandi, quemadmodùm & nec teſti tali ulla prorsùs fides habetur, in ſententiâ Juriſconſultorum, tam Civilium (*g*), quam Criminalium (*h*), etiamſi ageretur de hoſte recentèr reconciliato (*i*). Sed quid in his immoramur, ad retundendam opinionem præfati Natalis, negantis plenitudini poteſtatis Pontificiæ jus Canones relaxandi, & in qualibet lege Eccleſiaſticâ diſpenſandi? Sufficiat ei opponere Angelicum D. Thomam, ità in Quodlibetis loquentem: *non eſt dubitandum, quod Papa habeat plenitudinem poteſtatis in Eccleſiâ; itàut quæcumque ſunt inſtituta per Eccleſiam, vel Eccleſiæ Prelatos, ſint diſpenſabilia ab ipſo* (*l*). Grave remur non eſſe futurum Natali, Religioſo Dominicano, ac Thomiſtæ, Divum Thomam Magiſtrum habere, Doctorem ſequi, pronuntiantem audire. Nec putamus velle Thomiſtam ſentire diſſimilitèr à D. Thomâ: *Nunquid* enim *aliud Judex nuntiat; aliud pręco clamat?* (*m*) Si ergò D. Thomas apertis literis, ac tanquàm indubitatiſſimum aſſeverat, poſſe Pontificem de ſuæ plenitudine poteſtatis, omnes ſacros Canones relaxare, & ſuper legibus, per Eccleſiam editis diſpenſare; quid ad nos, quod Natalis doceat oppoſitum? Num Præceptoris dogmate abjecto, debemus diſcipuli ſententiam, contraria dictitantem, amplecti? Abſit.

(a) *Cap. Lector. diſtinct. 34.*

(b) *S. Gregor. epiſt. ad Auguſt. Anglor. Epiſcopum, c. 6.*

(c) *S. Ignat. Conſtantinopol. epiſt. ad Hadrian. II. poſt Act. Synod. 8.*

(d) *Pio Roſſi Convit. Moral. V. difetto part. 2.*

(e) *Cap. cum veniſſent de judic. & ibi Decius n. 30. Barboſ. jur. Eccl. univ. l. 1. c. 2. n. 69.*

(f) *Belloc. diſquiſ. Cler. de exempt. Cleric. à ſtatut. Sæcular. § 1. n. 37.*

(g) *Seraph. deciſ. 1067 n. 4 Borel tom 2 tit. 15. n. 97. Pammol. dec. 92. n. 12.*

(h) *Farinac. qu. 54. n. 7. 9. & 13. Rynald. obſer. crim tom. 3. c. 33. §. 1. n. 126.*

(i) *Maſcardus Concl. 899. n. 3. Borel. loc. cit. n. 313 Farinac. qu. 53. n. 24. & 59.*

(l) *S. Thom. Quodlib. 4 qu. 8. art 3.*

(m) *S. Gregor. homil. 37. in Evang.*

47. Tan-

47. Tanto magis quod Doctrina Natalis ab Alexandro, ſi attentè perpendatur, repugnat in terminis. Repugnat enim, quod in Papâ ſit plenitudo poteſtatis, & quod bæc plenitudo ſit limitata voluntate aliorum, in legibus explicatâ. Erit enim plena, uti ſupponitur; & non plena, quià certis, & determinatis lineis coarctata: Eſſe autem plenum, & non plenum, repugnat in terminis, & implicat contradictionem, ſicut implicat contradictionem, quod Rex habeat plenitudinem poteſtatis Regalis, & quod hæc ſubjaceat regulis, ſibi à populo, vel à Senatu præſcriptis. Olim Regum Galliæ Poteſtas à Parlamento notabilitèr dependebat, & tunc Reges Regale quidèm nomen ferebant, ſed plenitudinem poteſtatis Regię integram non habebant, Aſt ex quo Ludovicus XI. paulatim Parlamento, alas totondit (*a*), & alii ſucceſſivè Reges eò magis vires Parlamentariis abſciderunt; Reges Gallię plenitudine Regiæ poteſtatis utuntur, ac plenarium jus Monarchicum pro ſuo libito exercent. E' contrà evenit apud Anglos, ubi Rex, Regis quidem nomine, & inſigniis decoratur; ac poteſtatem etiam habet Regiam, ſed non integram plenitudinem poteſtatis, quià ejus auctoritas à Parlamento, & à ſuperioris, atque inferioris Cameræ conſenſione dependet, talitèr ut, his reſiſtentibus, Rex non valeat graviora tentare, multò minùs de graviſſimis arbitrari. Quinimò vidit ſæculum prætergreſſum portentum, in Chriſtianitate ampliùs auditum, Carolum nimirùm, hujus nominis I. Regem Angliæ, à Parlamento illius non Regni ad mortem damnatum, ejuſque juſſu publicè per manus Carnificis detruncatum (*b*). Portentum, inquam, uſque ad illam ætatem amplius non auditum, vel cujus ſimile, nobis nunc memoriæ non occurrit, quod unquam legerimus in hiſtoriis. Nàm quidem pluries contigit, quod ſubditi ſeditione factâ proprio Principi tumultuario furore mortem intulerunt: quod agendo non regulari modo, non ordine judiciario, ſed furibundè, ac more bacchantium proceſſerunt. At Angli arbitrati ſunt sè poſſe in proprium Regem legitimum, & naturalem, ſervatis ſervandis, ac ordine judiciario ſervato, ſententiam capitis judicialitèr pronuntiare; illamque exequi, tametſi ex notiſſimis juriſdictio non valeat in virum non ſubditum exerceri (*c*), ſubditus autem de ſui naturâ non eſt Rex Vaſſallorum ſuorum, qui tamquam tales eidem ſunt omnibus titulis inferiores: contrà verò cuncta jura, naturale, divinum, & humanum, eſt ut inferior judicet ſuperiorem (*d*). Sed fortè perſonarum, ac temporum circumſtantiæ, factum Parlamenti aliquâ honeſtate velarunt, de quâ noſtrum non eſt hìc ultrà diſſerere; ſufficit hęc innuiſſe, ut pateat, quod Rex Anglię pro tempore exiſtens videtur non habere quoàd omnes numeros perfectam plenitudinem Regiæ poteſtatis, ſalvo ſemper meliori judicio.

48. Si itàque plenitudo Pontificię poteſtatis, ità Canonum implicamentis irretitur, ut eos diſſolvere, illos nunquam valeat relaxare; jam limitata portio, non plenitudo poteſtatis, erit in eo. Papa quoque non erit ſuprêmâ præditus poteſtate, non independenti facultate ſtipatus, non talis, ut nullùm in terris ſuperiorem agnoſcat, qualem illum fatentur communiter Canones (*e*), & Doctores (*f*). Item ſi Papæ plenitudo poteſtatis non ineſt ad Canones relaxandos, Eccleſiæ regimen non erit Monarchicum, quale illud Chriſtus inſtituit, uti probat *Sanderus de Viſib. Monarch. l. 5. c. 5. §. primum; Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 1. per tot. & Joannes Gerſonius* diſertè intonans, *nullam aliam politiam inſtituit Chriſtus immutabilitèr Monarchicam, & quodammodò Regalem, niſi Eccleſiam, & oppoſitum ſentientes de Eccleſiâ, quod fas eſt eſſe plures Papas, aut quilibet Epiſcopus eſt in ſuâ Diæceſi Papa, vel Paſtor ſupremus, æqualis Papæ Romano, errant in fide, & unitate Eccleſię, contra illum articulum: Et unam Sanctam &c.* (*g*). Nec regimen, inquam, Eccleſiæ erit Monarchicum, nec Papa erit Monarcha Eccleſiaſticus, ſed erit ſimplex Caput Reipublicæ Ariſtocraticæ: vel erit Rex, ſed nomine tenus: erit Dux gladio accinctus; ſed quem ſinè ſubjectorum nutu exercere non valebit: Erit vineę Evangelicę Dominus, ſed in quâ nec evellere, nec plantare; neque ſerere, neque metere, poterit; niſi quantum ei alienum arbitrium limitabit:

(a) *Anton. Foreſt. M. p. Hiſt. in Ludov. XI. Re Franc.*

(b) *Foreſt. Leſchiſm alii in Carolo I. Reg. Angliæ.*

(c) *Cap. per venerabilē qui filii ſint legitim.*

(d) *Cap. cùm inferior. de major. & obed.*

(e) *Cap. ſi Papa diſt. 40. c. nunc autem diſt. 21 cap ſatis diſt. 96.*

(f) *S. S. Jo. de Capiſt. de auct. Pap. §. 3. princ. n. 66. Bzov. de Pontif. c. 15. del Bene de immun. c. 9. dub. 1. n. 8. Bellet. de fav. Cler. perſ. p. 1. §. 1. n. 10. Barboſ. jur. Eccl. univ. l. 1. c. 2. n. 91. Duard. ad Bull. Cœnæ l. 1. c. 4. q. 2. n. 33.*

(g) *Joannes Gerſon. tom. 1. f. 588.*

tabit: quis autem ſapiens, & intelliget hęc?

49. Nec valet paritas, à Natali à ab Alexandro propoſita, de Deo, in sê qnidem omnipotente, ſed multa facere non valente, ob quæ illi denegata, non indè ceſſat eſſe omnipotens. Undè & quamvis Papam dicatur, multa non poſſe, à Canonibus præſcripta; non indè tamen deficiat in eo plenitudo poteſtatis pontificalis. Non, inquam, valet paritas, quippè impoſſibilitas, quæ in Deo eſt, non provenit ex parte ipſius Dei agentis, ſed ex incapacitate creaturæ patientis, ſivè ex parte termini, ad quem dirigitur Dei actio. Sic Deus non poteſt facere hominem-canem, vel quid ſimile: qnippè hoc repugnat: non ex defectu Omnipotentiæ ipſius, quæ ad omnia non sè extendat, ſed ex defectu Creaturæ, & termini præfati, qui non eſt capax qualitatum contradictoriè inter sè oppoſitarum, & sè mutuò repellentium, uti eſt eſſe hominem-canem, & ſimilia &c. Si autem plenitudini poteſtatis Pontificalis negatur facultas Canones relaxandi, iſte ſuppoſitus defectus non provenit ex parte termini, ad quem fertur ipſa poteſtas, ſed ex parte propriæ virtutis, non valentis agere, niſi uſquequò illi eſt per Canones præfinitum. Et ſic recurrit ſermo ſuperius emiſſus, quod ſuprema poteſtas Pontificalis erit ſimul plena, & non plena: plena, quià appellatur plenitudo poteſtatis: Non plena verò, quià non omnia, quæ juris poſitivi ſunt, poterit, ſed ſolùm quæ jus ipſum permittit. Eſſe autem plenum, & non plenum, implicat contradictionem. Et ideò dicendum eſt, Plenitudinem poteſtatis Pontificalis eoùſque pervenire, ut ad omnes Canones juris poſitivi relaxandos aſcendat.

50. Cæterùm cum exaggerant Contradictores, ſervandos eſſe à Summo Pontifice Canones, ab Eccleſiâ ſancitos, nec illos eum poſſe tranſgredi, non relaxare, non ſuper iis diſpenſare; mens noſtra ad epiſtolam Hadriani Papę II. Baſilio Macedoni Imperatori directam, ſe vertit, ut oculus ibi legat, periodos Pontificis, ſic ſonantes: *neque nobis moris eſt, ut prò libitu proprio, paternis ſanctionibus abutamur, quemadmodùm quibuſdam, qui apud vos, ſumma rerum gubernacula moderantes, tunc Synodorum ſtatuta, vel etiam Apoſtolicę Sedis decreta præferunt, cum vel alios lædere, vel ſe juvare concupiſcunt: Et hæc tunc ſub ſilentio tegunt, quandò fortaſſe contrà sè, vel prò aliis proponerentur, ſi noſtra, more priorum, æquitas in veſtræ Urbis Præſules, majorum regulis obviantes, commoveri ſeveriùs voluiſſet* (a). Clamitant, ejulant Contradictores, ac qui cum illis ſentiunt, ſervandos eſſe Canones, non relaxandos: ſed quos Canones? Illos quos opportunitas illorum cauſę depoſcit. Si verò ipſis opus eſt aliquâ Canonum relaxatione; ad Papam recurrunt, ut cum eis diſpenſet. At ſi fortè invident diſpenſationi alteri conceſſę; de Canonum relaxatione queruntur. Ità prò eorum arbitrio, nunc tenetur Papa, nunc non tenetur Canones obſervare: nunc illos traſgredi poteſt, nunc non poteſt: modò plenitudine poteſtatis Pontificalis potitur, modò caret: modò Canonibus Juris poſitivi ſuperior, modò inferior ab eis, qui ſentiunt cum Contradictoribus, pronuntiatur: quibus propterea benè poteſt cum Gelaſio Papâ exprobrari: *Nobis opponunt Canones, dùm neſciunt quid loquantur. Contrà quos hoc ipſo venire ſe produnt, quod primę Sedi ſana, rectaque ſuadenti, parere fugiunt* (b).

(a) *Hadrian. PP. II. epiſt. ad Baſil. Imper.*

(b) *Gelaſius PP. I. epiſt. 4.*

51. Et certè ſi prò Canonibus, Pontificiæ diſpenſationi non perviis, intelligunt Contradictores Capitula, corpus juris Canonici componentia, ex Sanctis Patribus, Conciliis, vel Pontificium decretis, conflata; cum hi Canones totam eorum dignitatem, atque vim faciendi legem poſitivam, ſortiantur ab auctoritate Pontificis, ipſos approbantis, ut legem faciant; certè illius manus ſtupefacere non valent, à quo pondus accipiunt. Nàm quoàd decreta Pontificum prædeceſſorum, certo certius eſt, hæc poſſe à vivente Pontifice relaxari, cum omnem legem Anteceſſoris quilibet Epiſcopus, Princeps, Rex &c. valeat abrogare, & multò magis in eâ diſpenſare. Quoad dicta Sanctorum Patrum, corpori Canonum interſerta, *magnæ quidem auctoritatis ſunt*, inquit Engel, *non tamèn abſolutè infallibilia,*

& de-

Digitized by Google

& decisiva cenſentur, niſi quatenùs à Summis Pontificibus recepta, & approbata ſunt: cum in materiis diſputabilibus, & judicialibus, Sancti Patres plerumque ut privati doctores locuti ſint, & ſæpiùs ſibi ipſius contradicentes fuerint, ut ex cap. 1. *&* 2. *diſt.* 26. (*a*). Apoſtolica autem Sedes, uti ſcripſit Innocentius Papa III. Epiſcopo Bambergenſi, *Canones, quibus forma Eccleſiaſticæ Conſtitutionis exprimitur, vel edidit, vel ab aliis editos approbavit, ſuum receptione, ac approbatione faciens, quod inventione, vel editione, videbatur forſitan alienum* (*b*). Verùm eos taliter approbavit, ſub tali præſervatione corpori Juris inſervit, ut nunquam cenſeatur plenitudo poteſtatis Pontificiæ diminuta. Si intelligunt Canones Conciliorum Provincialium, hæc non dant legem Sedi Apoſtolicæ, ſed recipiunt; nec ligant Pontificem, ſinè cujus approbatione vim talem non habent, ut quemquam, etiam intrà propriam provinciam, valeant obligare. *Nemo Catholicus*, inquit Bail, *dubitat, ad Romanum, eundemque Summum Pontificem pertinere acta, ac decreta Provincialium Synodorum recognoſcere, atque ubi opus fuerit emendare &c. Cujus cenſuram, approbationemque, non modò Sancti Patres, Eccleſiarum lumina, Athanaſius, Auguſtinus, Hieronymus, cæterique tales, verùm Concilia ipſa Provincialia, & ſtudioſiſſimè flagitarunt, & fideliſſimè acceperunt* (*c*). Hincque S. Gregorius hujuſmodi Concilia ſinè Papæ auctoritate, vel contrà ejus auctoritatem edita, ſcripſit eſſe caſſanda (*d*).

(a) *Engel. Colleg Juris Canon. par.* 1. *in proem. n.* 5. *§ quarò.*

(b) *Innocent. III. to* 2 *epiſt. ad Epiſc. Bambergenſ. f* 417.

(c) *Ludov. Bail. addit. ad Sum Concil to.* 2 *ad Concil. Limenſ. an.* 1583 *f.* 750.

(d) *S. Gregor. l.* 4. *ep.* 35. *&* 38 *& l.* 7. *ep.* 70.

52. Si demùm intelligunt decreta Conciliorum Generalium, hæc paritèr vim legis non acquirunt, niſi poſt adeptam à Pontifice approbationem, quâ de rè Nicolaus Papa I. ità ſancivit: *In univerſalibus Synodis, quid ratum, vel quid prorſus acceptum, niſi quod Sedes B. Petri probavit &c. Sicut è contrario, quod ipſa ſola reprobavit, hoc ſolummodò conſtat hactenùs reprobatum* (*e*). Sic præmemoratus S. Gregorius ait, Canones Concilii I. Conſtantinopolitani nullius eſſe momenti, quæ Romana Eccleſia non accepit (*f*), Pontificis enim auctoritatem Concilia generalia non complecti, jam adeò certum eſt, ut probatione non indigeat, cum illam & Patres, & Theologi, & Juriſconſulti pleno calamo tueantur, de quibus latè *Bellarminus In ſuis controverſiis tom.* 1. *Regale Sacerdotium lib.* 2. §. 4. *& ſeq. Gallia Vindic. diſſert.* 3. *Auctor libri de Libertatibus Eccleſiæ Gallic. lib.* 5. *per tot. Bail. in Sum. Concil. tom.* 1. *de tripl. verb. Dei quæ.* 57. *& in Conc. Baſileenſi fol.* 503. *& ſeq. Cajet. opuſc. de Compar. Papæ, & Conc. c.* 7. *Turrecrem. ſum. de Eccl. lib.* 2. *c.* 93. *&* 104. *& lib.* 3. *c.* 64. *in fin. S. Antonin. par.* 3. *tit.* 22. *c.* 10. §. 4. *Alvar. Pelag. de planct. Eccl. l.* 1. *art.* 6. *Sayr. Clav. Reg. l.* 3. *c.* 10. *n.* 6. *Jacobat. de Concil. lib.* 10. *quæ.* 7. *Decius in cap. ſignificaſti de elect. num.* 14. & alii. Ultrà quod in decretis Conciliorum, etiam generalium, ſemper excepta, & præſervata intelligitur auctoritas Summi Pontificis, ut disertè habet text. *in cap. ſignificaſti* 4. *de elect. cap. venientes de jure jurand. cap. cum à nobis de teſt. Clementin. quià contingit de relig. dom. Concil. Trid. ſeſſ.* 7. *de refor. in princ. & c.* 6. *ſeſ.* 24. *de reform. cap.* 1. *ſeſ.* 25. *de reform. cap. ult.*

(e) *Nicolaus PP. I. epiſt.* 7.

(f) *S. Gregor. lib* 6. *epiſt.* 13. *&* 121.

53. Et generalitèr, intelligant Contradictores nomine Canonum quidquid volunt, ſi ſunt Canones, facientes jus poſitivum, eorum ſanctione, quoad vim coactivam Pontifex non ligatur (*g*), & ſic eos relaxare, in eiſque diſpenſare poteſt, non ſecùs ac Reges, & cuncti Supremi Principes, Superiorem in temporalibus non habentes, juri Civili poſitivo, in ſuis ditionibus vigenti, quoad vim coactivam non ſubjacent (*h*), ſed ab illo poſſunt, pro temporum, locorum, ac perſonarum opportunitatibus, tam ſeipſos eximere, quàm quoàd alios diſpenſare. Papa enim habet plenitudinem Pontificalis poteſtatis, quaſi Rex in Regno ſuo, inquit D. Thomas (*i*), & cum eo Doctores (*l*). Intelligatur, inquam, nomine Canonum quidquid Contradictoribus libet, quod ſi fidem non concernunt; Si jus naturale non continent; Si eorum materialis inobſervantia ſtatum Eccleſiæ non mutat, vel magnum aliquod ſcandalum in Eccleſiâ non producit; Si demùm Canones merum jus poſitivum conſtant, & ordinarium regimen eccle-

(g) *S. Thom.* 1. 2. *qu.* 96. *art.* 5 *ad* 3.

(h) *Leg fin. Cod. de leg. Decius in c. Canonum n.* 51. *de Conſtit. Azor. inſt. mor. p.* 1. *l.* 5. *c.* 25. *qu.* 1. *Barboſ. Jur. Eccl. univ. l.* 1. *c.* 2. *n* 101. 102

(i) *S. Thom* 2. 2. *qu.* 89 *art* 9. *ad* 3. *&* 3. *par. q.* 72. *art.* 11. *ad* 3. *& in* 4 *diſt.* 12.

(l) *Decius in c. licet* 6. *de elect. n.* 18 *Lotter. de rè benef. l* 1 *c.* 46 *n.* 37 *& l.* 3. *c.* 28. *n.* 7 *Monet. de commut ult vol. c.* 5. *n.* 76. *Barboſ. Jur. Eccl l.* 1. *c.* 2. *n.* 18.

eccleſiaſticum connotant; ad illos plenitudo poteſtatis Pontificiæ ſe diffundit, & rationabili cauſâ, neceſſitatis, vel utilitatis, emergente, poteſt Pontifex prò ſuo libito, & prudentiâ, tùm quoàd sè, tùm quoàd alios, eoſdem relaxare, illos tranſilire, ac ſuper eis luculentiſſimè diſpenſare.

54. Hæc de plenitudine Pontificiæ poteſtatis ſint ſufficientèr jam dicta, quæ cum ad omnia ſe diffundat, quibus quatuor præallegatæ limitationes non obſtant, eccur etiam beneficialia non compræhendit? Beneficiorium adminiſtratio, eorumque collatio ſivè indigenis, ſivè extraneis, plenitudinem poteſtatis à Pontifice non expoſcunt: hoc enim facit Papa ex ordinariâ ſuâ facultate, uti ſuprà oſtendimus num. 22. Veruntamèn ſi ad conſerenda beneficia Clericis extraneis plenitudo Pontificiæ poteſtatis exigeretur; cum id nec contrà Divinum jus, neque contrà naturale ſit, neque ex hinc ſtatus Eccleſiæ in ſubſtantialibus immutetur, neque ſcandalum in Eccleſiâ generetur, ſed potiùs & ſcandalum cauſetur, & Eccleſiæ ſtatus mutetur, excluſione extraneorum ab eccleſiaſticis beneficis, ad quæ hucuſque fuerunt ſemper admiſſi, omninò irrationabilitèr contendunt Contradictores, Pontificiæ poteſtatis plenitudinem id non poſſe. Hoc demùm verum eſt, facultatem diſponendi de ipſis beneficiis, quæ reſidet in Principibus, non niſi à plenitudine Pontificiæ poteſtatis procedere, vi cujus Sedes Apoſtolica laicis jus hujuſmodi merè ſpirituale conceſſit: & ideò præfata plenitudo non poteſt Pontifici denegari, quin & ipſis Principibus abſtrahatur facultas, ſi quâ pollent diſponendi de aliquibus eccleſiaſticis beneficiis. In reliquis, jam prorsùs evacuatis viribus argumenti, uſquè ab initio Capituli antecedentis propoſiti, in quo funditùs enodando tàm præſens, quàm præcedens Capitulum oportuit deſudare, nil aliud reſtat, niſi tandèm hìc poſtremò concludere pro libertate Eccleſię præficiendi, nedùm Clericos indigenas, verùm etiam extraneos eccleſiaſticis beneficiis.

R E S P O N S I O

OBJECTIONIBUS HISTORICIS.

C A P U T XVII.

In quo reſpondetur pluribus Objectionibus HISTORICIS, *allegatis adverſùs libertatem, quâ pollet Eccleſia, conferendi ſacras præbendas, & Eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.*

S U M M A R I U M.

1 Prima Objectio *hiſtorica ſumpta eſt ex facto Erotis Arelatenſis, ac Lazar Aquenſis Epiſcoporum, qui, cum eſſens extranei, depoſiti fuerunt.*

2 *Sub Honorio Imperatore Conſtantinus in Galliâ ſibi uſurpavit Imperium, cui adhærebant dicti duo Præſules. Conſtantius eum vicit, & occidit.*

3 *Eros, & Lazarus Galliâ relictâ ſe in Palæſtinam receperunt: ubi Oroſio conjuncti Pelagium de hæreſi ad Synodum Dioſpolitanam detulerunt..*

4 *Iidem Præſules detulerunt Cæleſtium, & Pelagium* Concilio *Carthaginenſi, quod eorum doctrinam damnavit, ut facit quoque* Concilium *Milevitanum.*

5 *Pelagius Monachus Ægypto pulſus, Romam indè Siciliam petiit: Ex Hieroſolymis ſuum diffundebat errorem, ſe Catholicum oſtentans.*

6 *Quod Eros, & Lazarus à multis dicantur viri ſancti, laus eſt eorum. Zoſimus Papa Pelagium, & Cæleſtium prò Catholicis habuit.*

7 *Zoſimus de Erote, & Lazaro malè ſentiebat. Lazarum dicit ſuiſſe à* Concilio *Taurinenſi damnatum. Decipiuntur interdùm etiam Papę.*

8 *Scripſit Zoſimus de horum condemnatione ad omnes Eccleſias: & bonam opinionem de Lazaro, ac Erote concepit, Pelagium, & Cæleſtium etiam Imperator proſcripſit.*

Digitized by Google

9 *Non conſtat Erotem, & Lazarum fuiſſe extraneos à ſuis Eccleſiis, perperàmque ſupponitur utrumque fuiſſe Turonenſem.*

10 *Etiàm ſi Eros, & Lazarus Turonenſem Urbem patriam habuiſſent, tamen non fuiſſent extranei à beneficiis Epiſcopalibus adeptis.*

11 *Eros, & Lazarus, non fuerunt juſtè depoſiti, ſed injuſtè. A ſimilium converſatione ſimilitudo morum dignoſcitur.*

12 *Depoſitio Erotis, & Laxari à Conſtantio facta, vel à populo intuitu Conſtantii, nil probat prò cauſâ extraneitatis.*

13 *Non probatur ex verbis Zoſimi Erotem, & Lazarum fuiſſe extraneos. Papæ aliquando à malis hominibus decipiuntur.*

14 *Quatuor allegat cauſas Zoſimus, quarum quarta ducta ad ſignificandum extradiœceſano, facit ut argumentum nihil probet.*

15 *Cur prætermiſſis tribus cauſis claris, attendenda ſolum eſt quarta obſcura, & æquivoca? Nihil obfuit Præſulibus illis extraneitas.*

16 *Argumentum retorquetur adverſus Contradictores, quià continet quinque facta, probantia extraneos fuiſſe promotos ad beneficia.*

17 *Concilium Tarvinenſe, conceſſit Proculo Maſſilienſi, ut in vitâ ſuâ Metropoliticum jus haberet in Provinciâ Narbonenſi.*

18 *Zoſimus Papa canonem illum abrogavit, & Proculum reluctantem depoſuit, literiſque cunctis Epiſcopis denuntiavit Proculi exceſſum.*

19 *Verba Zoſimi nihil afficiunt reſpectu ad extraneitatem, quià opinionem ſuam circà Lazari perſonam correxerit.*

20 Secunda Objectio *deſumpta eſt ex facto Nundinarii Barcinonenſis, qui ſibi ſucceſſorem deſignavit Irenæum, ſed eum Papa non admiſit.*

21 *Irenæus videtur non fuiſſe extraneus ab Eccleſiâ Barcinonenſi. Incola municipii alicujus urbis, ab illâ urbe non erat extraneus.*

22 *S. Auguſtinus Caſtrum Fuſſalenſe à ſuâ Diœceſi diviſit. In his diviſionibus Clerici antiquioris Eccleſiæ reputabantur etiam Clerici novioris.*

23 *Intèr Epiſcopum, & ſuam Eccleſiam contrahitur ſpirituale connubium. Cum Irenæus eſſet alteri copulatus Eccleſiæ, non poterat eligi à Barcinonenſibus.*

24 *Pontifex obſiſtens, nè Epiſcopus Sutrinus præficeretur Eccleſiæ Calaritanæ, non propter extraneitatem, ſed ob vinculum cum priori Eccleſiâ.*

25 *Hilarus Papa cum pluribus Epiſcopis in Concilio Romano congregatis decrevit, nè quis poſſet ſibi in beneficiis eligere ſucceſſorem.*

26 *Papa objurgavit Metropolitanum, quod non obſtitiſſet ſubſtitutioni Irenæi, huncque ad ſuam Sedem jubet redire.*

27 *Irenæus in Eccleſiam Barcinonenſem ſè intruſerat, antequam à Summo Pontifice licentiam de primâ ad ſecundam tranſeundi obtinuiſſet.*

28 *Uſquè à tempore Concilii Milevitani fuit uſus Bullarum. Tranſiens ex ſe ad aliam Eccleſiam primâ carere debet à ſecundâ.*

29 *Hæreditariam ſucceſſionem in beneficiis Canones abhorrent, ut ex Canonibus Apoſtolorum liquet: ideò rejectus fuit Irenæus.*

30 *Concilium Antiochenum, & alia Concilia, intèr quæ Romanum habitum ſub Innocentio II. vetant, ne quis ſibi in beneficio deligat ſucceſſorem.*

31 *Plures Epiſcopi, etiam ſanctitate præclari, ſibi deſignarunt ſucceſſores in dignitate: ſed hæc non ſunt in exemplum trahenda.*

32 *S. Clementem an ſibi D. Petrus conſtituerit ſucceſſorem. Bonifacius Papa ſucceſſorem elegit ſibi Vigilium, ſed citò deſignationem illam caſſavit.*

33 *An jure divino, vel naturali, aut ſolum canonico interdicatur Papæ ſibi eligere ſucceſſorem, quid ſpeculativè, ac quid in praxi dicendum ſit.*

34 *Si non eſt licitum Summo Pontifici ſibi ſucceſſorem deſignare, multò minus erit licitum aliis Epiſcopis. Irenæus idcircò juſtè fuit excluſus.*

35 *Clerus, & Populus Barcinonenſes, Aſcanius Tarraconenſis Archiepiſcopus, & Epiſcopi illius provinciæ agentes prò Irenæi tranſitione, faverunt extraneis.*

36 *Etſi Barcinonenſes cederent juri ſuo, favore Irenæi extranei, adhùc tamèn repulſus fuit. Ideò argumentum hinc petitum nihil probat.*

37 Tertia Objectio *deſumpta eſt ex Simplicio Papâ, qui Joannem præsbyterum Conſtantinopolis excommunicavit, eo quod accepiſſet Epiſcopatum Apameæ.*

38 *Joannes fuit ab Hæreticis datus in Præſulem Apameenſibus invitis. Petrus Cnafeus malis actibus invaſit Cathedram Antiochenam.*

39 *Præſules, & beneficiarii operâ Hæreticorum promoti, poſſunt deiici à beneficiis. Populis quoquè invitis nullus præficiendus eſt in paſtorem.*

40 *Ex factis Petri Fullonis, & Acacii, probatur non intentum Contradictorum, ſed potius libertas proficiendi beneficiis extraneos.*

1. CONTRADICTORES undecùmque argumenta quærentes ad cauſam ſuam promovendam, & extraneos à beneficiis eccleſiaſticis repellendos, etiam Objectiones hiſtoricas congerunt, quas operę pretium eſt nunc attentiùs perſcrutari, & ut diſſolvantur, & ut diſſolutæ vel nihil contrà nos, vel totalitèr prò nobis facere dignoſcantur. *Arguunt* ergò primo loco ex facto Erotis Arelatenſis, ac Lazari Aquenſis Epiſcoporum, qui cum eſſent ab Eccleſiis ipſis extranei, utpotè ambo Patriâ Turonenſes, coacti ſunt taudem, fugâ arreptâ, dignitates, in quas inſiluerant, abdicare, approbante illorum depoſitionem Zoſimo Papâ his, qui ſequuntur, eloquiis; *patuit hos inobſervatis ordinationibus, Plebe, Cleroque contradicente, ignotos, alienigenas, intrà Gallias Sacerdotia vindicaſſe, quibus ſeipſi propriâ abdicavere ſententiâ, noſque licèt & alia, tàm eorum de sè pœnitudinem ſecuti, Sacerdotali eos loco, & omni communione ſubmovimus* (a). Quinimò & cum Lazarus aliquandò iu Gallias rediens, dimiſſam ſedem recuperare affectaſſet, atque interim à Proculo Epiſcopo Maſſilienſi adhibitus fuiſſet, uti unus ex Coaſſiſtentibus ſibi Epiſcopis in Conſecratione Urſi, & Tuentii Epiſcoporum, à ſe factâ; Pontifex de hoc Proculum ſuis literis objurgavit: undè apparet, inquiunt, Clericos extraneos tantoperè fuiſſe eo tempore à beneficiis eccleſiaſticis retentos, ut vel non ea conſequi poſſent, vel adepta dimittere cogerentur: quarè ratione ex hâc hiſtoriâ deductâ, infertur, quod viris extraneis aditus non patet ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Zoſimus Pap. epiſt. 3.*

2. Reſpondetur *primò* negando ſuppoſitum: quod antequàm publicemus, oportet prius narrationem totius ſucceſſus hic accommodè recenſere. Honorio Imperatore (Theodoſii magni filio) Sceptrum Occidentis tenente, dùm Arcadius ejus Frater Imperium regeret in Oriente; Radagaiſus Scytharum, Alaricus Gothorum, & aliarum Gentium Reges, ſivè Tyranni, Occidentali Imperio è diverſis partibus inſultabant: ſimulque ad Purpuram Imperialem manus avidas extendebant, quà clam, quà patefactâ conjuratione, Stilico Honorii Socer, Eraclianus, Maximus, Jovinus, Sarus, Attalus, Tertullus, Gratianus, aliique perfidi Duces, potentes, ac factioſi (*b*), & præ cęteris Conſtantinus quidam, à Romanis phalangibus, in Britanniâ militantibus (captis illius nominis decore, qui quondam in Conſtantino Magno fuerat toti Imperio fauſtiſſimus) in Imperatorem acclamatus faſces arripuit Auguſtales (*c*): qui, uti refert Paulus Oroſius, Vandalos in adjutorium vocavit (*d*). Eoſque ſecuti ſunt Alani, & Suevi, Hiſpaniam ſibi dividentes in partibus poſſidendam, tanto Eccleſiarum damno, quantum deflet in ſuis epiſtolis Auguſtinus (*e*). Dùm hæc fierent, Conſtantinus præfatus Imperii invaſor, in Gallias cum ſuis copiis ſe diffudit: cujus patrocinio freti, Eros Arelatenſem, & Lazarus Aquenſem Eccleſias tenuerunt, Conſtantino fortitèr adversùs

(b) *Card. Baron. an. 411. num. 36. & 42.*

(c) *Sozomenus hiſtor. lib. 9 c. 11.*

(d) *Paulus Oroſius lib. 7. c. 40.*

(e) *S. Auguſtinus epiſt. 180.*

Ho-

Digitized by Google

Honorium Cæſarem adhærentes. Interìm Honorius miſit in Gallias Conſtantium ſtrenuiſſimum Ducem (cui & Gallam Placidiam ſororem anteà Uxorem Athaulfi Viſigothorum Regis (*a*), & jam viduam dedit in conjugem, undè natus eſt Valentinianus III. paulò poſt Occidentalium Imperator (*b*). Vixque Conſtantio Gallias ingreſſo, Conſtantinus intrà Arelatenſis Urbis anguſtias ſe recepit, ubi poſt aliqualem reſiſtentiam, ſpiritu timoris perculſus, Purpuram depoſuit, & ab Erote ſe fecit in Presbyterum ordinari: quamquàm hoc ei parum profecerit: quippè à militibus Conſtantii captus, & in Italiam deductus, antequàm ad Regiam Urbem perveniret, eſt ab iſtis violentâ manu necatus (*c*).

3. Victo Conſtantino præfato Tyranno, Arelatenſes juſto conterriti metu, & ab Honorio iudignato, & à Conſtantio furente, veniam ſupplices poſtularunt, & Erotem Epiſcopum, qui eos Tyranno addictos tenuerat, populari fremitu, à propriâ eorum patriâ pepulerunt, prout fuſiùs memorat Sozomenus (*d*): tùmque in abjecti Prǽſulis locum ſuffectus eſt Patroclus, Conſtantii victoris intimus familiaris (*e*). Lazarus quoque Aquenſis, cujus tota ſpes à fortunâ Conſtantini Pſeudocæſaris dependebat; eo victo, ac ut innuimus, detruncato; tàm Honorii, quàm Conſtantii indignationem fugiens, Aquis diſceſſit, ac Eccleſiam, quam tenuerat, dereliquit. Hunc Lazarum ſubſequentibus verbis Zoſimus Papa deteſtando pulſavit: *ſtetit in eo hactenùs umbra Sacerdotii, donec Tyranno imago ſtaret Imperii: quo loco, poſt interneeionem patroni, ſponte ſe exuit, & propriâ ceſſione damnavit* (*f*). Eros igitur, & Lazarus, Galliâ relictâ, in Orientis partibus ſeceſſerunt (*g*), in Monaſterio Palęſtinæ conſiſtentes: Undè Paulo Oroſio conjuncti, Pelagium Monachum de hæreſi ad Concilium Dioſpolitanum per literas detulerint (*h*): A quâ Synodo, ex 14. Epiſcopis conſertâ, quorum nomina recenſet D. Auguſtinus, primo loco memorans Eulogium Cæſarienſem (*i*), Pelagius, technis utens, æquivocíſque reſponſionibus, & fucatis verbis, objecta diluens, ea, quę illi proponebantur, ut condemnaret, fictè viſus eſt condemnare: *prætèr illam enim*, ait D. Auguſtinus, *quæ quomodò potuit, auſus eſt qualicumque ratione defendere, objecta quædam ſunt, quæ niſi remotâ omni tergiverſatione anathematizaſſet, ipſe anathemutizatus fuiſſet* (*l*). Pelagius autèm *objecta partim vitando ſuppreſſit, partim multa in ſè verba retorquendo, totâ obſcuritate confudit: aliqua magis falſis argumentis, quam verâ ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit negando, alia falsâ interpretatione vertendo* (*m*); Hacque ſuâ tàm exquiſitâ vafritie obtinuit, ut fuerit Catholicus pronuntiatus (*n*). Quod cum defectu cautelæ Patrum evenerit, S. Hieronymus in epiſtolâ ad S. Auguſtinum, & Alipium, vocat Concilium illud, miſerabilem Synodum; *quidquid*, inquit, *in illam miſerabili Synodo Dioſpolitana dixiſſe ſe denegat, in hoc opere profitetur* (*o*).

4. Eros autèm, & Lazarus tantam veritatis deluſionem, & fidei detrimentum ferre non valentes, novis literis, per Oroſium tranſmiſſis ad Epiſcopos Africę, Pelagii prima dogmata detulerunt: qui Afri Carthagine Conciliaritèr congregati, doctrinam Pelagii, & Cœleſtii ejus diſcipuli, nefariam repertam, & à veræ fidei tramitę declinantem, ſententialitèr damnaverunt, ſcribentes de hoc Innocentio I. Pontifici: *Cum ex more ad Carthaginenſem Eccleſiam ſolemnitèr veniremus, atque ex diverſis cauſis congregata ex nobis Synodus haberetur; Compresbyter noſter Oroſius nobis literas Sanctorum fratrum, & Conſacerdotum noſtrorum dedit Erotis, & Lazari: quorum formam, his conſtituimus eſſe ſubdendam. His ergò lectis, Pelagium, & Cœleſtium auctores nefarii prorſus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris advertimus*. Cujus ſequitur condemnatio: tùm additur: *Hoc itàque geſtum: domine frater, ſanctę charitati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicę Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuendâ ſalute multorum, & quorundam perverſitate etiam corrigenda &c.* (*p*). Iidem ſubindè errores Pelagii, & Cœleſtii in Concilio Milevitano damnati ſunt, quod in actis Synodalibus dicitur Concilium *Univerſale* (*q*), ſumpto tamèn *Univerſalis* nomine

(a) *Petavius rationarium temp.l.6.c.10. ad fin.*

(b) *Petavius loc.cit. c.12.in med.*

(c) *Baronius ann. 411.n.42.*

(d) *Sozomenus lib 9 c.15.*

(e) *S. Proſper in Chron Baron.ann. 412 n.47.*

(f) *Zoſimus Pap ep.4.*

(g) *Elias du Pin. in Bibliot b.10.3. in Conc. Dioſpolit.*

(h) *S. Auguſt. lib. de geſtis Pelagii.*

(i) *S. Auguſt. lib. 1. Contr. Julianum c.5.*

(l) *S. Auguſt epiſt. 106. ad Paulin. poſt medium.*

(m) *Innocent. Pap. I. epiſt. ad Afric. quæ eſt 96. int. epl. S. Auguſt.*

(n) *Concil. Dioſpol. ann. 415.*

(o) *S. Hieron. epl. 24. inter epiſtolas D. Auguſtin.*

(p) *Conc. Carthag. epl. ad Innoc. quæ eſt 90 inter epiſtol. D. Auguſtin.*

(q) *Acta Conc. Milevit. an 416. in princ.*

mine valdè impropriè: ſoli etenim conſiderunt in eo Epiſcopi ſexaginta, qui & ipſi epiſtolam dederunt ad eundem Innocentium, hæc intèr cœtera continentem: *quià tè Dominus, gratiæ ſuæ præcipuo munere, in Sede Apoſtolicâ collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit &c. magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti, paſtoralem diligentiam, quæſumus, adhibere digneris &c. Nova quippè hæreſis, & nimium pernicioſiſſima tempeſtas ſurgere inimicorum gratiæ Chriſti cœpit &c. Hujus autèm pernicioſiſſimi erroris auctores eſſe perhibentur Pelagius, & Cæleſtius, quos quidem in Eccleſiâ ſanari maluimus, quam deſperatâ ſalute ab Eccleſiâ reſecari, ſi neceſſitas nulla compellat &c.* (a).

5. Non innotuerat Africanis judicium Dioſpolitanum, quandò in utroque Concilio Carthaginenſi, & Milevitano Pelagianam hæreſim pupugerunt, id clarè profitente Auguſtiuo in epiſtolâ ad Paulinum, de Pelagio Britone, ejuſque perverſo dogmate ex propoſito differente: *Miſſæ ſunt hâc de rè ex duobus Conciliis Carthaginenſi, & Milevitano relationes ad Apoſtolicam Sedem, antequàm geſta eccleſiaſtica, quibus apud Epiſcopos provinciæ Palæſtinæ Pelagius perhibetur eſſe purgatus, vel in manus noſtras, vel in Africam perveniſſent* (b). Dùm hæc fierent, Pelagius Brito dictus à D. Proſpero *Coluber Britannus* (c), cum eſſet Monachus in Ægypto, indè expulſus eſt, Romanamque proceſſit, & poſteà in Siciliam ſe recepit (d). Erat autèm Monachus, non de iis, qui cœnobiticam in Monaſteriis, aut eremiticam in ſolitariis locis profitebantur, ſed de iis, qui religioſam ſuis in ædibus vitam agebant (e). Pelagius, inquam, Hieroſolymis conſiſtebat, undè ſuum pro poſſe diffundebat errorem, cautè tamen, ſe Catholicum oſtentans, & intèr choros fœminarum converſari non timens, carnis illecebris ſe jactitans intentatum (f). Certè ab initio apud aliquos opinionem ſanctitatis habuit, undè D. Auguſtinus vocat eum, *virum, ut audierat, ſanctum, & non parvo provectu Chriſtianum* (g), ſanctus quoque Joannes Chryſoſtomus in epiſtolâ ad Olympiadem illum virum pium, & ſanctum denominat (h), ſi tamen ibi loquitur de hoc Pelagio, & non de aliquo alio ejuſdem nominis Monacho, quod non ſinè ingenti difficultate pertranſit (i). Sanctus verò Iſidorus Peluſiota magis intimè ad mores Pelagii perſpiciens, quem delitiis deditum, & ventris inglumei addictum comperit, cenſuit quoque ſimulativam eſſe illius probitatem, eumque eſſe pro hypocritâ reputandum (l). Cœleſtius verò Pelagii diſcipulus, & cohæreticus, ignotâ gente, ac patriâ exortus eſt, quem D. Hieronymus vocat: *Alpinum canem, grandem, & corpulentum* (m). Monachalem & ipſe vitam profeſſus (n), in Aſiam progreſſus eſt, de quo Patres Concilii Milevitani ad Innocentium: *Cæleſtius etiam ad Presbyteratum in Aſiâ dicitur perveniſſe* (o): nempè Epheſum perrexit, & adeò aſtutè ibi ſè geſſit, ut animo illius Urbis Epiſcopi captato, eidem ſuffuratus fuerit Sacerdotium. Indè Conſtantinopolim divertit, ubi detectorem citò invenit perverſæ ſuæ doctrinæ, Atticum Archiepiſcopum, qui & illum è Regiâ Urbe depulit, & tùm ad Theſſalonicenſem, tùm alios Greciæ Antiſtites, de contaminato illius dogmate literas dedit (p).

6. Tantus Erotis, & Lazari zelus pro fidei Catholicæ puritate, patefacit quanta fuerit eorum probitas, & religio, quamque rationabilitèr vocet eos viros Sanctos Concilium Carthaginenſe paulò ſuperiùs allegatum (q): necnon S. Auguſtinus dicens, *Sancti fratres, & Coepiſcopi noſtri Eros, & Lazarus* (r): ac poſt eum Cardinalis Baronius, inquiens *Conſtantius dum adverſus Sanctos Epiſcopos aggreſſus eſt inire certamen, expertus eſt paritèr Deum ad poſtremum ſuis conatibus adverſarium* (s). Demùm etiam S. Proſper vocat Erotem hominem Sanctum (t), quem Sammarthanus quoque nuncupat ſingularis innocentiæ Paſtorem (u). Et licèt coæqualem memoriam de Lazaro ſe non inveniſſe affirmet idem doctiſſimus Cardinalis; dicens: *de Lazaro remanſit obſcura memoria, ſed ex Erote Lazarum diſce; quos enim calumnia par involuit, eoſdem decoraſſe æqualem virtutem putandum* (x). Tamen ſatis erit, quod in præcitatâ epiſtolâ Concilii Carthaginenſis ad

Inno-

(a) *Conc. Milevitan. epiſt ad Innoc. quæ eſt 92. inter epiſtol. D. Auguſtin.*

(b) *S. Auguſtin. epi. 106 ad Paulinum.*

(c) *S Proſper in Carmin de Ingrat.*

(d) *Baron. ann 410. n 6. & an 411. nu 50, & 52.*

(e) *Petr. Annati method ad poſit. Theol. l. 7. art. 4. §. Pelagiani.*

(f) *Baron. ann. 415. n. 27. & an. 417 n° 1.*

(g) *S. Auguſt. l. 3. de peccat meritis c. 1.*

(h) *S Joan. Chryſoſt. epi. 4. ad Olympiad.*

(i) *Gonet. Clyp. Theol. tom. 4 diſp. 1. art 1. n. 4*

(l) *S. Iſidor. Peluſiot. l. 1. epiſt. 314.*

(m) *S. Hieron. præfat. in l. 3. in Jerem.*

(n) *Petrus Annati loco cit. § Cæleſtius.*

(o) *Conc. Milev. epl. ad Innoc. quæ eſt epiſt. 92 inter epiſtol. D. Auguſtin.*

(p) *Elias du Pin. in Biblioth. tom. 3. in Zoſimo.*

(q) *Conc. Carthagin. epiſt ad Innoc. 90. inter epiſtolas D. Auguſt.*

(r) *S. Auguſt lib. de geſt. Pelagii in princ.*

(s) *Cardinal. Baron. an. 412.*

(t) *S. Proſp. in Chronic. ad an. 412.*

(u) *Sammarthan. Galia Chriſtian. in Archiep. Arelat. n. 11.*

(x) *Baron. ann 417. n. 25.*

Innocentium, atque à D.Auguſtino, tàm Eros, quàm Lazarus Sancti Epiſcopi, ut innuimus, nuncupantur. Quapropter hinc validè refutatur imputatio, quâ uterque in literis Zoſimi Papæ pulſatur, quod ſcilicet fuerint Calumniatores Pelagii, & Cœleſtii (a). Sanè, mortuo Innocentio Papâ, eique ſubrogato Zoſimo Græco, Romam Cœleſtius perſonalitèr, & Pelagius per literas, convolarunt: præoccupatâque mente Pontificis, tàm aſtutè, tot ambagibus, tantâque vafritie, Cœleſtius ſuæ fidei, atque Pelagii præceptoris ſui, rationem reddidit, ut eum Zoſimus in Eccleſiâ S. Clementis diſcuſſum, & verbo tenus orthodoxiæ conſentire inventum, pro Catholico pronuntiaverit, idemque judicium fecerit de Pelagio (b). Neutrum tamen illorum Zoſimus abſoluit, ſed ad Epiſcopos Africæ ſcripſit, ut ſi quid contrà Cœleſtium haberent, in propatulo ponerent, contrà quem niſi Eros, & Lazarus intrà bimeſtre Romam properarent, eum de notâ hæreſi convicturi; ipſe eundem, elapſo termino, innoxium pronunciaſſet (c). Tùm acceptis literis Procli Hieroſolymitani favore Cœleſtii (d), cum annexâ profeſſione fidei à Pelagio editâ, Zoſimus utrumque abſoluit, & ad Epiſcopos Africæ de hoc ſcripſit, admirans, quod tàm faciles aures, Cœleſtii, ac Pelagii accuſatoribus præbuiſſent (e). Nempè Eroti, & Lazaro, quos malis qualitatibus præditos aſſerit, illegitimè ordinatos, ab Eccleſiis uſurpatis abjectos: ità enim Zoſimo Papæ fuerant à Cœleſtio ſuſſurrone deſcripti (f).

7. Addit Zoſimus Lazarum eſſe aſſuetum viros innocentes calumniis vellicare, quippè in Synodo Taurinenſi Britium Epiſcopum Turonenſem falſi criminis accuſaverat; Undè à Patribus ejuſdem Synodi fuiſſet velut calumniator, & conviciorum impoſitor condemnatus (g). *Lazarus*, inquit Pontifex, *dudùm in Taurinenſi Concilio, graviſſimorum Epiſcoporum ſententiis pro calumniatore damnatus, cum Britii innocentis Epiſcopi vitam falſis objectionibus appetiſſet* (h). Nèc exprobrare dimittit, quod ipſe Lazarus, favore Conſtantini Tyranni Aquenſem Cathedram occupavit, cujus Sacerdotii umbram tenuerat, donec imago imperii ſteterat in Tyranno. Erotem quoque impetit, quod ſolo ejuſdem Tyranni favore Arelatenſi Sedi incubaverat, & violentias, Sacerdotio indignas exercuerat (i). Alia tandèm exaggerat, per quæ oſtendit sè dè utriuſque illius Præſulis famâ non niſi malè ſentire. Nec mirum: falſis etenim relationibus Zoſimus fuerat deceptus; à quibus Summi Pontifices non ſunt exempti: quippè & ipſi à viris doloſis circumveniri poſſunt in rebus agendis: & ità Dionyſium Papam fuiſſe à Baſilide Legionenſi deceptum declamabat D. Cyprianus (l), & aliis Pontificibus idipſum poſſe contingere disertè in ſacris canonibus denuntiatur (m). Ad hæc autem audita non parum commoti Epiſcopi Africani in Urbe Carthagine inſimùl confederunt, numero 217. & ſcriptis Cœleſtii, ac Pelagii Synodalitèr ventilatis, eorum doctrinam inſanam repertam, conſonis vocibus reprobarunt, Zoſimo ſcribentes, ſe decreto Innocentii Papæ, quà utriuſque hæretici doctrinam confutaverat, adhærere (n), illumque commonentes, ut cautè in hoc negotio procederet, nec Pelagii, ac Cœleſtii technis, atque dolis, ſe permitteret irretiri; Cœleſtium proinde Romæ diverſantem adigeret, nedùm contentis in epiſtolâ Innocentii aſſentiri, ſed etiàm alios articulos, à Paulino Diacono Carthaginenſi peculiaritèr exaratos, (quos Papæ tranſmiſerunt) claris, & ſignificativis vocibus abjurare (o). Ad quod dùm Zoſimus urget Cœleſtium, hic poſt perperàm cunctatorias, & deluſorias ambages interpoſitas, clàm fugâ arreptâ, ex Urbe diſceſſit. Tùnc Pontifex Cœleſtium paritèr, ac Pelagium, reos hæreſis deprehenſos, anathemate perculit, atque hæreticos denuntiavit (p).

8. Ità conſpirantibus in unum Patribus Concilii Africani, & Zoſimo Pontifice, fidei puritas triumphavit, hæreſis damnata eſt, & ut ait D. Proſper: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem & ſeptem Epiſcoporum, ad Pontificem Zoſimum Synodalia decreta perlata ſunt, quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt* (q). Scripſit Zoſimus de hâc rè ad omnes

Mun-

(a) *Baron. ann 417. n. 19. 29. Du Pin. loco citat.*

(b) *S. Auguſt. de pec. origin. cap. 6. & 7.*

(c) *Zoſim. epiſt. ad Epiſcopos Afric. Baron an. 417. n. 18.*

(d) *Du. Pin. Bibliotb. tom. 3. in Zoſim. f. 823.*

(e) *S. Auguſt. cont. Pelag. l. 2. & cont. Julian l. 6. cap. 12. & de pec. orig. c. 8.*

(f) *Cabaſſut ad Concil. Taurin. an. 402. n. 1. in fine Baron. ann. 417. num. 19.*

(g) *Du. Pin. loc. cit. Cabaſſut ubi ſupr.*

(h) *Zoſimus PP. epl. 6 Sirmond tom. 1. Concil. Gall. f. 41.*

(i) *Zoſimus PP. ad Epiſcopos Afric. ep. 4.*

(l) *S. Cyprian. lib. 1. epiſtol. 4. alias 67.*

(m) *Cap. ſi quando 5. de reſcript vid. Diana tom 10. tr. 5. reſ. 14. n. 78.*

(n) *S. Proſper. adu. Collat. Baron an. 418. num 3. Bail ad Concil. Afric. ann 418.*

(o) *S. Auguſt lib. 2. cont. epiſt. Pelagii c. 3. & de pecc. orig. cap. 5. & 6.*

(p) *Baron. ann. 418. n. 16. Du. Pin. loc. cit in Zoſim. f. 824.*

(q) *S. Proſp. in Chron. & advers. Collatorem.*

Mundi Eccleſias peculiarem epiſtolam, cujus tenorem invidia nobis temporum intercepit; ſed ejus meminit S. Cœleſtinus Papa in ſuis literis ad Epiſcopos Galliæ, S. Auguſtinus de peccato originali (*a*). Gennadius Maſſilienſis, Marius Mercator, & alii (*b*). In quâ epiſtolâ cum Zoſimus totius eventus contexuerit narrationem, & tùm Pelagii, tùm Cœleſtii figmenta, hypocriſim, & ſubterfugia recenſuerit, detectamque tandèm eorum doctrinæ impuritatem, quorum etiam blaſphemias ipſis literis interſervit (*c*), ambigendum non videtur, quin ſicut de utroque deceptore, Pelagio, & Cœleſtio, quos innocentes rebatur, ſententiam commutavit; ità etiàm & de utroque Præſule, fidei propugnatore, Lazaro, & Erote, quos dùm ab initio fuerat falſis relationibus circumventus calumniatores reputabat; detectâ demùm veritate, judicium immutaverit, eoſque inter pios, ac probos Antiſtites computaverit (*d*). Damnatos poſteà à Zoſimo Pelagium, & Cœleſtium, Honorius quoquè Imperator publico proſcriptionis edicto perſecutus eſt (*e*), & redeuntem Romam biennio poſt Cœleſtium, Conſtantius Cæſar expulit Urbe, indèque per centum milliaria debere inpoſterùm abſtinere, ſub pœnâ capitis, ſanctione publicâ definivit (*f*). His ergò neceſſariò, pro notitiâ facti cunctis perhibendâ, notatis; jam ad diſſolvendum deſcendimus argumentum,

9. Reſpondetur, inquam, *primò* negando ſuppoſitum, nempè quod Eros, & Lazarus eſſent extranei ab Eccleſiis Arelatenſi, & Aquenſi, quibus præfecti fuerant in Paſtores. Non enim hoc ſupponendum eſt, quod eſſent extranei, ſed probandum. Nèc ſufficientèr probatur judicando utrumque fuiſſe Patriâ Turonenſem, ex eo quod Eros fuit diſcipulus D. Martini, urbis Turonicæ Antiſtitis (*g*), & Lazarus accuſando in Synodo Taurinenſi D. Britium, D. Martini in Cathedra ſucceſſorem (*h*), probabile ſit, quod fuerit Presbyter Turonenſis (*i*). Hæ namque nimiùm leves, nimiùm remotæ ſunt conjecturæ, quæ vix quidquam, præter ſimplicem poſſibilitatem inſinuant: probationes autem hiſtoricæ non deſumuntur ex eo, quod eſſe potuit, ſed ex eo, quod fuit. Infinitos his poſſemus congerere diſcipulos Epiſcoporum, qui non eorum fuerunt Condiœceſani, ſed Extraprovinciales, & longè ex aliis Regnis progeniti. Totidèm allegare poſſemus Epiſcoporum accuſatores, qui originem ab aliis Regionibus duxerunt, ab Urbe Præſulis accuſati longiſſimè diſparatis: ſed otium non eſt his hinc indè carptitandis per hiſtoriam eccleſiaſticam, immorari. Unus ſufficiat domeſticus, & pars narrationis, de quâ in præſenti causâ fit ſermo, nempè Paulus Oroſius, qui fuit diſcipulus S. Auguſtini Epiſcopi Hipponenſis, & tamèn Hippon ei patria non fuit: erat enim Tarraconenſis (*l*). Idem ipſe primò Liddæ, ſive Dioſpoli in Palæſtinâ (*m*), deindè Carthagine accuſavit Pelagium, ortu Britonem, & tamen Oroſius non fuit Brito, ſed Hiſpanus: ergò nec ex indicio diſcipulatus, nec ex ratione accuſationis, poteſt alicujus patria definiri. Et ità quod Eros fuerit diſcipulus D. Martini Turonenſis, quod Lazarus accuſaverit D. Britium paritèr Turonenſem, nil, nec ullum veſtigium facit probationis, quod uterque fuerit patria Turonenſis, & conſequentèr, tàm unus Arelate, quàm alter Aquis fuerint extranei, non indigenæ.

10. Sed admiſſo etiàm, non verò conceſſo, quod tàm Eros, quàm Lazarus fuerint origine Turonenſes, jam negatur ſuppoſitum ex alio capite, nempè quod ipſi Arelate, & Aquis fuerint extranei ſumptâ extraneitate in ſenſu Contradictorum illam pro extranationalitate accipientium. Si enim orti erant in urbe Turonenſi in Galliâ, & nacti erant beneficium Epiſcopale in Eccleſiis Arelatenſi, & Aquenſi, quæ paritèr ſunt in Galliâ; jàm Galli beneficia acceperant in Galliâ: nec Galli in Galliâ ſunt extranei, ſed indigenæ. Aliàs ſi contendatur Erotem, & Lazarum fuiſſe pulſos ab Epiſcopatibus Aquenſi, & Arelatenſi, quià indè erant extranei, tamquàm nati Turonis; argumentum nihil probat, quia nimiùm probat: probat enim quod beneficia eccleſiaſtica, nedùm non poſſint licitè conferri extraneis, uti extranationalibus, ſed etiam nec ipſis Connationalibus, & Comprovinciali-

(a) S. Auguſtin. de pecc. orig. c. 22.
(b) Card. Baron. an. 418 n. 17. Du. Pin. Bibl. to. 3. in Zoſim. f. 825.
(c) S. Auguſt. loc. cit.
(d) Du. Pin. loc. cit. f. 829.
(e) Poſſid. in vit. S. Auguſt. c. 18.
(f) Baron. ann. 420. num. 3.
(g) S. Proſper. in Chronic. ad an. 412.
(h) Sammarthan. Gallia Christiana in Archiepiſc. Turonenſ.
(i) Vid. Card. Noris Hiſt. Pelag. lib. 1. c. 8. & 12.
(l) Bellarm. de Scriptor. Eccl. in Paul. Oroſ.
(m) Bail. ad Concil. Dioſpol. ann. 415. tom.

cialibus, niſi ſint Diœceſani, & Connativi locorum, ubi erecta ſunt beneficia; ſicut Eros, & Lazarus, tametſi Turonenſes, & Galli, beneficiis tamen nudati ſunt, quæ in Galliâ quidem, ſcilicèt Arelate, & Aquis, ſed non in eorum nativâ Diœceſi, adepta erant: Sicque Contradictores cernuntur ità ſe ſuis poſitionibus implicare, ut quo greſſum dirigunt, non ſe valeant expedire: hacque ipsâ eorum ratione à proprio intento decidunt, quod non eſt, arcendi ab eccleſiaſticis beneficiis Clericos Comprovinciales, & Connationales, ſed ſolos extrà eorum Nationem progenitos. Injuriam quoque faciunt naturalibus eorum Principibus, & Ordinariis Epiſcopis, ac beneficiorum Patronis, quos tàm arctis circulis adſtringunt, ut non valeant eccleſiaſtica beneficia, niſi puris Diœceſanis, vel conferre, vel illa eis alitèr elargiri.

11. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm negando aliud ſuppoſitum, nempè quod Eros, & Lazarus fuerint licitè privati Eccleſiis Arelatenſi, & Aquenſi, quarum clavum anteà detinebant: hæc enim juſta depoſitio non ſubſiſtit in facto, quià non ſubſiſtunt reatus, proptèr quos depoſitio illis fuerit infligenda, ſed potiùs de illis inconcuſſa habetur relatio ſanctitatis. Nàm S. Proſper loquendo de Erote vocat illum, ut innuimus, virum Sanctum: additque fuiſſe iniquè ab Eccleſiâ Arelatenſi depulſum (a). *Eros*, inquit, *Vir Sanctus, & B. Martini diſcipulus, cum Arelatenſi Oppido Epiſcopus præſideret, à populo ejuſdem Civitatis inſons, & nulli inſimulationi obnoxius pulſus eſt* (b). Idipſum videtur omninò ſentiendum de Lazaro, qui parem cum Erote pertulit fortunam: & ut ait Cardinalis Baronius, *Ex Erote Lazarum diſce* (c). Hos enim, quos & genio compares, & converſatione ſocios, & zelo novimus fuiſſe religionis æquales; dubitari non debet, quin tenuerit ſimilis ſanctitudo: & ex unius Sanctitate optimè alterius probitas deſignatur: *Hæc eſt enim rerum conditio*, inquit Ennodius Ticinenſis, *ut novi hominis mores divulget inventa ſodalitas, & qui ignoratur per originem, ſimilium clareſcat affectu: Et cui non licet ad liquidum ſupervenientis æſtimare conſcientiam, conceditur, ut de ſuis deprehendat extraneos* (d). Utriuſque autem expulſio facta fuit, vel à populo, ut Conſtantii gratiam captaret, prout vidimus de Erote, ex D. Proſpero, addente ſuſfectum fuiſſe Eroti Patroclum *familiarem Conſtantii, cujus per ipſum gratia quærebatur* (e). Vel fuit facta, vel promota ab ipſo Conſtantiò, Duce Honorii Imperatoris, potente, victore irato, Gallias ſubigente, de quo Annaliſta eccleſiaſticus; *Conſtantius dùm adversùs Sanctos Epiſcopos agreſſus eſt inire certamen, expertus eſt paritèr Deum ad poſtremum ſuis conatibus adverſarium* (f). Aſt depoſitio Epiſcopi violentèr facta, vel à populo, vel à Duce armato, victore irato, rerum potente: quemnam quæsò juſtitiæ gradum in sè continet? Quamnam probationem juſtę depoſitionis inducit? Si attendendę ſunt violentiæ à populis concitatis, vel à malis Principibus adversùs Epiſcopos intentatæ; nihil erit ſalvum in Eccleſiâ Dei; quandoquidem, vix ullum eſt genus perſecutionis, quod non fuerit aliquandò illatum Epiſcopis: at hæc quid aliud ſunt, niſi injuſtitiæ, iniquitates, tyrannides, de quibus dici poteſt cum D. Juſtino: *tantùm valent Principes opinionem veritati præferentes, quantùm prædones in ſolitudine* (g).

(a) Card Baron. ann. 412.n.40.& 417.20.

(b) S. Proſper. in Chronic. ad an. 412.

(c) Baron. ann. 417. num. 20.

(d) Ennod. Ticin. vit. B. Anton.

(e) S. Proſp. in Chronic. loc. citat.

(f) Baron. an. 413. num. 40.

(g) S. Juſtin. Apolog. ad Antonin. Pium.

12. Idcircò quod Eros, & Lazarus fuerint ab eorum Sedibus à Conſtantio dejecti, tantùm valet ad probandam juſtitiam eorum depoſitionis ob cauſam extraneitatis, quantùm id probat depoſitio Chryſoſtomi Conſtantinopolitani, facta ab Arcadio (h): dejectio Athanaſii Alexandrini, facta à Conſtantio (i); Anaſtaſii Antiocheni exturbatio facta à Juſtino Imperatoribus (l): Expulſio Amandi Ultrajectenſis, facta à Dagoberto Rege Francorum (m), & ſic de aliis: quę ſimilia ſunt, vel etiam fortè pejora latrociniis, per Sicarios factis in Silvis. Nec obeſt, quod *non Conſtantii juſſu, ſed populari tumultu Eros Arelate ejectus fuerit*, uti ponderat Cardinalis de Noris (n); Nàm populus non ex sè, ſed ut exhiberet rem gratam Conſtantio, ſic sè geſſit, cujus etiam intuitu Patroclum ſucceſſorem in Are-

(h) Palladius in vit. S. Jo. Chryſoſt.

(i) S. Athanaſ. epiſt. ad ſolitarios.

(l) Evagr. hiſtor. libr. 5. cap. 6.

(m) Cardinal Baron. ann. 612. n. 2.

(n) Novis Hiſtor. Pelag. l. 2. c. 12.

Arelatenſi Sede delegit (*a*). Et utcumque res ſè habuerit, vel Conſtantius, vel populus, ad complacendum Conſtantio, Erotem dejecerit; depoſitio injuſta fuit, ſeditioſa, & violenta, quæ nihil detrahit, quin promotio Erotis fuiſſet legitima, nec quidquam maculat ejuſdem Sanctitatem; tàm Eros nempè, quàm Lazarus, à Patribus Concilii Carthaginenſis ad Innocentium Papam ſcribentibus, Sanctorum Fratrum, & Conſacerdotum vocabulis decorantur (*b*), quo paritèr titulo etiam à D. Auguſtino Antiſtite nominantur (*c*). Et cum uterque adverſùs Pelagianam Hæreſim totis viribus declamaverit, nec de illorum zelo ambigi, nec de eorum Sanctitate poteſt rationabilitèr dubitari. Accedit quod Lazarus poſteà in Gallias regreſſus, ſategit, fautore Proculo Maſſilienſi, dimiſſum thronum iterùm ſuâ ſeſſione replere, undè benè infertur, quod non ſe habuit pro juſtè ſpoliato. Itàque depulſio Erotis, & Lazari, utpotè injuſtè attentata, nihil probat, nec quod juſtificatè, nec quod propter extraneitatem fuerit facta.

13. Reſpondetur *tertiò*, denuò negando aliud ſuppoſitum, nempè quod Eros, & Lazarus fuerint, primus ab Arelatenſi, & ſecundus ab Aquenſi Sede dejecti ex hâc ratione, quod eſſent ab Eccleſiis ipſis extranei. Hoc etenim non ſubſiſtit, nec re verâ probatur ex verbis Zoſimi Papæ in oppoſitum allegatis. Nàm Zoſimus ità loquitur: *Patuit hos inobſervatis ordinationibus, Plebe, Cleroque contradicente, ignotos, alienigenas, intrà Gallias Sacerdotia vindicaſſe, quibus ſeipſi propriâ abdicavere ſententiâ: noſque, licèt & alia, tùm eorum de ſè pænitudinem ſecuti, Sacerdotali eos loco, & omni communione ſubmovimus* (*d*). Ad quæ audita in primis appellandum eſt, ut dici ſolet, à Cæſare irato, ad Cæſarem paratum, ab illo Papâ inconſcio, ad Papam benè conſcium rerum, de quibus egit. Suprà oſtendimus Zoſimum, quandò hæc ſcripſit, fuiſſe à Cœleſtio hæretico circumventum, & falſis opinionibus imbutum circà perſonam, & geſta utriuſque Antiſtitis: nec minùs deceptus eſt, hos pro nefariis hominibus deſcribendo, quam Cœleſtium, & Pelagium pro viris probis, & Catholicis declarando. Hæc autem eſt miſerrima mortalium conditio, cujus Summi Pontifices non ſunt expertes; poſſe decipi, poſſe circumveniri, & à malitiâ hominum poſſe dolis ineluctabilibus irretiri: *novit tua prudentia*, ſcribebat de ſe S. Gregorius Papa VII. *quià multa ſurripi poſſunt, minùs ad ſingula intentis, utpotè diviſis ad plurima, & intentis ad maxima, quibus vehementèr arctamur* (*e*). Non ergò attendendum eſt quid ſcripſerit Zoſimus circumventus, & deceptus, ſed quid dictaverit, rerum conſcius. Nàm ſicuti paulò poſt, detectis dolis Cœleſtii, & Pelagii, eos uti reprobos condemnavit, quos viros optimos prædicaverat; ità & Erotem, ac Lazarum, quos improbitatis antè taxaverat, poſtmodùm religioſitatis, & probitatis præconiis celebravit.

14. Sed demus, quod verba Zoſimi nullam prorsùs patiantur Cœleſtianæ ſubornationis eclipſim: at adnotemus, quod Papa quatuor allegat cauſas depoſitionis utriuſque Archipræſulis: primò inobſervatam ordinationem: ſecundò Contradictionem Cleri, & populi: tertiò quod quando promoti ſunt, eſſent apud Eccleſias illas ignoti: quartò quod eſſent alienigenæ. Tres priores cauſæ ſunt claræ: ultima eſt obſcura, quippè per ly *alienigenæ*, quod verbum æquivocum eſt, & capax ſignificandi, tùm Extradiœceſanos, tùm Extraprovinciales, tùm Extranationales; neſcitur, in quâ ex tribus his ſignificationibus Papa Zoſimus eloquatur, quemadmodùm autem actus æquivoci, referibiles ad alium titulum, non tribuunt ullum jus (*f*). Ità etiam verba æquivoca, plurium ſignificationum capacia, nihil ponunt in eſſe: imò adverſùs ea proferentem, vel adhibentem, ſunt interpretanda (*g*). Ideò ſi Contradictores ſupponunt, quod ibi Zoſimus pro alienigenis intelligat Extraprovinciales, vel Extranationales, nos dicimus, quod intelligit ſolum Extradiœceſanos; & ità ſi eſſe alienigenas, nempè Extradiœceſanos, fuit cauſa depoſitionis Lazari, atque Erotis, argumentum nimiùm probat, quià probat, quod ab eccleſiaſticis beneficiis repelli debeant omnes Extradiœceſani, tamquàm

qui

(a) S. Proſper. in Chron. ad an. 412. Baron. eod. ann. n. 40.

(b) Concil. Carthag. an 416. epiſt. ad Innoc. quæ eſt 90. int. epiſtolas S. Auguſtini.

(c) S. Auguſtin. lib. de geſt. Pelag. in princ.

(d) Zoſimus Papa epiſt. 3.

(e) S Gregorius Papa VII. lib. 9. epiſt. 31.

(f) Card. de Luca de Regularibus diſc. 24. num 9.

(g) Barboſa Axiom. 222. n. 35.

qui & ipſi ſint alienigenæ: quo ſtante, nec argumentum, nec tota cauſa, de quâ contenditur, quidquam proficiet Contradictoribus, quoniàm ipſorum intentum non eſt Clericos Extradiœceſanos, nec Extraprovinciales, ſed ſolos Extranationales à beneficiis eccleſiaſticis abſtinere. Vel igitùr hujuſmodi quarta cauſa Zoſimi, uti æquivoca, & obſcura, non eſt attendenda, vel ſi attendatur, proficit nobis, uti nimiùm probans, & ſinè dubio nihil proficit Contradictoribus.

15. Verùm intèr has quatuor cauſas, quæ enumerantur ex Zoſimo, tamquàm cauſę depoſitionis Erotis à Sede Arelatenſi, & Lazari ab Aquenſi (quas tamen Zoſimus refert ad alium intentum, quam eorum depoſitionis, & non omne, quod vitiat provectionem, eſt cauſa ſufficiens ad depoſitionis Promoti) cur queſo attendenda eſt ultima de extraneitate, non niſi obſcurè, amphibologicè, & confuſè loquens, quaſi hæc fuerit cauſa totalis præfatæ depoſitionis; & non potiùs aliæ tres cauſæ priores, claræ, rutilantes, & expreſſæ? Certè, ſi verum fateri volumus, etiam ſtando in verbis Zoſimi, Eros, & Lazarus non ratione extraneitatis, quæ concludentèr non probatur, dejecti dicuntur à ſuis ſedibus, ſed quia illas adjerunt inobſervatis canonibus, in ordinatione Epiſcoporum ſervandis: quia non conſentientibus Clero, & Populo, eis dati ſunt in Antiſtites: quia tandem Eccleſias acceperunt, apud quas erant incogniti. Talitèr quod ſi ibidem fuiſſent cogniti, ſi Clero, & Populo conſentientibus provecti eſſent, ſi tandem ſervaſſent canones in Antiſtitum ordinatione ſervandos; etiam ſi fuiſſent Extranei, Extraprovinciales, & Extranationales, non diceretur hoc obſtitiſſe legitimæ eorum provectioni; nec prò fuco deſerviſſet ad colorandam utriuſque depoſitionem. Exemplum ergò Erotis, & Lazari nihil proficit cauſæ Contradictorum, nec quidquam probat pro repellendis à beneficiorum conſecutione viris extraneis.

16. Reſpondetur *quartò*, retorquendo argumentum, ſeù ſeriem totius hiſtoriæ adversùs Contradictores. Nàm primò Cœleſtius vir Europęus, & Occidentalis promotus fuit Epheſi in Aſiâ ad Presbyteratum, & ſic ad beneficium Presbyterale, quatenùs per Coutradictores tunc idem erat ad Ordines, & ad beneficia eccleſiaſtica promoveri. Secundò Zoſimus, Erotem, & Lazarum objurgans, præſidebat Romanæ Eccleſię, quamquàm, uti natione Græcus, ab illâ eſſet extraneus. Tertiò in locum Erotis, ſubrogatus fuit Patroclus Conſtantii Romani Ducis amicus, & familiaris, & cum eo in Gallias progreſſus, qui ab Eccleſiâ Arelatenſi erat extraneus. Quartò S. Martinus, cujus Erotes erat diſcipulus, & Lazarus fuiſſe ſupponitur Diœceſanus, non erat natione Gallus, ſed Hungarus, & tamen beneficium Epiſcopale Turonenſium retinebat. Quintò Lazarus, & Eros, progreſſu temporis Epiſcopi facti ſunt in Hiſpaniâ, à quâ toto Cœlo erant extranei (*a*). Quâ ergò ratione licuit Zoſimo, Martino, Proculo, & Cœleſtio beneficia ſacra adipiſci in locis, à quibus erant extranei, & non id licuit Eroti, & Lazaro? Cur Lazaro, & Eroti licuit beneficia Epiſcopalia in Hiſpaniâ adipiſci, non verò in Galliâ? Argumentum ergò cum totâ ſerie ſuæ hiſtoriæ collectum, nedùm non probat extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos, ſed imò potiùs eſſe ad illa admittendos: quemadmodùm ad illa licitè fuerunt admiſſi Zoſimus Romę, Martinus apud Turonos, Proculus Arelate, Cœleſtius Epheſi, ac ipſi Eros, & Lazarus in Hiſpaniâ. Nèc Zoſimus potuit canonizare pro juſtâ causâ depoſitionis Lazari, atque Erotis, extraneitatem, ab Eccleſiâ Arelatenſi, & Aquenſi, quæ adversùs ipſum reclamaſſet, in eâdem navi exiſtentem, quoad ſupremum beneficium Summi Pontificatus, quod in Romanâ Eccleſiâ tenebat.

(a) *Bivarrus in Chronic. Lucii Flavii Dextri ad ann. 400.*

17. Reſpondetur *quintò* ad id, quod innuitur de Proculo Maſſilienſi, per Zoſimum correpto, eò quod adhibuiſſet Lazarum pro uno ex Epiſcopis coaſſiſtentibus in conſecratione Viri, & Tuentii Antiſtitum, à ſe ſacris infulis ornatorum; rem alitèr ſe habere, quàm à Contradictoribus deſcribatur. Siquidèm Proculus Maſſilienſis, licèt Metropolitanæ Arelatenſis ſuffraganeus, ordinationem tamen Epiſcoporum Provinciæ Narbonenſis ſecundæ, ex cauſis ſibi patrocinantibus, arroga-

rogabat: de quo negotio, inſtitutâ aliquandò in Synodo Taurinenſi quæſtione, Patres, pro bono pacis, id ei in vitâ ſuâ poſſe competere permiſerunt. En verba Concilii: *Siquidèm aſſereret Proculus, eaſdem Eccleſias* (Provinciæ Narbonenſis ſecundæ) *vel ſuas Parochias eſſe, vel Epiſcopos à ſe in eiſdem Eccleſiis ordinatos. Et è diverſo ejuſdem Regionis Epiſcopi aliud defenſarent, ac ſibi alterius Provinciæ Sacerdotem præeſſe non debere contenderent; id judicatum eſt à S. Synodo, contemplatione pacis, atque concordiæ: ut non tàm Civitati ejus, quæ in alienâ Parochiâ eſt ſita, cujus magnitudinem penitùs neſciremus, quam ipſi potiſſimum deferretur, ut tamquàm Pater filiis honore Primatus aſſiſteret. Dignum enim viſum eſt, ut quamvìs unitate Provinciæ minimè tenerentur, conſtringerentur tamèn pietatis affectu: hæc igitur ipſi tantùm in vitâ ejus forma ſervabitur* (*a*). Ità à Synodo ipsâ, votis conſonis ſtatutum eſt.

18. Verùm reclamante poſtmodùm Patroclo Archiepiſcopo Arelatenſi, qui ad sè tamquàm ad Metropolitam, jus conſecrandi Epiſcopos contendebat per illam Provinciam pertinere; Zoſimus Papa decretum antedictum Concilii, uti minùs legitimum abrogavit, & Arelatenſi Antiſtiti jus præfatum ſpectare, auctoritate Apoſtolicâ, definivit (*b*), ſed Proculus Maſſilienſis, ſanctione Pontificiâ nihil attentâ, proſecutus eſt adhùc ut anteà per ipſam Provinciam Epiſcopos ordinare, & de facto Urſum, & Tuentium præmemoratos in Antiſtites conſecravit, Zoſimus proindè illum & redarguit, & à proprio Epiſcopatu depoſuit (*c*). Moxque literis ad Epiſcopos Africę, Galliæ, & Hiſpaniæ directis, ſuper facto Maſſilienſis, altis clamoribus ejulavit, quod parvipenſo judicio Sedis Apoſtolicę, ordinationes Epiſcoporum in Provinciâ Narbonenſi, ad ſe nil penitùs pertinente, attentaſſet, ac quod Urſum, & Tuentium Sacerdotio immeritos, promoviſſet, quorum ſecundus in Galliâ paulò anteà condemnatus, Romam in gradu appellationis progreſſus, ibi objurato errore Priſcillianiſtarum, fuiſſet miſericorditèr abſolutus. Nèc Urſum propterea, neque Tuentium pręfatos pro Epiſcopis haberi mandat, neque illis communionem eccleſiaſticam adhiberi (*d*). Et nè quid ad exprobrationem attentatorum Proculi Maſſilienſis omittat; hoc etiam cum aliis aggregat improperiis, quod intèr Epiſcopos coaſſiſtentes conſecrationi præfatorum Urſi, & Tuentii, adhibuiſſet Lazarum, criminibus non modicis irretitum, & non dudùm anteà ab Aquenſi Epiſcopatu dejectum (*e*).

19. Patet ergò, quod hujuſmodi verba Zoſimi, primò nihil habent cum extraneitatis condemnatione commune. Secundò quod hæc ſcripſit dùm adhùc in perſuaſione conſiſteret, tùm criminum Lazari, tùm juſtæ illius depoſitionis. Data eſt enim hæc epiſtola ſub die 20. Septembris anni 417., pridie antè ſcriptas ſimiles literas Prailo Epiſcopo Hieroſolymitano, in quibus adversùs Lazarum, & Erotem, tamquàm viros improbos declamavit, quales nimirùm ſibi fuerant à Cœleſtio, Romæ tunc morante, deſcripti (*f*). Nil mirùm autèm ſi Zoſimus, rerum malè conſcius, & ab hæretico ſubornatus, talia in hâc epiſtolâ de Lazaro protulit, qui de illo pridie ſcripſerat deteriora: ſupponens enim vera ſibi per Cœleſtium fuiſſe narrata, quod Lazarus temerè Sedem Arelatenſem injuſtis artibus invaſiſſet, & quod ab eâ fuiſſet juſtè dethronizatus, atque eccleſiaſticâ communione privatus; honeſtam habuit cauſam carpendi uti minùs legitimam conſecrationem Urſi, & Tuentii, ex hoc etiam motivo, quod ei fuiſſet Lazarus Coaſſiſtens. At quia Zoſimus, ut ait quidam aliâ de rè *in tanto fremitu, tumultuque falſorum, veram deniquè vocem audivit* (*g*), & narratorum Cœleſtii inſubſiſtentiam deprehendit; ſicut hunc condemnavit, & literis datis poſt menſem Aprilis anni 418. circularitèr ad omnes Epiſcopos, hiſtoriam eorum, quę ſibi cum Cœleſtio ſucceſſerant, enuntiavit (*h*); ſic & de Lazaro nulli dubium eſt, ut innuimus, quin ipſe Zoſimus ſententiam cum tempore commutarit (*i*). Ideò non iis, quæ Pontifex in priori epiſtolâ ſcripſit, ſed iis ſtandum eſt, quæ in ultimâ dictitavit (quę utinàm integra ſervaretur) & nec Lazarum quidquam præjudicii ordinationi

Urſi,

(a) *Concil. Taurin. ann. 402. c. 2.*

(b) *Zoſimus epiſt. 5. & 6. ad Patrocl. Arelatenſ. in tom. 1. Gall. f. 46.*

(c) *Zoſimus epiſt. ad Maſſilienſ.*

(d) *Zoſimus epiſt. 2. & 7. ibidem f. 43. & 47.*

(e) *Zoſim. PP. epiſt. 2. ap Sirmond. in tom. 1. Conc. Galliæ f. 44. Cabaſut. ad Concil. Taurin. ann. 402. n. 3. Du. Pin. Biblioth. tom. 3. in Zoſimo f. 828.*

(f) *Elias Du Pin. loco citato in Zoſimo.*

(g) *Seneca epiſt. 94.*

(h) *Idem Du. Pin. loco cit. f. 825.*

(i) *Elias Du Pin ubi ſupr. fol. 829.*

Digitized by Google

Urſi, & Tuentii dicendum eſt intuliſſe, nec quidquam ſibi ob injuſtè paſſam depoſitionem, de propriis juribus deperiiſſe. Itàque hiſtoria Lazari, atque Erotis, vel prò libertate Eccleſiæ in beneficiis diſtribuendis facit, vel nihil ei derogat, quin ſit in Eccleſię arbitrio eadem cùm Clericis indigenis, tùm extraneis impertiri.

20. *Arguunt ſecundò* Contradictores ex facto Nundinarii Epiſcopi Barcinonenſis, qui morti proximus anno 461. Irenæum alterius Eccleſiæ Epiſcopum ſibi in ſucceſſorem deſignavit. Voto Nundinarii deferentes Clerus, & Populus Barcinonenſes illum ſibi Epiſcopum gratum habent, & ut eis præſit, ſuffragia propriæ conſenſionis impendunt. Aſcanius quoquè Archiepiſcopus Tarraconenſis, uti Provinciæ Metropolita, ſuo aſſenſu factum obfirmat, Coepiſcopis paritèr conſentientibus, omneſque junctim Hilaro Papę eventum denuntiant, inſtantes, ut ſubrogationem Irenæi Apoſtolicâ auctoritate confirmet, hiſce ſcriptis: *nos cogitantes defuncti judicium, & probantes ejus vitam, & eorum nobilitatem, atque multitudinem, qui petebant ſimul, & utilitatem Eccleſiæ memoratę; optimum duximus, ut tanto Sacerdoti, qui ad divina migraverat, non minoris meriti ſubrogaretur Antiſtes* (a). Verùm Hilarus, non obſtante utilitate Eccleſię, meritis Irenæi, judicio Nundinarii, & conſenſu Cleri, & Populi, ac Epiſcoporum Comprovincialium, inſtantiam rejecit, & juſſit, ut Barcinonenſes alium de proprio Clero ſibi præficerent in Antiſtitem, ſic enim ſcripſit ad Aſcanium Tarraconenſem: *Remoto ab Eccleſiâ Barcinonenſi: atque ad ſua remiſſo Irenæo Epiſcopo &c. talis protinùs de Clero proprio Barcinonenſibus Epiſcopus ordinetur, qualem ſe pręcipuè Fr. Aſcani oporteat eligere, & doceat conſecrare &c. Nèc Epiſcopatus honor hæreditarium jus putetur, quod nobis ſolâ Dei noſtri benignitate, & Chriſti confertur* (b). Ex hiſtoriâ ergò Irenęi repulſi, & ex dictatu Hilari Papę patet extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos, hæcque ex conſequenti non eſſe niſi Clericis indigenis conferenda.

(a) *Inter epiſt. Hilari PP. epiſt. 2. apud Binium to. 3. Concil. f. 570.*

(b) *Hilar. PP. epiſt. 2. ad Aſcanium Tarraconenſem cap. 3.*

21. Reſpondetur *primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod Irenæus ab Eccleſiâ Barcinonenſi eſſet extraneus; nàm ex ipsâ ſupplicatione Barcinonenſium, atque Epiſcoporum Provinciæ Tarraconenſis, porrectâ Hilaro Papæ apparet, quod Irenæus erat indigena, dicitur enim ibi: *præſertim cum Eccleſia illius municipii, in quâ antè fuerat ordinatus, ſemper hujus Civitatis Eccleſię fuiſſe Diœceſis conſtet* (c). Nempè quod Eccleſia, cui præerat Irenæus, erat in loco municipali, pertinente ad territorium Eccleſiæ Barcinonenſis. Certum autem eſt, quod olim, vigente jure Canonicæ electionis, Clericus nativus municipii, ad aliam Civitatem pertinentis, in eâ Civitate prò extraneo non reputabatur. Ità Carolus Calvus Hincmarum Juniorem commonens, ait, quod ille in Eccleſiâ Remenſi educatus apud Hincmarum ſeniorem Archiepiſcopum Patruum ſuum, fuerat Eccleſiæ Laudunenſi præpoſitus, tamquàm quodammodò indigena ejuſdem: *quoniàm Laudunenſe Municipium Remenſi Eccleſiæ, in quâ nutritus fuiſti, unitum antiquitùs fuerat* (d). Laudunum enim olim ad Remenſem Diœceſim totalitèr pertinebat, donec B. Remigius Remenſis, teſte Hincmaro, ejuſdem ſucceſſore, *ibidem ordinavit Epiſcopum, & rebus Eccleſiaſticis Epiſcopium ſufficientèr ditavit* (e). Poterant ſiquidèm ab initio Epiſcopi à corpore ſui territorii partem aliquam ſegregare, & à ſe prorsùs exſcindere, ut in eâ novus conſecraretur Antiſtes: quod ad praxim redegit S. Auguſtinus, Caſtrum Fuſſalenſe à ſuâ Diœceſi diſcerpens, ut ibi novus Præſul excitaretur, & nova Eccleſia exurgeret, Epiſcopali ordine decorata.

(c) *Inter epiſt. Hilari PP. epiſt. 2. ap. Binium tom. 3. Concil f. 570.*

(d) *Capitul. Carol. Calv. l. 55. c. 51.*

(e) *Hincm. Remenſ. to. 2. f. 431. vid. etiam in Opuſc. 55. Capit. cap. 16.*

22. *Cum me viderem*, ſcribit Auguſtinus de dicto Caſtro, ab Hippone per quadraginta milliaria diſtante, *latiùs, quàm oportebat extendi, nec adhibendæ ſufficerem diligentiæ, quam certiſſimâ ratione adhiberi debere cernebam, Epiſcopum ibi ordinandum, conſtituendumque curavi* (f). Tùnc autem cum fiebat hujuſmodi partium Diœceſis alicujus divulſio, quamquàm utraque Eccleſia terminos deſignatæ ſibi Diœceſeos obtineret; attamen Clerici novioris ſedis habebantur etiam

(f) *S. Auguſt. epiſt. 261. ad Cæleſtin. PP.*

quo-

quodammodò prò Clericis antiquioris, tamquam à qua radicitùs, atque originalitèr procedebant. Hancque indigenatus rationem agnovere Patres Concilii Remenſis, cum Arnulphum, Lotharii Regis nothum, ad Eccleſiam Laudunenſium pertinentem, Remenſi Sedi præfici comprobarunt, dicentes: *Hunc dicimus Laudunenſis Eccleſiæ filium, & ut verum fateamur, Remenſis: Ea quippè Civitas Remenſe Territorium, Remenſis Parochia eſt, nec ſic à B. Remigio divulſa, ut fieret aliena. Nimiràm ille Deo plenus unitatem appetens, non ſciſſionem affectans, ſic ſcidit, ut cohæreret, ſicut pars in toto, & quis, & quantus futurus eſſet intelligens, natale ſolum beavit Sacerdotii dignitate. Eligimus ergò hunc Arnulphum, hinc hortum, hinc educatum* (a). Quibus ità ſe habentibus, paret, quod Irenæus, uti Clericus, ſeù Antiſtes Municipii, ad Bancinonenſe territorium pertinentis, in Eccleſiâ Barcinonenſi erat prò indigenâ, non prò extraneo computandus. Et ſi non erat extraneus, argumentum Contradictorum nihil prò eorum causâ penitùs probat.

(a) *Concil. Remenſ. ann. 989.*

23. Reſpondetur *ſecundò*, iterum negando ſuppontum, nempè quod Irenæus fuerit ab Eccleſiâ Barcinonenſi rejectus hac præcisè dè causâ, quod ibi eſſet extraneus: Non enim propter extraneitatem, ſed propter vinculum, quo erat cum præcedenti Eccleſiâ ligatus fuit à Sede Barcinonenſium abſtentus. Notum eſt apud Doctos, quod inter Epiſcopum, ac Beneficiarium, cum ſuâ Eccleſiâ, contrahitur ſpirituale connubium (*b*), tàm arcti vinculi, *ut omnipotens Deus ſpirituale conjugium, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam ſuo tantùm judicio reſervaverit diſſolvendum, qui diſſolutionem etiam carnalis conjugii, quod eſt inter virum, & fœminam ſuo tantùm judicio reſervaverit*: uti ſcripſit Innocentius Papa III. Decano, & Capitulo Andegavenſi (*c*). Cum igitùr Irenæus jam eſſet ſpiritualitèr copulatus cum Eccleſiâ, cui fuerat præcedenti tempore admotus; non erat ei licitum ſuam Eccleſiam deſerere, & ad aliam pervolare, niſi ad illam, legitimâ Summi Pontificis auctoritate, juſtis, ac legalibus ex cauſis interpoſitâ, transferretur. Itàque hìc non agebatur de electione, ſed de translatione Irenæi, quem uti Epiſcopum unius Eccleſiæ, certum eſt non potuiſſe ad aliam eligi, ſed ſolummodò poſtulari, uti declaratum legitur ab Honorio Papâ III. in epiſtolâ ad Capitulum Calaritanum: *Etſi unanimitèr vota veſtra concurrerint ad Sutrinum Epiſcopum in Eccleſiæ veſtræ Archiepiſcopum eligendum: eum ſuæ allegatus Eccleſiæ liberum non habeat ſinè noſtrâ permiſſione volatum; electionem de ipſo factam, tamquàm contrà Canones minùs licitè attentatam, de fratrum noſtrorum Conſilio, duximus irritandam, cum eligi nullo jure potuerit, ſed potiùs poſtulari* (*d*).

(b) *Cap. etſi unanimiter. 6. de poſtul. Præl.*

(c) *Cap inter 2. de translat. Epiſcop.*

(d) *D. cap etſi unanimiter de poſtul. Prælat.*

24. Erat Italus Epiſcopus Sutrinus, Eccleſia verò Calaritana erat in Meridionalibus Sardiniæ partibus conſtituta, nihilominùs Calaritani illum ſibi delegerant in Antiſtitem. Honorius autèm Papa ejus electionem juxtà ſacros Canones abrogavit, cauſamque abrogationis allegans, non extraneitatem recenſuit, non quod Epiſcopus Sutrinus eſſet Calari Extraprovincialis, & imò Extranationalis; ſed hoc unum prò rejectionis titulo propoſuit, quod Præſul ille, jam cum Sutrinâ Eccleſiâ connexus, non poterat ad aliam eligi, quamquàm poſſet ad aliam poſtulari. Sed talem translationem Sedes Apoſtolica non rebatur opportunum admittere, abſque eo quod Sutrinus Epiſcopus de ſuâ poſſet refutatione dolere: quippè Epiſcopo poſtulato, non debetur ſecunda Eccleſia ex debito, ſed ex merâ gratiâ Pontificis, qui illam denegando, non ei jus ullum abſcindit (*e*), ſed ſuâ utitur poteſtate: nec poſtulatum repellit, quià ſit indigena, vel extraneus, ſed quià cum alia Eccleſiâ præcedentèr jam reperitur ſpiritualitèr copulatus. Et quod hoc unicum fuerit motivum rejectionis Irenæi ab Eccleſiâ Barcinonenſi, colligitur ex decretis Concilii, Romæ hâc de rè congregati. Recurrente etenim anniverſariâ die Coronationis Pontificis, Romam properaverant 48. Epiſcopi, quibus biduo poſt, nempè die 14. Novembris, ad celebrandum Synodum conſidentibus, patefecit Hilarus inſtantiam Barcinonenſium, & ſeriem ſcriptorum

(e) *Cap poſtulationis 5. de poſtul.*

ab

ab Aſcanio Archiepiſcopo Terraconenſi, ſuper more ſemper in dies magìs invaleſcente, ut Epiſcopi morituri, ſucceſſurum ſibi Antiſtitem deſignarent (*a*).

25. Lectis in Synodo per Hilarum Papam Epiſcoporum Hiſpanorum ſcriptis, ad Patres etiam ſic affatim peroravit: *plerique Sacerdotes in mortis confinio conſtituti, in locum ſuum feruntur alios, deſignatis nominibus ſubrogare, ut ſcilicè t non legitima expectetur electio, ſed defuncti gratificatio prò populi habeatur aſſenſu, quod quàm grave ſit æſtimate: atque ideò ſi placet, etiam hanc licentiam generaliter de Eccleſiiis auferamus, ne quod turpe dictum eſt, homini quiſquam putet deberi, quod Dei eſt. Ab univerſis acclamatum eſt: Hæc præſumptio nunquàm fiat. Quę Dei ſunt ab homine dari non poſſunt* (*b*). Abuſum hunc Patres confertis vocibus improbarunt, uti à Canonum ſactionibus, & à priſcorum temporum diſciplinâ nimiùm aberrantem, *& ut ſervaretur antiquitas*, quinquies inclamarunt: *Ut diſciplina ſervetur, rogamus, dictum eſt octies. Ut antiquitas ſervetur dictum eſt quinquies. Ut Canones cuſtodiantur dictum eſt octies* (*c*). Tùm Patres ediderunt Canones, evellendo huic abuſui neceſſarios. Hilaruſque Hiſpanis hæc, quæ ſequuntur, ſcriptis literis intimavit: *Lectis in conventu fratrum, quos natalis mei feſtivitas congregarat, literis veſtris, quę ordinandis Epiſcopis, ſecundùm ſtatuta Canonum, vel prædeceſſorum meorum decreta ſunt diſcetis &c.* (*d*). Subindèque ex ſententiâ Concilii interdicit, nè ullus Epiſcoporum, relictâ unâ Eccleſiâ, ad aliam ſe traiiciat, Synodus etenim quarto Canone ſic decrevit: *Ut nullus Epiſcopus ſibi eligat ſucceſſorem ad petitionem Epiſcoporum Tarraconenſium. Nàm Epiſcopus Barcinonenſis poſt mortem ſuam velut jure hæreditario voluit Irenęum ſucceſſorem in Eccleſiâ derelinquere* (*e*).

26. Objurgandum quoque cenſuit Hilarus Aſcanium Tarraconenſem, eò quod hujuſmodi attentato nedùm tamquàm Metropolitanus prò debito non obſtitiſſet, ſed etiam, quia illud foviſſet, ac ſuâ auctoritate probaſſet. *Miramur*, inquit Papa in literis particularibus, ad eum datis: *Miramur admodùm, dilectionem tuam Barcinonenſium petitionem non ſolùm nullâ auctoritate retudiſſe, verùm etiam directis ad nos literis conſummationem pravi deſiderii poſtulaſſe, adhibendo in epiſtolarum proœmio Concilii mentionem, tamquàm culpæ minuerentur exceſſus per multitudinem imperitorum: cum ſi etiam ſub ſignificatione unuſquiſq; ſui nominis ſecum paritèr retuliſſet, ſubſcriptiones factas ſinguli commodaſſent, dilectionem tamen tuam, rei de quâ diſplicet, ſumma tangebat, quià prò loco, & honore tibi debito, cæteri Sacerdotes docendi fuerant, non ſequendi. Undè ſicut in generalibus literis indicavi, Irenæus ad propriam revertatur Eccleſiam* (*f*). Patet ergò quod tota ratio, propter quam Irenæus Barcinonenſem Cathadrâ caruit, non fuit extraneitas, ſed vinculum connubiale, quod cum Eccleſiâ pridem acquiſitâ tenebat. Nèc proficit exaggerare, quod Hilarus in Romanâ Synodo de Irenęi rejectione verbis reſonantibus ſit effatus, eam eſſe factam *juxtà Divinæ legis præcepta, & Nicænorum Canonum conſtituta* (*g*); quandoquidèm hoc non de extraneitate, ſed de tranſitione de unâ ad aliam Eccleſiam, verificatur, tùm proptèr Canonem Nicœnum, trajectiones hujuſmodi interdicentem (*h*), tùm propter Divinam legem Matrimonii Carnalis diſſolubilitatem impedientem, cui conſentaneum eſt ſpirituale connubium (*i*).

27. Reſpondetur *tertiò*, quod cauſa rejectionis Irenæi, de quâ eſt ſermo, non ab extraneitate profluxit, ſed ex eo quod Irenæus ipſe, vix mortuo Nundinario, à quo fuerat ad ſucceſſionem Barcinonenſis cathedrę deſignatus, ſtatim eo defuncto, in illam Eccleſiam, velut in propriam inſilivit, non expectatâ Summi Pontificis approbatione. Hoc eruitur ex verbis Hilari Papæ ad Tarraconenſes directis: *Remoto ab Eccleſiâ Barcinonenſi, atque ad ſuam remiſſo Irenæo Epiſcopo ſedatis per Sacerdotalem modeſtiam voluntatibus, quæ per ignorantiam Eccleſiaſticarum rerum deſiderant, quod non licet obtinere, talis proprius de Clero proprio Barcinonenſibus Epiſcopus ordinetur, qualem tè præcipuè, frater Aſcani, oportet eligere, & decet*

con-

(a) *Card. Baron ann. 465. n. 17. & ſeq.*

(b) *Concil. Rom ſub Hilar c. 5. an. 465.*

(c) *Bard Baron ann. 465. n. 26. Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 60. n. 2.*

(d) *Hilarius PP. epiſt. 2.*

(e) *Concil. Romanum ann. 465. c. 4.*

(f) *Hilarus PP. epiſt. 3.*

(g) *Acta Conc. Romani ann. 465.*

(h) *Concil. Nicæn. 1. c. 15.*

(i) *Cap. inter 2. de transl. Epiſc.*

Digitized by Google

conſecrare: nè ſi fortè alitèr factum ſit, non ſinè objurgatione tui maximè nominis retundat noſtra præceptio, quod ad injuriam Dei, à quo ſpecialitèr Sacerdotalium eſt gratia dignitatum, didicerimus admiſſum (*a*). Porrò ſi Irenęus ad propriam reverti Eccleſiam jubetur, uti numero præcedenti in ſcriptis Hilari Papæ invenimus dictitatum; ſi à Barcinonenſi Eccleſiâ pręcipitur removeri; patet, quod in illâ & ſe introduxerat, & ſe pertinacitèr confovebat, abſque eo quod à Summo Pontifice, & diſſolutionem vinculi, quo erat cum primâ Cathedrâ colligatus, & licentiam tranſeundi de propriâ ad Sedem Barcinonenſem obtinuiſſet, cum jam tùnc ſinè Papę aſſenſu hujuſmodi tranſitus non liceret (*b*), ac demùm Bullas, ſeù Diplomata, rraslationem authorizantia, nondum adhuc eſſet adeptus.

(a) *Cap. remoto* 30. *cauſ.* 7. *qu.* 1.

(b) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p.* 2. *l.* 2. *c.* 61. *n.* 12.

28. Namque etiàm tunc vigebat uſus Bullarum, ab illo exarandarum, ſeù illius nomine confiſcendarum, cujus auctoritate fiebat Antiſtis ordinatio. Dudùm ſiquidèm antè hęc tempora pręceperat Concilium Milevitanum: *placuit, ut quicumque deinceps ab Epiſcopis ordinantur, literas accipiant ab Ordinatoribus ſuis, manu eorum ſubſcriptas, continentes Conſulem, & diem &c.* (*c*). Sed de his ſuprà uberior ſermo habitus eſt (*d*). Profectò Irenæus propriâ ſe transfundens auctoritate in aliam Eccleſiam, vel ejus miniſterium, nondùm obtento Sedis Apoſtolicæ conſenſu, ſibi approprians, ſuamque ſponſam ſuaptè derelinquens, nedùm merebatur à Sede concupita longiùs diſtineri, ſed etiam ab eâ, quam antè habuerat deturbari (*e*). En ſanctio S. Leonis, ſic in epiſtolâ decretali ad Anaſtaſium Archiepiſcopum Theſſaloniceuſium definientis; *Si quis Epiſcopus, mediocritate Civitatis ſuæ deſpectâ, adminiſtrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem ſe plebem quâcumque occaſione tranſtulerit; non ſolùm a Cathedrâ quidem pelletur alienâ, ſed carebit & propriâ, ut nec illis præſideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per ſuperbiam ſprevit, ſuis igitur terminis contentus ſit quiſque, nec ſuprà menſuram juris ſui affectet augeri* (*f*). Veruntamèn Hilarus rigorem Canonum ingenitâ ſibi benignitate commutans, Irenæo non intulit pœnam, ſed exhibuit gratiam, propriâ quidem non ei adeptâ Sede, ſed ſubtractâ ſolùm alienâ, profeſſus cæteroquin *id ei non judicio: ſed humanitate præſtari* (*g*). Igitur Irenęus, non ratione extraneitatis, ſed ratione invaſę Sedis Barcinonenſis, ab ea adipiſcenda fuit excluſus; ideòque argumentum ex illâ petitum nihil probat prò excludendis viris extraneis ab eccleſiaſticis beneficiis.

(c) *Concil Milevit.* 2 *ann.* 416. *c.* 14.

(d) *Vid. ſupr. tom.* 1. *cap.* 16.

(e) *Cap.* 3 *de tranſl. Epiſcop. fin.*

(f) *S. Leo PP. l. epiſt.* 84. *c.* 8.

(g) *Hilar. PP. ep.* 2. *cap.* 5 *ap. Bin. tom.* 3. *Concil f.* 571.

29. Reſpondetur *quartò*, rejectionem Irenæis ab Epiſcoplo Barcinonenſi proſiliiſſe, non à ſcrupulo extraneitatis, ſed ab ingenti exceſſu præſumptæ hęreditariæ ſucceſſionis in Cathedrâ Nundinarii, quod adeò certum eſt ex Canonibus pręallegatæ Romanæ Synodi, ut inficiari non poſſit. Audiatur rursùs Hilarus in eadem Synodo ſic perorans, quod nova, & inaudita in Hiſpaniis perverſitatum ſemina naſcebantur, dùm Epiſcopatum, qui non niſi meritis præcedentibus datur, non nulli non divinum munus, ſed hęreditarium reputabant eſſe compendium: credentes, ſicut res caducas, & mortales; ità Sacerdotium velut legali, aut teſtamentario jure poſſe dimitti: pleroſque Sacerdotes in poſtremis mortis periodis conſtitutos ſibi deligere ſucceſſores, talitèr ac ſi gratificatio morituri prò legitimâ electione, ac prò Cleri, & Populi deſerviret aſſenſu; pręciſiora verba paulò antè jam deſcripſimus (*h*), ideò ab eis repetendis, modò calamum temperamus. Exhorruere ſemper Eccleſiaſtici Canones hæreditariam in Sacerdotiis ſucceſſionem, & præſertim in beneficiis Epiſcopalibus, prò quibus pluries Sacræ Regulæ præceperunt, ne quiſquam hęreditario jure ſibi deligeret ſucceſſorem (*i*). Hinc Canones Apoſtolici, uſque ad Eccleſiæ primordiis, hoc placitum ediderunt: *Non oportet Epiſcopum fratri, vel filii, vel alii cognato gratificantem humanâ affectione ad Epiſcopatus dignitatem, quem vult eligere. Epiſcopatus enim hæredes facere juſtum non eſt, ea quæ Dei ſunt largientem. Si quis autem hoc fecerit, irrita quidèm maneat electio; ipſe autem ſegregatione mulctetur* (*l*).

(h) *Vid. paulo ſupr. hic n.* 25.

(i) *Vid. Gratian.* 8. *qu.* 1. *& ibi Gloſ. in princ.*

(l) *Canon. Apoſtol.* 75.

30. Paritèr conſonè ad hunc eundem effectum fuit ſucceſſivè à Patribus in An-

Antiochenâ Synodo definitum: *Epiſcopo non licere pro ſè alterum Succeſſorem ſibi conſtituere, licet ad exitum vitæ perveniat: quod ſi tale aliquid factum fuerit, irritum eſſe hujuſmodi eſt conſtitutum. Servetur autem jus eccleſiaſticum, id continens, oportere non aliter fieri, niſi cum Synodo, & judicio Epiſcoporum, qui poſt obitum quieſcentis, poteſtatem habent eum, qui dignus extiterit, promovere* (*a*). Similia habentur in Concilio Romano, habito ſub Martino Papâ I. (*b*). In Pariſienſi (*c*), & in aliis (*d*), adverſus hoc punctum eccleſiaſticę diſciplinæ, intenſis vocibus, infrementibus: Intèr quæ, Romanum celebratum ſub Innocentio PP.II. interdictum deſignandi ſucceſſorem, & hæreditariè de uno in alium beneficia eccleſiaſtica transferendi, non intrà ſolas Epiſcopales Sedes coercuit, ſed ad alia cuncta quoque beneficia dilatavit, decernens: *Apoſtolicâ auctoritate prohibemus, ne quis Eccleſias, & Præbendas, Præpoſituras, Capellanias, aut aliqua eccleſiaſtica Officia, hæreditario jure valeat vendicare, aut expoſtulare præſumat. Quod ſi quis improbus, aut ambitionis reus, attentare præſumpſerit, debitâ pœnâ mulctabitur, & poſtulatis carebit* (*e*). Hinc nedùm illicitum eſt Patri filium ſibi ſucceſſorem in beneficio deſignare, ſed etiam Collatori beneficii illicitum eſt illud, à Patre antè poſſeſſum, immediatè filiǫ conferre (*f*), ut omnis hęreditariæ ſucceſſionis ſpecies à beneficiis eccleſiaſticis abſcindatur.

31. Et quamvis aliquandò contigerit aliquos Epiſcopos, etiam ſanctitate percelebres, ſibi Succeſſorem in Cathedrâ deſignaſſe, prout Maximus Hieroſolymitanus ſibi ſubrogavit Heraclium (*g*): Narciſſus paritèr Hieroſolymitanus ſucceſſorem ſibi Alexandrum Cappadocem deſignavit (*h*): Alexander Conſtantinopolitanus, Paulum (*i*): Valerius Hipponenſis, Auguſtinum (*l*): Auguſtinus ipſe, Eradium (*m*): Honoratus Arelatenſis, Hilarium (*n*): Paulinus Antiochenus, Evagrium (*o*): Acholius Theſſalonicenſis, Anyſium (*p*): Avitus Arvenenſis, Bonitum (*q*): Eonius Arelatenſis, Cæſariam (*r*): Bonifacius Moguntinus, Lullum (*s*): Audoenus Rotomagenſis, Anſbertum (*t*): Alexander Alexandrinus, Athanaſium (*u*): Athanaſius ipſe Petrum, de quo ait Theodoretus: Athanaſius Petrum ſuo ſuffragio deſignarat, ejuſque electioni ab omnibus, *tàm Sacerdotibus, quàm Magiſtratibus aſſenſum eſt. Populus quoque univerſus, acclamationibus, quantum lætitiæ percepiſſet, demonſtravit* (*x*). Attamèn hęc tamquàm à conſuetâ juris diſpoſitione, & Eccleſię diſciplinâ, nimium exorbitantia, non ſunt in conſequentiam trahenda, nec niſi ſpeciali lumini, & illuſtrationi divinæ ſunt referenda: quemadmodùm deſignationem S. Athanaſii refert S. Epiphanius divino lumini (*y*), & illam Anyſii Theſſalonicenſis Ambroſius (*z*): *Quæ etenim ſuprà naturam, ſuprà conſuetudinem ſiunt, non humanis aſſignanda virtutibus, ſed divinis referenda ſunt poteſtatibus*, inquit idem Ambroſius (*aa*). Et ſicubi in præfatis eventibus, divina defuit illuſtratio, humana prudentia ità compulit operari, eo quod rerum, temporum, & hęreſum pericula, tùnc ita conſulendum eſſe utilitati eccleſiaſticæ popoſcerunt. Sed tamèn hæc non ſunt in exemplum adducenda, quippè ea, quę propter neceſſitatem facta ſunt, & quæ a jure communi exorbitant, nequaquàm ad conſequentiam ſunt trahenda (*bb*).

32. Silemus de B. Petro Apoſtolorum Principe, qui Clementem ſibi ſubrogandum in throno Apoſtolico dicitur deſignaſſe (*cc*): & de Bonifacio Papâ II. qui Vigilium ſibi in Succeſſorem adlegit (*dd*). Nàm quoad primum valdè perplexum eſt intèr Theologos, atque Hiſtoricos, an rè verâ Petrus ſibi Clementem diſignaverit ſucceſſorem: quâ de rè videri poteſt intèr Theologos Cardinalis Bellarminus (*ee*), & intèr Hiſtoricos Cardinalis Baronius (*ff*). Sed quatenùs etiam Clemens fuiſſet à Petro ad ſuam ſucceſſionem expreſsè deſignatus, S. Epiphanius in eâ eſt opinione, quod Clemens oblatam dignitatem tùnc temporis refutaverit (*gg*). Quoad ſecundum verò ſubſiſtit quidem deſignatio Vigilii, facta a Bonifacio II. in Concilio Romæ habito anno Chriſti 530. ſed verum eſt etiam, quod in aliâ Synodo, eodem anno collectâ, deſignationem ipſam caſſavit. Cujus quidem utriuſque

(a) *Concilium Antioch. an. 340. c. 23.*
(b) *Concilium Rom. ſub Martino I.*
(c) *Conc. Pariſienſ. 5. cap. 2.*
(d) *Conc. Hiſpal. c. 8. Conc. Lucenſ. ann. 571. cap. 8.*
(e) *Conc. Rom. ſub Innoc. II. c. 16.*
(f) *Cap præſentium cap. ex tranſmiſſa de fil presbyter.*
(g) *Card. Baron. an. 451. n. 24.*
(h) *Euſeb. hiſtor. lib. 6. cap. 11.*
(i) *Socrat. l. 2. cap. 5. Sozom. l. 3. c. 3.*
(l) *S. Auguſt. ep. 100.*
(m) *S. Auguſtin. loco citat.*
(n) *Surius in Vit. S. Honorati die 5. Maii*
(o) *Theodoret. hiſt. lib. 5. c. 23.*
(p) *S. Ambroſ. ep. 59.*
(q) *Duchesne hiſtor. Franc f. 685.*
(r) *Surius Vit. S. Cæſar die 27. Auguſt. c. 5.*
(s) *Surius Vit. S. Boniſ. c. 20 die 5 Junii.*
(t) *Surius Vit S. Audoeni c. 16. die 24. Auguſt.*
(u) *Sozom. l. 2. c. 16. Baron. ann 326 n. 5.*
(x) *Theodoret. lib. 4. c. 18. Hiſtor.*
(y) *S. Epiphan. hæreſ 68.*
(z) *S. Ambroſ. ep. 59.*
(aa) *S. Ambroſ. lib 2. in c. 2. Lucæ.*
(bb) *Cap. quæ à jure 28 de reg jur. in 6.*
(cc) *Capit. undè 2. cauſ. 8. qu. 1.*
(dd) *Conc. Rom. ann. 530. Anaſtaſ. Bibliot. in Vit. Bonif. II.*
(ee) *Bellarm. de Pontif l. 2. c. 5.*
(ff) *Baron. tom. 1. an 69. n. 39. 40. & ſeq.*
(gg) *S. Epiphanius hæreſ. 27.*

Digitized by Google

que Synodi memoriam facit Anaſtaſius Bibliothecarius, dicens de Bonifacio II. *Hic congregavit Synodum in Baſilicâ B. Petri Apoſtoli, & fecit conſtitutum, ut ſibi Succeſſorem ordinaret. Quoconſtituto cum Chirographis Sacerdotum, & jure jurando antè Confeſſionem B. Apoſtoli Petri Diaconum Vigilium conſtituit.* Deindè: *Eodem tempore factâ iterùm Synodo, hoc cenſuerunt Sacerdotes omnes, propter reverentiam S. Sedis, & quià contrà Canones fuerat hoc factum: & quia culpa eum reſpiciebat, ut ſucceſſorem ſibi conſtitueret, ipſe Bonifacius Papa reum ſè confeſſus eſt majeſtatis, quod Diaconum Vigilium ſuâ ſubſcriptione Chirographi, ante confeſſionem B. Petri Apoſtoli conſtituiſſet, ac ipſum conſtitutum, in præſentiâ omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus incendio conſumpſit* (a). Quarè ex neutrâ hiſtoriâ Petri, & Bonifacii, probatur jus Romani Pontificis in deſignando ſibi Succeſſore.

33. Nèc deſunt qui cenſeant, jure Divino prohibitum eſſe Papæ Succeſſorem ſibi deligere, niſi ſenſibus Anacleti Papæ, ad Epiſcopos Italię ſcribentis: *Electionem ſummorum Sacerdotum ſibi Dominus reſervavit, licèt electionem eorum bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſiſſet* (b). Totuſque in hac eſt opinione Joannes de Turrecrematâ, ſic loquens: *de jure naturali quaſi Divino eſſe videtur, quod Papa non faciat ſibi ſucceſſorem, nec poſt mortem, nec poſt reſignationem*; Et infrà: *patet quod tàm juri Divino, quàm juri naturali conſonum videtur, quod ex electione univerſalis Eccleſiæ, vel illorum, ad quos de conſenſu univerſalis Eccleſiæ translatum eſt jus eligendi, ſicut hodie ſunt Cardinales, ut in Capit. in nomine Domini diſt. 23. & 79. c. 1. fiat Papa, ſive aſſumatur Summus Pontifex* (c). Alii cenſent hanc ſubſtitutionem nonniſi jure Canonico prohiberi, quià in prællegatâ Synodo Romanâ deſignatio Vigilii, uti tantum contrà Canones facta, fuit conciliaritèr abrogata (d), & Silverius Papa anathema dirigens in Vigilium, ait: *quia contrà jura canonica, temporibus ſanctę memoriæ Bonifacii Papæ, ipſo vivente, deſignari conabaris, niſi tibi ampliſſimi Senatus obviaſſet juſtitia; nunc providentiâ paſtorali, ac Pontificali auctoritate, tua execranda debuerant auſpicia detruncari* (e). Veruntamèn in *cap. ſi tranſitus* 10. *diſt.* 79. ſatis declarari videtur, quod Papa de ſui electione ſucceſſoris poſſit decernere, ſed hoc explicat ibi Gloſſa, quod de deliberatione Papæ cum ſuis fratribus ſit intelligendum, non verò de hæreditariâ ſubſtitutione ſucceſſoris factâ à Pontifice. Uno verbo tametſi ſpeculativè non deſint, qui cenſeant, Papam poſſe ſibi conſtituere ſucceſſorem, quâ de rè Suarez, Vaſquez, Ledeſma, Duallius, Bonacina, & alii (f), tamen practicè, vel divini, vel naturalis, vel canonici ſit juris intuitu, hoc unum eſt, quod Doctores ſentiunt, Papam non poſſe ſibi conſtituere ſucceſſorem; & ità tenent Polemici (g). Ità Moraliſtæ (h), Ità Juriſconſulti (i), Ità Hiſtorici (l), ut nil amplius valeat in hac materiâ deſiderari. Tamèn ſi quis plura de hac rè ſcire concupiſcit, legat Joannem à S. Thomâ, qui quæſtionem profundè ſatis tractat in eo ſenſu eſt, quod Chriſtus tradiderit quidem Papę principalitèr, & architectonicè poteſtatem deſignandi Pontificem; tamen probabilius cenſet auctoritatem eligendi eundem eſſe proximè, & formalitèr in Eccleſiâ; directivè autem, & regulativè in ipſomet Papâ, undè hìc non valeat ſibi eligere ſucceſſorem (m).

34. Si autèm illicitum eſt Romano Pontifici, Chriſti Vicario, Petri Succeſſori, Hierarchæ Eccleſiæ, atque Orbis Doctori, etiam plenitudine poteſtatis Pontificiæ ſuffulto; multò magis illicitum eſt inferioribus Epiſcopis id efficere: nec potuit Nundinarius Barcinonenſis Irenæum ſibi in Cathedrâ ſubrogare. Benè igitur Hilarus Papa, & Romana Synodus, ab eo congregata, hujuſmodi conatui reſtitere, præſertim cum hic non jam eſſet caſus ſingularis, ex peculiaribus cauſis, & neceſſitate urgente dimanans; ſed exceſſus in morem invaleſcens, & pravum uſum protrahens, qui Eccleſias Hiſpanicas permeabat, ubi plures Epiſcopi, mortis articulo inſtante, in determinatos, & ſibi magis gratos Clericos transfundebant *Epiſcopatum, qui nonniſi meritis præcedentibus dandus eſt* (n). Cui abuſui certè opus

(a) *Anaſtaſ. Biblioth. in Bonif. II.*

(b) *Capit. electionem 11 diſt. 79.*

(c) *Cardin Turrecr. de Eccleſ. l. 2. c. 31*

(d) *Vide Conc. Rom. ann. 530.*

(e) *Silver. PP. in decr. anathem. in Vigilium.*

(f) *Suarez de fid. diſp 10. ſect. 4. nu 14. Vaſqu. tom. 3. in 3. diſp. 244. c. 3. Ledeſm q. 20. art. 4 concl. 2, & ſequ. Duall de poteſt Pōtif. l. 3. Bonac. de elect. PP. diſp. 1. qu 3 punct 4.*

(g) *Caj. 1 opuſc. 3. de auctorit. PP. c. 23. Turrecrem de auctor. PP. & Concil. tr. 1. c. 13. & tr. 2. c. 21.*

(h) *Azor. inſt. mor. p. 2. l. 4. c. 5 qu. 3. Comitol. reſponſ. mor. lib. 2. qu. 98.*

(i) *Barboſ jur. Eccl. Univ. l. 1. cap. 1. n. 40. Gomez reg. de infirm. reſign. qu. 4.*

(l) *Card. Baron. Annal tom 11. ann 1073. verſ. ſed inter hæc.*

(m) *Joan. à S Thom. in 2. 2. D. Thom. qu. 1. uſque ad 7. diſp. 2 art 1 per totum. tom 4.*

(n) *Hilar. Pap. in Conc. Rom. an. 465.*

erat

erat obſiſtere, ne latiùs ſerperet, ac radices ageret profundiores. Itàque tota intentio Hilari, ejuſque Synodi in rejectione Irenæi ab Epiſcopatu Barcinonenſi, non fuit hujus extraneitas ab illâ Eccleſiâ, ſed neceſſaria obluctatio, ne ulteriùs pergeret damnabilis ille abuſus, ab Epiſcopis Hiſpanicis illorum temporum uſurpatus, tranſmittendi velut hęreditario jure, vel ſinè electione canonicâ Epiſcopales infulas in Clericos à sè deſignatos. Et ità excluſio Irenæi a ſede ſibi per Nundinarii deſignationem deſtinatâ, nihil proficit intentui Contradictorum, dùm non percutit caſum damnatæ extraneitatis, ne illius intuitu quiſquam poſſet beneficia Epiſcopalia promereri.

35. Reſpondetur *quintò*, retorquendo argumentum ex duplici capite. Primò quià Clerus, & Populus Barcinonenſes, adhærentes deſignationi Irenæi, à Nundinario factæ, necnon Aſcanius Archiepiſcopus, ejuſque ſuffraganei Gerundenſis, Elnenſis, Vicenſis, Celſonenſis, Urgellenſis, Illerdenſis, & Derthuſenſis, componentes Provinciam, & Concilium Tarraconenſe, ac Papæ ſupplicantes, ut ſequitur: *Nos cogitantes defuncti judicium, & probantes ejus vitam, & eorum nobilitatem, atque multitudinem, qui petebant ſimul, & utilitatem Eccleſiæ memoratæ, optimum duximus, ut tanto Sacerdoti, qui ad Divina migraverat, non minoris meriti ſubſtitueretur Antiſtes, præſertim cum Eccleſia illius municipii, in quâ antè fuerat ordinatus, ſemper hujus Civitatis Eccleſiæ fuiſſe Diæceſis conſtet. Ergò ſupplicitèr precamur Apoſtolatum veſtrum, ut humilitatis noſtræ decretum, quod juſtè à nobis videtur factum, veſtrâ auctoritate firmetis* (a). Hi omnes, inquam, optimè norunt Irenęum, vel in primâ, vel in ſecundâ Eccleſiâ, futurum eſſe extraneum, ſi ab illâ, cui præerat, ad Barcinonenſem tranſiret, & tamen translationem complere votis concordibus ſategerunt; ergo facto ſuo perorantes, oſtenderunt, ritè poſſe Clericum beneficio Epiſcopali præfici in Eccleſiâ, à quâ eſt extraneus; Alioquin certè nec ipſi aggreſſi eſſent Irenæum de primâ ad ſecundam ſedem traducere, à quarum alterutrâ neceſſario erat extraneus, & ſinè dubio a ſecundâ erat extraneus, tamquàm jam deſponſatus cum primâ: nec id ab Hilaro Papâ poſtulaſſent auctoritate Apoſtolicâ confirmari, ſi tùnc fuiſſet Eccleſiæ Dei perſuaſum, ut reus eſſet tranſgreſſæ legis divinæ, naturalis, & humanæ Clericus, qui affectat extrà patriam beneficia ſacra adipiſci, uti nunc comminiſcuntur Contradictores.

(a) *Inter epiſt. Hilar. PP. epiſt. 2. ap. Binium tom. 3. Conc. f. 570.*

36. Secundò retorquetur argumentum, ex eo quod, ſecundum Contradictores, Clericis extraneis patet aditus ad beneficia, quoties indigenæ juri ſuo cedentes, ad illa adſciſcunt extraneos: Et quià, quæ Adverſarii dixerunt non ſolùm non ſunt formidanda, ſed etiam ſunt in uſum proprium vendicanda, ut inquiebat de Philoſophis Ethnicis Auguſtinus (b); ideò relativè ad talem doctrinam ità proloquimur. Vel Irenæus erat indigena Barcinone, vel extraneus. Si indigena, argumentum non facit ad rem, quià quæſtio eſt de extraneis, non de indigenis. Si erat extraneus, argumentamur hoc modo: Clerus, & Populus Barcinonenſis vota conſona, ſuffragia unita, conſenſum proprium intulerunt Irenęo, ut poſſet Barcinonenſibus infulis adornari, ſicque ceſſerunt juri ſuo, illudque totum in eum tranſtulerunt, ut peroptatam poſſet conſequi dignitatem; & tamèn eorum ſtudium irritum conſilii fuit, & res infecta remanſit. Quare? Quià, inquiunt Contradictores, Irenæus erat extraneus. Si ità eſt; ergò nec etiam concurrente aſſenſu Cleri, & Populi indigenarum, jurique ſuo his cedentibus favore extraneorum, licitum eſt extraneis eccleſiaſtica conſequi beneficia. Igitur argumentum ex facto Irenæi propoſitum, vel tamquàm excluſionem ratione extraneitatis non percutiens, nil probat pro Clericis extraneis à beneficiorum conſecutione pellendis; vel uti continens vota Barcinonenſium, cunctorumque Præſulum, & Concilii Provincię Tarraconenſis pro Irenæi provectione ad Eccleſiam Barcinonenſem, à quâ erat extraneus, & in aliâ intitulatus Eccleſiâ probat, quod ad beneficia patet aditus etiam extraneis; & ſic vel in uno, vel in alio conceptu, tota narratio facti ſumatur; certum, & conſtans eſſe probatur extraneis quoque acceſſum patere ad eccleſiaſtica beneficia.

(b) *S. Auguſt. de doctrin. Chriſtian. l. 2. c. 40.*

Digitized by Google

37. *Arguunt tertiò* Contradictores ex facto Simplicii Papę cum Joanne electo Epiſcopo Apameenſi. Audito Pontifex, quod Joannes, dum presbyterali officio in Conſtantinopolitanâ Metropoli fungeretur, provectus fuerat ab Hæreticis ad Clavum Cathedræ Apameenſis in Siriâ, conquæſtus eſt cum Acacio Conſtantinopolitano de hujuſmodi provectione, ab Hæreticis factâ, dicens, non licuiſſe Joanni Sedem illam Hæreticotum ope adipiſci, quam nec potuiſſet à Catholicis delatam accipere, quandoquidem ab illâ erat extraneus: *De Joanne*, inquit, *quondam Conſtantinopolitano, qui ab Hæreticis Apamenum Sacerdotium, quod ei, qui Presbyter aliundè fuerat, vel à Catholicis ſumere non licebat, ſe hæreticum publicavit, & quod in ſe perperàm factum eſt, in proprium retorſit auctorem &c. Sub anathemate à Chriſtianorum conſortio, vel ipsâ appellatione removemus* (a). Joannem ergò Simplicius anathemate involuit, ut illi omnem ſpem aſſequendæ illius Sedis abſcinderet. Si autèm nedùm ad Hæreticis; ſed nec etiam à Catholicis potuit Joannes in Apameenſi throno locari, quià ab illo erat extraneus; patet, quod Clericis extraneis aditus eſt interceptus ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Simplicius Pap. ap. Labbè tom. 4. Conc. f. 1039.*

38. Reſpondetur *primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod Joannes repulſam paſſus ſit ab inſulis Apameenſibus, quià ab earum Eccleſiâ eſſet extraneus: non enim hæc fuit cauſa illius rejectionis, ſed illæ, quę ſequuntur. Primò quod eſſet ab Hæreticis ordinatus. Secundò ex eo quod Clero, & Populo Apameenſibus erat incognitus, ac illis inſciis, & reluctantibus fuerat ordinatus. Ex utroque autèm capite meritò ab illâ Sede fuit ejectus. Hiſtorica ſeries ità ſe habet. Petrus Cnaſeus, ſive Fullo, hęreticus Eutychianus, primò Cœnobiticam vitam Acœmetarum profeſſus in Monaſterio celebri Studitarum Conſtantinopoli edito, indèque ob hæreticam pravitatem expulſus, factus eſt Presbyter Eccleſiæ S. Baſſi propè Chalcedonem, undè diſcedens, ac Antiochiam cum Zenone Imperatore progreſſus, calumniis adversùs S. Martyrium Antiochenum Epiſcopum excitatis; illum dethronizare, ac ſedem ipſius niſus eſt omnibus, quotquot potuit, artibus occupare (*b*): ſed citò exilio mulctatus, indè receſſit (*c*): brevi tamèn Zenonis Cæſaris ope, à ſe pręoccupati, Eccleſiam Antiochenam rurſus invaſit (*d*), undè Simplicii Papæ iterùm auctoritate depulſus, aliquantò adfuit (*e*): ſed non longè poſt, cum machinatus eſſet mortem Stephani, qui Martyrio ſucceſſerat; jam tertiò in eandem Antiochenam Cathedram inſilivit (*f*). Dùm ità occupato illi ſolio Patriarchali inſideret, Joannem Presbyterum Conſtantinopolitanum, natione Europæum, provinciâ Thracem, proprio arbitrio Apamenæ Eccleſiæ Epiſcopum dedit (*g*), quem Clerus, & Cives illius Urbis accipere recuſarunt; tùm quià Hæreticum cenſuerunt Clericum ab Hęreticis ordinatum: Tùm etiam quià sè rebantur, accipere non teneri in Antiſtitem virum ſibi ignotum, peregrinum, & tàm longè ab eorum urbe progenitum, quam longè diſtant Conſtantinopolis in Thraciâ Europæ, ab Apameâ Syriæ in Aſiâ apud Orontem fluvium intrà Libanum ſitâ. Apameenſibus igitùr Joannem refutantibus, ille Antiochiam sè recepit, ubi inſidiis adversùs Fullonem Pſeudopatriarcham inſtructis, eum ſede pepulit, ac in illius thronum illegitimè ſe introduxit (*h*), cui alluſit Simplicius Papa, cum ait, quod in sè perperàm factum eſt, in proprium retorſit Auctorem.

(b) *Baron. ann. 459. n. 16. & 18. & an. 471. num. 6.*
(c) *Theodor. Lector. Collect. l. 1.*
(d) *Baron. ann. 474. n. 7. & 8.*
(e) *Evagr. hiſt. lib. 3. cap. 89.*
(f) *Baron. an. 479. n. 3. & an. 482. n. 1. &c.*
(g) *Liberat. Breviar. cap. 18.*
(h) *Baron. ann. 483. num 78.*

39. Conſtat igitùr, quod excluſio Joannis ab Eccleſiâ Apameenſi non ab extraneitate proceſſit, reduplicativè quà extraneitate, ſed indè quod Præſul hic fuerat ab Hæreticis promotus, & quod Civibus Apameæ inſciis, atque invitis, ad quos electio eorum Antiſtitis pertinebat, fuerat in illâ Cathedrâ collocatus. Certum eſt, quod Præſules ab Hæreticis deſignati, licitè poſſunt ab affectatâ Sede repelli: hocque generale eſt de omnibus beneficiis, Hæreticorum operâ adeptis (*i*). Et ità S. Gregorius ſcripſit Mediolanenſibus, Epiſcopum electuris: *Quod vobis ab Agilulſo indicatis ſcriptum, dilectionem veſtram non moveat, nàm nos in hominem, qui non à Catholicis, & maximè à Longobardis eligitur, nullâ præbemus ratione conſenſum. Nèc ſi alicujus præſumptionis uſurpatione factus fuerit, in locum,*

(i) *Cap. quicumque 6. ad hæc de Hæret. in 6. Pennafiel to. 3. diſp. 33 ſect. 7 nu 363 Barboſ. de off. Epiſc. par. 3. alleg. 57. n. 130.*

vel

vel ordinem illum Sacerdotis ſuſcipimus: quià Vicarius S. Ambroſii indignus evidentèr oſtenditur, ſi electus à talibus ordinatur (*a*). Imò nedùm electus ab Hæreticis immediatè, ſed etiam ad eorum preces deſignatus, indignus injure, beneficio eccleſiaſtico pronuntiatur, hac lege: *quoſcumque viros eccleſiaſticos, qui ad preces hujuſmodi peſtilentium perſonarum* (ſcilicet Hęreticorum) *dignitates perſonatus, & quęcumque alia eccleſiaſtica beneficia ſunt adepti, ex nunc privamus taliter acquiſitis &c.* (*b*). Nulli paritèr dubium eſt, quin vigente jure electionis, poſſent Clerus, & Populus Eccleſiarum, ſuperintruſos ſibi viros ignotos, & non gratos, ab Epiſcopali officio adipiſcendo diſpellere, quippè paulò antè Simplicium, S. Leo Magnus decreverat: *nullus invitis, & non petentibus ordinetur, ne Civitas Epiſcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religioſa quam convenit, cui non licuerit habere quod voluit* (*c*), conſonant alii Canones, quibus congerendis non eſt hìc opus diutiùs immorari (*d*). Utrumque autem defectum patiebatur Joannes, & utrumque complexus eſt Simplicius, cum dixit: *qui Presbyter aliundè fuerat*, nempè alienigena, & prorsùs ignotus: & *ſe Hęreticum publicavit*, nempè ex conſortio cum Fullone hęretico; ſeù ex ordinatione ab illo ſuſceptà ità ſe geſſit, ut pro hæretico ſit putandus. Patet itàque quod Joannes non fuit ab Apameenſium Sede repulſus, quà extraneus, ſed quà ignotus, invitis ordinatus, & vel hęreticus, vel de hęreſi vehementèr ſuſpectus, quos defectus ſi non habuiſſet; quantumlibet extraneus, certè ex hoc præciſo capite nec debuiſſet, nec licitè potuiſſet ab Apameenſibus refutari. Nullus enim unquàm thronum amiſit propter extraneitatem: amiſerunt verò illum interdùm promoti ab Hęreticis, vel præfecti populis reluctantibus, & invitis.

(a) *S. Gregorius lib. 8 epiſt. 55.*

(b) *Cap. quicumq. 2. & ad hæc. de Hæret. in 6.*

(c) *S. Leo Pap. Epiſt. 84. c. 5.*

(d) *Concil. Aurel. 5. ann. 552. cap. 11. Conc. Pariſ. 3. c. 8. c. ſi fortè 19. d. ſput. 63. Fulbert. Carnot. epiſt. 131.*

40. Reſpondetur *ſecundò*, retorquendo argumentum: Nàm Joannes præfatus, qui fuit ab Apameenſi Eccleſiâ diſtentus, & urgente Acacio Conſtantinopolitano fuit à Simplicio Papâ anathematis vinculis innodatus, paulò poſt Tyrienſem Eccleſiam in Phœniciâ adeptus eſt, ſibi ab Acacio ipſo delatam: Petrus Cnafeus, ſive Fullo, ab arte Fullonis, quam exercuerat, nominatus, primò beneficium monachale in Cœnobio Studitarum inter Acœmetas Conſtantinopolis, tenuit, deindè beneficium Presbyterale in Eccleſiâ S. Baſſi propè Chalcedonem, & poſtmodùm Epiſcopale beneficium in Antiochenâ urbe ſuſcepit, qui proculdubiò in altero, vel duobus ex his tribus locis fuit extraneus, uti & Joannes præfatus modò in Conſtantinopolitanâ beneficium presbyterale aſſequutus, modò in Apameenſi Eccleſiâ beneficium Epiſcopale affectans, modò in Tyrienſi illud tandèm obtinens ab Acacio, à quarum ſecundâ, & tertiâ toto Cœlo erat extraneus: Hi omnes, inquam, tàm Petrus, quàm Acacius, atque Joannes, quà recipiendo, quà conferendo beneficia diverſi ordinis, factis ſuis multiformitèr docuerunt, ipſos, & Eccleſiam ſuo tempore in eâ opinione fuiſſe, in quâ abſtùnc ad noſtram uſque ætatem perpetuò ſè conſovit, liberum eſſe diſpenſatoribus beneficiorum eadem etiam extraneis elargiri. Et ſic ſi hiſtorię in argumento propoſitę habenda eſt ratio; nedùm non probatur intentum Contradictorum, ſed imò potiùs apertiſſimè comprobatur liberum, & licitum eſſe Eccleſiæ, illiuſque miniſtris, atque in primis Papę, ipſius Eccleſiæ capiti, necnon Epiſcopis, aliiſque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

CA-

CAPUT XVIII.

In quo aliis Objectionibus HISTORICIS *reſpondetur, allegatis adverſùs libertatem, quâ pollet Eccleſia, dandi, tùm Clericis indigenis, tùm extraneis, acceſſum ad Eccleſiaſtica Beneficia.*

SUMMARIUM.

1 Quarta Objectio *de Dioſcoro juniore, implorante auxilium Hormiſdę Papæ apud Imperatorem, ut præficeretur Eccleſiæ Alexandrinæ.*

2 *Ab antecedente affirmativo non ritè deducitur conſequentia negativa. Varia Concilia jubent Epiſcopis aſſiduam reſidentiam.*

3 *Ex honeſtate, & cæteris paribus beneficia conferenda ſunt potiùs indigenis, quàm extraneis. Aliqui Patriarchæ Alexandrini extranei.*

4 *Imperator Anaſtaſius volebat Dioſcorum ipſum, tametſi Alexandrinum, præficere Eccleſiæ Antiochenę in Syriâ.*

5 *Papa monet Cæſarem, ut eum potius Alexandrinis in Præſulem conſtitueret, loquens de honeſtate, non dè neceſſitate.*

6 *Mos erat ut Epiſcopus Alexandrinus in ſuâ Eccleſiâ conſecraretur. Dioſcorus tamen fuit conſecratus Conſtantinopoli.*

7 *Morem ipſum laudaſſet Hormiſda, ſi de illo fuiſſet locutus; non tamen promotio Dioſcori fuit nulla ob morem illum non ſervatum.*

8 Quinta Objectio *ex facto Pelagii Papæ jubentis, apud Syracuſas eligi potiùs Uxoratum indigenam, quam Clericum extraneum in Antiſtitem.*

9 *Factum Pelagii involuit implicantiam. Ex argumento autem contradictoria continente, nihil benè concluditur.*

10 *Argumentum retorquetur adversùs Contradictores, quoad expoſitionem, quam ipſi dant capitulo ad decorem de inſtitutionibus.*

11 *Non enim deerant in Urbe, ac Diœceſi Conſtantinopolitanâ laici meritis, ac virtute ad Epiſcopatum idonei præponendi Clericis extraneis.*

12 *Jubent S. Cæleſtinus PP. & S. Gregorius, quod ſi in Diœceſi vacantis Eccleſiæ non éſt Clericus idoneus; ei præficiatur alius, ſumptus aliundè.*

13 *Uxoratus non fuit præpoſitus Eccleſiæ, quia deeſſent ibi Clerici idonei, ſed quià Syracuſani ſciſſi in partes nolebant in unum convenire.*

14 *Aderant ibi Clerici idonei, ſi Vocales in eos conveniſſent: ſed quià Syracuſani in ſuâ diſcordiâ inſaniebant; Uxoratus ille promotus eſt.*

15 *Uxoratum illum non eſt ſupponendum, ſed probandum fuiſſe patriâ Syracuſanum. Multi exorati extranei Epiſcopatum adepti ſunt.*

16 *S. Joannes Eleemoſynarius, tametſi extraneus laicus, & uxoratus Patriarchale adeptus eſt beneficium apud Alexandriam.*

17 *Referuntur varię leges tàm Canonicæ, quàm Civiles, interdicentes, ne vir uxoratus valeat ad Epiſcopale beneficium promoveri.*

18 *Fit mentio multorum Epiſcoporum Orientalium, & Occidentalium, qui uxorem habuerunt: & S. Petrus uxorem habuit.*

19 *Uxorati ad Epiſcopatum promoti olim uxores domi poterant retinere. Sed quià erat res plena diſcriminis, incæpit id prohiberi.*

20 *Pe-*

20 *Pelagius PP. id, quod egit cum Syracuſanis, egit prudentialitèr, deferens tempori, & loco, non verò legem adens generalem.*

21 *Indicatur promotio S. Alexandri Carbonarii, & aliorum, qui ex vili miniſterio ad Epiſcopatum provecti ſunt.*

22 Sexta Objectio *deſumpta eſt ex contentione ortâ inter Reges Galliarum, & Hincmarum Remenſem ſuper electione Epiſcopi Tornacenſis.*

23 *Hincmarus non extraneos à beneficiis repellere aggreſſus eſt, nè ſemetipſum redargueret, ſed inſtetit, ut electio Præſulis canonicè fieret.*

24 *Rex Epiſcopatus, & Abbatias in laicos diſpergebat; Hincmarus ergò inſtetit, Epiſcopatum Tornacenſem dari per viam electionis.*

25 *Pretèr ſacrorum Canonum auctoritatem allegavit Hincmarus pro libertate Eccleſiæ, & electionis tuenda conſuetudinem, & praxim.*

26 *Inclamat apud Regem, quod Præſul undecumque poteſt per electionem canonicam promoveri, nec poſſe Regem reſtringere electionem ad unum.*

27 *Tota ergò reſiſtentia Hincmari Gallicis Regibus non eo perſpexit, ut extraneos ablegaret, ſed ut libertatem electionis canonicæ conſervaret.*

28 *Inſtando Hincmarus, quod electio Præſulis fieret de propriâ Eccleſiâ, non præceptum, ſed conſilium deſignat.*

29 *Qui Hincmarus nec etiam impetit Aulicos, quà tales: multi enim ex Aulâ Epiſcopi digniſſimi prodierunt.*

30 *Succeſſor Hincmari fuit Fulco ex aulâ & ipſi vocatus. Qui Hincmarus cum, eſſet extraneus non, potuit extraneos redarguere.*

31 *Etiam ſi forma electionis popoſciſſet ſolos indigenas, tamen quia ipſa jam ſublata eſt, arctari non poteſt proviſio ad ſolos indigenas.*

32 Septima Objectio *ex hiſtoriis Egilonis Senonenſis, Guntharii Colonienſis, Theutgandi Trevirenſis, & Hilduini Cameracenſis.*

33 *Egilo non erat extraneus ab Eccleſiâ Senonenſi, nec Hilduinus à Cameracenſi, adeòque argumentum ex illis deductum nihil afficit.*

34 *Hilduinus etſi non extraneus Cameraci, dicitur* aliundè *provectus, ideſt alio modo, quam per viam electionis, vel non ex Clero illius Eccleſiæ.*

35 *Intentio Papæ non fuit, ut repelleret extraneos; ſed nè quis per potentiam laicalem, & alitèr quàm per viam electionis proveheretur.*

36 *Non debent improviſi, & non optati Præſules Eccleſiis præfici: nec Eccleſiæ Clerici ſperni, nec aliena ſtipendia invadi.*

37 *Non erat probabile, quod in Eccleſiâ Senonenſi, Clero abundante, nullus eſſet ad Epiſcopale beneficium idoneus.*

38 *Cum abundaret Senonenſis Urbs viris Epiſcopatu dignis, honeſtas exigebat, ut aliquis ex eis promoveretur.*

39 *Nicolaus PP. non impugnabat Egilonem, quod eſſet extraneus, ſed quod jam Eccleſiis jus tolleretur deligendi ſibi Præſulem.*

40 *Jàm penè cunctis Eccleſiis proficiebantur extranei, quod erat indiſcretum: idemque eſſet modò, ſi cuncta beneficia præberentur extraneis.*

41 *Aſſumptio Hilduini fuit improbata non propter extraneitatem, ſed quia impedita fuerat electio Canonica.*

42 *Excanduit Nicolaus PP. quia videbat Eccleſiis libertatem canonicam abrogari: & audiebat Cameracenſes reclamantes.*

43 *Hilduinus erat irregularis aliundè, & à Papâ improbatus, quia in Cathedram Cameracenſem aliàs quàm per viam electionis ingreſſus eſſet.*

44 *Quià Egilo de facto tandèm præfuit Eccleſiæ Senonenſi, ejus hiſtoria non prodeſt, ſed obeſt Contradictoribus.*

45 *Factum Guntharii Colonienſis, & Theutgaudi Trevirenſis, non tetendit ad extraneos à beneficiis repellendos, ſed ad Præſules illos eiiciendos.*

46 *Quibus ex cauſis impugnaretur Matrimonium Theutbergæ. Reginæ à Lotha-*

tha-

tharia ejus viro? Concilia propter id celebrata.

47 *Recenſetur hiſtoria Pſeudoſynodi Metenſis, quam Papa anathematizavit, & Guntharium, ac Theutgaudum condemnavit.*

48 *Nicolaus PP. I. memorat acta in cauſâ Lotharii, & Theutbergæ: ac Synodum Metenſem Latrocinio Epheſino coæquat.*

49 *Guntharius, & Theutgaudus temerè retorſerunt anathema in Papam Nicolaum, & impio Photio Schiſmatico ſè junxerunt.*

50 *Lothario per vim tuente depoſitos illos Archipræſules, impediebatur nè ipſorum Eccleſiis novi præficerentur Antiſtites.*

51 *Tota ſeries ergò facti demonſtrat, quod Papa non de excluſione extraneorum cogitavit, ſed de conſervatione libertatis canonicæ electionis.*

52 *Oſtenditur demùm, quod Hiſtoriæ Egilonis, Hilduini, Guntharii, & Theutgaudi, nihil probant, & cur?*

CONCERNENTES Objectiones Hiſtoricas, *Arguunt quarto loco* Contradictores ex facto Hormiſdæ Papæ cum Dioſcoro Alexandrino. Dioſcorus junior Conſtantinopoli permanebat pro Joanne Machiotâ Patriarchâ Alexandriæ Apocriſarii munus exercens, cum viam univerſæ carnis ingreſſo Machiotâ, Dioſcorus patriæ Eccleſię appetens Pręſulatum, precatorias Hormiſdæ Papæ literas dedit, implorans, ut eum Juſtiniano Cæſari commendaret, pro Alexandrinis infulis aſſequendis. Annuit Pontifex votis Dioſcori, eique pollicitus eſt ſua officia cum Imperatore interponere; quippè in hoc sè non tàm honeſtati, quàm juſtitiæ operam dare profeſſus eſt. Dignum ſiquidèm eſſe inquiebat, ut Eccleſię Alexandrinæ pręficeretur ipſe, qui in eâ à primis ætatis annis officia Clericalia exercuerat: *nam*, ait, *ſequenti tempore ſcribere Domino, & filio noſtro Imperatori diſponimus, ut te Alexandrinum Epiſcopum debeat ordinare. Juſtum eſt enim, ut & doctrinâ, & moderatione tuâ corrigatur Eccleſia, in quâ præcipuè ab ipſis ætatis tuæ principiis militaſti* (*a*). Hormiſda ergò docuit, beneficia eccleſiaſtica ex debito, & juſtitiâ eſſe Clericis illis conferenda, qui in eâ Eccleſiâ, ubi beneficium ſitum eſt, ab ipſis primæ ætatis initiis militarunt: hi autem ſunt Clerici indigenæ, non extranei, ergò ex doctrinâ, & facto Hormiſdæ à beneficiis eccleſiaſticis ſunt extranei repellendi.

(a) *Hormiſd. PP. epiſt. 54. ap. Labbè to. 4. Conc.*

2. Reſpondetur *primò*, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: quippè, uti docent Logici, ab antecedente affirmativo, non ritè deducitur conſequentia negativa. Et certè quod tamquàm ex honeſtate præcipitur affirmativè, non excludit quin de rigore juris, negativè poſſit alitèr ſe habere. Hinc tantùm probat argumentum Contradictorum, quantùm probaret iſtud, ſi hiſtoricè ſucceſſiſſet. Dioſcorus factus Epiſcopus Alexandrinus ſcripſit Hormiſdæ Papæ, sè nedùm in ſuâ Diœceſi, ſed etiam in ipſo Epiſcopio, Patriarchali Eccleſiæ proximo, reſidere, nunquàm alibi vagando, nunquàm alibi divertendo. Hormiſda proindè hinc ſatis Dioſcorum commendavit, gaudens, quod in hoc juſtitiæ operam daret: ſiquidèm Concilii Carthaginenſis V. decreto ità præcipitur: *placuit ut nemini ſit facultas, relictâ principali Cathedrâ, ad aliquam Eccleſiam, in Diœceſi conſtitutam, ſe conferre, vel in rè propriâ diutius, quàm oporteat conſtitutum, curam, vel frequentationem propriæ Cathedræ negligere* (*b*). Undè ſucceſſivè argumentum duxerunt Concilium Francfordienſe inhibendi, ne Antiſtites, de Civitate in Civitatem vagentur (*c*). Concilium Senonenſe decernendi, ut Epiſcopi perſeverantèr in propriâ Civitate permaneant (*d*), & Concilium Toletanum ſeriò præſcribendi Epiſcopis, ut non extrà proprium Epiſcopium commorentur, quippè alioquin nec Deo grata, nec hominibus eſt eorum reſidentia (*e*).

(b) *Concil. Carth. V. an. 398. c. 5.*

(c) *Concil. Francford. ann. 794. c. 7.*

(d) *Concil. Senonenſ. an. 1485. art. 2. c. 1.*

(e) *Concil. Toletan. ann. 1565. Act. 2.*

3. Hor-

3. Hormiſda, inquam, auditâ reſidentiâ Dioſcori aſſiduâ & exactâ, illum præconiis affecit, quod non hùc illùc per urbes divertendo diſcurrerat, necque calente ſole, ad æſtivandum in ruralibus ædibus ſe conferret, ſed quotidianè in proprio Epiſcopio permaneret; ergò Dioſcorus, ergò alii omnes Epiſcopi, non alibi per totam ſuam Diœceſim poſſunt licitè reſidere, ſed ex neceſſitate debent in Æde Epiſcopali morari. Ridicula eſſet, ac prorsùs erronea hujuſmodi argutatio, potiùs quàm argumentatio, quià à propoſitione affirmativâ, ut innuimus, ritè inferri non poteſt concluſio negativa: & quod tamquam de honeſtate præcipitur, non facit legem imprævaricabilitèr obſervandam. Itàque licèt Hormiſda juſtum eſſe cenſuerit, ideſt congruum, & laudè dignum, quod Eccleſiæ Alexandrinæ vacanti præficeretur Dioſcorus, eo quod Canones, & humana æquitas poſcit, ut beneficia eccleſiaſtica, ex honeſtate, & decentiâ, cæteris paribus, ſemper potiùs dentur nativis Clericis, quàm extraneis; non tamèn ideò infertur, quod Eccleſia Alexandrina ritè, & licitè non potuerit aliis, quàm Clericis indigenis conferri, prout de facto pluries, ac pluries fuit aliis extraneis Epiſcopis diſpenſata, ut Joanni Eleemoſynario (*a*), & Gregorio ejus Conſubrino Cypriis (*b*), Cyro, anteà Epiſcopo Lazitano (*c*), & aliis. Ex hiſtoriâ ergò Dioſcori junioris, deſiderantis beneficium Epiſcopis Epiſcopale Alexandrinum, & Hormiſdę illum ad hoc Cæſari commendantis, nullatenùs infertur debitum excludendi ab eccleſiaſticis beneficiis extraneos. Aliàs quià Dioſcorus fuit hereticus (*d*), ſequeretur, quod in tantum beneficia deberent ex juſtitiâ ſolis indigenis tradi; ut præferendi eſſent neceſſariò etiam Clerici Hæretici nativi, Catholicis extraneis, quod quis ſanæ mentis unquàm audeat affirmare?

(a) *Surius in Vit. S. Joan. Eleemoſ. die 23 Januar.*
(b) Card. Baron. an. 620. n. 11.
(c) *Idem Baron. an.* 630 n. 13.
(d) *Anaſtaſ.* Bibliot. *in Chronic. Baronius ann.* 516. n. 40.

4. Reſpondetur *ſecundò*, retorquendo argumentum: Nàm de facto Imperator deliberaverat Dioſcorum ipſum, & ſi ortu, & Clericatu Alexandrinum, Eccleſiæ Antiochenæ preficere, niſi Hormiſdę officia Cęſarem à propoſito divertiſſent, non arguentia Principem, quod nefarium conſilium promovendi Dioſcorum ad Antiochenas infulas ſuſcepiſſet; ſed illum ſuadens, quod honeſtiùs, ac laudabiliùs eſſet Dioſcorum ipſum, uti nativum Alexandriæ, in Alexandrinâ Sede potius, quàm alibi collocare. Indicat hoc Papa, Dioſcoro ſcribens: *Diſplicuit nobis, quod charitatem tuam Ampliſſimus Imperator Antiochenæ præponere nitebatur Eccleſiæ; meliùs enim in ſolo patriæ tanti accipies Sacerdotis dignitatem, ut Ægyptios populos doceas: quàm inter Syros norios, & incognitos homines, in aliâ Orbis parte progenitus errare videaris* (*e*). Quarè tàm Imperiali aulæ, quàm Imperatori, ac Epiſcopis, aliiſque viris eccleſiaſticis, atque laicis, qui hinc indè ad Palatium Cęſareum confluebant, & quorum conſilio Cæſar in rebus arduis, & preſertìm in deſignandis Epiſcopis, utebatur; ea proculdubio fuit perſuaſio, ut poſſet Clericus Alexandrinus Antiochenam Cathedram adipiſci (prout adeptus eſſet Dioſcorus, niſi animum Imperatoris ad aliud propoſitum officia Pontificalia pertraxiſſent) & conſequentèr quod poſſent beneficia eccleſiaſtica etiam viris extraneis diſpenſari. Alioquìn Imperator non ſè ſic ut ſupra geſſiſſet: Imperator, inquam, non Juſtinianus, uti adnotant Contradictores, qui non niſi duodennio poſt eſt ſertum Cæſareum aſſecutus, ſed Anaſtaſius, qui anno Chriſti 516. quandò obiit Joannes Machiota, & ſuffectus eſt illi Dioſcorus, imperabat (*f*), vixitque adhùc uſque ad diem 9. Julii anni 518. uti memorat Marcellinus (*g*).

(e) *Hormiſda Pap. epiſt.* 54.
(f) Card. Baron. an. 516. n. 40.
(g) *Marcellin. in Chron. ad ann.* 518.

5. Reſpondetur *tertiò* diſtinguendo antecedens, ſeù explicando verba Hormiſdæ; juſtum eſſe dicentis, ut Dioſcorus Alexandrinę Eccleſiæ preficeretur: juſtum reduplicativè, uti debitum juſtitiæ concernit, imprævaricabilitèr obſervandum, negatur antecedens: juſtum, ideſt congruum, & honeſtum conceditur antecedens: ergò &c. negatur conſequentia. Hormiſda, ut ex lecturâ textuali ejus epiſtolæ dignoſcitur, non eſt locutus abſolutè, ſed cęteris paribus, nec propoſuit invalidam, vel injuſtam futuram aſſumptionem Dioſcori ad Epiſcopium Antiochenum: ſed ſolum propoſuit melius eſſe, quod ipſe uti natione Africanus, Provin-

ciâ Ægyptius, Patriâ Alexandrinus, Alexandrinis præficeretur, quorum mores, & genium notum habebat, quam Antiochenis, Syris, & Aſiaticis, quorum natura, & inclinationes ei erant incompertæ, quibuſque ille novus erat, & illi ei: Quod autem cæteris paribus, & de congruo beneficia eccleſiaſtica ſint potius Clericis indigenis, quàm extraneis elargienda; jam toties in toto hujus operis decurſu affirmavimus, ut ſit ſuperfluum illud hìc denuò replicare. Aſt aliud eſt loqui cæteris paribus, aliud abſolutè; aliud eſt loqui ex debito, aliud ex honeſtate: unum non infert aliud: nec jura præſcribentia quidquam uti honeſtum, illud ſubſtrictæ obligationis debito ponunt. Aliaſvæ Clero, & Populo ſi cuncta quę in Sacris Canonibus, præſertim antiquioribus, præſcribuntur (proculdubiò non niſi ad honeſtatem, & congruentiam pertinentia) apprehenderentur ut ex debito adimplenda, & ſub pœnâ invaliditatis, vel reſpectivè culpæ lethalis: ecquis ſalvus eſſe poſſet?

6. Sed ne diſcedamus ab Eccleſiâ Alexandrinâ, & ab hiſtoriâ Dioſcori; Mos erat antiquiſſimus, atque inconcuſſus, quod Epiſcopus primarię illius Sedis, non niſi Alexandrię ordinaretur in Eccleſiâ Patriarchali, de quo in Concilio Chalcedonenſi Epiſcopi Ægyptii teſtati ſunt (*a*), & de illius prævaricatione in ſuperintruſione Gregorii Cappadocis, Divus Julius Pontifex anteà reclamavit (*b*): morem ipſum S. Hieronymus ſic deſcribit: *Alexandriæ, à Marco Evangeliſtâ uſque ad Heraclum, & Dionyſium Epiſcopos, presbyteri ſemper unum ex sè electum, in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant, quomodò ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de sè quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent* (*c*). Liberatus quoque morem illum commemorat ſub his verbis: *conſuetudo eſt Alexandrię, illum, qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus, capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo Beati Marci pallium, & tunc legitimè ſedere* (*d*). Et generalitèr Sacri Canones diſponunt, ut Epiſcopi in propriâ Eccleſiâ, cui deſponſantur, Conſecrationis munus accipiant, uti ex Concilio Aurelianenſi IV. (*e*), & aliis juribus prolixè ſuprà docuimus. Attamèn Dioſcorus præfatus non in Cathedrali Alexandrinâ, ſed in Patriarchali Conſtantinopolitanâ, conſecrationis munus obtinuit; propter quod etiam dum ad ſuum Epiſcopium ita conſecratus sè contulit, adverſus eum tumultus non exigui reſonarunt (*f*).

(a) *Card. Baron. an. 516. n. 40.*
(b) *Jul. Pap. I. epiſt. ad Orient. ap. S. Athanaſ. tom. 2. Apolog. 2.*
(c) *S. Hieronym. ep. 85. ad Evagrium.*
(d) *Liberat. Breviar. cap. 20.*
(e) *Concil. Aurel. 4. cap. 3.*
(f) *Card. Baron. an. 516 n. 40.*

7. Si de hujuſmodi ordinatione verba habuiſſet Hormiſda, antequàm res ſuccederet, proculdubiò aſſerviſſet, meliùs eſſe ordinationem Dioſcori fieri in Eccleſiâ Alexandrinâ, quàm in Urbe Conſtantinopolitanâ: Veruntamèn non ex inde quod Dioſcorus oppoſitum fecerit, ſacram unctionem in Baſilicâ Conſtantinopolitanâ ſuſcipiens, pronuntiandum eſt, quod ex doctrinâ Hormiſdæ ordinatio Dioſcori fuit illicita, quià licet vel Canones, vel mos vetuſtus, vim legis habens, expoſcerent, ut Epiſcopus Alexandrinus non niſi Alexandriæ in Cathedrali propriâ conſecraretur; tamèn hoc non pertinebat ad ſubſtantiam, ſed ſolum ad honeſtatem, & modum legitimæ provectionis: & ſivè obſervaretur, ſivè non; ſivè ibi, ſivè alibi fieret conſecratio; licita erat promotio. Ità ergò quamvis Hormiſda dixerit, quod melius erat, ſi Dioſcorus ad Epiſcopale beneficium in Eccleſiâ Alexandrinâ proveheretur, ubi erat nativus, quàm ad Antiochenum, ubi erat extraneus; non ſequitur, quod ſi oppoſitum factum eſſet, & valida, & licita non fuiſſet electio. Intèr paginas ergò Hormiſdę vireſcit libertas Eccleſię in admiſſione Extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia, nobiſque nedùm non officit, ſed imò potiùs proficit hiſtoricus eventus ipſius Hormiſdæ cum Dioſcoro memorato.

8. *Arguunt quintò* Contradictores ex facto Pelagii Papæ, qui ſcribit Eucarpo Epiſcopo Meſſanenſi, ut vacantem Eccleſiam Catinenſem Apoſtolicâ auctoritate adeat, atque viſitet, & electione novi Præſulis intimata, ibi faciat aliquem virum de Clero ipſius Eccleſiæ in Antiſtitem deputare: *Mox ergò dilectio tua*, inquit, *ad ſupradictam Catinenſem Eccleſiam pergat, & hominem de Clero, qui nec uxorem ha-*

habeat, nec filios, nec crimen aliquod Canonibus inimicum, eligi eum auxilio Dei compellat, atque ſuadeat (a). Qui Pontifex rursùs in epiſtolâ ad Cethegum permittit, ut in Epiſcopum Eccleſiæ Syracuſanæ præficiatur vir laicus, uxorem habens, ac filios, indigena tamèn, potiùs quam aliquis extraneus, vel aliundè vocatus: ait enim: *De Syracuſanæ urbis Antiſtite optaveramus in ipſo initio gloriæ veſtræ deſideriis obedire, niſi nos multiplex ratio ipſius non paucis temporibus ordinationem differre Sacerdotii coegiſſet, ob hoc quod, vel perſonæ qualitas (ſicut & vos meliùs noſtis) vel ſuperſtes uxor, aut filii, per quos Eccleſiaſtica ſolet periclitari ſubſtantia, noſtros animos diutiùs ab ejus ordinatione ſuſpenderent. Et quantum ad cautelam humanam pertinet, integro penè anno diſtulimus, opinantes quod in melius Syracuſanorum provenire poſſet electio. Sed quià in voluntatis ſuæ propoſito irrevocabilitèr perſtiterunt, & nullus eſt alius in eâdem repertus Eccleſiâ, niſi longioribus adhuc temporum differretur ſpatiis, ne paulò ampliùs inſanirent (ſicut filii noſtri magnifici viri Prætoris teſtificatione didicimus) intèr hujuſmodi ambiguitates illud conſultiùs judicavimus faciendum, ut congruâ providentiâ cauſam, proptèr quam Principalis conſtitutio habentem filios, & uxorem, ad Epiſcopatus ordinem promoveri prohibet, ſalvâ diſpoſitione Conſilii, muniremus. Quâ de rè ſummo ſtudio ab eodem Syracuſanæ Urbis Epiſcopo, priuſquam à nobis contingeret ordinari, hujuſmodi exegimus cautionem, per quam, & ſuam fateretur, quantula eſſet præſentis temporis habitâ rerum deſcriptione, ſubſtantiam, & nihil unquam per ſè, aut per filios, & uxorem, ſivè quamlibet propinquam, aut domeſticam, vel extraneam fortè perſonam, de rebus uſurparet Eccleſiæ: & univerſa ſui Epiſcopatus quæſita tempore, Eccleſiæ ſuæ dominio ſociares, nihil ultrà id quod modò deſcriptum eſt filiis ſuis, vel hæredibus relicturus* (b). Certè non defuiſſent, inquiunt Contradictores, in aliis Eccleſiis Clerici idonei, qui potuiſſent ad Syracuſanas infulas accerſiri; ſed quià fuiſſent extranei; noluit Pontifex eos admittere: potiuſque Laicum uxoratum in viduatæ Eccleſiæ Cathedrâ collocavit; undè hinc apertè probatur, Clericos extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos.

(a) *Cap. Caſtrenſis 17. diſt. 61.*

(b) *Cap. de Syracuſanæ 13. diſt. 28.*

9. Reſpondetur *primò* Argumentum vel nihil probare, vel quatenùs quidquam probet, retorqueri adversùs Contradictores. Nihil probat, quià involuit implicantiam Contradictionis: quandoquidèm Pelagius in primâ parte prohibet præfici Eccleſiæ Catinenſi virum laicum, habentem uxorem, & filios: & in ſecundâ permittit promoveri ad Eccleſiam Syracuſanam laicum conjugatum, uxorem adhuc, & filios habentem ſuperſtites, cui accommodè potuiſſet aſſeri cum Pſalmiſtâ, *uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus: filii tui, ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſę tuę* (c). Augetque vim reſponſionis obſervatio, quod dictatui Pelagii ad Cethegum, præmittitur indicatio eorum, quæ in ordinatione Catinenſis Epiſcopi deliberaverat obſervare, uti apud Anſelmum legitur (d). Admittere autem ad Epiſcopale munus laicum uxoratum, & laicum uxoratum ab Epiſcopatus munere repellere, opponuntur contradictoriè, ſivè implicant contradictionem: ergò argumentum nullatenùs probat intentum Contradictorum. Argumentum etenim, principiis inhęrens, implicantibus contradictionem, in bona Philoſophiâ nullum gradum ſolidæ probationis inducit, quippè non eſt major ratio cur ex duobus partibus ipſius, per diametrum intèr ſe oppoſitis, potiùs attendi prima debeat, quam ſecunda. Et ita quod modò cenſuerit Papa diſtinendum eſſe laicum a Cathedrâ Catinenſi, modò deliberaverit laicum eſſe ad Syracuſanas infulas admittendum, potiùs quam Clericum extraneum, non magis probat, Clericis extraneis eſſe deneganda eccleſiaſtica beneficia, quam viceverſâ eis eſſe liberalitèr concedenda.

(c) *Pſalm. 127. n. 3.*

(d) *Anſelm. Lucenſ. lib. 6. c. 142. al. 46.*

10. Retorquetur poſteà argumentum adversùs Contradictores, quia deſtruit Maximam illam validiſſimam, cui ipſi inhęrent, gloſſando *Capitulum ad decorem* 5. *de Inſtitutionibus*: Ibi enim dum Innocentius Papa III. præcipit Thomæ Maurocæno Patriarchę Conſtantinopolitano, ut nedùm Venetos, ſed etiam Gallos, Bel-

gas, & cujuſcumque alterius Nationis Clericos, modò literis, & moribus præſtantes, non omittat beneficiis eccleſiaſticis inſignire; interpretantur Contradictores juſſionem Pontificiam intantùm emanaſſe, quia deerant Conſtantinopoli Clerici indigenę beneficiorum capaces: cum enim, inquiunt, in defectum indigenarum, recurrendum eſſet ad extraneos; juſtum non erat, ut ſoli Veneti accerſerentur, ſed etiam ex aliis Nationibus, Gallis, Belgis &c. debebant ad præbendas beneficiales admitti: deſtruitur, inquam, hæc Maxima, ſivè Gloſſatio ex pręſenti hiſtoriâ ſimul, & Canonicâ Pelagii determinatione in cauſâ Eccleſiæ Syracuſanæ. Deficientibus enim Clericis Conſtantinopolitanis, non Veneti Clerici, non Belgę, non Galli, non ex aliis Chriſtianitatis Regnis aſſumpti debuiſſent præfici beneficiis, ſed Laici nativi, vel uxore deſtituti, vel etiam Conjuge non carentes, potiùs quam beneficia contrà ſuppoſitum Jus divinum, naturale, & humanum, ad Extraneos pervenirent. Nèc poteſt ſupponi defuiſſe in magnâ Urbe Conſtantinopolitanâ laicos, vel cælibes, vel conjugatos, moribus, doctrinâ, & religione, ad præbeudas ſacras idoneos; quippè paulò anteà Nicolaus Papa I. Photium laicum, Sedis Conſtantinopoleos invaſorem, juſtis objurgationibus pulſans, hoc individualitèr, ait adfuiſſe in Clero multos ſe magis idoneos, quibus non debebat ille pręferri: *Ne contemptis Clericis, quorum utpotè in magnâ Urbe, copioſa multitudo eſt, quique ab ipſis cunabulis, imprætermiſſo labore in Eccleſiâ Chriſti deſudant, & indeſinentia Domino exhibent ſervitutis obſequia: is qui de foris, principatum repente arripiat* (a).

(a) *Nicolaus Pap. I. epiſt. 7.*

11. Quod ſi in ſolo Clero Conſtantinopolitano non deerant Clerici, Cathedrę Epiſcopalis capaces, multò minus in toto immenſo populo vaſtiſſimæ illius Urbis, credibile eſt defuiſſe laicos, vel uxoratos, vel conjugem non habentes, qui poſſent Clericatu, & beneficiis eccleſiaſticis minoris ordinis inſigniri. Et quidèm Laici Conſtantinopolitani tùm ex hiſtoriâ, cùm ex Canone Pelagii, decernentis, ut potiùs vir uxoratus in Sede Syracuſanâ collocaretur, quàm Clericus aliorſum ad infulas advocatus; & legem, & praxim Eccleſiæ ſibi clarè faventes habuiſſent, ut eis privativè quoàd Extraneos deberent à Thomâ Patriarchâ beneficia ſacra conferri. Veruntamèn nec Thomas id agendum cenſuit, neque Innocentius id præcipiendum: ſed hoc ſolum juſſit, quod unà mixtìm ex omnibus Nationibus Clerici idonei admitterentur. Igitur ſi argumentum valet, deſtruit doctrinam Contradictorum, aſſerentium Clericis extraneis patere aditum ad beneficia, quandò deſunt Clerici indigenæ, & ità factum eſſe in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ, cum ſecundum quod in argumento proponitur, etiam ſi in Clero deſint idonei, non poſſunt Clerici extrinſecus accerſiri, ſed promovendi ad beneficia ſint laici, etiam uxore, & filiis conſtipati. Vel igitur argumentum, ut ab initio tetigimus, nihil probat, vel ſi quid probat, retorquetur adversùs Contradictores: & ſivè ex hinc, ſivè exindè ſumatur, nullatenùs probat Clericos extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos.

12. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm retorquendo argumentum, conſono ad præcedentem reſponſionem ratiocinio. Incumbunt Contradictores tamquàm haſtæ Achillis, ac velut inconcutibili fulcro, decreto Cæleſtini Papæ, præcipientis: *Nullus invitus detur Epiſcopus. Cleri plebis, & Ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur. Tunc autem alter de alterâ eligatur Eccleſiâ, ſi de Civitatis ipſius Clero, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri. Primùm enim illi reprobandi ſunt, ut aliqui de alienis Eccleſiis meritò præferantur &c.* (b). Hacque ſanctione freti, intèr Maximas fundamentales ſui aſſumpti hanc apponunt, quod Clericis extraneis ad beneficia patet acceſſus, non ſemper, ſed ſolummodò quoties in proprio Clero Eccleſiæ, in beneficium dandæ, nullus eſt ad illud idoneus. Hæc autem Maxima, prò tàm certâ, tàm forti, tamque inconcuſsâ à Contradictoribus jactitata, corruit ex hiſtoriâ, & placito Pelagii Papæ, admittentis, ut ex adverſo ſupponitur in defectum Clericorum

(b) *Cap. nullus 13. diſt. 61.*

indi-

indigenarum, non Clericos extraneos, ſed Laicos nativos, etiam uxoratos, & Patres. Hęc diſpoſitio ergò Pelagii deſtruit alteram Cœleſtini, deſtruit & illam S. Gregorii in epiſtolâ ad Venantium Patricium Panormitanum; ubi ait: *Si in illâ Eccleſiâ, neque de Presbyteris, vel Diaconis, neque de reliquo Clero hujuſmodi inveniri poteſt; de aliâ ſibi Eccleſiâ talem ordinandum eligere feſtinent Antiſtitem, qui vigilanti ſollicitudine in exterioribus eorum utilitatibus, & Sacerdotali adhortatione animabus valeat, Deo miſerante, utilis reperiri* (a). Deſtruit demùm & alīas, decreto Cœleſtini conſentaneas, per quas vel Papæ, vel Cæſares, aut Reges, modò Eccleſiis Cathedralibus, modò Monaſterialibus, modò aliis, hoc ſpeciale impertiti ſunt indultum, ut deficientibus in earum gremio Clericis idoneis, aliundè alienus Clericus adſciſcatur, cum Pelagius ſanciat oppoſitum, nempè quod in defectum Clericorum indigenarum, non Clerici extranei, ſed laici nativi, etiam uxorati promoveantur. Si decreti ergò, & hiſtorię Pelagii habenda eſt ratio, de promotione Epiſcopi Syracuſani tractantis, Contradictores cernuntur tàm arctis vinculis, & tàm tenacibus laqueis sè implicare, ut cogantur vel hic negare, quæ alibi conceſſerunt, vel hiſtoriæ Pelagii renuntiare, nè dexterâ manu deſtruant ædificium, quod conſtruunt cum ſiniſtrâ.

13. Reſpondetur *tertiò*, negando ſuppoſitum, nempè, quod vir ille uxoratus, à Cethego Pontifici Pelagio propoſitus, ideò fuerit Eccleſiæ Syracuſanæ præfectus, quià ibi nullus adeſſet Clericus, ad Epiſcopale munus idoneus, & ne adſciſceretur extraneus: non enim hæc fuit cauſa promotionis viri illius conjugati; ſed cauſa fuere diſſidia Syracuſanorum, talitèr hinc indè diviſa, *ut quærentibus cunctis, quæ ſua erant, non quæ Jeſu Chriſti* (b), in nullum Clericum Diœceſanum voluerint concorditèr convenire, adeò *immoderata*, inquit S. Hilarius, *eſt omnis ſuſceptarum voluntatum pertinacia, & indeflexo motu adverſandi ſtudium perſiſtit* (c). In ſuis, inquam, diſſidiis, tàm pertinacitèr, ac tàm inflexibilitèr Syracuſani sè obduruerant, ut potiùs permiſerint eorum ſedem, jam per totùm annum in ſuâ viduitate lugere, quam ipſi in unum de eorum Clero, aliquandò tandem ſuffragia junctim conferere. Jàm devoluta erat electio ad ſuperiorem, & Syracuſanorum contumacia ab eligendi jure deciderat, vi Canonum antiquorum, de quibus S. Gregorius in epiſtolâ ad Marinianum Epiſcopum Ravennatem: *Ultrà tres menſes Eccleſiam vacare Pontifice, ſtatuta ſacrorum canonum non permittunt: ne cadente Paſtore, Dominicum gregem antiquus, quod abſit, hoſtis inſidiando dilaniet* (d). Concilium quippè generale Chalcedonenſe dudùm ante præſcripſerat: *placuit Sanctæ ſynodo intrà tres menſes fieri ordinationes Epiſcoporum, niſi fortè inexcuſabilis neceſſitas coegerit ordinationis tempus ampliùs protelari* (e). Cui conſonant alii Canones, pluries ab Eccleſiâ ſuper hac eâdem rè ſanciti (*f*).

14. Non obſtante tamen præfatâ devolutione, adhùc Pelagius prolixiùs tempus Syracuſanis indulſit, trimeſtre tranſcendens, ut ex ejus textu rutilat, ſic loquente: *quantum ad cautelam humanam pertinet, integro penè anno diſtulimus, opinantes, quod in melius Syracuſanorum provenire poſſet electio. Sed quià in voluntatis ſuæ propoſito irrevocabilitèr perſtiterunt, & nullus eſt alius in eâdem repertus Eccleſiâ, niſi longioribus adhùc temporum differretur ſpatiis &c.* (g). Adfuiſſent ergò, & aderant in Eccleſiâ Syracuſanâ Clerici, ad Epiſcopatum idonei, ſi Clerus, & Populus ad eorum electionem ſuffragia congruè conjunxiſſent, vel ſi adhùc diutiùs procraſtinata fuiſſet electio, donec Vocalium vota in unum aliquem conſenſiſſent: Sed quià ſpes aberat coagulandi animos corrixantium, & datâ unâ dilatione, juſtum non erat, ut res diutiùs tardaretur; inſiſtente quoque aliundè Cethego, ut virum à sè commendatum Pontifex benigno proſequeretur favore; Pelagius meliorem non habens, neque indigenam, neque extraneum, illam ſacris tæniis redimivit. Et idcircò vir ille uxoratus, qui inter diſſidia Syracuſana infulatus tandem emerſit; non propterea electus eſt, quià deeſſet in Clero idoneus, & ne aliundè accerſeretur extraneus, ſed ne ulterius differretur vacatio ſedis, jam

eòuſ-

(a) *S Gregorius l.11 epiſtol.14.*

(b) *Philippenſ. cap 2 num 21.*

(c) *S. Hilarius Pictavienſ. l.10. de Trinit.*

(d) *S. Gregorius l.6 epiſt 19.*

(e) *Conc. Chalcedon. cap. 24.*

(f) *Cap poſtquam 11 diſt. 50. c. obeuntibus 35. diſt. 63. c. ne pro defect. de elect. S. Gregor. lib. 2 epiſt. 3. & 35.*

(g) *Cap. de Syracuſanæ 13. diſt. 28.*

eòuſque nimiùm protracta: & ne Syracuſani de eorum contumaci diſſenſione gauderent. Vel ſi breviùs cauſam inquirimus, ob quam vir ille uxoratus eſt in Syracuſanâ Cathedrâ collocatus, repetatur ex textu Pelagii, qui hanc uti cauſalem talis facti prodit rationem; *nè Syracuſani paulò ampliùs inſanirent* (*a*). Inſania ergò Syracuſanorum, non defectus Clericorum idoneorum, neque debitum repellendi extraneos, dedit cauſam prælectioni Uxorati. Undenàm autem Contradictores didicerunt, quemquam ſapientèr, atque prudenter poſſe ex inſaniâ hominum, argumentum, favens ſuo propoſito, poſtulare?

15. Reſpondetur *quartò*, iterùm negando aliud ſuppoſitum, nempè quod vir ille uxoratus, de quo eſt ſermo, fuerit Syracuſanus, & indigna: nullum etenim hujus rei veſtigium in Pelagii epiſtolâ reperitur. Probandum eſt ergò, non ſupponendum, quod idem eſſet indigena, & poſteà utendum eſt ejus eventu adverſus extraneos; alioquin donec, & quouſque ſufficientèr fuerit probatum, quod præfatus Uxoratus eſſet indigena, argumentum in illius hiſtoriâ fundatum, nullius eſt ponderis, ac momenti. Nec videatur improprium, ſi credatur virum illum uxoratum Syracuſanis datum Pontificem, fuiſſe ſimul laicum, & extraneum, quippè & alia non deſunt exempla extraneorum in laicali ſtatu exiſtentium, & uxores adhùc habentium, qui fuerunt ad Epiſcopalem ordinem ſublimati: Nàm S. Gregorius Helenopolitanus, frater S. Baſilii Magni adhùc laicus, & uxorem habens nomine Theoſebiam, factus eſt Epiſcopus Nyſſenorum (*b*) S. Sidonius Apollinaris Lugdunenſis, adhùc laicus Arvernenſes infulas eſt adeptus, uxorem habens, nomine Papianillam (*c*). S. Syneſius Cyrenenſis adhuc laicus, atque uxore ſuperſtite, ſimulque clamans, sè nolle vitam cælibem obſervare, Ptolemaidenſis urbis Epiſcopale beneficium eſt adeptus (*d*). Et quod mirum eſt hi nedum laici, & uxorati, atque extranei, ſed etiam inviti ad Epiſcopale faſtigium ſunt provecti. Syneſius præſertim nihil improteſtatum, nihil intentatum reliquit, ut sè tantæ dignitati ſubtraheret: nec ut eam ſuſciperet, tandèm acquievit, niſi victus auctoritate Theophili Alexandrini, ad cujus nutus cenſuit sè debere Divinæ voluntati parere. *Si poſteà quam iſta manifeſta fuerint*, inquit, *quę celari minimè volo, in Epiſcoporum numero nos aſcribae, cui ejus poteſtas à Deo commiſſa eſt, cedam neceſſitati, ac tamquàm divinitùs oblatam teſſeram accipiam* (*e*).

16. Sed vincit omnia exempla decore, illud, quod de S. Joanne Cyprio, vulgò Eleemoſynario, refert Leontius, Neapolis in Cyprio Antiſtes, ſynchronus, ac ejus vitę perſcriptor (*f*). Joannes in inſulâ Cypri natus, Epiphanii filius, ejuſdem loci Præfecti, dum adhuc laicus eſſet, ac piæ uxori legitimè copulatus, ab Alexandrinis, invitus, & reluctans, nec niſi Heraclii Imperatoris præceptioni deferens, in Præſulem magnæ illis Patriarchalis Cathadrę eſt aſſumptus: *Hoc erat admirabilius*, ait Leontius, *Sanctiſſimi hujuſce Patriarchæ, quoniam nec Monarchicam vitam ducens, neque in Clero moratus in Eccleſiâ, ſed & fœminæ legitimè dudum conjunctus, ità tenuit vigorem Eccleſię, ab ipſo initio, quo Patriarcha conſecratus eſt: & in talem ſublimatem exaltatus eſt, ut multos Eremitarum, & in arctâ vitâ degentium ſuperaret* (*g*). Nèc novum ergò, nec inſolitum erat antè, & poſt tempora Pelagii Papæ, quod laici uxorati, & extranei, Epiſcopia perciperent, ubi juſtis electorum vocibus vocabantur. Et ſicuti Nicetâ Patricio inſiſtente, apud Heraclium Imperatorem, Joannes Cyprius laicus, uxoratus, & extraneus Alexandrinis datus eſt Antiſtes (*h*); ità & Cethego Patricio interveniente apud Pelagium Papam, Syracuſanis in Præſulem datus eſt pręfatus laicus, & uxoratus, quem extraneum fuiſſe remur, ac tamquàm talem eum ſaltèm probabilitèr reputamus, donec illum Contradictores indigenam fuiſſe demonſtrent. Quarè ſi uxoratus ipſe non erat indigena, ſed extraneus; jam argumentum Contradictorum falſo ſuppoſito laborat, & nedùm non illorum probat intentum, ſed imò potiùs totum probat oppoſitum.

17. Reſpondetur *quintò*, denuò retorquendo argumentum ex alio capite, nempè vi pręcedentis reſponſionis. Etenim leges, tùm canonicæ, tùm civiles viros

(a) D. cap. de Syracuſanæ diſt. 28.

(b) Nicephor. hiſtor. lib. 11. c. 9. S. Gregorius Nyſſenus lib. de Virg.

(c) Card. Baron. ann. 472. n. 12.

(d) S. Syneſius epiſt. 105.

(e) Idem S. Syneſius loco citat.

(f) Card. Baron. an. 610. n. 7.

(g) Leontius vit. S. Joan. Eleemoſ. c. 43.

(h) Cardin. Baron. loco cit.

viros uxoratus ab ordinis Epiſcopalis conſecutione repellunt. Canonicam exhibet Pelagius in textu nobis objecto, decernens: *dilectio tua ad Catinenſem Eccleſiam pergat, & hominem de Clero, qui nec uxorem habeat, nec filios &c. eligi eum auxilio Dei compellat* (a). Civilem, habemus in Novellis Juſtiniani Imperatoris, talitèr præcipientis: *Duabus noſtris ſacris conſtitutionibus hoc ſancitum eſt, per quas dudùm cohærentes uxoribus, non perſerutamur, omne præteritum relinquentes: de cæterò autèm nulli permittentes à poſitione legis uxorem habenti, talem imponi ordinationem, quam legem etiam nunc renovamus &c.* (b). & alibi: *Sancimus, quoties opus fuerit Epiſcopum ordinari, Clericos, & Primates Civitatis &c. in tribus perſonis decreta facere &c. dicentes in ipſis decretis, quià neque propter aliquam donationem, neque propter aliquam promiſſionem, aut amicitiam, aut aliam quamlibet cauſam, ſed ſcientes eos rectæ, & Catholicæ fidei, & honeſtæ eſſe vitę, & literas noſſe, hos elegerunt, & quià neque uxorem, neque filios alibi eorum habent &c.* (c). Ideò D. Gregorius Joannem, à Neapolitanis electum, ad eorum Epiſcopium noluit approbare, ipſis reſcribens: *Joannem &c. parvulam habere filiam, ex quorundam relatione cognovimus. Undè ſi rationem voluiſſent attendere, nèc alii eum eligere; nec ipſe debuerat conſentire. Nàm quâ præſumptione ad Epiſcopatum audet accedere, qui adhùc longam corporis ſui continentiam, filiolâ teſte, convincitur non habere* (d)?

18. Veruntamèn aliquandò Eccleſia viros uxoratos ad Epiſcopatum cenſuit admittendos; & ità, prætèr mox recenſitos, Cyrus Smirnenſis habuit uxorem, & filias, à quibus Daniel Stylita Spiritus immundos ejecit (e). Antoninus Epheſinus habuit uxorem, & filios, quem Euſebius Valentinopolitanus accuſavit, quod poſt Epiſcopatum acceptum conjugalibus amplexibus indulſiſſet (f). Philogonius Antiochenus, uxorem habuit, atque filiam, pro quo defuncto S. Joannes Chryſoſtomus in die ſui Natalis, Concione celebri peroravit (g). Paulinus Nolanus uxorem habuit, nomine Theraſiam, quam Auſonius ſuam Tanaquil appellabat (h): Severus Ravennas uxorem habuit, nomine Vincentiam (i): Namatius Viennenſis uxorem habuit, nomine Euphraſiam (l): Uxorem tandem habuerunt Gregorius Nazianzenus Senior (m): Hilarius Pictavienſis (n): Pacianus Barcinonenſis (o); Pelagius Laodicenus (p); Leontius Burdigalenſis (q): Farus Meldenſis (r): Principius Sveſſionenſis (s): Eucherius Lugdunenſis (t): Lupus Trecenſis (u), & alii, quorum prolixiorem catalogum longum nimis eſſet afferre. Unus ſufficiat pro cunctis Petrus Princeps Apoſtolorum, cui uxorem adfuiſſe docet inter alios Patres S. Juſtinus de illo ſcribens: *non detrabo Beatis, qui nuptiis copulati fuerunt: opto enim Deo dignus ad veſtigia eorum in Regno ipſius inveniri, ſicut Petrus, & reliqui Apoſtoli, qui nuptiis fuerunt ſociati* (x). Eam alii Concordiam nominant, alii Mariam, alii Perpetuam (y). Utcumque ſit, Petrus uxorem habuit, nedùm antè Pontificatum, ſed etiam Pontificali munere jam ſuſcepto: martyrio enim coronatam fuiſſe ſub ipſis Conſortis oculis, refert Clemens Alexandrinus, dicens: *Ajunt certè B. Petrum, cum videret uxorem ſuam duci ad mortem, lætatum quidèm eſſe propter vocationem, & quod domum reverteretur* (ideſt ad Cœlos) *valdè autèm exhortando, & conſolando proprio nomine eam compellantem dixiſſe. Heus tu memento Domini* (z). Sed quid his immorari, ſi textus Evangelicus memorans Socrum Simonis, evidentèr docet huic fuiſſe uxorem è Socru ipſâ progenitam (aa).

19. Et quidèm ad Sacerdotium promoti olim non cogebantur uxores domo dimittere, ſi habebant (bb), ut ex praxi ferè omnium præfatorum Præſulum patet, ſed ſolum ab operibus conjugalibus ſerias agere tenebantur. *Lex continentiæ*, inquit S. Leo ad Ruſticum Narbonenſem, *eadem eſt miniſtris Altaris, quæ Epiſcopis, atque Presbyteris. Qui cum eſſent laici, ſive Lectores, licitè & uxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenirent gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Undè ut de carnali fiat ſpirituale conjugium, oportet eos*

nec

(a) *Cap. Catinenſis 17. diſt. 61.*

(b) *Authent. maxima Collat. 1. tit. 6. quomodo oporteat &c.*

(c) *Authent. De gubernatione collat. 9. tit. 15. de Sanctiſſim. Epiſc.*

(d) *S. Gregor. lib. 8. epiſt. 40.*

(e) *Act. S. Daniel Stylit. apud Metaphraſt. die 11. Decembr.*

(f) *Pallad. in vit. S. Jo: Chryſoſt.*

(g) *S. Jo: Chryſoſt. orat. de B. Philogon.*

(h) *S. Ambroſ. ep. 36 Auſonius epiſt 23.*

(i) *S. Petr. Damian. ſerm 1. de S. Severo.*

(l) *Baron. ann. 585. num. 12.*

(m) *Ex vit. S. Greg. Nazianz ejus filii.*

(n) *Breviar. Roman. die 13 Januarii.*

(o) *Baron. ann. 388. num 97.*

(p) *Theodoretus hiſt. l. 4. cap. 12.*

(q) *Venant. Fortunat. de glor. Martyr. c. 65.*

(r) *Vit. S. Fari Surium die 28 Octobr.*

(s) *Card. Baron. an. 507. n. 23.*

(t) *Gennadius cap. 6 Baron. an. 441 n. 11.*

(u) *Vit. S. Lupi Trecenſ. ap. Surium die 24 Julii.*

(x) *S. Juſtius epiſt. ad Philadelph.*

(y) *Martyrol. Mediolan die 4. Novembr.*

(z) *B. Clem. Alexand. Stromat. l. 7.*

(aa) *Lucæ c. 4. n. 38.*

(bb) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 1. l. 2. c. 64. n. 6.*

nec dimittere uxores, & quaſi non habeant ſic habere, quo & ſalva ſit charitas conjugiorum, & ceſſent opera nuptiarum (*a*). Alludunt ad hęc, Concilia Taurinas (*b*), Carthaginenſe V. (*c*), Turonenſe I. (*d*), Arauſicanum (*e*), & alia. Hinc Simplicius Auguſtodunenſis, nedùm uxorem domi retinuit, ſed & cum eâ etiam in communi ſtrato celebs dormivit; cujus caſtitatis ortâ ſuſpicione, an eſſet intactâ, Simplicius, perlatis in veſte illeſâ prunis ardentibus, continentiam ſuam miraculo comprobavit (*f*). Sed quià res erat plena diſcriminis, Sacerdotem uxoratum cum conjuge propinquiùs commorati; ſancitum fuit in Concilio Agathenſi, ut ſubſequitur: *Si conjugati juvenes conſenſerint ordinari, etiam uxorum voluntas ità requirenda eſt, ut ſequeſtrato manſionis cubiculo, religione præmiſſâ, poſteaquàm converſi fuerint, ordinentur* (*g*). Quæ adhùc cautio aliquandò periculum non amovit. Nàm Genebaldus Laudunenſis, uxorem ſępiùs inviſens, ex eâ filium ſuſcepit (*h*); Et alii etiam conſimilis peccati ſe aliquandò laqueis implicarunt. Quapropter nùnc temporis nullus conjugatus Epiſcopali decoraretur honore, niſi ejus uxor, tametſi ætate provectâ, nec de incontinentiâ ſuſpectâ caſtitatem in Religione profiteretur (*i*). Igitùr ſi nòn obſtante reluctantiâ, quam habent ſacra jura in admittendis viris conjugatis ad infulas Epiſcopales, tamèn contrarium pluriès factum eſt, & licita fuit eorum promotio, ut exemplis pręallegatis apparet, & factum Pelagii Papæ docet, in argumento nobis oppoſito; ità & licèt jura eccleſiaſtica gratum habeant, ut beneficia indigenis potiuſquàm extraneis conferantur, non ſequitur, quod & extraneis data, non ſint rectè, ac ritè conceſſa. Rurſus, ſi non obſtante alienatione Eccleſię à viris uxoratis, ne beneficia eccleſiaſtica conſequantur; adhùc Pelagius beneficium Epiſcopale Syracuſanę Eccleſiæ viro uxorato, & filios habenti, ac patriâ, ut videtur, eo modo, quo dictum eſt extraneo, ad Cethegi inſtantiam, eſt largitus; oſtendit, nedùm viros uxoratos indigenas, ſed etiam extraneos potuiſſe, & poſſe acceſſum habere ad eccleſiaſtica beneficia.

20. Reſpondetur *ſextò*, Pelagium Papam in propoſitis literis nihil decreviſſe, tamquàm generalitèr, & abſolutâ lege obſervandum, ſed ſolum provuiſionalitèr, & juxtà illius loci, ac temporis circumſtantias, ità tunc expedire judicaſſe, quatenùs diſſidentibus pertinaciſſimè Syracuſanis, nec in unum aliquem volentibus conſentire, jamque ferè per annum ruente ſemper in pejus eorundem diſcordiâ, *intèr hujuſmodi ambiguitates*, inquit Papa, *illud conſultiùs judicavimus faciendum, ut congruâ providentiâ cauſam, propter quam Principalis conſtitutio habentem filios, & uxorem ad Epiſcopatus ordinem promoveri prohibet &c. muniremus &c.* (*l*). Patet ergò, quod Pontifex non ſecundum rigorem juris, ſed juxtà ſolam humanam prudentiam, Divino lumine, uti credendum eſt, regulatam, proceſſit, dùm virum illum uxoratum promovit, cui fortè nulla pars Syracuſanorum, obſiſtebat, vel cui uti extraneo, non habebant quid opponerent. Ideòque per hoc non generalem legem edidit, neceſſariò à cunctis, & ubilibet univerſalitèr obſervandam, quaſi non potuiſſet Pelagius alium Clericum extrà diœceſim Syracuſanam adſciſcere, & in illâ Cathedrâ collocare; ſed ità egit, quià prudentialitèr eo modo ſic cenſuit tunc agendum; condeſcendendo, ac pro illo particulari caſu, atque juxtà circumſtantias illius temporis, à rigore juris cogitans recedendum, & conſultiùs eſſe, ſi vir ille uxoratus, laicus, & filios habens, ad Epiſcopale munus proveheretur, quam ſi inſanientibus Syracuſanis, adhùc eis agendi pejora uberius ſpatium præberetur.

21. Expedientia ſunt hæc, vel à prudentiâ humanâ, vel à Cœleſti illuminatione ſuggeſta, perſonis, locis, ac temporibus opportuna, quæ legem non faciunt, nec ſtatum definiunt, neque debitum generalis obſervationis involvunt, ſed ſalvâ univerſalitate legum, prò illo tantùm caſu particulari diſponunt: eo modo, quo diſſidentibus Comanis, nec in electione novi Antiſtites convenientibus; D. Gregorius Thaumaturgus, ab eiſdem Compromiſſarius delectus, ut ipſis futurum Prçſulem deſignaret; hìc rebus perpenſis, partium contentione notatâ, cunctiſque rerum circumſtantiis ritè, ac rectè penſatis, tandèm Alexandrum Car-

(a) S. Leo Papa I. epiſt. 92. cap. 3.
(b) Conc. Taurinenſ. an. 397. c. 7.
(c) Conc. Carthag. 5. cap. 3.
(d) Conc. Turonenſ. 1 an. 482. c. 1. 2. 3.
(e) Conc. Arauſican. an. 441. n. 22. 23. 24.
(f) S. Gregor. Turon. de glor. Confeſ. c. 76.
(g) Concilium Agathenſe c. 16.
(h) Hincm. Remenſ. in vit. S. Remig. c. 41. 42.
(i) Cap. ſanè de converſ. conjug. Azor. inſt. moral p. 1. lib. 13. c. 13. qu. 7. Sanchez. de Matrim. l. 7. diſp. 41. nu. 7. Barboſ. de offic. Epiſc. p. 2. titul. Gloſ. 4. n. 5.
(l) Cap. de Syracuſanæ 13. diſt. 28.

Digitized by Google

Carbonarium in Comanenſium ſede locavit (*a*) : non quod de jure dandæ ſint ubilibet Carbonariis infulæ Epiſcopales, ſed quod prò illo tempore, & caſu, Sanctus Gregorius judicavit prudentialitèr expedire, quod vir ille Carbonarius, nulli parti concertantium Comanorum ingratus, ad Epiſcopatum proveheretur, futurus egregius Paſtor, etſi ex artificio vili deſumptus: quemadmodùm & Severus Ravennas ex abjecto Laniſtæ exercitio (*b*), & Spiridion Tremithuntenſis ex deſpecto Opilionis officio (*c*), & Eligius Noviomenſis ex humili Aurificis miniſterio (*d*), ad Epiſcopalem celſitudinem aſcenderunt, & virtutibus, doctrinâ, ſanctitate, atque miraculis claruerunt. Hujuſce generis fuit factum Pelagii Papæ in promotione Viri illius uxorati ad Præſulatum Syracuſanum: quod uti exorbitans à jure, ac extrà communem ordinem perpetratum, non probat quid ſit de jure faciendum, nec proindè in conſequentiam trahi poteſt ad excluſionem extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis: quod etenim à S. Patribus factum eſt ex œconomiæ, diſpenſationiſque ratione, propter aliquod utile peculiare, non eſt ad exemplum trahendum, inquit, Balſamon (*e*). Aggregando ergò in unum ſex reſponſiones hìc ſucceſſivè allegatas, eniteſcit quod Argumentum ex hiſtoriâ Pelagii Papæ nobis objectum, vel tamquàm falſis ſuppoſitis laborans, vel uti deſtruens præcipua Contradictorum Synthemata, nedùm cauſæ noſtræ non officit, ſed imò potius proficit, ut ſub ejus oculis inconcuſſa ſubſiſtit libertas Eccleſiæ admittendi etiam Clericis extraneis ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *S. Gregor. Nyſſen. Orat. de S. Gregor. Thaumaturg.*

(b) *S. Petrus Damian Serm. 1. de S. Severo.*

(c) Ruffin. *hiſt. lib.* 1, *cap.* 5.

(d) *S. Audoen Rotomag. in vit. S. Eligii, apud Surium die* 1. *Decembr.*

(e) *Balſamon in epiſtol. Concil. Epheſ. fol.* 322. *D.*

22. *Arguunt ſextò* Contradictores ex hiſtoriâ contentionis, quę invaluit inter Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem ex unâ, & Ludovicum, atque Carlomannum Francorum Reges ex aliâ, propter electionem futuri Epiſcopi Tornacenſis. Inſtabant Reges, ſeù eorum, ut impuberum nomine, Hugo Abbas, Regni director, ad Regiam poteſtatem pertinere jus Epiſcopum, ſivè ex aulâ, ſivè aliundè illi Eccleſiæ præficiendi. Obſiſtebat è contrà Hincmarus Metropolitanus altè declamans, quod electio Præſulis fieri deberet ab illâ Eccleſiâ juxtà Sacros Canones electionem canonicam præſcribentes: & ut electio canonica ibi fieret nullis non viribus eſt conatus, admonens Reges ne electioni futuri Antiſtitis sè immiſcerent, ſed diſtinctione ſervatâ inter Regale, & Sacerdotale officium, ipſi politica, & Regalia obirent, ſacra verò, & ſacerdotalia ſinerent viris eccleſiaſticis dirigenda: Inculcans adhuc, ſe hac expreſsâ conditione, ipſorum provectioni ad Regnum præſtitiſſe conſenſum : *oſtendens*, inquit Flodoardus, *qualitèr in electione eorum conſenſerit, quandò electi ſunt ad Regni Principatum, & quæ eis prò hac electione mandata perceperit, & quale ſit miniſterium Regale, & quale Pontificale: & qualis eligendus, vel ordinandus ſit Epiſcopus: & qualis, vel qualitèr non debeat ordinari, & ut divinas auctoritates addiſcere curent* (*f*). Et infrà: *adjungens Sacrorum Canonum promulgatas, ſuper electione canonicâ auctoritates, & oſtendens, quod non Epiſcopi de Palatio præcipiantur eligi, ſed de propriâ qualibet Eccleſiâ, & quod de ordinando Epiſcopo non Regis, vel Palatinorum debet eſſe commendatio, ſed Cleri, & Plebis electio, & Metropolitani in electione dijudicatio, deindè terreni Principis conſenſio, & ſic fieri Epiſcoporum manus impoſitio* (*g*). Si igitùr *de propriâ qualibet Eccleſiâ* eligendos eſſe Epiſcopos, & non aliorſum adſciſcendos eſſe, tanto fremitu, & tàm infracto animo contendit adversùs Francorum Reges Hincmarus Remenſis, benè infertur ex hoc, quod ad beneficia Epiſcopalia (& idem eſt de inferioribus) non extranei poſſunt, & debent, ſed ſoli indigenæ promoveri.

(f) *Flodoard. hiſtor. lib* 3. *c.* 19.

(g) *Idem Flodoard. lib.* 3. *c.* 24.

23. Reſpondetur *primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod Hincmarus in illâ contentione cum Ludovico, & Carlomanno in Galliâ regnantibus, inſteterit prò electione indigenarum, tamquàm ex neceſſitate faciendâ, cum excluſione extraneorum. Hoc enim Hincmarus nunquàm ſomniavit, nedùm non promovit, ne alios increpando redargueret ſemetipſum propter ea, quæ de illo ſuperiùs ſunt relata (*h*). Sed tota ejus ſollicitudo fuit prò libertate eccleſiaſticæ electionis, ut ſcilicèt Epiſcopi ſuę Provinciæ non alio modo promoverentur, quàm per viam

(h) *Vid. ſupr. to.* 1. *ſæcul.* 9. *c.* 23. *an.* 22.

electionis canonicæ tunc vigentis. Dudùm ſiquidèm invaſerat Gallias peſſimus uſus, ut licèt per totam Eccleſiam in viridi obſervantiâ conſiſteret forma electionis canonicę prò Abbatum, atque Antiſtitum provectione; in locis tamèn Gallicæ Coronæ ſubjectis, Reges ex tranſversò, quem vellent, introducerent, & prò ſuo libito, undecumque ſuſceptos Eccleſiis præficerent Sacerdotes. Adversùs graviſſimum hoc vulnus eccleſiaſticæ diſciplinæ, ad clamorem Clericorum, Populorum, atque Antiſtitum, Carolus Magnus, ſivè mavis Ludovicus Pius ejus filius Antidotum hujuſmodi ſanctionis oppoſuit: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine Sancta Eccleſia, ſuo liberiùs potiretur honore, aſſenſum ordini eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicèt Epiſcopi, per electionem Cleri, & Populi, ſecundùm ſtatuta Canonum, de propriâ Diœceſi, remotâ perſonarum, & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo, & verbis, ſibi ſubjectis uſquequaquè prodeſſe valeant* (a). Sed quià ſenſim ſinè ſenſu cœpit ſub ſequentibus Principibus vigor hujuſmodi ſanctionis tepeſcere; oportuit ut ſæpè ſæpiùs Antiſtites majoris nominis, ad tuendam Eccleſiæ libertatem, ſuam exererent fortitudinem.

(a) *Cap. Sacrorum 34. diſt 63.*

24. Profectò ſub Rege Ludovico res eò deducta erat, ut Epiſcopatus, & Abbatiæ veluti ſtipendiariè, ac indiſtinctè Clericis, & laicis, prò Regis libito traderentur; omiſſiſque aliis hoc apprimè comprobantibus: narrant Annales Francici incerti Auctoris apud Pithæum, quod correpto paralyſi Carlomanno in Bajoariâ, Ludovicus illum inviſit: *Carlomannus autem tandèm Ludovicum ad ſè accerſivit, & quoniàm loqui non poterat, ei ſeipſum, & uxorem, & filium, univerſumq; Regnum ſcripto commendavit. Cui Rex Epiſcopatus, & Abbatias, & Comitatus ad ſervitium delegavit, & diſpoſita prout voluit, regione, rediit in Franciam* (b). Et alibi: *Rex poſt Paſcha in Galliam profectus, Hugonem, Lotharii ex Vvaldradâ filium, ad ſè venientem in ſuum ſuſcepit dominium, & ei Abbatias, & Comitatus in beneficium dedit, ut ei fidem ſervaret* (c). Ità Epiſcopatus, & Abbatiæ, non niſi Clericis benemerentibus conferendæ, & prò voluntate Principis etiam in laicos diſpergebantur, calcato jure canonicæ electionis, & prorsùs avulſo Cleri, & Populi aſſenſu, quem in electione proprii Antiſtitis, uſque tunc potuerant exhibere. Cum ergò jam deformis hæc Sacrorum Canonum prævaricatio Eccleſiæ Tornacenſi, nupèr viduatæ, imminerent, ac ex aulâ Regali deſignaretur Præſul, illùc prò capeſſendis infulis tranſmittendus; Hincmarus Remenſis, uti Metropolitanus, conatum Regium prævenit, & Epiſcopum Eccleſiæ Tornacenſi per viam canonicæ electionis præfici procuravit: declamans, ut in argumento, adversùs Regiam poteſtatem, contraria intentantem: *& prò eâdem rè*, inquit Flodoardus, *ſacris demonſtrans auctoritatibus, quàm graviter in Deum peccarent, quià ordinationem illam tandiù differre facerent* (d).

(b) *Annal. Franc. ap. Pithæum an. 879.*

(c) *Annales præfati ann. 881.*

25. Intrepidè ergò Hincmarus Regiis conatibus murum sè oppoſui prò domo Iſrael, in id unum inſiſtens, ut Eccleſię Dei Canonica ſineretur libertas, præficiendi ſibi per viam electionis Antiſtitem; rationemque reddere adactus ſuorum in hoc negotio geſtorum, impavidè ſuam cauſam dixit, ac prætèr Sacrorum Canonum auctoritatem, prò ſe perorantem, duo allegavit, primò Regum præcedentium conſuetudinem; ſecundò praxim, à sè prò tempore, quo Eccleſię Remenſi præerat, obſervatam. Et quoàd primum monuit Reges, ait Flodoardus, *quatenùs voluntatem Dei, & Anteceſſorum ſuorum conſuetudinem in hac cauſâ conſervarent* (e): Eiſque ſcribens, hæc inter cætera expreſſit: *Talia veſtro tempore in Sanctam Eccleſiam introducere non tentetis, qualia Magni Imperatores, & Anteceſſores veſtri, ſuis temporibus introducere non præſumpſerant* (f). Quoàd ſecundum vero, ait, *quod ipſe nihil aliud indè egit, niſi quod per triginta, & quinque annos in hujuſmodi negotio ſolitus erat* (g). Periit Hincmari epiſtola, quam Flodoardus memorat, ab eo ſcriptam fuiſſe (h): Veruntamèn fragmentum ejus aliquod adhùc ſupereſt, ſivè deducitur ex epiſtolâ ipſius Hincmari ad Ludovicum

(d) *Flodoard. lib. 3. c. 19. hiſtor.*

(e) *Idem Flodoard. lib. 3. c. 24.*

(f) *Hincm. Remenſ. to. 2 f. 189.*

(g) *Flodoard. lib. 3. c. 24.*

(h) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl p. 2. l. 2. c. 23. n. 3.*

cum

enm III. Balbi filium, Regem Gallorum, in quâ indicat aliam epiſtolam, ab Epiſcopis cujuſdam Conciliis, ad undem Regem directam, in quâ obſecrabatur, & obteſtando rogabatur, ut cunctis Eccleſiis liberam ſineret ſuorum Præſulum electionem, nec ipſe in eis partem aliquam ſibi ſumeret, niſi quantam opus erat prò temporalium bonorum defenſione, ſuo tutamini commiſſorum.

26. *Literas*, inquit ille, *direximus, in quibus hæc continentur, ut ſicut ſacræ leges, & regulæ præcipiunt, Archiepiſcopis, & Epiſcopis conlimitanearum Diæceſeon electionem concedere dignemini, undecumque, ſecundùm formam regularem electionis. Epiſcopi talem eligant, qui & Sanctæ Eccleſiæ utilis, & Regno proficuus, & vobis fidelis, ac devotus cooperator exiſtat: & conſentientibus Clero & Plebe, eum vobis adducant, ut ſecundùm miniſterium veſtrum, res, & facultates Eccleſię, quas ad defendendum, & tuendum vobis Dominus commendavit, ſuæ diſpoſitioni committatis, & cum conſenſu, ac literis, eum ad Metropolitanum Epiſcopum, & Coepiſcopos Diæceſeos, qui eum ordinare debent, tranſmittatis* (a). Proſequitur exindè intrepidè exclamans adversùs adulatorum voces, qui per aulam ſibila emittentes, Regi contraria dogmata ſuggerebant, aitque: *Si quod à quibuſdam dicitur, ut audivi, quandò petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Epiſcopi, & Clerus, & Plebs eligere, quem vos vultis, & quem jubetis, quæ non eſt divinæ legis electiò, ſed humanæ poteſtatis extorſio; ſi ità eſt, ut dici à quibuſdam audivi: ille malignus ſpiritus, qui per ſerpentem primos parentes noſtros in Paradiſo decepit, & indè illos ejecit; per tales adulatores in aures veſtras hæc ſibilat &c. Nec in ſcripturis, neque in Catholicorum dictis, vel in Sacris Canonibus, vel etiam in legibus, à Chriſtianis Imperatoribus, vel Regibus promulgatis, hoc ſcriptum, vel decretum invenitur, ſed talia dicta Infernus evomuit &c.* (b).

(a) *Hincm. Remenſ. tom. 2 f. 189.*

27. Vides quod tota Hincmari reſiſtentia Regibus Gallis, qui ſuo tempore ſceptrum Galliæ Chriſtianiſſimum tenuerunt, non eo perſpexit, ut hos, vel illos, Cives, vel extraneos à beneficiis eccleſiaſticis removeret, ſed ut Regia poteſtas ſe in electionibus non miſceret: Antiſtites, ex aulâ, vel aliundè ſumptos, non Regia poteſtas decerneret, hùcque, aut illùc prò ſuo libito ad infulas deſtinaret, ſed libertatem Canonicam Eccleſiæ Dei relinqueret, ut Clerus, & Populus, & Epiſcopi comprovinciales vota ſua, ſivè reſpectivè conſenſum, vel conſilium, in futurum Epiſcopum omnimoda ubertate conferrent; nullus tandem illis invitis, nullus ignotus, nullus extranſverſo veniens eiſdem præficeretur in Præſulem. In hoc ipſum ſcopum collimaſſe Hincmari literas, Ludovico, & Carlomanno directas, quoad electionem Epiſcopi Tornacenſis, nulli dubium eſt, nec ab eis aliud poſtulaſſe, quàm libertatem electionis Canonicæ, à Regali auctoritate compreſſam. Et quià in præallegatâ epiſtolâ Hincmarus petit, *electionem concedere dignemini undecumque ſecundùm formam regularis electionis*, dignoſcitur, quod ejus mens nunquam fuit, ut à beneficiis eccleſiaſticis excluderentur extranei, ſi ex hoc præciſo intuitu prò libertate Canonicæ electionis inſtetit, ut candidati ad electionem poſſent *undecumque* accerſiri: Undecumque, ideſt, vel ex propriâ, vel ex alienâ Eccleſiâ, prò libito Electorum, & meritis perſonarum. Undique demùm quod idem importat, ac ex qualibet orbis parte (c). Et ità ſi Tornacenſibus fuiſſet à Regibus Canonica libertas relicta, ut ſibi Pręſulem deſignarent; ſivè hi Clericum de proprio gremio elegiſſent, quemadmodùm Canones conſulebant: ſivè ex aliâ Eccleſiâ futurum ſibi Antiſtitem accivilſent, juxtà id, quod ſibi de rigore juris erat permiſſum; Hincmarus in hac causâ, tali, ac tanto fremitu, non tonaſſet.

(b) *Idem Hincmarus loc. cit.*

(c) *Barboſ. tract. var. dict. 436.*

28. Reſpondetur *ſecundò*, Hincmarum in pręfatâ contentione, quam ſuper Tornacenſi Sede habuit cùm Regibus Ludovico, & Carlomanno, nec verbum quidem protuliſſe, quod percutiat extraneos, neceſſariò à beneficiis eccleſiaſticis repellendos; Nàm licèt, Flodoardo teſte, inclamaverit, regerens *Sacrorum Canonum permulgatas ſuper electione canonicâ auctoritates, & oſtendens quod non Epiſcopi de palatio præcipiantur eligi, ſed de propriâ qualibet Eccleſiâ: & quod de ordinando*

Epiſcopo non Regis, vel Palatinorum debet eſſe commendatio, ſed Cleri, & Plebis electio, & Metropolitani in electione dijudicatio, deindè terreni Principis conſenſio &c. (a); per ly *de propriâ quâlibet Eccleſiâ* non neceſſitatem, & præceptum indicat, ſed merum conſilium, & honeſtatem, uti centies jam probavimus: & tùm ex hoc, tùm ex eo, quod in gremio Eccleſiæ poterat adeſſe Clericus eidem aggregatus, aliundè tamen, & in regione diſſitâ exortus; palmaritèr eniteſcit, quod Hincmaro in voto non fuit, extraneos ablegare, ſed ſolummodò libertatem electionis Canonicę ſuſtinere. Per ly etiam; *Non Epiſcopi de palatio præcipiantur eligi*, percutit quidèm Hincmarus Aulicos, non tamen quà extraneos, cum eſſe poſſunt indigenæ locorum, quibus debebant Prçſules delegari, ſed quà per potentiam laicalem, & per arbitrium Regium, ſinè electione canonicâ, in Sedibus Epiſcopalibus, collocatos; Itàut, ſi illi, qui de palatio deſignabantur Antiſtes, fuiſſent non Regali juſſione, ſed per ſcrutinium Canonicum, ab eis factum, ad quos ſpectabat electio, formitèr prælecti; quantumcumque eſſent extranei, eorum electionem Hincmarus Archiepiſcopus non pulſaſſet.

29. Nequè demùm impetit Aulicos, quà Aulicos, quià hos, dummodò dignos, & de Eccleſiâ benemeritos, vel ad miniſteria eccleſiaſtica idoneos, nunquàm ſacrę leges à beneficiis Pontificalibus repulerunt, uti ex omnium Chriſtianarum Regionum praxi, & exemplis lautè poſſumus edoceri. Nàm ex Imperiali Orientis Aulâ Tharaſius (b), & Nicephorus Conſtantini VI. Cęſaris familiares, ad Conſtantinopolitani Patriarchatus apicem conſcenderunt (c). Ex Imperiali Aulâ Occidentis Otho, Henrici III, & Arnoldus Friderici I. Cęſarum familiares, alter Bambergenſes (d), alter Moguntinas infulas eſt adeptus (e). Patroclus Arelatenſis fuerat Aulicus Conſtantii, ab Honorio Imperatore dignitate Cæſareâ decorati (f). Thomas Cantuarienſis Henrici II, Anglię Regis Aulicus fuerat (g), Hugo Sanctandreenſis, Guillelmi Scotiæ Regis Aulicus fuerat (h). Leodegarius Auguſtodunenſis, Childerici (i), Aredius Lemovicenſis, Theodeberti (l), Audoenus Rotomagenſis, Dagoberti (m), Farus Meldenſis Clotarii, Regum Gallię fuerant Aulici (n). Et Richardus quoque Vintonienſis (o), Chriſtianus Moguntinus (p), Auſtregeſilus Bituricenſis (q), Fulbertus Carnotenſis (r), Annonius Colonienſis (s), Arnulphus Metenſis (t), fuerunt Aulici: & ſic de aliis, quorum ingens catalogus poſſet à minùs occupato calamo conglobari; & novendecim jam ab hinc annis, ſanctæ memoriæ Innocentius duodecimus, omnium ore laudatiſſimus Romanus Pontifex, noſtram exiguitatem, nil minus cogitantem, ac meritis omnibus deſtitutam, ex aulâ vocavit, & Sarſinatis Eccleſiæ infulis inſignivit.

30. Nè autèm ab Hincmari ętate quoad hęc diſcedamus, notum eſt, quod ei defuncto, ſucceſſit in Remenſi Sede Fulco (u), quem Aulici officio diutiùs perfunctum eſſe adnotat Flodoardus, recenſens ea, quę ad reddendam rationem vitæ ſuæ ipſe Fulco Stephano Papę VI. ſic expoſuit: *Ut ab ipſis penè cunabulis educatus canonicis fuerit diſciplinis, donec à glorioſo Rege Carolo Imperatore, Ludovici filio, in Palatinis, ac domeſticis ejus ſit aſſumptus obſequiis: Sicque in Aulâ Palatii perſeverans uſque ad tempora Carlomanni Regis, Ludovici junioris filii, nepotis ejuſdem Caroli, quandò à Sanctis Remenſis Provinciæ Epiſcopis, necnon à Clero, & Plebe hujus electus ſit, & Epiſcopus ordinatus* (x). Undè cum tàm priorum, quàm poſteriorum temporum exemplis, Aulici idonei ritè, & rectè delecti, Epiſcopalia beneficia ſint adepti; certum remanet, quod Hincmari Remenſis intentio, in præfatâ colluctatione, non fuit Aulicos, quà Aulicos reprobare, ſed quà citrà formam canonicę electionis intruſos. Credibile paritèr non eſt, quod idem Hincmarus ibi carpſerit extraneos, uti extraneos, cum & ipſe paulò antè, Remenſe Epiſcopium adeptus ſit, à quo prorſus erat extraneus, uti ſuprà lautè docuimus, & Metropolitani officium ibidem exercens plures Epiſcopos extraneos, in Eccleſiis ſibi ſuffragantibus ordinaverit, uti paritèr ſuprà diffuſiùs patefecimus (y). Erat hoc enim Archiepiſcoporum, tùm aliundè, tùm ex proprio Clero,

alius

(a) *Flodoard. lib. 3. c. 14.*

(b) *Cardin. Baron. ann 784. n 4.*

(c) *Baron. ann. 787. n. 3.*

(d) *Conradus Abb. Urſpergenſ. an. 1171.*

(e) *Otho. Friſingenſ. in Frideric. l. 2. c 9.*

(f) *Baronius an 412 num. 14.*

(g) *Eduardus in vit. S. Thomæ Cantuar.*

(h) *Baronius ann. 1183. num. 4.*

(i) *Vit S. Leodegerii ap. Surium die 2. Octobris.*

(l) *S Gregor. Turon. hiſtor. lib. 10 c. 29.*

(m) *Cardin. Baron. ann 647 n. 4.*

(n) *Vit. S. Fari apud Surium die 28 Octobr.*

(o) *Petr. Bleſenſ. epiſt. 84.*

(p) *Baron. an. 1163. n. 16.*

(q) *Vit. S. Auſtregeſili ap. Surium die 20. Maii.*

(r) *Vid. ant. ejus opera in Bibliotb. Patrum*

(s) *Cardin. Baron. ann. 1073. n. 2.*

(t) *Idem Baron ann. 614 n. 11.*

(u) *Baron. ann. 882. n. 17.*

(x) *Flodoard. lib. 3. c. 3. 4.*

(y) *Vid. ſupr. tom. 1. ſæcul 9. c 23. n. 22.*

aliis Eccleſiis Comprovincialibus Antiſtites conſecrare. Sic enim D. Gregorius Vitali defenſori Sardiniæ ſcripſit, de Januario Archiepiſcopo Calaritano: *De Eccleſiis autem, quas vacare Sacerdotibus indicaſti, prædicto reverendiſſimo fratri, & Coepiſcopo noſtro Januario ſcripſimus, ut eas debeat ordinare: ſic tamen ut non omnes ad Epiſcopatum de Eccleſiâ ipſius eligantur. Nàm ſic eum convenit alios ordinare, ut Eccleſiæ ſuæ de perſonis, quæ in ea poſſint proficere neceſſitatem non faciat* (a). Quod cum ad praxim deduxiſſet Hincmarus, & ipſe quoque, non obſtante propriâ extraneitate, in Remenſi Cathedrâ conſediſſet, non eſt, inquam, credibile, quod in antedictâ colluctatione cum Regibus, extraneos voluiſſet percellere, nè, ut ait Apoſtolus, *cum aliis prædicares, ipſe reprobus efficeretur* (b).

31. Reſpondetur *tertiò*, quod ut jàm ex præcedentibus duabus reſponſionibus enitescit, Contentio Hincmari cum Ludovico, & Carlomanno Regibus, pro Epiſcopatu Tornacenſi ſuborta, non eò tetendit, ut Clericos extraneos à beneficiis Epiſcopalibus diſtineret, ſed tantummodò, ut libertatem canonicæ electionis, quæ tùnc vigebat, ſuſtineret, & ex honeſtate quidèm exigebat, ut cœteris paribus, Clerici indigenæ extraneis præferrentur, prout ex præfato S. Gregorio apparet (c), noſque in toto hujus Operis decurſu, repetitis vicibus comprobavimus; verùm etiam de rigore juris extraneos pariter, & indigenas admittebat. Sed quatenùs etiam prænotata concertatio quidquam intendiſſet favore indigenarum adversùs extraneos; dicimus, quod cum jàm forma electionis Canonicæ, quæ erat quid juris poſitivi eccleſiaſtici, mutabilitati ſubjectum, uti Contradictores ipſi fatentur, de facto ſit mutata, & ſublata, per conventiones, & diplomata hinc indè intèr Sedem Apoſtolicam, ac Principes, & Nationes, atque reſpectivè per Reſervationes Pontificias, jam à quadringentis annis, & ultrà juſtis de cauſis introductas, & pacificè continuatas; ſicuti licitè, ac juſtè nunc exigi non poteſt, ut beneficia ipſa, ſive Epiſcopalia, ſivè inferioris ordinis, à quibus forma præfata electionis ſublata eſt, per viam electionis conferantur, juſque ſupprimatur Sedi Apoſtolicę, Imperatori, Regibus, & Epiſcopis, aliiſque beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, acquiſitum; ſic neque exigi poteſt, quod eis ſolis conferantur, quos electionis forma depoſcebat, nempè ſolis indigenis, ſi de facto (prout non eſt, nec unquàm fuiſſe probabitur) per viam electionis, ſolis indigenis beneficia fuiſſent debita, extraneis refutatis. Quarè undecumque ſermo vertatur ex hiſtoriâ Colluctationis Hincmari Remenſis cum Regibus Galliæ deductus, ſemper libertatem Eccleſiæ intactam relinquit in jure admittendi extraneos ad beneficia, ſemperque indè magìs evidentiùs invaleſcit ſententia, quam tuemur.

32. *Arguunt ſeptimò* Contradictores ex hiſtoriis Nicolai Papæ I. in cauſis Egilonis Senonenſis, Guntharii Colonienſis, Theutgaudi Trevirenſis, & Hilduini Cameracenſis. Egilo Monachus, doctrinâ, & probitate conſpicuus, ad Archiepiſcopatum Senonenſem operâ Caroli Calvi Francorum Regis, fuerat elevatus; ei autem Nicolaus Pallium Archiepiſcopale negavit (d), Carolum commonens, ne diutiùs ſineret in Galliâ pervagari magnam hanc ſacrorum Canonum prævaricationem, quod Eccleſiis extrà gremium proprii Cleri præficerentur Antiſtites: *Cum ergò*, inquit, *familiarius in regionibus veſtris ſit hæc temeritas, & ſacrorum ſupèr hoc Canonum violatio dilatata; neceſſe eſt, noſtram ſollicitudinem pro hac amputandâ, ſpecialiùs impendere diligentiam* (e). Rursùs depoſitis ab eorum ſedibus Gunthario Colonienſi, & Theutgaudo Trevirenſi, Nicolaus Ludovico Germaniæ Regi Apoſtolicâ auctoritate denuntiavit, ut electio ſucceſſorum fieret à filiis, & de filiis utriuſque Eccleſiæ vacantis: *Ut novi Trevirenſi, & Colonienſi Eccleſiis Antiſtites darentur injunximus, videlicèt qui nec Theutgaudi, & Guntharii dudùm Epiſcoporum, nec per jam fatę Valdradæ favorem proveherentur, ſed canonicè à filiis, & de filiis nominatarum Eccleſiarum electi, ab his, qui earundem Eccleſiarum Antiſtites ſoliti ſunt conſecrare, regularitèr ordinarentur* (f). Demùm cum Hilduinus Lotharii Regis fretus patrocinio Cameracenſem

Eccle-

(a) *S. Gregorius lib. 11. epiſt. 59.*

(b) *1. Corinthiorum cap. 9. n. 27.*

(c) *S. Gregorius lib. 1. epiſt. 56. lib. 2. ep. 19. & l. 7. epiſt. 25.*

(d) *Nicolaus PP. I. epiſtol. 20.*

(e) *Nicol. PP. I. epiſt. 55. ap. Sirmond. tom. 3. Conc. Gall. f. 273.*

(f) *Nicol. PP. I. epiſt. 55. ap. Binium tom. 6. Conc. f. 590.*

Digitized by Google

Eccleſiam invaſiſſet, Nicolaus ipſe nè hoc ad effectum deduceretur, ſe oppoſuit Ex quibus & ſingularitèr, & multò magis unà junctim conſertis, apparet, extraneos eſſe à beneficiis Epiſcopalibus, & ſic etiam proportionalitèr ab aliis inferioris ordinis, repellendos.

33. Reſpondetur *primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod Egilo à Senonenſi, & Hilduinus à Cameracenſi Eccleſiis eſſent extranei. Hoc enim eſt probandum, non ſupponendum. Nàm tametſi Nicolaus in reſponſione ſuâ ad Egilonem, Pallium Archiepiſcopale poſtulantem, reſcripſerit: *perhibes te non de Senonenſi Eccleſiâ extitiſſe, ſed de quodam Monaſterio ad Epiſcopatum ejuſdem Eccleſiæ perveniſſe, quod nos ubicumque fiat, cum fit, maleficè ſcrimus, & graviter omnimodis ducimus, pro conculcatione ſcilicet ſacrorum Canonum, & aſpernatione Clericorum, qui creſcentes in ſuâ Eccleſiâ, & virtutibus operam, & bonis moribus honeſtatem, ac ſapientiæ ſtudiis diligentiam impendiſſe per ſingularum ætatum incrementa probantur* (*a*); Egilonis tamen patria reticetur, quam nos uſquenunc non valuimus reperire. Illum autem Cellotius ex alienâ provinciâ defluxiſſe commemorat, ſed ex qua, & quali urbe, non dicit, ſolùm ait: *Egilo ex aliâ aſſumptus provinciâ, ad Senonenſem transferebatur non rectè ſecundùm Canones, clamante Nicolao, indecorum, quin potiùs illicitum eſſe in aliena ſtipendia quemquam irrepere; & ex tranſverſò venientem in caſtra, intèr quæ non militavit, ducatum arripere &c.* (*b*). Sed quia Odorannus Monachus S. Petri Vivi Senonenſis, in brevi Chronico, quod compilavit, hæc habet: *Anno 865. Vvenilo Archiepiſcopus obiit. Huic ſucceſſit Egil Abbas, qui privilegium S. Petro fecit de altari Alſonis villæ, quo mortuo Anſigiſus ſucceſſit* (*c*). Nos cenſemus, Egilonem, qui ab Odoranno per quandam antonomaſiam ibi *Egil Abbas* vocatur, fuiſſe Abbatem ſui Monaſterii, nempè S. Petri Vivi Senonenſis, & ſic vel origine, vel Abbatiali beneficio Senonis non extraneum, ſed indigenam: dici autem à Nicolao non eſſe de Eccleſiâ Senonenſi, quia non eſſet de Capitulo, aut Clero, faciente corpus ejuſdem Eccleſiæ: A cujus gremio extraneum eſſe, licet de rigore juris eligibilitati non obſtaret; attamèn quia Egilo, non à Clero, & Populo Senonenſi de more electus, ſed à Carolo Calvo auctoritativè fuerat deputatus; idcircò bene Nicolaus illum de bicipiti defectu notatum, & quod ſolo favore Regio provectus, & quod non de gremio Cleri ſæcularis Eccleſiæ Senonenſis fuiſſet aſſumptus, Pallio Archiepiſcopali ornare detrectabat.

(a) Nicolaus PP. I. epiſt. 20.

(b) *Cellotius Hiſtor. Goteſcalch. l. 4.*

(c) *Odoran. in Chronic. ap. Pithæum f. 297*

34. Paritèr Hilduinus non indè probatur extraneus ab Eccleſiâ Cameracenſi, quia Nicolaus Lothario improperet, non debuiſſe *Viduatæ Eccleſiæ Hilduinum aliundè conſtituere pervaſorem* (*d*). Nàm prout ex toto epiſtolæ contextu coniici poteſt, per ly *aliundè*, non intelligit Papa, *ex alio loco* deſumptum, ſed potiùs *alio modo* provectum: Nimirùm quod cum Epiſcopus Cameracenſis debuiſſet per viam Canonicæ electionis, votis Cleri, & conſenſu Populi deſignari; Lotharius proprio marte, per abuſum ſæcularis poteſtatis, & alio modo, quàm per viam electionis præfatę, Hilduinum illi Eccleſiæ tranſverſalitèr intruſiſſet. Vel etiam non incongruè dici poteſt Nicolaum per ly *aliundè* intellexiſſe non extraneum, ſed alium, quam ex Corpore viduatæ Eccleſiæ ſuſceptum: itàut Hilduinus, quamquàm origine Cameracenſis, tamen vel quia adhùc laicus, vel quia aliàs non erat Clero Eccleſiæ illius inſertus; ideò aliundè quam ut fieri debebat, in prænotatam ſedem irrepſerat. Nèc tam inveriſimile, quam improprium judicetur, quod Nicolaus nunc Egilonem, nunc Hilduinum aliundè irrumpentes, ac velut extraneos vocitaverit, quantumvis Diœceſanos, ſi Clero Eccleſiarum, de quibus ſermo eſt, non erant adſcripti; quia etiam Photium, quamquam origine Conſtantinopolitanum, à Sede Patriarchali Conſtantinopoleos ablegavit, velut extraneum: talem nimirùm non ortu, ſed Clericatu, *ne is, qui de foris eſt*, inquit, *alterius Ovilis Chriſti repente principatum accipiat &c. & grex Dominicus incipiat eum, utpotè extraneum, & improviſum omninò contemnere &c.* (*e*). Hæc

(d) Nicolaus PP. I. epiſt. 4.

(e) Nicolaus PP. I. epiſt. 7.

de

de Egilone, & Hilduino, ſalvo meliori judicio, donèc clariora appareant, poſſe opportunè dici cenſemus: hoc uuo certo, quod utriuſque extraneitas à Contradictoribus ſupponitur, ſed non probatur: probanda verò eſt, non ſupponenda.

35. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm negando aliud ſuppoſitum, nempè quod triplex hiſtorica narratio, in Argumento propoſita, illùc collimet, ut oſtendat Clericos extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis ablegandos. Non enim hoc fuit intentum Nicolai Papæ, ſed una ejus intentio fuit iſta, ut vigente illis temporibus jure canonicæ electionis, in provectione Antiſtitum obſervandę; nolebat Papa, nolebant Canones, nolebat æquitas eccleſiaſtica pati, quod ipsâ formâ electionis conculcatâ, Epiſcopi à Regibus, & ex Aulâ Regali, vel aliundè accerſiti; & rerum eccleſiaſticarum inſcii, vel inexperti, aut aliàs minùs idonei, populiſque, quibus præeſſe debebant incogniti, aut minùs grati, in Sedes Pontificias inſilirent, quas non potuiſſent modis canonicis adipiſci. Patet hoc ex verbis Cellotii, in hiſtoriâ Goteſcalchi ſic de Egilone loquentis: *Nicolao Pontifici doluit Egilonem à Carolo Rege, Senonenſi Eccleſiæ datum eſſe Archiepiſcopum* (*a*): ideſt non formâ Canonicæ electionis ſervatâ à Clero, & Populo fuiſſe delectum, ſed ſolâ Principis auctoritate provectum. Patetque ulteriùs ex epiſtolâ Nicolai, ad Carolum Regem ſcriptâ, ubi inter cœtera, hæc habet: *Quamvìs hæc nos valdè lætificent: multùm tamen contriſtat, quia idem venerabilis vir* (Egilo) *non de ipsâ Eccleſiâ, ſed de quodam Monaſterio fuiſſe perhibetur. Deniquè cum ergà Monachos eadem profectò regula, quæ circà Clericos, qui provehendi ſunt, conſervanda ſit; indecorum tamen, quin potiùs illicitum eſt in aliena ſtipendia quemquam obrepere, & ex tranſverſo venientem, in caſtra, intèr quæ non militavit, ducatum arripere, beatiſſimo Apoſtolicæ Sedis Præſule Cæleſtino præcipiente, tunc alter de alterâ eligatur Eccleſiâ &c.* (*b*).

(a) *Cellot. Hiſt. Goteſcalchi l.4 c.22.*

(b) Nicolaus PP.I. *epiſtol.2.*

36. Tria motiva allegavit Nicolaus ad impugnandam provectionem Egilonis, Primum fuit periculum, quod ſecùm trahebat, Antiſtites improviſos, & non optatos Eccleſiis ingerere: *periculoſum eſt enim*, inquit, *talitèr omnes Miniſtros Eccleſiæ, & eis improviſum, & non optatum præponere* (*c*). Quod inconveniens jam dudùm antè præcaverat S, Leo in epiſtolâ ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, decernens: *nullus invitis, & non petentibus, ordinetur, ne Civitas Epiſcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religioſa quam convenit, cui non licuerit habere quem voluit* (*d*). Et ipſe Nicolaus in causâ Photii, loco paulò ſuperiùs indicato, notavit, *ne grex Dominicus incipiat eum, utpotè extraneum, & improviſum, omninò contemnere, cum perſpiciat nil ſibi ſtipendia profeciſſe meritorum, & alienum, ſuorum cernat conſumere fructus laborum* (*e*): Secundum motivum eſt ludificatio, & contemptus Clericis de Eccleſię corpore illatus, dùm eis poſtpoſitis, alius aliundè exceptus in vacante Cathedrâ locabatur. *Quod nos maleficè ferimus*; ait Papa, *pro conculcatione ſcilicet Sacrorum Canonum, & aſpernatione Clericorum, qui creſcentes in ſuâ Eccleſiâ &c.* (*f*). Tertium motivum erat tranſgreſſio Canonis Cœleſtini Papæ, ſancientis; *Nullus invitis detur Epiſcopus. Cleri, plebis, & ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur. Tunc autem alter de alterâ eligatur Eccleſiâ, ſi de Civitatis ipſius Clero, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus* (*quod evenire non credimus*) *poterit reperiri. Primum enim illi reprobandi ſunt, ut aliqui de alienis Eccleſiis meritò præferantur. Habeat unuſquiſque fructum ſuę militiæ in Eccleſiâ, in quâ ſuam per omnia officia tranſegit ætatem. In aliena ſtipendia minimè alter obrepat; nec alii debitam, alter ſibi vendicare audeat mercedem &c. Sit facultas Clericis renitendi, ſi ſe viderint prægravari, & quos ſibi ingeri ex tranſverſo agnoverint, non timeant refutare* (g).

(c) Nicolaus PP.I. *epiſtol.2.*

(d) *S.Leo PP.I.epl.84.cap.5.*

(e) Nicolaus PP. I. *epiſtol 7.*

(f) Nicolaus PP. *epiſtol.20.*

(g) *Cap.nullus invitis 13 diſt.63.*

37. Nèc præſumi poterat, neque probabilitèr præſupponi, quod in tàm amplâ Metropoli, qualis erat Urbs Senonenſis, quæ paulò poſt ſub Anſegiſo, Egilonis ſucceſſore, meruit à Joanne Papâ VIII. Primatus munere decorari, quâ de

rè

(a) *Concil. Pontigon. ann. 876.*

rè in Concilio Pontigonenſi eſt non modicè colluctatum (*a*). Non, inquam, præſupponi poterat, quod in eâ deficerent Clerici, officii Epiſcopalis capaces, prout Egiloni ipſi Pontifex objecit, *quod evenire in tàm amplâ Diœceſi, nec nos credimus, nec Prædeceſſores noſtros Apoſtolicæ Sedis Præſules, crediſſe reperimus* (*b*). Et in ſcripto ad Carolum Calvum: *perſpicuitas dilectionis veſtræ prudentèr attendat, quoniam aut de Eccleſiæ Senonenſis Clericis, qui ordinaretur, nullus dignus inventus eſt, quod eveniſſe non credimus, maximè cum ſit Metropolis, & Clericorum numeroſitate non careat; aut certè his jure minimè reprobatis, aliundè qui eis irregularitèr præponeretur, electus eſt, & qui aliorum fructum laborum comederet adinuentus. Nimirùm cum reverendæ memoriæ deceſſor hujus, tantis à nobis præconiis efferatur, ut nullum in eâdem Eccleſiâ, cui non modico tempore præfuit, qui ei canonicè ſubrogari poſſet, reliquerit, prorsùs incredibile judicatur* (*c*). Tanti ponderis erat unumquodque ex his motivis, ut vel sè ſolo ſumptum exuberaſſet ad coarctandam electionem Antiſtitis Senonenſis, ad aliquem de Clero ipſius Eccleſiæ: multo magis autem cunctis unà ſimul conſideratis.

(b) *Nicolaus PP. I. epiſtol. 10.*

(c) *Idem Nicolaus PP. I. epiſtol. 2.*

38. Vigente igitur tùnc jure provehendi ad beneficia Epiſcopalia viros idoneos per viam Canonicæ electionis, à Clero, & Populo Eccleſiæ viduatæ, faciendæ, & affluentibus in gremio Metropolis Senonenſis Clericis, ad hoc munus idoneis, non tàm Canones libertatem electionis Canonicæ ſtatuentes dici poterant proculcari, quàm Clericos Senonenſes contemni, & electum ex tranſverſo introductum periculo parvipenſionis exponi. Sed quià Nicolaus totam vim ſuæ reluctantiæ in Cœleſtini Canonem coniiciebat, hujus autem dictatum non præceptivum eſt, ſed conſultivum, uti nos ſuprà perabundè in Objectionibus Legalibus demonſtravimus, liquet, quod mens Nicolai, non juris rigorem, ſed epikejam, vel ut melius dicitur, epiikjam (*d*), & honeſtatem in voto habuit, quantùm ad originem Clerici ſublimandi, dummodò forma Canonicæ electionis obſervaretur. Et ità licèt de rigore juris Egilo (ſi adhùc fuiſſet extraneus, quod non admittitur) potuiſſet licitè provehi, etiam per viam Canonicæ electionis ad infulas Senonenſes: attamen de congruo, de honeſtate, & juxtà prudentis regiminis æquitatem, juſtum non erat, eum tot aliis dignis Clericis anteferri; & multò minùs ſine methodo Canonicæ electionis, ſed ſolo Regis arbitrio, in illâ Metropolitanâ Cathedrâ collocari. Quarè ſi dè facto Egiloni, Clerus, & Populus Senonenſis, ſeù pars potior ſuffragantium, ſcrutinio facto, albos unà calculos intuliſſet; ejus electio, nec à Clero carpta, nec à jure excluſa, nec fuiſſet à Pontifice refutata.

(d) *Nicolaus Du Moutier Etimol. Sacr. Vupuma.*

39. Auget vim hujus ſermonis declaratio Nicolai Papæ in reſponſione ſuper hoc ad Regem Carolum factâ, quâ dixit, ſe hinc quoque ad reprobandam promotionem Egilonis impelli, quià, hujuſmodi ex tranſverſo factas Pontificum deſignationes diſcernebat, non raro, non ſemel, non aliquandò ſuccedere, ſed jam paſſim, & quotidiè ad praxim reduci: ab Eccleſiis, electionis jure ſpoliatis, ad ſe frequentes querimonias tranſmitti: jàm ubilibet viros incognitos, inhabiles, & minùs gratos attolli: Regiam in his præpotentiam graſſari, Eccleſias gemere, nativos Clericos parvipendi: neceſſarium ergò eſſe tanto malo remedium adhibere, nè inſanabile tandem fieret vulnus, fomento ſalutifero deſtitutum. *Quod quià*, inquit, *crebrò præſumptum eſſe nonnullis querimoniis, ex hoc gementium didicimus, vos meritò diligentes, ut ad tantam tranſgreſſionem neminem impellatis, expoſcimus: Alioquin nos Sanctarum minimè regularum immemores, nec ſegnes executores admodùm exiſtentes, adversùs temerarios ſuccintis lumbis, illas deffendere procurabimus, & auxiliante Chriſto, nobis, & Eccleſiæ conſulentes ipſius, de cæterò æquanimitèr violatores earum nullo modo ſuſtinebimus* (*e*). Vides quod Pontifex non impugnat extraneitatem Egilonis, ſed ſubtractionem juris eligendi ſuum Epiſcopum, nedùm in Senonenſi Eccleſiâ, ſed jam paſſim in cunctis aliis vacantibus introductam præpotentiâ Regali, non ſine magno Eccleſiæ Dei deco-

(e) *Nicolaus PP. I. epiſtol. 2.*

decore, nec ſinè minori diſciplinæ eccleſiaſticæ detrimento.

40. Præſertim cum jam ſuccederet, ut in cunctis Eccleſiis ſoli extranei Epiſcopales apices obtinerent, indigenis ablegatis: quo non mediocritèr contrà æquitatem peccabatur, prout & nunc notabilitèr ipſa æquitas læderetur, ſi Papa, ſi Imperator, ſi Reges, & Epiſcopi &c. omnia beneficia, ad ſuam collationem, vel nominationem reſpectivè pertinentia, Epiſcopatus, Parochias, Canonicatus, Dignitates, Manſionarias, Portiones, Abbatias, Capellas, cuncta demùm beneficia ſive reſidentialia, ſive merè ſimplicia, non niſi extraneis largirentur. Itàque Papa principalitèr, & potiſſimè ſervandæ electionis canonicæ, non repellendorum extraneorum cauſam egit: & ſicut innuimus, ſi in provectione Egilonis electio canonica fuiſſet ſervatam, & vota in eum coalviſſent, nulla fuiſſet de invaliditate, vel injuſtitiâ ejuſdem promotionis, ex motivo extraneitatis, contentio. Neque Nicolaus talia dictaſſet, ſi Senonenſes, adversùs aſſumptionem Egilonis querimonias non edidiſſent, ſed à Rege Carolo miſſum quieto animo ſuſcepiſſent: eo modo, quo tales non ſûnt auditi clamores, paulò antè, cum Rex Vvenilonem extraneum, ex ſuâ aulâ delectum, Eccleſiæ ipſi præfecit: quâ de rè Carolus, in libello proclamationis, Concilio Tullenſi, ſeù ad Saponarias oblato, ait: *Vacabat tunc paſtore Metropolis Senonum, quam juxtà conſuetudinem prædeceſſorum meorum Regum, Vvenilovi tunc Clerico meo, in Capellâ meâ mihi ſervienti, qui more liberi Clerici, ſe mihi commendaverat, & fidelitatem ſacramento promiſerat, conſenſa ſacrorum Epiſcoporum ipſius Metropolis ad gubernandam commiſi, & apud Epiſcopos, quantùm ex me fuit, ut eum ibidem Archiepiſcopum ordinarent, obtinui* (a).

41. Eadem præcisè ratio militat pro facto Hilduini, cujus aſſumptio ad Epiſcopium Cameracenſe literis cubitalibus improbatur à Nicolao: non quia eſſet extraneus, ſed quia decreta eſſet Eccleſiæ Cameracenſi libertas eligendi ſibi, prout de jure, Paſtores; Rege Lothario, qui inibi tunc regnabat, proprio arbitrio, & diſpoticâ uſurpatione, in ipsâ Sede Præſules intrudente. En verba Nicolai ad Lotharium: *Ecclesiæ Cameracenſi, quæ ſuo ecce per decem menſium ſpatia eſt deſtituta Paſtore, viduata manens, contrà venerabilium Canonum inſtituta, inibi Epiſcopum conſecrandi, aut aliquid juxtà ſuum miniſterium diſponendi, nullam omninò poteſtatem habere permittis. Quam eunctis Chriſtianis legibus deteſtandam præſumptionem, à gloriâ tuâ contrà eccleſiaſticas inſtitutiones, minimè perpetrari optamus, neque aliquo modo patiemur* (b). Et quia Epiſcopi Regionis illius, vel naturâ deſides, vel vehementiam Principis metuentes, illum coarguere non audebant (cui & imò profanas nuptias contrahendi, legitimâ uxore depulsâ, licentiam contradixerunt, uti moxdicemus); Nicolaus illos objurgat, his ad eos per literas intimatis: *præcipimus vobis, ut ſuggeratis filio noſtro Lothario glorioſo Regi, & ei ut nullum Eccleſiæ Cameracenſi præjudicium inferat ſummoperè ſuadere euretis: quatenùs, jam ſato Hilduino ſubmoto, ex sè eligendi juxtà ſacros Canones Epiſcopum Clero, & Plebi ipſius Eccleſiæ licentiam tribuat: nùm ſi hanc noſtram præceptionem Apoſtolicam contempſeritis, ſcitote vos prò inobedientiâ, & prò conſilii peſtiferi veneno, quo jam ſatum Regem ſemper inficitis, à noſtrâ communione penitùs ſubmovendos* (c).

42. Tantoperè autem in hoc negotio excanduit Nicolaus, quia nedùm Sacros Canones cernebat exſcindi per ſubtractionem libertatis promovendi Antiſtites per viam Canonicæ electionis, à præpotentiâ Regali Eccleſiis interceptæ; ſed etiam quia Cameracenſes de ſubtractâ ſibi hac libertate, & Archiepiſcopus Remenſis eorum Metropolita, de violatis Eccleſiæ ſuæ juribus conclamabant. Quâ ratione Pontifex in præfatâ epiſtolâ ità Regem coarguit. *Si Regum eſt proprium rebelles corporis motus rationis imperio refrenare, aut regere; debuerat utique excellentia tua in omnium Regni tui Eccleſiarum defenſione adeſſe, & minimè Metropolitani Remorum jure ſoluto, in Parochiis Regni tui viduatæ Eccleſiæ Hildui-*

(a) Concilium Tullenſ. ap. Pithœum t. f. 380.

(b) Nicolaus PP. I. epiſtol. 4.

(c) Nicolaus PP. I. epiſtol. 63.

num aliundè conſtituere pervaſorem (*a*). Suberat tùnc Eccleſia Cameracenſis Metropolitico jure Eccleſiæ Remenſi, à quâ poſtmodùm ſubtracta eſt per Paulum Papam IV. ad petitionem Philippi II. Hiſpaniarum Regis, & in Metropolim elevata, reclamante uſque ad ſidera Præſule, qui tunc Remorum Cathedræ præſidebat (*b*). Plura ergò in hoc uno facto iniquè attentari perſpexit Pontifex Nicolaus; & licentiam nimirùm electionem Canonicam exercendi Eccleſiis à Lothario Principe denegari: Et Epiſcopos ſolâ Regiâ auctoritate conſtitui: & incognitos, & inexpertos, & minus gratos Præſules in ſedibus vacantibus collocari: ſicque jus commune violari, æquitatem lædi; eccleſiaſticam diſciplinam confundi: juſtèque dolere Cameracenſes de ſubtracto ſibi jure eligendi, & intruſo ſibi ex tranſverſò Hilduino: ratione demùm pleuas eſſe querelas, quas Archiepiſcopus Remenſis de interverſis Eccleſiæ ſuæ privilegiis effundebat.

43. Non ſinè magnâ ergò ratione, Nicolaus Papa, & Lotharium de ſuppreſſâ, ſeù non permiſſâ Canonicâ electione, & Hilduinum de occupatâ injuſtis modis Cameracenſi Eccleſiâ, reprehendit; & in utrumque anathemata eccleſiaſticæ ſeveritatis oſtendit ſe paratum eſſe vibrare Lothario ſcribens, ſi monitis Apoſtolicis non paruiſſet, *noveris te citiſſimè mucrone eccleſiaſtico feriendum, itàut ulteriùs talia in Sanctâ Dei Eccleſiâ perpetrare formides &c. Pervaſorem verò Cameracenſis Eccleſiæ, Hilduinum nomine, ſcias à Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti communione penitùs ſegregatum, & ab omni Chriſtianorum conſortio ſequeſtratum* (*c*). Addit doctiſſimus Thomaſſinus Hilduinum, prętèr invaſionem Sedis Cameracenſis, de quâ in monitorio Nicolai ad eum, *dieeris quod contrà ſtatuta Sacrorum Canonum Eccleſiam Cameracenſem invaſeris* (*d*), fuiſſe quadam irregularitate Canonicâ maculatum (*e*), ſed qualis hęc fuerit, nobis non contigit reperire. Hoc autem unum eſt, quod Nicolaus non extraneitatem Hilduini damnavit, ſed irruptionem in Eccleſiam Cameracenſem, citrà modum Canonicæ electionis, & ſolâ Regiâ poteſtate, quam nihil ei ſuffragari Pontifex declaravit; *quoniam*, inquiens, *licèt humana quędam poteſtas permittat, Divina tamen, Canonicaque cenſura te in eadem Eccleſiâ conſecrari nequaquàm permiſit* (*f*). Quarè ſi Hilduinus fuiſſet ab Eccleſiâ Cameracenſi legitimâ electione vocatus, vel ſi Cameracenſes adversùs eum querelas ad Sedem Apoſtolicam non dediſſent; ſuppoſita nihil ei extraneitas obfuiſſet, quemadmodùm nihil obſtitit paulò poſt Berengario, qui licèt extraneus, fuit Fulberto Cameracenſi ſuffectus, teſte Flodoardo, dicente: *Fulbertus Cameracenſis Epiſcopus defungitur, & ipſum Epiſcopium cuidam Berengario Tranſrhenenſi Clerico tribuitur, Nepoti Bovonis, Catalaunenſis quondam Epiſcopi, quique Remis ordinatur ab Artoldo Epiſcopo* (*g*).

44. Reſpondetur *tertiò* reſpectu ad Egilonem, retorquendo Argumentum. Nàm de facto Egilo adeptus eſt, ac pacificè tenuit Archiepiſcopium Senonenſe, eique uſque ad mortem inſedit, ſuccedente illi Anſegiſo, uti ex Chronico Odoranni liquet (*h*), Nicolao Pontifice annuente, qui tametſi Egilonis aſſumptionem, ſolâ Regali poteſtate factam ſine Canonicâ electione improbaverit, & hunc abuſum ſe velle ex totâ Galliâ exſcindere ſit profeſſus; attamèn ejuſdem provectionem cenſuit confirmandam, ſcribens Regi Carolo: *Uſquequò tamèn eandem prævaricationem incipiamus generalis decreti noſtri ligone de Regionibus veſtris radicitùs extirpare, parcendum huic Fratri, & Coepiſcopo noſtro prævidimus* (*i*). Nèc putetur Papam ex vecordia, æqui, ac juſti terminos tranſineaſſe, approbando Egilonem quippè illius fortitudo adversùs Reges, Epiſcopos, & Magnates, centiès patefacta, ab hac nota ipſum abſoluit. Neque paritèr cenſeatur Egilonis merito, & virtuti datam fuiſſe à Pontifice approbationem ad Sedem Senonenſem, à qua, ratione extraneitatis, fuiſſet ſecundùm Canones excludendus; quippè meritum, & probitatem Egilonis, ſibi à Rege apprimè commendatam, ſe parvipendere Pontifex eſt profeſſus, ubi Sacros Canones cerneret proculcari, nullum meritum, nullam Sanctitatem eſſe declarans, quæ aliena rapit, & ſacras leges

evo-

(a) Nicolaus PP. I. epiſtol. 4.
(b) Thomaſſin. vet. & nova Eccl. diſcipl. p. 1. l. 2. c. 45. n. 18.
(c) Nicolaus PP. I. epiſtol. 4.
(d) Nicolaus PP. I. epiſtol. 65.
(e) Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 32. num 10. & cum.
(f) Nicolaus PP. I. epiſt. 65.
(g) Flodoard in Chronic ann. 956 apud Pithæum f. 262.
(h) Odorannus in Chronic. ann. 865. ap. Pithæum f. 297.
(i) Nicolaus PP. I. epiſtol. 2.

evoluit, *Cujuſcumque ſit ſanctitatis dono quilibet præditus, alienos non debet labores præripere: quippè cui jubetur nihil eorum, quæ proximi ſunt, aliquo modo concupiſcere: eo enim ipſo quo quis alteri pertinentia jura ſubripit, Sanctitatis gratiam perdit. Nàm quæ ſanctitas vindicat mercedem alteri debitam? Quæ ſanctitas alterius ſibimet fructus uſurpat* (*a*)? Igitur ſi Nicolaus, Egilonem ad Cathedram Senonenſem admiſit; cognovit ejuſdem extrancitatem (ſi ea verè laboraſſet, quod hìc non concedimus) nihil ei officere potuiſſe, aliàs ſi divino, naturali, & humano jure, hæc Clericos à beneficiis eccleſiaſticis retineret, uti debacchantur Contradictores, non unquàm tàm effrænatum ſcelus Nicolaus commiſiſſet, ut Egilonem admitteret. Tota ergò repugnantia, quâ ab initio reſtitit Egiloni, non ab extraneitate defluxit, ſed à formâ non ſervatâ Canonicæ electionis, quæ cum eſſet de mero jure poſitivo, Pontificem non ligante; potuit licitè, ac liberè Nicolaus Egilonem admittère, proùt admiſit ad beneficium Epiſcopale Metropolis Senonenſis. Et ità ex hac hiſtoriâ non probatur excluſio, ſed potiùs incluſio Extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Nicol. Pap. I. epiſt. 55. ap. Sirmond. tom. 3. Conc. Gall. f. 274*

45. Reſpondetur *quartò*, quoàd factum Guntharii Colonienſis, & Theutgaudi Trevirenſis, juſſionem Pontificiam non ad excludendos extraneos tetendiſſe, ſed ad Ipſos Præſules à propriis Sedibus depellendos, & nè hi, vel in occupatione dictarum Sedium à Ludovico Germaniȩ Rege confoverentur: vel juſtitiâ illorum depoſitionis ludificatâ, ſucceſſores acciperent, quos ipſimet ſibi proprio arbitrio deſtinaſſent; ſed plena in omnibus, & per omnia utrique Eccleſiæ libertas electionis Canonicæ ſineretur, ut Clerus, & Populns, aut ex proprio Eccleſiæ gremio, quomodò congruentia depoſcebat; aut aliundè, quomodò rigor legis Canonicæ permittebat, novos Archipræſules deſtinarent. Res autem uſque ab initio, ità ſe habuit. Captus amore Vualdradæ pellicis Lotharius, Lotharingiæ Rex, & Ludovici II. Imperatoris germanus frater, eam optavit ſibi in Conjugem copulare, & Theutpergam legitimam uxorem, ac Reginam, libello repudii dato, à Connubialibus vinculis ablegare. Cujus dementiam confovere citò non omiſerunt Guntharius Colonienſis, & Theutgaudus Trevirenſis Archipræſules, quià eorum prior, frater, & poſterior, patruus erat Vualdradȩ (*b*), vel ut aliis placet, quià Lotharius Guntharii neptem in Matrimonium ducere ſpoponderat, ſi ei licuiſſet Theutpergam Conjugem repudiare (*c*). Convocatis ergò ad Concilium Epiſcopis in Lotharingiȩ finibus conſtitutis, totoque negotio ad normam Regiæ cupiditatis tractato, prȩcipiti ſententiâ, Aquiſgrani anno 862. pſeudoſynodalitèr pronuntiatâ, Lotharius à vinculo matrimoniali, quo jamdudùm fuerat Theutbergæ junctus, ſolutus eſt (*d*).

(b) *Foreſt. Mappam. Hiſt. in Nicol. Pap. I. §. 9. f. 375.*
(c) *Cardin. Baron. ann. 862. n. 31.*
(d) *Baron. ann. 862. num. 22.*

46. Iniquæ ſententiȩ, bina falſitas dedit obtentum: Altera quod Theutperga cum proprio fratre Umberto, Abbate S. Martini de Luxemuille inceſtum anteà commiſiſſet (*e*): Altera quod Lotharius, adhùc in minori ætate conſiſtens, sè Vualdradæ matrimonialitèr conjunxiſſet, nec poſteâ Thentpergam, niſi animo reluctante, ac Patre Lothario Auguſto prȩcipiente, in locum Conjugis ſuſcepiſſet (*f*). Reclamante autem Theutpergâ à ſententiâ illâ Mœchoſynodi Aquiſgranenſis; Pontifex novum Concilium Metis celebrari præcepit, cauſamque quietiùs, atque magis formitèr ventilari; illùc etiam ad hoc directis Rodoaldo Portuenſi, & Joanne ſocio ejus, Sedis Apoſtolicȩ Legatis (*g*), ut negotium proùt de jure, ſinè partium acceptione, votis concordibus finiretur. At convocato Concilio Metenſi anno 863. Legati, cæterique Epiſcopi, quà auro Guntharii, & Theutgaudi corrupti, quà dolis, & artibus utriuſque Archipræſulis irretiti; judicium adversùs Theutpergam Reginam, injuſtiſſimè protulerunt. De quibus Legatis, hæc habet Regino: *In Franciam venientes, pecuniâ corrupti, magis faventes iniquitati, quàm æquitati: Tandèm ad Regem pervenientes, cum ei declaraſſent legationis ſuæ cauſas, tale reſponſum acceperunt, sè nihil aliud egiſſe, niſi quod Epiſcopi illius Regni,*

(e) *Bail. ſum. Conc. tom. 2. ad Conc. Aquiſgran. ann. 862. Card. Baron. eodem anno num. 29.*
(f) *Baron. & Bail. loc. citat.*
(g) *Binius, Bail. & alii ad Concilium Metenſe ann. 863.*

in generali Synodo ſibi agendum præmonſtraſſent. Dederunt autem iidem Legati conſilium Regi, ut illos Epiſcopos, qui illi Synodo præfuerunt, ad Sedem Apoſtolicam deſtinaret, qui verbis, ac ſcriptis Univerſali Papæ ſatisfacerent (a).

(a) Regino in Chronic. Baron. ann. 863. & num. 8.

47. Dè Concilio Metis ſuper hac rè celebrato, ea, quæ ſequuntur, enarrat Auctor incertus Annalium eorum temporum, quos edidit Pithęus: *In Regno Lotharii, prò eo quod dimiſſâ uxore legitimâ, alteram duxit, Synodus in Metis congregata eſt omnium Epiſcoporum ejus, præter Hungarium Trajectenſem, quem ęgritudo detinuit. Aderant & Miſſi Nicolai Romani Pontificis, ob eandem cauſam diligentèr inveſtigandam directi: In quo, negotio ventilato, Rex factum ſuum, proptèr quod arguebatur, conſilio, & auctoritate Epiſcoporum ſe feciſſe ſeſtatus eſt. Quod illi non inficiantes, quaſdam aſſertiones rationum veriſimilium, quibus geſtę rei qualitatem munire nixi ſunt, oppoſuerunt, eaſque literis comprehenſas, ut Legati Apoſtolici ſuggeſſerunt per Guntharium Agrippinæ Coloniæ, & Theutgaudum Trevirenſem Galliæ Belgicæ Archiepiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Pontifici probandas tranſmiſerunt. Qui convocato Romanę Sedis Epiſcoporum Concilio, & Metenſem anathematizavit Synodam, & ad ſe miſſos Epiſcopos depoſuit, & communione privavit* (b). Nimium patentèr oppreſſa erat juſtitia; fędata Sanctitas Matrimonii; corrupta auctoritas Sacerdotalis; injuriâ affectâ Sedes Apoſtolica in pręvaricatione ſuorum Legatorum; Reginæ demùm innocentiâ depreſſa; ideòque Nicolaus Papa I. Zelo percitus, quo flagrabat, & Pſeudoſynodum Metenſem, & utrumque Archiepiſcopum, cunctorum uſque tùnc patratorum facinorum architectos auctoritate Apoſtolicâ condemnavit.

(b) Annal. Francic. ap Pithæum ann. 863. fol. 80.

48. Sententia in utrumque Archipræſulem lata, ità ſonat: *Nicolaus ſervus ſervorum Dei reverendiſſimis, & Sanctiſſimis fratribus noſtris Archiepiſcopis in Regno Ludovici Regis Germaniæ conſtitutis. Scelus, quod Lotharius Rex, ſi tamèn Rex dici poſſit, qui nullo ſalubri regimine corporis appetitus refrænat, ſed lubricâ enervatione magis ipſius illicitis motibus cedit in Theutperga ſcilicet, & Vualdrada commiſit, omnibus manifeſtum eſt. Sed & dudùm Epiſcopos Theutgaudum, & Guntharium in tali facto eum hubuiſſe tutores, atque fautores, pęnè totus nobis orbis, undique ad limina, ſeù Sedem Apoſtolicam confluens referebat: abſentibus quoque id ſcribentibus noſtro Apoſtolatui. Quod nos tantò credere renuimus, quantò de Epiſcopis tale quid audire nullatenùs ſperabamus, donèc ipſi Romam tempore Concilii venientes, coram nobis, & Sanctâ Synodo, tales inventi ſunt, quales fuerant à multis ſępè prædicati &c. Igitùr decernente Nobis, cum Sanctâ Synodo, in præſentiâ depoſiti, & ab officio Sacerdotali excommunicati, atque à regimine Epiſcopatus alienati indubitantèr exiſtunt. Undè noſtra fraternitas Canonum normam cuſtodiens, & decretorum ſanctiones obſervans, eavet, nè hos, quos nos abjecimus, recipere in Sacerdotum catalogo quis præſumat &c. Synodum, quę nupèr, ideſt ſub piiſſimo Imperatore Ludovico per Indictionem XI. Menſe Junio, in Metenſium Urbe ab Epiſcopis, qui noſtrum prævenerant Judicium, collecta eſt, quippè Apoſtolicæ Sedis inſtituta temerè violaverunt, & tunc, & nunc, & in æternum judicamus eſſe caſſatam, & cum Epheſino latrocinio reputatam, Apoſtolicâ auctoritate in perpetuum eſſe ſancimus damnandam, nec vocari Synodum, ſed tamquàm adulteris faventem proſtibulum appellari decernimus &c. Theutgaudum Trevirenſem Primatem Belgicę Provincię, & Guntharium Agrippinę Colonię Epiſcopos, nunc coram nobis, & Sanctâ Synodo, ſub geſtorum inſinuationem, qualitèr cauſam Lotharii Regis, & duarum mulierum ejus, Theutpergæ ſcilicèt, & Vualdradæ sè recognoverint, & judicaverint ſcriptum ſuper hoc propriis roboratum manibus offerentes, nihilque sè plùs, vel minùs, aut alitèr egiſſe ore proprio multis coram poſitis affirmantes &c. in quibus invenimus eos Apoſtolicas, atque Canonicas ſanctiones in pluribus exceſſiſſe, & æquitatis normam nequitèr temeraſſe, omni judicamus Sacerdotii officio permanere penitùs alienos, Spiritus Sancti judicio, & B. Petri per*

nos

nos auctoritate omni Epiſcopatus exutos regimine conſiſtere definientes. Quod ſi juxtà præcedentem conſuetudinem, tamquàm Epiſcopi, auſi fuerint aliquid de ſacro miniſterio attingere, nullo modo liceat eis, nec in aliâ Synodo, reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis, ſed communicantes eis omnes abiici de Eccleſiâ, & maximè ſi poſteà quàm didicerint adversùs memoratos prolatam fuiſſe ſententiam, eiſdem communicare tentaverint (*a*).

49. Ad hæc autem audita in furorem acti Guntharius, & Theutgaudus, depravato animo illos dietim ad deteriora impellente, prò eo ut à Romano Pontifice Chriſti Vicario, & Petri Succeſſore, de exceſſibus ſuis veniam humilitèr poſtularent; Ducis ſuperbiæ sè regimini commiſerunt, & mala malis comulantes, eò uſque pervenerunt, ut adversus Nicolaum Pontificem retorſerint anathemata (*b*). Contrà illum etiam prò poſſe concitaverunt Ludovicum II. Imperatorem, tunc Beneventi conſiſtentem, qui proptèr hoc sè Romam contulit: At nihil proficiens in concuſſione Pontificis, timoris neſcii, & in propoſito conſtantiſſimi, terga vertit Urbi, & Beneventum iterùm ſe recepit (*c*). Archipræſules verò præfati nihil paritèr in ſuis dolis, & artibus proficiente, tandèm impii Photii Schiſmati ſe junxerunt (*d*), & inconſutilem Chriſti Chlamydem, quantum in eis fuit, diſcerpere, atque in plura fruſtrà ſcindere ſategerunt. Aliquandò tamèn, Divinâ miſeratione, ad cor reverſi, à Romano Pontifice veniam poſtularunt, & ad communionem laicam reſtituti ſunt, ſed non ad Sedem (*e*). De Gunthario, ait Annaliſta præfatus apud Pithæum: *Guntharius Coloniæ Civitatis Archiepiſcopus, pœnitentiâ ductus, quod contrà Domnum Apoſtolicum injuſtæ rationis contentionem incohaverat, reconciliationis ſuæ, & emendationis gratiâ Romam profectus, in præſentiam Apoſtolici viri Nicolai venit: ſed veniam minimè conſecutus eſt* (*f*). Veniam, ideſt, quantum ad reintegrationem ad Sedem amiſſam, & Epiſcopalis ordinis exercitium.

(a) *Annal. Franc. apud Pithæum loc. cit. à fol. 82.*

(b) *Annal. Franc. loc. cit. f. 87.*

(c) *Card. Baron. an 861. n. 26.*

(d) *Idem Baron. an. 861. n. 27.*

(e) *Card. Baron. an. 863. n. 50. & 864. n. 27.*

(f) *Annal. Franc. ann 864. apud Pithæum loc. cit. f. 89. & Baron. loc. cit.*

50. Rebus ità ſe habentibus, ac Lothario Rege tàm Guntharium Colonienſem, quàm Theutgaudum Trevirenſem Archiepiſcopos, Apoſtolicâ auctoritate depoſitos, & verbis, & armis protegente, atque in poſſeſſione Eccleſiarum, à quibus dejecti fuerant, confovente; per abuſum laicæ poteſtatis, interdicebatur Clero, & Populo, tùm Trevirenſis, tum Colonienſis Eccleſiarum, novos Archipræſules per viam electionis Canonicæ deſignare, vel ad ſummum non niſi illos eligi permittebatur, quos Theutgaudi, & Gunthàrii, atque Vualdradæ favor, & potentia locari in utraque Cathedrâ deſtinaſſent. Nicolaus Papa propterèà, datis literis ad Ludovicum Germaniæ Regem, inſtetit, ut electio Canonica ſineretur in utrâque Eccleſiâ, juſtitiâ ſic poſcente, compleri: aliàs ad sè, de hoc, & de aliis, excuſandum Lotharius Romam perperàm properaret, vultum Pontificium non viſurus, niſi de proprio Clero in Agrippinenſi Coloniâ, & Trevirenſi Eccleſiâ Epiſcopos permitteret ordinari. Hæcque præſertìm Pontifex in literis explicavit: *Ut novi Trevirenſi, & Colonienſi Eccleſiis Antiſtites darentur, injunximus, videlicet qui nec per Theutgaudi, & Guntharii, dudùm Epiſcoporum, nec per jam fatæ Vualdradæ favorem proveherentur, ſed canonicè à filiis, & de filiis nominatarum Eccleſiarum electi, ab his, qui earundem Eccleſiarum Antiſtites ſolitì ſunt conſecrare, regularitèr ordinarentur* (*g*).

(g) *Nicolaus Pap. I. epiſt. 55.*

51. Patet ergò ex totâ ſerie ſucceſſus, intentum Papæ non prò excluſione extraneorum, & incluſione Indigenarum laboraſſe, ſed prò tuendâ libertate Canonicæ electionis, ut non aliqui Clerici, de Palatio ſumpti, vel à Vualdradâ, aut ab Archiepiſcopis depoſitis deſignati, in utramque Cathedram inſilirent; ſed liberum relinqueretur Clero, & Populo illarum Eccleſiarum, ſibi Præſules conſtituere, ſivè de Clericis ipſarum Eccleſiarum filiis, uti honeſtas, & æquitas eccleſiaſtica depoſcebat: ſive de Clericis aliundè ſuſceptis, prouti rigor Sacrorum Canonum permittebat, & uti pluries anteà, & pluries poſteà tàm in Colonienſi, quàm in Tre-

Trevirenſi Sedibus locati ſunt Clerici extranei, modis tamèn legitimis conſtituti (*a*). Et ſanè Nicolaus, mandans eligi Archiepiſcopos *à filiis*, *& de filiis nominatarum Eccleſiarum*, non aliud intendit, quàm id, quod animo volutavit, dùm ſimilia ſcripſit in causâ Egilonis Senonenſis: & ideo quibus reſponſis illa ſuperiùs evacuavimus, hęc quoque reſolvuntur: illùc proinde doctum Lectorem remittimus, nè ſemel ibi dicta, hìc rursùs citrà neceſſitatis debitum repetantur.

52. Cæterùm dicimus, quod admiſſa etiam totâ ſerie hiſtoriarum Egilonis præfati Senonenſis, Hilduini Cameracenſis, & Guntharii Colonienſis, ac Theutgaudi Trevirenſi, in eo ſenſu, quo Contradictoribus placet, licèt à veritate ſatis devio; adhuc nihil indè concluditur adversùs libertatem Eccleſiæ in conferendo eccleſiaſtica beneficia etiam Clericis extraneis: quia, quidquid ſit, an in Germaniâ, & Galliâ tempore Nicolai Papæ I. atque dictorum Epiſcoporum, poſſent beneficia Pontificalia Clericis extraneis concedi, necnè, quoàd utramque Regionem res nunc penitùs ſunt mutatæ, proptèr Concordata Germanica intèr Nicolaum Papam V. & Fridericum III. Imperatorem ſancita (*b*), & proptèr Concordata Gallica, intèr Leonem Papam X. & Franciſcum I. Galliarum Regem, concluſa (*c*). Et ſicut non obſtantibus placitis præmemoratis Nicolai Papę I. in cauſis Egilonis, Hilduini, Guntharii, & Theutgaudi, hodie tàm in Germaniâ, quàm in Galliâ omnes, ad quos ſpectat eccleſiaſtica beneficia, vel per viam collationis, vel per viam nominationis, vel per viam electionis Canonicę dilargiri, ea liberè, & licitè poſſunt impertiri Clericis, nedùm Extradiœceſanis, ſed etiam Extraprovincialibus, imò & etiam Extranationalibus (ſi ſuper privilegio Nationalitati legitimè diſpenſetur) ità & multò magis in aliis locis, ubi res Germaniæ, & Gallię legem non faciunt, & privilegium Nationalitatis non adeſt, beneficia eccleſiaſtica liberè poſſunt Extranei erogari. Multiplicatis ergò hiſce Reſponſionibus, talitèr evaneſcit argumentum ſeptimo loco à Contradictoribus allegatum, ut ex eo nihil prorsùs præjudicii libertati Eccleſiaſticæ inferatur, quominùs hìc poſſit jam demùm inconcuſsè reſolvi, liberum, & licitum eſſe Eccleſię, ſacras præbendas, & eccleſiaſtica beneficia etiam Clericis extraneis impertiri, dummodò probis, idoneis, benemerentibus, atque dignis.

(*a*) *Vid. Seriem Archiepiſc. Colonienſ. & Trevirenſ. apud Gualter in Chron apud Bucell. & alios.*

(*b*) *Nicol. Pap. I. Conſtit. 1. in Bullar. Laert. Cherubini.*

(*c*) *Leo Pap. X. Conſtit. 20.*

CA-

CAPUT XIX.

In quo novæ Objectiones HISTORICÆ *diluuntur, à Contradictoribus propoſitæ adversùs libertatem Eccleſiæ, in conferendo, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis Eccleſiaſtica Beneficia.*

SUMMARIUM.

1 Octava Objectio, *ex facto Actardi Nannetenſis, qui amiſsâ Sede non potuit aſſequi Morinenſem, ut extraneus, ſed Turonenſem, ut indigena.*

2 *Actardus Romam adiit, ubi Pallio Archiepiſcopali donatus eſt, cum indulto, ut alteri Eccleſiæ præfici poſſet, ſi quæ vocaret.*

3 *Hinc tractatum eſt de illo Sedi Morinenſi præficiendo, ſed res evanuit. Citò verò vacante Turonenſi Eccleſiâ, iſtam adeptus eſt.*

4 *Actardus origine Turonenſis adipiſci potuit Epiſcopatum Nannetenſem, à quo erat extraneus. Nomenojus recuſat aperire literas Papæ ſinè titulo Regio.*

5 *Salomoni, tamquam Regi Britanniæ, Hadrianus Papa II. literas dedit. Actardus vi Canonis Antiocheni poterat cuilibet Eccleſiæ præfici.*

6 *Hincmarus non reſtitit Actardo propter extraneitatem. Actardus fuit incardinatus in Sede Morinenſi, indè translatus ad Turonenſem.*

7 *Reſtitit Hincmarus, tùm quià Actardus à Clero, & Populo Morinenſi non petebatur. Tùm quià regebat adhùc reliquias ſuę Diœceſis.*

8 *Eccleſiam, quam negavit in titulum, Hincmarus concedi aſſenſus eſt in* Commendam. *Beneficiarius, & Commendatarius in multis conveniunt.*

9 *Volubilitas, & contentioſitas Hincmari obſtitit Actardo pro aſſecutione Sedis Morinenſis, quam adjuvit pro acquiſitione Turonenſis: indè eam improbavit.*

10 *Mutatâ opinione arguit Actardum, quod Nannetum reliquiſſet, in quo poterat prædicare, & officia Epiſcopalia exercere.*

11 *Ità Hincmarus nedùm improbavit tranſitum Actardi ad Sedem Morinenſem, ſed etiam ad Turonenſem, cujus fuerat Clericus, & indigena.*

12 Nona Objectio *ex rejectione Theutboldi, & Egilonis à beneficio Epiſcopali Lingonico, tamquàm extraneorum, & electione Argrini indigenæ.*

13 *Teutboldus non erat indigena, ſed extraneus, & tamèn Clerus, & Populus, atque Pontifex pro illo ipſi Eccleſiæ præficiendo laborarunt.*

14 *Egilo erat extraneus, non propter extraneitatem tamen, ſed propter intruſionem repulſam puſſus eſt ab Epiſcopatu Lingonienſi.*

15 *Magna erat olim pars Metropolitani in electione Antiſtitum, ſi eligentium vota ſcindebantur, Metropolitanus alteri ex Candidatis accedebat.*

16 *Debebat Epiſcopus in propriâ Eccleſiâ, coram Coepiſcopis conſecrari, quod non fuit factum in Egilone, à Lingonienſibus refutato.*

17 *Nulla habetur notia, quod Argrinus, apud Lingonienſes eſſet indigena. Theutboldus fuit repulſus, tamquàm canonicè non electus.*

18 *Variis affectibus perlati ſunt Lingonienſes modò in Theutboldum, modo in Argrinum, propter diverſas cauſas.*

19 De-

19 Decima Objectio *ex juſſionibus D. Gregorii Papæ VII. ut Epiſcopatibus præficerentur Clerici de gremio. Sic in Italiâ, & in Galliâ juſſit.*

20 *Quoàd* Hiſpaniam *ſimilia ſcripſit Alphonſo Caſtellæ Regi. Abbates quoque mandavit eligi de gremio Monaſterii.*

21 *S. Gregorius VII. non præcipiendo, ſed deſignando, non de rigore juris, ſed de honeſtate eſt locutus, tamquàm cujus erat perfectiora ſuggerere.*

22 *Plurima deſideravit D. Gregorius Magnus in promovendis ad Eccleſias, quæ neceſſaria non ſunt, ſed ſolam perfectionem concernunt.*

23 *Aliquandò D. Gregorius approbat, ut Laicus fiat Epiſcopus, aliquandò interdicit, ne Laicus cujuſcumque meriti promoveatur.*

24 *Gregorius Papa VII. in minoribus plura beneficia obtinuit in locis, à quibus erat extraneus, & ut ab aliis obtinerentur, operatus eſt.*

25 *Factus Pontifex plura fecit, & plura notabilia paſſus eſt. Multos extraneos ad beneficia eccleſiaſtica promovit.*

26 *Qualis, & quantus vir fuerit Gregorius VII. prudentiâ, fortitudine, & ſanctitate conſpicuus, & Martyrologio Romano inſcriptus.*

27 *Non potuit exigere Gregorius VII. ut ex debito, quod beneficiarii eſſent indigenæ, ſi ipſe & ſuſcepit, & dedit beneficia extraneis.*

28 *Gloria S. Gregorii VII. nunquàm decidet, cum ſanctitate floruerit, nec eſt credendum, quod voluerit leges divinam, & naturalem tranſgredi.*

29 Undecima Objectio, *ex eo quod uſque ad Sæculum Chriſti XII. dicit Balſamon illicitum fuiſſe Epiſcopis alienos Clericos ſuæ Eccleſiæ inſerere.*

30 *Nunc non eſt, nec erat olim idem Clero alicujus Eccleſiæ inſeri, & ibi ſportulas, vel beneficia ſacra nanciſci. Hæc quibuſnam deberentur.*

31 *Rationes aliquæ particulares concurrunt in ordine, quæ non concurrunt in beneficio: A diverſis autèm non fit illatio.*

32 *Olim erat licitum cuilibet Epiſcopo alienum Laicum prævenire, & ſuo Clero inſerere ordinum collatione: non ſic de alienis Clericis.*

33 *Cenſebatur eſſe privilegium primarum Sedium poſſe ſinè aſſenſu proprii Epiſcopi alienum Clericum accipere, & alibi Clero inſerere.*

34 *Intelligit Balſamon, quod Patriarcha Conſtantinopolitanus poterat nedùm Laicos, ſed etiàm Clericos alienos ad ſe trahere.*

35 *Convincitur mendacii Balſamon, qui cum eſſet Conſtantinopolitanus, nihilominùs Patriarchatum Antiochenum accepit.*

36 *Poſt Leontium tentavit Balſamon fieri Patriarcha Conſtantinopolis. Quâ arte deluſus fuerit ab Iſaacio Imperatore, qui Doſitheum illùc tranſvehi fecit.*

37 *Ex multis titulis convincitur falſitatis Balſamon in ſuâ depoſitione: nàm non potuit ignorare privilegia primarum Sedium.*

38 *Balſamon fuit hoſtis acerrimus Latinorum, & Romanorum Pontificum infamator: inimicis autèm non creditur.*

39 *Doctrinâ Bolſamon abundavit, ſed ei in pluribus non eſt deferendum, præſertim in rè, de quâ agimus, & cur?*

40 *Novella Juſtiniani non impedivit, nè liceret alienos Clericos admittere, ſed vetuit, ne Eccleſiæ gravarentur numero Clericorum.*

QUAM-

Digitized by Google

1. QUEMADMODUM uſque nunc multimodarum ſpecierum Objectiones feliciter diſſolvimus, ità non diffidimus etiam ſubſequentes, Deo dante, pariformitèr enodare, & ideò alacritèr illas aggredimur, quæ ſucceſſivè nobis à Contradictoribus opponuntur. *Arguunt autèm ipſi octavò* ex hiſtoriâ Actardi Nannetenſis Epiſcopi, qui à Sede ſuâ per Normannos ferro, & igne cuncta depopulantes expulſus, cum diù ſine Sede vagatus fuiſſet, Hadrianus Papa II. voluit ipſum Eccleſiæ Morinenſi, ſeu Teroanenſi, fortè tùnc vacanti præficere. At reſtitit hujuſmodi conatui pertinaciſſimè Hincmarus Remenſis declamans hoc ſacris Canonibus obviare, quippè Morinenſis Epiſcopatus erat in provinciâ Remenſi, Actardus verò, ratione Eccleſię Nannetenſis, ad Turonenſem provinciam pertineret: *Epiſcopus autèm in duabus provinciis regularitèr conſcribi non poterat* (*a*). Quæ dùm agerentur, contigit vacare Eccleſiam Turonenſem. Epiſcopi autèm Concilii Duziaceni, cenſuerunt Actardum illi Metropoli præficiendum, tamquàm, *in eadem Eccleſiâ baptizatum, tonſum, & nutritum, ac per ſingulos gradus ad ordinem Epiſcopatus provectum* (*b*). En ergò, inquiunt Contradictores Actardum repulſam paſſum à Sede Morinenſi conſequendâ, eâ præciſâ ratione, quod ibi erat extraneus: Et admiſſum ad Turonenſem, hac ſolâ causâ, quià ejus erat indigena. Ex quo facto inferunt ipſi, quod beneficia eccleſiaſtica, repulſis extraneis, ſunt ſolis indigenis conferenda.

(a) *Hincm. Remenſ. epiſt. ad Hadrian. II.*

(b) *Conc. Duziacen. epiſt. ad Hadrian. II.*

2. Reſpondetur *primò*, retorquendo argumentum ex totâ ſerie ſucceſſus, quę ità ſe habet. Actardus in Eccleſiâ Turonenſi baptizatus, Clericatu inſignitus, & uſque ad Presbyteratum evectus, viduatę Eccleſiæ Nannetenſi, quæ Turonicæ Metropoli jure ſuffraganeo ſubdebatur, Pręſul eſt datus: ibi cum jam ad ſenectam, & ſenium in ætate profeciſſet, contigit, quod à Nomenojo, Duce Normannorum, fuit à ſuâ Eccleſiâ depulſus (*c*). In eam autèm Caroli Calvi Regis Francorum operâ reſtitutus, brevi rursùs ab ipſamet fuit Sede per Salomonem novum Regem Nomenoii ſucceſſorem violentèr expulſus: Itidèmque fuit Urbs Nanneticâ ad ſolum diruta, atque penitùs devaſtata (*d*). Poſt tantæ deſolationis decennium, Actardus Romam perrexit, velut ad Præſulum, perſecutiones patientium, tutiſſimum aſylum; filius ad Matrem; Civis ad communem Patriam: ibi & ſolatium, & præſidium, ruenti jam ad interitum vitæ ſuæ, à Summo Pontifice poſtulaturus (*e*). Euntem literis comitatus eſt Carolus Rex, quibus & vaſtitatem Urbis Nanneticæ deſcribebat, & Pontificem interpellabat, ut alia Sedes afflicto Actardo, ſi quæ fortè vacare contingeret, præberetur. *Civitas*, inquit, *olim florentiſſima nùnc exuſta, & funditùs diruta redacta per decennium cernitur in eremum &c. Si annuit veſtræ diſcretionis ſolertia, optamus vacantis Sedis conſtituatur in Cathedrâ* (*f*). Literas ipſas, & Actardum benignè accepit Hadrianus II. Nicolai Papæ mox prædefuncti ſucceſſor, qui benemerenti Præſuli, & alimenta, & ſubſidia congrua largitus eſt; & in præmium preſſurarum, quas à Normannis, & Barbaris paſſus fuerat, eum poſtquàm præconiis cumulavit, Pallio quoque Archiepiſcopali donavit (*g*). Herardo etiam Turonenſi ſcripſit, ut eidem Abbatiam, quam in Diœceſi Turonicâ poſſederat, largiretur: *charitatem tuam his hortamur, & deprecamur apicibus &c. ut Monaſterium illud, quod olim in Diœceſi ſuâ tenuiſſe dignoſcitur, tua nunc conſequatur, ob amorem jam memoratorum Apoſtolorum largiente benevolentiâ* (*h*). Demùm illum, ut poſſet aliam Epiſcopalem, ſeu Archiepiſcopalem Cathedram adipiſci, Apoſtolicis literis communivit. Ut enim & hoc ei concederetur indultum, Patres Concilii Sveſſionenſis Hadrianum interpellaverant: qui proindè reſcripſit, *Decernimus hunc Eccleſiæ, quæ ſuo fortè fuerit viduata Paſtore, penitùs incardinari* (*i*).

(c) *Card. Baron. an. 868 n. 18 &c.*

(d) *Thomaſſin vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 1. c. 63. n. 3. 9.*

(e) *Vid. epiſtol. Synodi Sveſſionen. ad Nicol. Pap. I. inter epiſtolas Hincm. Remenſ. f. 533. Vide etiam Sirmond. Conc. Gall. tom. 3 à fol. 363 ad 369.*

(f) *Carol. Calv. epiſt. ad Hadrian. II. ap Sirmond. in to. 3. Concil. Gall. fol 362.*

(g) *Card. Baron. an. 868 à n. 18*

(h) *Hadrian. II. ep. 5. Concil. Gall. to. 3. f. 369*

(i) *Hadrian. Pap. II. ep. 2. ap Sirmond to. 3. Conc. Gall. f. 365.*

3. Actum eſt ergò de Actardo Eccleſię Morinenſi, tùnc viduæ præficiendo, ſed obſtitit fortiſſimè Hincmarus, & res infecta remanſit (*l*). Vacante verò ſubindè Metropoli Turonenſi, Concilium Duziacenum cenſuit Actardum eſſe in illius

(l) *Thomaſſin. loco citato n. 9.*

Cathedrâ collocandum; & itâ factum eſt, ſcribentibus Patribus Hadriano Pontifici: *Venerabilem fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Actardum, quem Clerus, & Plebs Metropolis Eccleſiæ Turonenſis in eâdem Eccleſiâ baptizatum, tonſum, & nutritum, ac per ſingulos gradus ad ordinem Epiſcopatus provectum ſibi incardinari depoſcit; quemque veſtra paternitas nobis incardinandum, etiam ſi locus eveniret in noſtris regionibus in Metropoli recommendavit, auctoritati veſtræ remittimus: quatenùs illum, in præfatâ Metropoli, & ſi vobis placet, eo tenore Archiepiſcopum incardinetis, ut poſt deceſſum illius, præfatæ Metropolis Eccleſiæ, Cleri, & plebis electione, ſicut regulæ ſacræ præcipiunt, & vetus conſuetudo exigit, à Suffraganeis, & Provincialibus Epiſcopis, ibidem Metropolitanus ordinetur Epiſcopus* (a). Annuit Pontifex votis Concilii, hoc inter cætera, ei dato reſponſo: *Sicut Synodus expoſtulavit, Plebs, & Turonicus Clerus eum concorditèr eligit, per noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis decretum conſtituimus Cardinalem Metropolitanum, & Archiepiſcopum Turonicæ Eccleſiæ, atque Provinciæ* (b). Igitùr tàm Pontifex præcipiens, quàm Rex Carolus, & Epiſcopi Gallicani, Papam interpellantes, ut Actardo alius Epiſcopatus conferretur, & de facto illum ad Sedem Turonicam promoventes, à qua poſt ſuſceptam Eccleſiam Nannetenſem factus erat extraneus, geſtis ſuis docuerunt, potuiſſe Actardum etiam in locis beneficia Epiſcopalia adipiſci, à quibus erat extraneus.

(a) *Concil. Duziacen. ann. 871. epiſt. ad Hadrian. PP. II.*

(b) *Hadrian. PP. II. epiſt. 27 apud Sirmond to. 3. Conc. Gall. f. 398.*

4. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm retorquendo argumentum ex alio capite. Nàm ſi Actardus, tametſi ortus, baptizatus, & Clericatus, atque Abbatiâ inſignitus in Metropoli Turonenſi, adhuc licitè potuit primâ vice beneficium Epiſcopale in Eccleſiâ Nannetenſis nanciſci, à qua erat extraneus; jam ex ejus hiſtoriâ probatur, poſſe beneficia Epiſcopalia, & multò magìs beneficia ordinis inferioris, quæ in hac parte regulantur ad formam ſuperiorum (c), etiam Clericis extraneis diſpenſari. Actardus etenim quomodò ex æquo eſſe poterat ſimul, & ſemel, indigena Turonis, & Nanneti, quæ urbes ſunt inter ſè per multa milliaria diſtantes? Quandò Clericatum, & Abbatiam in Turonenſi Eccleſiâ tenebat, à Nannetenſi erat extraneus: Quandò Epiſcopatum in Nannetenſi accepit, factus eſt hic indigena, & à loco Turonenſis Urbis extraneus, ac ſinè dubio, vel in primâ, vel in ſecundâ Eccleſiâ erat extraneus; & nedùm extradiœceſanus, ſed etiam extranationalis. Nàm Regio Armoricæ, ſivè Britanniæ, in quâ ſita eſt Urbs Nannetenſis, tunc parebat Salomoni, Regi proprio illius Regni (d), quod Nomenojus ejus Anteceſſor tantâ ab omnibus independentiâ voluit retinere, ut Leonis Papæ IV. epiſtolam ad eum datam, quâ illum ad obſequium Galliarum Regi debitum revocabat, nec recipere, nec viſu excurrere ſit dignatus: proptèr quod Epiſcopi Concilii IV. Turonenſis in illum valdè commoti ſunt (e), eumque hiſce juſtis increpationibus objurgarunt: *Omnem læſiſti Chriſtianitatem, dum Vicarium B. Petri Apoſtolicum, cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum ſprevisti &c. Ne literas quidem ipſas recepiſti! In eo igitur læſiſti Apoſtolos, quorum eſt Princeps Petrus: læſiſti Epiſcopos, qui jam cum Deo regnant in Cœlis, & miraculis corruſcant in terris: læſiſti & nos, qui etſi non habemus eorum meritum, idem tamèn, divinâ gratiâ, poſſidemus officium* (f).

(c) *Leſſius de Juſt. & jur. l. 2. c. 34. dub. 14. n. 64. Barboſ. vot. 33. num. 4.*

(d) *Argentreus in hiſtor. Britan. l. 2.*

(e) *Concil. Turon. 4. ann. 849. ap. Sirmond. tom. 3. Conc. Gall. f. 70.*

(f) *Lupus Ferrarienſ. in Concil. Turon. 4. loc. cit.*

5. Poſt Nomenojum, Salomon præfatus, Britanniæ regimen aſſecutus, illam fiduciario jure à Carolo Calvo Gallorum Rege retinere eſt profeſſus, Regiis tamèn ornamentis, atque nomine utens (g), cui & tamquàm Regi, Pallium Archiepiſcopale, prò Feſtiniano Epſcopo Dolenſe, petenti, Hadrianus Papa II. literas dedit ſub hoc titulo: *Dilectiſſimo filio, & Amantiſſimo Salomoni Regi Britannorum &c.* (h). Itâ cum Actardus uti Epiſcopus Nannetenſis ad Salomonis Regnum, & Nationem Brittanicam pertineret, erat extranationalis in Urbibus Turonicâ, & Morinenſi, quæ ad Regnum Caroli Calvi attinebant, attamèn & Papa, & Carolus Rex, atque Epiſcopi Gallicani Actardum primò Sedi Morinenſi præficere deſignarunt, & poſteà de facto in Turonenſi Cathedrâ collcarunt, rati proculdubiò,

(g) *Argentreus hiſtor. Britan. l. 2. 27.*

(h) *Cardin. Baron. an. 871. n. 80.*

dubiò liberum eſſe Eccleſiæ beneficia eccleſiaſtica tùm Clericis indigenis, tùm extraneis elargiri, & nedùm extradiœceſanis, ſed etiam extraprovincialibus, & extranationalibus, dummodò idoneis. Nec minor retorſio argumenti fieri poſſet ex Canone Antiocheno, præcipiente, poſſe Epiſcopos, à ſuis Sedibus expulſos, aliis præfici Eccleſiis, dummodò integri, & perfecti Concilii accederet auctoritas, & aſſenſus (*a*). Cum etenim Actardus, non ſuo vitio, neque propriis demeritis, ſed tyrannicâ feritate fuiſſet extrà propriam Eccleſiam abactus, profectò, vi dicti Canonis Antiocheni, tàm Morinenſem, quàm Turonenſem, atque alias quaſcumque Eccleſias, Paſtore viduatas, liberè poterat adipiſci, quantùmlibet ab illis eſſet extraneus: & ità ex facto Actardi, prò eo quod probetur, extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos, potiùs probatur potiùs ad ea eſſe admittendos. Sed quià de præfato Canone Antiocheno, jam ſuprà fuſiùs eſt tractatum (*b*), parcimus hic ſub ejus auctoritate hiſtoriam Actardi, ad favendum cauſę noſtræ, pertrahere.

(a) *Concil. Antiochen. ann. 341. c. 16.*

(b) *Vid. ſupr. tom. 1. ſæcul. 4. c. 6. n. 3.*

6. Reſpondetur *tertiò*, negando ſuppoſitum, nempè quod operâ Hincmari Remenſis, denegata fuerit Actardo Nannetenſi Eccleſia Morinenſis, quià ab illâ eſſet extraneus; nàm in primis non caret ſolido fundamento opinio, quod Actardus verè Eccleſiam Morinenſem in titulum ſit adeptus, & indè ad Turonenſem fuerit poſtmodùm translatatus, ſi perpendatur, quod non multos poſt annos, vaſtatâ à Normannis Urbe Morinenſi, Fulco Archiepiſcopus Remenſis, transferre indè aggreſſus eſt Herilandum Epiſcopum ad aliam Cathedram, tunc vacantem, & Teroanenſi, ſeù Morinenſi alium Paſtorem præficere, illis gentibus magìs gratum. Sed antequàm id perficeret, Conſilium à Formoſo Papâ popoſcit, de quo Flodoardus: *Quià homines præfatæ Teroanenſis Parochiæ barbaricæ videbantur eſſe feritatis, & linguę: ſupplicat, ut reſponſo Papæ mereatur certificari, ſi hunc viduatę debeat præponere plebi, & alterum ei liceret in præmemoratâ ipſius Eccleſiâ ſubrogare, qui acceptior propter parentelam, & linguam in eodem loco poſſet exiſtere* (*c*). Reſponſum Formoſus, morte præoccupatus hiſce literis non dedit: Fulco proindè officia cum ſubrogato illi Pontifice replicavit, *muniens ſe exemplo Actardi Nannetenſis, quem Nicolaus Papa Nannetis Teroanam Teroanâ Turonos transtulerat* (*d*): Quod Fulco non dixiſſet, ſi Actardus verè non fuiſſet in Teroanenſi Sede incardinatus, eamque Eccleſiam non eſſet in titulum aſſecutus.

(c) *Flodoar. hiſt. l. 4. cap. 3.*

(d) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 63. n. 10.*

7. Verùm quidquid ſit de hujuſmodi negotio, licèt Actardus non fuiſſet incardinatus, & in titulum deputatus Epiſcopus Morinenſis, ſeù Teroanenſis non id proceſſit ratione extraneitatis, ſed tùm ex eò quod non erat à Morinenſi Clero, & Populo poſtulatus: juſtum autem non erat ut eis præficeretur Paſtor non petitus: Tùm quià obſtabat illi incompatibilitas, in hoc ſiſtens, quod reliquiæ Nannetenſis Urbis, & Diœceſis, in Turonenſi Provinciâ conſtitutę, adhùc ſuberant regimini Actardi: Cumque Eccleſia Morinenſis ſubeſſet Metropolitanæ Remenſi, Hincmarus Archiepiſcopus, tametſi aliàs diſpoſitus ad parendum Papæ, jubenti, ut Actardo Sedes primò vacatura conferretur; tamen nimium aberrare cenſuit a Sacris Canonibus, quod Actardus, in duabus Provinciis, longè diſſitis, binas regeret ſimul Eccleſias adeò ſeparatas: & ratus id de jure fieri non poſſe; de facto ne fieret, reluctatus eſt, ſcribens proptereà Papæ, in Morinenſi *vacante Eccleſiâ Diœceſeos noſtræ ſecundùm Apoſtolicas literas veſtras incardinari non potuit, quià rei Eccleſiæ Nannetenſis, à Paganis reſiduæ, longè ab Eccleſiâ Morinenſi, Remorum Provinciæ diſtant, & in duabus provinciis regularitèr conſcribi non poterat* (*e*): Notetur autèm illud verbolum *regularitèr*, quod in ſuo vero conceptu ſumptum, ſolitum quidem deſignat, ſed contrarium non excludit: talitèr ac ſi diceret, quod ſecundùm ordinariam praxim Eccleſiæ, & regularitèr non debet quis ad beneficia curata in duabus Provinciis longè diſſitis conſtitnta, conſcribi, ſeù beneficia ipſa in titulum adipiſci; attamèn juſtis ſuccedentibus cauſis, quæ contrarium poſtularent, id poſſe fieri, ſed opus ad id fuiſſet ſpeciali diſpenſatione.

(e) *Hincmar. Remenſ. ep. ad Hadrian. PP. II.*

8. Cui autèm obſtitit Hincmarus, ne beneficium Epiſcopale Morinenſe poſſet in titulum adipiſci, illud ipſum contulit in Commendam, ſcripſitque ad Pontificem Hadrianum, uti refert Thomaſſinus: *commendatum ei à sè fuiſſe Epiſcopatum Teroanenſem, cùm aſſenſu Epiſcoporum Provinciæ, & Regis: conſenſu Coepiſcoporum Remenſis Provinciæ, & favore Caroli Regis* (a). Jàm ergò & Rex Carolus, & Hincmarus Archiepiſcopus, & Epiſcopi ejus Provinciæ definierunt poſſe beneficia etiam reſidentialia, & Epiſcopalia extraneis conferri, ſi non in titulum, ſaltem in commendam, & ſic hiſtoria Actardi habet locum; extranei hucuſque hoc vicerunt, quod eis poſſint, vel à Romano Pontifice, vel ab aliis, ad quos ſpectat, beneficia commendare, beneficia ipſa in commendam concedi: triumphum ergò gerunt in cauſâ; quippè vel eis conferantur beneficia in titulum, vel in commendam, ſi non eſt idem per diverſa, tàm parùm inter ſe diſtant, ut nil diſtare videantur. Nàm Commendatarius, vel idipſum, vel paulò minus habet, quam habeat quilibet alius beneficiarius. Etenim commenda, præſertim perpetua, eſt titulus canonicus (b), & pertinet ad ſimoniam, ſi per pretium acquiratur (c). Commendatarius coequatur beneficiario titulari (d), & uti talis habet liberam poteſtatem omnium ſpectantium ad beneficium, quod poſſidet in commendam (e). Illud poteſt reſignare ad favorem alterius (f), vel cum alio beneficio permutare (g). Tenetur & ipſe ad officium divinum quotidiè recitandum (h), ſubjacet pœnæ non ſe promoventium infrà annum (i). Alia demùm habet, per quæ conſtat inter beneficium, & commendam habere locum regulam illam tritam; quod parum diſtat, nihil diſtare videtur. Itàque non ratione extraneitatis negata fuit Actardo Eccleſia Morinenſis in titulum, ſed ratione incompatibilitatis Eccleſiæ Nannetenſis, quam adhuc regebat, cum Morinenſi, quam erat recturus. Tanta autem incompatibilitas, non ſucceſſit, cum Actardus Infulas ſubiit Turonenſes; tùm quià tam Turonenſis, quam Nannetenſis Eccleſiæ, velut intrà eandem Provinciam ſitę, non habebant rationem tantę extraneitatis; tùm quià Hadrianus Pontifex, utraſque in unam per viam unionis Eccleſiaſticę colligavit, ità tamèn, *quod ſi Nanneticæ contigerit Eccleſiæ ad priorem, Chriſto auxiliante, ſtatum redire, nihil officiat ei hæc neceſſitatis unio, quam videlicet exigit Paganorum vaſtatio; quominùs proprium valeat habere Pontificem* (l). Si autèm non ratione extraneitatis, ſed aliâ de causâ, negata eſt Actardo Eccleſia Morinenſium; jam argumentum, ex hoc deductum, nec proficit indigenis, nec dat extraneis detrimentum.

(a) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 63. n. 11.*

(b) *Cap. dudum de election. c. ſi plures 21. qu. 1. Navar. conſ. 9. n. 2. de præbend.*

(c) *Suarez de Relig. to. 1. l. 4. de Simon. c. 21. à n. 2.*

(d) *Barboſ. Jur. Eccl. Univerſ. l. 3. c. 9. n. 37.*

(e) *Rebuff. de pacific. poſſeſ. n. 41. Pariſ. de reſign. benef. l. 2. qu. 17. num. 13.*

(f) *Flamin. Pariſ. loc. cit. l. 2. qu. 17.*

(g) *Cap. final. de rer. permut. Gonzal. ad reg. 8. Canc. gloſ. 5. §. 2. n. 25.*

(h) *Vaſqu. de benef. c. 4. art. 1. dub. 3. Navar. de Orat. c. 20. n. 16*

(i) *Barboſ. ubi ſupra num. 38.*

(l) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 3. c. 4. n. 6.*

9. Reſpondetur *quartò*, repulſam Actardi à Cathedrâ Morinenſi ſolam Hincmari Remenſis contentioſitatem habuiſſe auctricem, cujus conatibus, & verbis non eſſe multùm innitendum, quilibet ſapiens, & prudens, ex ejus variatione, & volubilitate deducet. Notum eſt enim, quod hic Præſul, alioquin doctus, & eximius, non ſemel rem à sè approbatam, non dubitavit aliquandò impugnare contrà omnem ſacerdotalis gravitatis, atque ſtabilitatis rationem, axiomate utriuſque Juris commendatam, aſſerente, *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt* (m). Hinc interdùm contigit eum: modò Canonum obſervantiam ſtrictiſsimè urgere, modò ſuper ipſis sè arbitrariè laxare; Nunc Sedi Apoſtolicæ ſe obſequentiſſimum profiteri; nunc adversùs eam, quadam ſpecie Anarchię decertare: hìc culicem excutere, ibi Camelum deglutire (n). Et ità nil mirum ſi Actardi aliquandò fautor, aliquandò carptor fuit, modò ei adhærens, modò ab eodem alienus: & quem à Morinenſi Sede retinuit, ad capeſſendam adjuvit Cathedram Turonenſem; ac poſt adeptam, de illius aſſecutione improbavit. Porrò in Concilio Duziaceno, prò poſſe adlaboravit, ut Actardo deferrentur Infulæ Turonenſes, elucubratâ de hoc epiſtolâ nomine Synodi, quâ Patres hujuſmodi translationem Hadriano Papę, ut fieret, commendabant, profeſſi, eam optimam eſſe ſi fieret, nec à sè conciliariter adimpletam, ut meliùs auctoritate Apoſtolicâ compleretur. Actardum inquiunt, *licet juxtà Antiochenos Canones perfecto Concilio, atque ſecundùm Apoſtolicas veſtras literas vacanti Eccleſiæ incardinare poſſemus; tamèn quià Turonen-*

(m) *Leg. ſicut Cod. de action. cap. quod ſemel 21. de reg. juris.*

(n) *Matthæi cap. 23. n. 24.*

ſis

ſit Eccleſia ex antiquo Metropolis, & B. Martini meritis famoſiſſima, & bonorabilis ſemper extitit, & frater Actardus genio pallii à veſtrâ benigitate eſt bonoratus, rationabiliùs vidimus, ut petitione Cleri, & Plebis, conſenſu noſtrę unanimitatis, ac favore Domni Caroli Regis, à veſtrâ auctoritate eidem incardinetur Eccleſię (a).

(a) *Concil. Duziacen. ap. Cellotium f. 100.*

10. Subindè Hincmarus opinionem mutavit, & promotionem Actardi ad Turonenſem Sedem coarguit, clamans Actardum ipſum non debuiſſe Nanneticam Eccleſiam, etſi devaſtatam deſerere: ſed quod ſi debitâ probitate præditus, & zelo ſacerdotali fervens fuiſſet, non exiſſet è Diœceſi Nannetenſi, in qua multus populus erat Chriſtianorum, & Paganorum, quibus prædicare poterat, & prodeſſe: *quid enim*, inquiebat, *quid ſcis utrum multi de Paganis illis ſint à Deo prædeſtinati ad vitam &c. Sicut enim Comes Civitatis bomo ſæcularis, & alii etiam ſæculares majoris, & minoris poteſtatis habent, undè in ſuâ Metropoli poſſint conſiſtere, & Comminiſtri ejus Eccleſiaſtici valent ibidèm vivere; ſic & ipſe, niſi eum cupiditas, & ambitio indè eijceret, ibidem vel de operibus manuum, vel de decimis fidelium, ac conlatione Presbyterorum, & ſi alitèr non poſſet, vel ſub cenſu, ſicut Hieroſolymis Patriarcha, & viri religioſi, ac fideles in Cordubâ, & in aliis Civitatibus per Hiſpaniam faciunt, ibi valeret manere, & prædicationis verbum impertire, & miniſteria, quæ non niſi ab Epiſcopis poſſunt dependi (b).* Quodque mirum eſt, Hincmarus Actardum, ambitionis, in captandâ Turonenſi Catbedrâ inſimulat, cum Hadrianus Papa II. in ſuâ ad Concilium Duziacenſe reſponſione, declaret ſe meritiſſimum illum Præſulem, ideò etiam ad Turonicam Metropolim libentèr transferre, quià Actardus non ambitu, aut propriâ ambitione tranſibat, ſed quià *Synodus expoſtulavit, plebs, & Turonicus Clerus eum concorditèr elegit (c).*

(b) *Thomaſſin. Vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 63. n. 8.*

(c) *Hadrian PP II. ep. 27. ad Concil. Duziac. Sirmond. tom. 3. Conc. Gall f. 398.*

11. Intèr has ambiguitates Hincmari Remenſis, ac diverſorum in iſtâ rè ipſius ſenſuum, (niſi dicamus aliquas rerum circumſtantias, nobis nunc ignotas, tunc adfuiſſe, quę illius variationem juſtificarent) patet quod parùm æſtimanda eſt reluctantia, quâ ſategit, ut Actardus ad Morinenſis Sedis non poſſet apicem pervenire, quippè ex hucuſque relatis, diverſo modo ſe geſſit, nec magis attendenda ſunt ea, quæ adversùs tranſitum Actardi ad Morinenſem, & Turonenſem Sedes, quam quæ prò primâ in commendam, & prò ſecundâ in titulum illi dandâ, fecit, aut dixit. Et citrà dubium, nil afficit, quod Eccleſiam Morinenſem denegaverit, Actardo, uti extraneo, in titulum eſſe dandam; cum & improbaverit, quod illi data ſit in titulum Turonenſis, cujus erat Clericus, & Nativus. Quaproptèr ſi geſta, & ſcripta Hincmari, quæ cauſam Actardi tangunt, ſunt attendenda; nedùm extranei erunt à beneficiis eccleſiaſticis ablegandi, ſed etiam indigenæ. Et ità argumentum ex hiſtoriâ Actardi conſertum, vel probat adversùs Contradictores, vel nihil probat adversùs nos. Et ad quodcùmque lumen perſpiciatur, validum non eſt ad offuſçandam libertatem Eccleſiæ in præficiendo etiam Clericos extraneos eccleſiaſticis beneficiis, ſed potiùs ad eam ſemper fortiùs, atque in dies validiùs roborandam.

12. *Arguunt nonò* Contradictores ex facto Theutboldi, Egilonis, & Argrini, ad Sedem Lingonicam aſpirantium. Etenim mortuo Iſaac Epiſcopo Lingonienſi, Theutboldus à Clero, & Populo ad illas infulas deſtinatus, conſecrationis munus ab Aureliano Epiſcopo Lugdunenſi, uti Metropolitâ popoſcit. Sed Aureliano recuſante id implere, Theutboldus ad Stephanum V. Romanum Pontificem recurſum habuit: qui Aureliano juſſit, ut, vel ejus voto ſatisfaceret, vel ſibi cauſas repulſionis, ſi quas haberet, referret. Aurelianus verò neutrum peregit, ſed Egilonem quendam Monachum ad illam Sedem, propriâ auctoritate promovit. Cum autem tàm Egilo, quàm Theutboldus eſſent extranei, & ſuper hoc Lingonienſes apud Joannem Papam IX. & Benedictum IV. ejus ſucceſſorem fortitèr reclamaſſent; Benedictus, tàm Egilone, quàm Theutboldo dejectis, Argrinum, à Lingonienſibus unanimitèr electum, fecit Epiſcopalibus illis tæniis decorari. Si

igitur,

igitur, inquiunt Contradictores, utrique hujus beneficii Epiſcopalis occupatori, Theutboldo ſcilicèt, atque Egiloni, tamquàm extraneis, bini præfati Pontifices reſtitere; optimè apparet, quod Clericis extraneis reprobatis, beneficia eccleſiaſtica ſunt ſolis Clericis indigenis conferenda.

13. Reſpondetur *primò*, quod ſuppoſitâ validâ deſignatione Theutboldi in Epiſcopum Lingonienſem, ab initio, per Clerum, & Populum facta, proùt exadversò ſupponi videtur; Argumentum retorquetur adverſus Contradictores. Nàm Theutboldus, prò cujus approbatione, ſtatim poſt mortem Iſaac eorum Antiſtitis, Clerus, & Populus Lingonici tantoperè inſteterunt, & Stephanus V. Papa Lingonicæ Sedis Præſulem pronuntiavit, eique manum impoſuit, apud Lingones non erat indigena, ſed extraneus; de illo enim poſteà Benedictus Papa IV. ipſis Lingonienſibus ſcripſit, *ſed nec ad aliquos Sacros Ordines in veſtrâ Eccleſiâ provectus, ſicut hoc veris approbare poteſtis indiciis, & ità ſe res habet &c.* (a). Si autem in Lingonienſi Eccleſiâ non erat ordinibus initiatus, ſatis liquet, quod non erat ibi indigena, ſed extraneus. Et tamèn Clerus, & Populus prò illius promotione inſiſtentèr egere; à Metropolitano repulſus, ſategerunt, ut à Romano Pontifice approbaretur, proùt & factum eſt: utque Egilo ab Archiepiſcopo ſubelectus, ab eorum Epiſcopium non admitteretur, contentioſiſſimè laborarunt. Ergò & Clerus, & Populus, & Pontifex, non prò extraneo repellendo, ſed prò eo Cathedræ Lingonicæ inſerendo ſunt, & manibus, & pedibus operati. Quarè ſi ſeries hiſtorica, in argumento propoſita, locum habet, nedùm non probat, quod extranei ſint à beneficiis Epiſcopalibus, vel ab aliis inferioris ordinis retinendi, ſed potiùs quod ſint ad illa admittendi.

(a) Benedict. PP. IV. ep. 1. apud Labbè tom. 9. Concil.

14. Reſpondetur *ſecundò*, negando ſuppoſitum quoad factum Egilonis, nempè quod ille fuerit ab Eccleſiæ Lingonienſis aſſecutione repulſus ex hoc motivo, quod ab ipſâ eſſet extraneus: non enim extraneitas hoc ei intulit præjudicium, ſed furtivus, & irregularis modus, quo fuit in ipſam cathedram ſubintruſus. Dùm enim (provectione Theutboldi ad Romanum Papam delatâ, & interpellato Archiepiſcopo Lugdunenſi juxtà Canones (*b*), ut vel hunc approbaret, vel reprobationis cauſas Romam tranſmitteret) debebat vel Theutboldus ultimatè provehi, vel à Sede Apoſtolicâ reprobationis exitus expectari; Aurelianus Archiepiſcopus, nedùm nullitèr, & attentatè, verùm etiam furtim, & clandeſtinè Egilonem, à Clero, & Populo Lingonienſi non electum, non optatum, non cognitum, ſed eis prorsùs ingratum in Antiſtitem ſubintruſit. De Hilario Arelatenſi rem non diſſimilem quondam agente, tale dedit Magnus Leo Papa judicium: *Non eſt hoc ſalubritatem impendere diligentiæ paſtoralis, ſed vim inferre Lationis* (*c*). Aureliani Lugdunenſis temeritatem in hoc negotio patefactam, ità deſcribit Flodoardus: *Sedis priori inobedientæ contumaciam adiiciens, non ſolùm oblatum conſecrare, ſeù quid in eo reprehenſibile judicaret, ſibi reſcribere contempſit; verùm etiam contrà interdicta, & Sacrorum Canonum ſtatuta, quemdam extraneum, & eidem Eccleſiæ ignotum, in angulo ordinatum illi ingerere niti præſumpſit. At hi potiùs laborem ſubire, quàm ſubiici ignoto eligentes, ad ſè redierunt, implorantes, nè pateretur eccleſiaſtica jura violari* (*d*).

(b) Cap. nunc verò 10. cauſ. 9. quæſt. 3.

(c) S. Leo PP. I. ep. 89. in med.

(d) Flodoard. hiſt. Remenſ. l. 4 c. 1.

15. Summa erat illis temporibus auctoritas Metropolitani in provectione Epiſcoporum, adeòut à remotiſſimis uſque ſæculis decreverit Innocentius Papa I. *Extrà conſcientiam Metropolitani, nullus audeat ordinere Epiſcopum. Integrum enim eſt judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur* (*e*). Et antiquiori adhùc tempore, magna Nicœna Synodus difinivit; *Illud generalitèr clarum eſt, quod ſi quis, præter ſententiam Metropolitani, fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere* (*f*). Ex hac præſidendi electioni, & Electum dijudicandi, facultate, anſam ſucceſſu temporum acceperunt Metropolitani, phylacteria dilatandi, & omnia prò illorum voto in electionibus exequendi; non eoùſque tamèn illorum auctoritas ſe diffuderat, ut quemquam poſſent invi-

(e) Innoc. PP. I. epiſt. 2. cap. 1.

(f) Concil. Nicæn. 1. cap. 6.

Digitized by Google

invitis, ac reluctantibus in Præſulem deſtinare, quamquàm ſi eligentium vota diſcinderentur in partes, Metropolitani eſſet Candidatorum merita diſcutere, ſuffragantium potioritatem ſcrutari, ac loci, temporis, & perſonarum qualitate penſatâ, alteri ex Candidatis ipſis accedere, atque illum ad concupitam dignitatem præferre: Sic etenim memoratus D. Leo precavit: *Ille omnibus præponatur, quem Cleri, Plebiſque conſenſus concorditèr poſtulaverint: itàut ſi in aliam fortè perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur & meritis; tantum ut nullus invitis, & non petentibus ordinetur* (*a*).

16. Debebat tamèn ordinatio Epiſcopi, non clàm fieri, ſed in propatulo, ne Epiſcopatus, qui culmen eſt eccleſiaſticæ dignitatis, *furtivum beneficium præſtitum videretur*, ut illud vocat Innocentius Papa I. in epiſtolâ ad Victricium Rotomagenſem (*b*). Debebat, inquam, non clàm, non clandeſtinè, ſed in loco publico, vel in Eccleſiâ Metropolitanâ, vel in vacante celebrari, uti ſuprà tetigimus, vel in aliâ ab Archiepiſcopo deſtinatâ (*c*), itàut quodammodò in Synodali conventu, vel omnium, vel trium ſaltèm Comprovincialium Epiſcoporum fieret novi Præſulis conſecratio (*d*). Cum autèm Aurelianus Archiepiſcopus Lugdunenſis, contemptis votis Lingonenſium, & juſſione Stephani Papę, Egilonem Monachum clàm Sacro Oleo delibutum, ignotum, ſubintruſum, furtivo modo introductum Clero, & Populo Lingonicis præfeciſſet, ordinatum refutantibus, ac ne illis præeſſet conſtantiſſimè obnitentibus; optimè Stephanus prefatus Egilonis promotionem illicitam, & Theutboldi aſſumptionem legitimam pronuntiavit. Aſt uti patet ad ſenſum, & ex ipsâ totâ rei congerie, pluſquàm clarè eniteſcit, Egilo non ratione extraneitatis, ſaltèm preciſè, ac reduplicativè, ſed ratione furtivi, & illegitimi modi, quo fuerat in Lingonienſi Cathedrâ collocatus, ab eâ fuit ejectus: illum etenim origine extraneum, quod parum tamèn fuiſſet, *eidem Eccleſiæ ignotum, in angulo ordinatum, illi ingerere præſumpſerat* Aurelianus: invitis Lingonienſibus, & uſque adeò renitentibus, ut *potiùs laborem ſubire, quàm ſubiici ignoto eligentes*, officium Apoſtolicæ Sedis imploraverint, *nè pateretur eccleſiaſtica jura violari* (*e*). Non ergò quià extraneus, quippè hoc ex ſe ſolò nihil ei obſtitiſſet, ſed quià ignotus, clandeſtinè ordinatus, Cleroque, ac Populo erat minùs gratus, Egilo de throno cecidit Lingonienſi, & has pro cauſis hujuſmodi depoſitionis denunciavit Stephanus Fulconi, tùnc Metropolitano Remenſi, ut eas cunctis Epiſcopis earum partium patefaceret (*f*).

17. Reſpondetur *tertiò*, quoàd Argrinum iterùm negando ſuppoſitum, nempè quod hic, in concurſu cum Egilone, & Theutboldo fuerit utrique prælatus ad beneficium Epiſcopale Lingonicum, quia ibi eſſet indigena: hujus cauſalis etenim nullum habetur veſtigium: Et tamèn probanda eſt à Contradictoribus, non ſupponenda. Egilo, uti mox delibavimus, non propter extraneitatem, ſed propter ſuam illegitimam inſtruſionem dejectus eſt. Theutboldus non quia extraneus, ſed quia citrà modum Canonicæ electionis, ſine ſcrutinio, ſine calculis, ſine votorum pondere, ſed ſolâ quorumdam proclamatione fuerat deſignatus, cauſâ cecidit. Et ità deficiente, tam in primo, quam in ſecundo, formâ canonicæ electionis; & concordibus ſuffragiis convenientibus in Argrinum, per viam legitimi ſcrutinii; totâque turbâ Cleri, & Populi Lingonienſis in Argrinum conſentiente, hic eſt utrique, ex Competitoribus antepoſitus. Loquatur hìc Benedictus Papa IV. in epiſtolâ ad Lingonienſes: *Nunc ergò, quià, ſicut per veſtra reſcripta didicimus, Theutboldus, neque à vobis expetitus, neque electus, neque acclamatus eſt, ſed nec ad aliquos ſacros ordines in veſtrâ Eccleſiâ provectus, ſicut hoc veris approbare poteſtis indiciis, & ità ſe res habet, ſicut Prædeceſſori noſtro piæ recordationis Joanni Papæ jamdudùm innotuiſſis; non nobis videtur eſſe incongruum, ſed potiùs omni ſacrâ, & canonicâ auctoritate fulcitum, more prædeceſſorum noſtrorum, ſententiam mutando in melius, ut de multis exemplis evidentiſſimis approbare poſſemus. Ideò*

Ar-

(a) S. Leo Pap. Lep. 84. cap. 5.

(b) Capit. extrà 5. diſt 64.

(c) Cap. fin. diſt. 51. Concil Trid. ſeſ. 23. de refor. c. 2, & ibi Barboſ. n. 4. & de off Epiſcop. p. 2 alleg 1. n. 44

(d) Cap. 1. diſt 64. c. Archiepiſc. de tempor. ordin.

(e) Flodoard. hiſtor. Remenſ. l. 4. c. 1.

(f) Steph. Pap. V. ep. ad Fulcon. ap. Sirmond. & Binium.

Argrinum Paſtorem veſtrum, à vobis unanimitèr electum, & expetitum, vobis canonicè præeſſe concedimus, quem, ſicut dicitis, utique patet inconſideratè fuiſſe per ſubreptionem à vobis expulſum (*a*).

18. Rutilat ex hoc dictatu varietas affectuum in Lingonienſibus, modò Theutboldum, modò Argrinum in Antiſtitem peroptantium; & à sè nùnc unum, nuncque alterum depellentium: ſed nec admiſſio indigeneitati, neque repulſio extraneitati refertur. Vicit tandem Argrinus, non quà indigena, ſed quà concorditèr à Clero, & Populo electus. Et ſanè Eccleſia Lingonienſis tùnc vacabat per mortem Iſaac Epiſcopi (*b*), qui ad illam Sedem aſcenderat ex Clero Eccleſiæ Laudunenſis, ubi Diaconatu fungens comitatus eſt Pardalum Epiſcopum Laudunenſem ad Concilium Cariſiacenſe, uti ſuprà probavimus in Objectionibus Conciliaribus (*c*). Si ergò Iſaac, nedùm extradiœceſanus, ſed etiam extraprovincialis fuerat, perperàm nùnc contenditur, quod non potuerit poſt eum alius extraneus eiſdem infulis perornari, & quod Egilo, & quod Theutboldus ab ipsâ Sede Lingonicâ fuerint ex hac præciſâ causâ dejecti, quia indè eſſent extranei: Et viceversâ, quod prævaluit in aſſecutione ipſiuſmet Sedis Argrinus ex hac unâ causâ, & intuitu, quod ibi eſſet indigena, Igitùr vel Egilonis, vel Theutboldi, vel Argrini perſona conſideretur, tam ſimultaneè, quam ſingularitèr; nec illis extraneitas quidquam obfuit, nec quidquam profuit eſſe indigenas; & ſive indigenæ, ſive extranei fuiſſent, beneficium Epiſcopale adipiſci potuiſſent, dummodò debitâ electionis formâ ſervatâ, ad concupitam Cathedram perveniſſent. Quarè argumentum ex eorum hiſtoriâ concinnatum, libertatem Eccleſiæ non minuit in conferendo eccleſiaſtica beneficia, etiam Clericis extraneis, illoque non obſtante, in ſuâ veritate ſententia noſtra ſubſiſtit.

19. *Arguunt decimò* Contradictores ex factis Gregorii Papæ VII. qui per totum Orbem, quaquà patet Eccleſia, voluit ut electiones promovendorum ad beneficia Epiſcopalia fierent de Corpore proprio Eccleſiarum vacantium. Nàmque quoad *Italiam*, vacantibus Sedibus Foretranâ, & Eugubinâ, Nuncios ſuos deputavit, qui utriuſque Antiſtitis intenderent provectioni, & de hoc tàm ad primam, quàm ad ſecundam ſcripſit Eccleſiam: *Quapropter miſimus ad vos hos religioſos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ filios, videlicèt Abbatem S. Sabæ, & Abbatem S. Bonifacii, ut ſi fortè in Eccleſiâ veſtrâ talis perſona, quæ huic regi mini congrua ſit, reperiatur, diligentèr inquirant, & eam ſicut dignum eſt veſtrâ dilectione collaudatam, & canonico decreto probatam, nobis ad ordinandum quantò citiùs præſentare ſtudeant. Sin verò intèr vos talis reperiri non poſſit, ipſi cum omni diligentiâ, & ſollicitudine aliundè aliquem, qui vobis præeſſe poſſit, invenire procurent, & ad ſuſcipiendam Epiſcopalis officii ordinationem ad nos ſine morâ tranſmittant* (*d*). Quoàd *Galliam*, ipſe Gregorius haſce ad Arelatenſes literas dedit: *His itàque curis, ac tante deſolationis veſtræ causâ ſtimulante, miſimus ad vos fratrem noſtrum videlicet Leodegarium Vuapingenſem Epiſcopum, quatenùs cum illius conſilio, aut talem perſonam ſecundum Deum eligatis, quam Vicarius veſter Hugo Dienſis Epiſcopus, literis ſuis nobis commendat, aut ſi apud vos tanto regimini digna inveniri perſona non poteſt, in manu fratris noſtri Leodegarii Vuapingenſis Epiſcopi firmetis vos illum ſuſcipere in Paſtorem, quem conſecratum, & honore pallii inſignitum vobis ex parte S. Petri miſerimus* (*e*).

20. Paritèr quod *Hiſpaniam*, tali epiſtolâ Alphonſum Caſtellæ Regem commonuit; *Quapropter ſerenitatem tuam ſtudere oportet, ut cum conſilio præfati Legati noſtri Ricardi Maſſilienſis Abbatis, aliorumque Religioſorum virorum, eligatur indè, ſi evenire poteſt: ſin autem aliundè expectatur talis perſona, cujus religio, & doctrina Eccleſiæ veſtræ, & Regno decorem conferat, & ſalutem* (*f*). Demùmque quoad Monachos, & Abbates, ſeu beneficia regularia, non ſemel Gregorius ipſe reſcripſit: *preterea quoties eorum Rectores obierint, veſtri ſit ſtudii, alios, cum conſenſu* probabiliorum *fratrum, de eâdem Congregatione ſi fieri poteſt; ſin autem aliundè*

(a) Benedict. Pap. IV. epiſt. 1. cap. 2.

(b) Flodoard. hiſtor. Remenſ. l. 4. c. 3.

(c) Vide ſuprà in hoc tom. cap. 6. n. 46.

(d) Gregor. Pap. VII. l. 1. epiſt. 41.

(e) Gregorius VII. l. 6. epiſt. 21.

(f) Gregorius VII. lib. 9. epiſt. 2.

undè, ſecundum Deum, & Regulam S. Benedicti Abbates eligere, ibique ſubſtituere &c. (*a*). Si ergò tanto ſtudio, & tam repetitis præceptis, voluit Gregorius, ut Electiones Epiſcoporum, & Abbatum beneficiis Epiſcopalibus, & Abbatialibus ornandorum non fierent niſi de Corpore Eccleſiarum vacantium; quoties id præſcripſit, totiès proculdubiò decrevit beneficia Epiſcopalia, & Abbatialia eſſe ſolis indigenis conferenda, & quod de beneficiis Epiſcopalibus, & Abbatialibus dicitur, locum habet proportionulitèr etiam in aliis beneficiis ordinis inferioris: ſicque ex Gregorii VII. factis hiſtoricè conſtat extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos.

21. Reſpondetur *primò*, quod ad hoc argumentum jam ſatis ſuprà reſponſum eſt, ubi de Electione Epiſcopi, faciendâ ex gremio Eccleſiæ viduatæ, ac de Abbatibus eligendis de gremio Monaſterii, ſermo babitus eſt (*b*), Rurſumque reſponſiones eidem aptas diſſolvendo argumento, infrà dabimus, dùm de Innocentio III. ſermo redibit (*c*). Interim dicimus, quod S. Gregorius VII. non præſcribendo, ſed optando; non præcipiendo, ſed deſignando, ſignificavit eligendos eſſe ad beneficia Epiſcopalia, & Abbatialia, Clericos de corpore Eccleſiæ, vel Monaſterii: ſeu locutus eſt de congruo, & honeſtate, non verò de obligatione, & juris rigore: Nàm tamquam ſuperior, & cui futuræ electionis altior ſollicitudo commiſſa erat, eam indicendo, nonniſi quidquid perfectiùs, & congruentiùs erat, inſinuare debebat, quamquam, ſi quid minùs perfectiùs agebatur validè, & etiam licitè ageretur. Certè non omnia, quæ Papa ſcribit, dictitat præceptivè; ſed perplura ad melius eſſe, conſultivè, & tamquàm de boneſtate ſignificat; habitâ ratione ad ejus officium, cujus eſt meliora ſemper, & perfectiora ſuggerere. Sic ſi Papa ſcriberet Monacho de modo confitendi peccata ſua; inſinuaret, ut crebrò confiteretur ea Abbati, vel Priori Moſiaſterii in ſuo Cœnobio degenti. Si de cibo, & potu ſumendo; diceret quod frequentèr jejunaret, ac ſola xerophagia, vel ſolos cibos quadrageſimales concederet, loràque, vel vino acquâ diluto ſitim extingueret: Aut demùm verbis generalibus inſinuaret, quod Regulam ſuæ profeſſionis ad literam obſervaret, cum omnibus abſtinentiis, exercitiis, & laboribus inibi deſignatis. Quarè autem hoc? Quià ad officium pertinet non laxiora inſinuare, ſed perfectiora. Veruntamèn hæc non poneret ſub præcepto: nec ideò Monachus ille non validè confiteretur alteri quam Abbati, aut Priori, neque non ideò non poſſet ſinè peccato gravi carnem concedere, vinum bibere generoſum, & alia intermittere, quæ Regulæ Monachalis rigor noſcitur præſcripſiſſe.

22. Plurima videre eſt in epiſtolis D. Gregorii Magni deſiderata In promovendis ad culmen Epiſcopale, quæ certè nil præceptivum continent, ſed ad ſolam honeſtatem, & ad bene eſſe ſunt congruè referenda. Ità cum Ravennates elegiſſent ſibi in Epiſcopum Donatum, indè Joannem; primum repulit, quia quoàd mores defectus aliquos patiebatur. Hocque tranſeat: Sed & ſecundum rejecit: Quarè? quia pſalmos neſciebat: *Nec Joannem Presbyterum*, ut, *pſalmorum neſcium præſumpſimus ordinare, quià hæc eum res minùs ſui profectò habere ſtudium demonſtrabat* (*d*). Quid autèm tùnc factum eſt? Electus eſt Marinianus Romanus extraneus, Monachus, & reluctans, *quem*, inquit Gregorius, *diù mecum didicere in Monaſterio converſatum, communi, concordique voce, atque conſenſu ſæpiùs petiverunt, cui refugienti diverſis modis, vix aliquandò potuit ſuaderi, ut eorum præberet petitioni conſenſum* (*e*). Quis non videt, quod D. Gregorius, non tamqu àm de præcepto, ſed ut ide congruo, & de conſilio, voluit promovendum ad Epiſcopatum, pſalmorum eſſe peritum. Nunquid ergò quicumque pſalmorum eſt inſcius, incapax redditur muneris paſtoralis? Abſit: alioquin ſi apici hujus hiſtoriæ D.Gregorii Magni ſtandum eſſet, extranei pſalmos ſcientes præferendi eſſent indigenis illorum inſciis; quam frigidam ineptiam quis audeat effutire? Alibi D. Gregorius ipſe ab Epiſcopatu repulit Joannem electum Neapolitanum, ex bac unicâ ratione, quià *parvulam habere filiam ex quorumdam relatione* cognoverat (*f*): Cum tamèn nos

(a) *Gregorius VII. l.9.ep.6.*

(b) *Vide ſuprà in hoc tom.c.1 3 per totum, & c.7.n 12.*

(c) *Vide hic infrà c. ſeqq. num.2.*

(d) *S.Greg. Magnus l.4.epiſt.45.*

(e) *S.Gregor.loc.citato Fabr. Hiſtor.Raven. p.2. in Marinian. fol.434.*

(f) *S.Gregor.lib. 8. epiſt.40.*

ſuprà uſque ad exuberantiam protulerimus Epiſcopos ſanctiſſimos, & celeberrimos, qui & filios, & uxores habebant (*a*).

23. In alio loco approbat, quod Opportunus laicus in Eccleſiâ Aprutinâ jam diù vacante ad ſacras infulas provehatur, dummodò per aliquod ſpatium temporis vel Monachus, vel Subdiaconus fiat (*b*). E contrà verò in aliis rerum, & temporum circumſtantiis Panormitanis de electione ſui Epiſcopi ſcribens, nedum interdicit, ne quis laicus eligatur cujuſcumque ſit meriti, ſed & nec quiſquam promoveatur, qui ſit à laicis commendatus; *proviſuri*, ait, *ante omnia, ne cujuslibet vitæ, vel meriti laicam perſonam præſumatis eligere: & non ſolum ille ad Epiſcopatus apicem nullâ ratione provehatur, verùm etiàm vos nullis interceſſionibus veniam promereri poſſe cognoſcite. Sed & omnes, quos ex vobis de laicâ perſonâ aſpiraſſe conſtiterit, ab officio, & à communione alienos faciendos proculdubiò noveritis* (*c*). Et tamen non ſuprà pluries oſtendimus, ſanctiſſimos, & celeberrimos Epiſcopos fuiſſe nedùm operâ laicorum, præſertim Principum, ſed etiam è ſtatu laicali deſumptos; Imò & laicos demonſtravimus eſſe in Antiſtites ordinandos quoties idonei deficiunt in Clero, ſi contrà jus divinum, naturale, & humanum eſt, uti ſupponunt Contradictores, extraneos promovere. Quis ergò non videt, quod hujuſmodi qualitates, non tamquàm neceſſariæ, ſed ſolum veluti congruentes; nec ad eſſe, ſed ſolum ad benè eſſe, uti loquuntur Philoſophi, fuerunt in promovendis, à D. Gregorio Magno Pontifice poſtulatæ? Quod fecit D. Gregorius Magnus, fecit etiam D. Gregorius VII. aliique Papæ, de hujuſmodi negotiis pertractantes, talia pariter exigentes, non uti de præcepto, ſed uti ſimpliciter de conſilio. Et ità velut ſolummodò de conſilio D. Gregorius Magnus indixit, ut electio fieret de corpore Eccleſiæ vacantis (*d*): cum aliquandò ipſe sè geſſerit in contrarium (*e*), & nonniſi de conſilio locuti ſunt, tùm S. Gregorius Papa VII. tùm alii cuncti Pontifices, qui promovendos ab beneficia, ſive Epiſcopalia, ſive Abbatialia, ſive cujuſcumque alterius generis, deſignarunt eſſe debere de gremio Eccleſiæ vacantis.

24. Et quod de facto non alius fuerit ſenſus Gregorii VII. imò, & quod non alius rationabiliter potuerit eſſe, in locis ſuperiùs objectis, nempè quod Papa non intendit Extraneos abſolutè à beneficiis repellere, ſed ſolùm illis Indigenas, tamquàm de congruo, & honeſtate præferre, convincitur ex aliis ejuſdem factis, quibus & ſe, & alios extraneos ad beneficia eccleſiaſtica admiſit. Etenim ipſe nuncupatus in minoribus Hildebrandus, natione Etruſcus, & Patriâ Soanenſis (*f*), Monachatum in celebri Cœnobio Cluniacenſi profeſſus eſt, ſito in Burgundiâ intrà limites Diœceſis Matiſconenſis (*g*), quod idem eſt, ac dicere in eâdem Eccleſiâ Monaſteriali, beneficium monaſticum acceptavit. Monachatus enim, ut alibi oſtendimus, ad inſtar sè habet eccleſiaſtici beneficii (*h*), & ibidèm ulteriùs Prioratus beneficium eſt adeptus (*i*), quod ſinè dubio eſt eccleſiaſticum beneficium (*l*). E Cluniaco Hildebrandus, ſive Gregorius cum Brunone Teutonico, Epiſcopo Tullenſi, Romam perrexit, ubi & opere, & ſermone, & officiis, & tot quot potuit modis, operatus eſt, ut ipſe Bruno ad Papatum promoveretur Sancti Leonis Papæ IX. nomine aſſumpto (*m*). Succeſſivè Subdiaconatu in Romanâ Eccleſiâ ſuſcepto, à Clero, & Populo Romanis ad Henricum II. Imperatorem Nuntius eſt directus, ut obtineret Gebeardum Epiſcopum Eiſtetenſem, pariter Theutonicum, qui ad Papatum ſublimaretur ſub appellatione Victoris II. (*n*): Deindè Gerardum Epiſcopum Florentinum ad Sedem Apoſtolicam ſuſcipiendam induxit, qui Nicolaus II. eſt pontificaliter nuncupatus (*o*): Ad hoc Gregorius ipſe Archidiaconatu Romanæ Eccleſiæ donatus eſt (*p*), qui proculdubiò eſt eccleſiaſticum beneficium (*q*).

25. Cumque Salernum prò negotiis eccleſiaſticis properaſſet, Petrum Monachum S. Benedicti Salernitani, compertum dignum munere Epiſcopali, Alexandro Papæ II. detulit, fecitque Anagninis infulis inſignire (*r*). Quem Alexandrum,

patriâ

(a) *Vide hic ſuprà c. præced. n. 18 & 19.*

(b) *S. Gregorius l. 9. epiſt. 23.*

(c) *S. Gregorius l. 11 epiſt. 19.*

(d) *S. Greg. l. 1. ep. 56 l. 2 ep. 19. & l 7. ep. 25.*

(e) *S. Greg l. 4. ep. 39 Vide hic ſuprà. cap. 9. à num. 30. & c.*

(f) *Otho Friſingenſ. lib. 2. c. 82. Baron. ann. 1049. n. 2. Platina, Ciacon & alii in Greg. VII.*

(g) *Vide Bibliothec. Cluniacenſem.*

(h) *Thomaſſ. vet. & nov. Eccl diſc. p 1. l. 3. c. 13. n. 1. & p. 2. l. 3 c. 8 n. 5. Selva de benef. p. 1 qu 2. n 76.*

(i) *Otho Friſingenſ. loc. citat.*

(l) *Cap cum ad Monaſterium de ſtat. Monach. Clementin. Ne in agro eod titul.*

(m) *Otho Friſingenſ. ubi ſuprà.*

(n) *Leo Oſtienſ lib. 2 c. 9. Baron. ann. 1054. num. 53.*

(o) *Leo Oſtienſ. lib. 3 cap 12. Baron an. 1059 num. 1.*

(p) *Card. Baron an. 1059. n. 44.*

(q) *Barboſ iur. Eccl. univ l. 3. c. 4 n 52. et 53*

(r) *Card. Baron an. 1062. n. 119.*

patriâ Mediolanenſem, nomine Anſelmum, & Epiſcopum Lucenſem, ipſe Gregorius auctor fuit, ut Pontificalem Tiaram obtineret (*a*). Alexandro tandèm defuncto, Gregorius ipſe fuit in Apoſtolicâ Cathedrâ ſubrogatus (*b*). Papatus autem eſt ſummum, & præcipuum totius Eccleſiæ Dei beneficium (*c*). In Cathedrâ D. Petri Gregorius VII. per duodennium ſedit, maximis curis diſtentus magnis, maximis calumniis impetitus, & vexationibus tàm vehementibus agitatus, ut aliquandò afflictionum fluctibus penè obrutus exclamaverit: *Veni in altitudinem Maris, & tempeſtas demerſit mè* (*d*). Pontificatum tenens, inter cętera, Othonem Caſtilionæum Remenſem, Monachum Cluniacenſem, ad Epiſcopatum Oſtienſem promovit (*e*): Joannem Monachum Gallum, Abbatem Dolenſem, ad Cardinalatum tit: S. Martini in Montibus (*f*): Curionem Teutonicum ad Cardinalatum S. Anaſtaſiæ aſſumpſit (*g*). Hugonem Epiſcopum Dienſem ad Lugdunenſem Sedem tranſvexit (*h*): & alia fecit, quæ cuncta hìc proſequi nimium laborioſum eſſet. Non omittendum tamèn decretum electionis ipſius Gregorii in Pontificem, ſub his terminis conceptum: *Noc Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Presbyteri, præſentibus Epiſcopis, Abbatibus, multiſque tàm Eccleſiaſtici, tùm Laici ordinis, eligimus hodie X. Kalend. Maii in Baſilicâ S. Petri ad Vincula, anno ſalutis 1072. in verum Chriſti Vicarium Hildebrandum Archidiaconum, virum multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, juſtitiæ, conſtantiæ, religionis: modeſtum, ſobrium, continentem, domum ſuam gubernantem, pauperibus hoſpitalem, in gremio Sanctæ matris Eccleſiæ liberè à teneris annis, uſque ad hanc ætatem educatum, doctum; quem quidem cum eâ poteſtate Eccleſiæ Dei præeſſe volumus, quâ Petrus Dei mandato quondàm præfuit* (*i*). Notentur verba illa *in gremio Sanctæ matris Eccleſiæ educatum*: non dicit *in gremio Eccleſiæ Romanæ*, ſed in gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ: ut oſtendat, non fuiſſe neceſſarium, quod Papa eligeretur de gremio Eccleſiæ Romanæ, ſed ſufficiebat, quod eſſet de gremio S. Matris Eccleſiæ: ideſt de quacumque Orbis Eccleſiâ catholicâ, communionem Sanctæ Romanæ Sedis habente.

(a) *Leo Oſtienſ. lib. 3. cap. 20.*
(b) *Card. Baron. ann. 1073 n 20*
(c) *Marta de juriſd. p. 2. c. 39. n. 1. Barboſ. loc. cit. n. 47.*
(d) *Pſalm. 68. n. 3.*
(e) *Vid. Ciacon. in Gregor. 7. in Cardinales ab eo creatos.*
(f) *Alphonſ. Ciacon. loco citat.*
(g) *Idem Alphonſ. Ciacon. ubi ſupra.*
(h) *Card. Baron. an. 1077. n. 59. & ſeq.*
(i) *Platina Vit. Pontif. in Gregor. 7.*

26. Gregorium hunc VII. fuiſſe undequàve magnum, & inclytum Pontificem prudentiâ, fortitudine, & ſanctitate conſpicuum, certò certius eſt (*l*), quamquam invidiam multorum, & calumnias ſit expertus, juxtà veriſſimum proloquium, quod, *ſimul iſta mundi Conditor poſuit Deus, odium, atque Regnum* (*m*). Sed prætereaquamquod in Martyrologio Romano Gregorii Papæ VII. nomen cæterorum Sanctorum faſtis reperitur adſcriptum (*n*); ipſi Contradictores ex Bertoldo Conſtantienſi affirmant, quod *erat catholicæ religionis ferventiſſimus inſtitutor, & eccleſiaſticæ libertatis ſtrenuiſſimus defenſor: noluit ſanè, ut Eccleſiaſticus ordo manibus laicorum ſubjaceret, ſed eiſdem, & morum ſanctitate, & ordinis dignitate præemineret* (*o*). Dè illo honorificam mentionem faciunt Lambertus Scafnaburgenſis (*p*), Marianus Scotus (*q*), Deſiderius Caſinenſis (*r*), S. Petrus Damiani (*s*), & alii. Otho Friſingenſis ejus mortem deplorans, luctuoſis hiſce utitur verbis: *Eccleſia quoque tanto Paſtore, qui inter omnes Sacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui zeli, ac auctoritatis erat, orbata, dolorem non modicum ſenſit* (*t*). Albertus Krantzius illum per hæc memorat verba: *Multus illi labor erat cum Henrico III. multiplex colluctatio: ſed ſuperavit veritas, & juſtitia, obtinuitque Pontifex* (*u*). Urbanus demùm II. in epiſtolâ ad Alfanum Archiepiſcopum Salernitanum præconiis afficiens Eccleſiam Salerni, intèr cætera laudis motiva, hoc enumerat, quod apud eam Gregorius Papa VII. ad Cœlites evolaverit: *Appoſuit*, inquit, *Deus, tertii muneris claritatem, ut eam noſtris temporibus Gregorii Apoſtolicæ memoriæ ſeptimi Papæ càm exilio, quàm tumulo illuſtraret. Cujus quàm egregia vita, quàm præclara doctrina, quàm miranda conſtantia fuerit, Romana Eccleſia prædicat, Occidens univerſus agnoſcit, Tyrannorum pertinacia tolerata, & conculcata, teſtatur* (*x*).

(l) *Binius Ciaconius Platina, Joannetus, & alii in Gregor. 7.*
(m) *Pio Roſſi Convit. moral. p. 2. V. Hiſtoria.*
(n) *Martyrol. Rom. die 25. Maii, & ibi Baron in notis.*
(o) *Bertoldus Conſtantienſis.*
(p) *Lambert. Schaphnaburg. de reb. Germ. ab an. 1074.*
(q) *Marian. Scotus Chron. lib. 3. ætat 6 ab ann. 1074.*
(r) *Deſider. Caſſin. Dialog. lib. 3.*
(s) *S. Petrus Damian. plurib. locis.*
(t) *Otho Friſingenſ. lib 6 c. 32 & 36.*
(u) *Albert. Krantzius apud Joannet. in Gregor. 7.*
(x) *Urban. 2. ap. Ughel. Ital. ſacr. in Archiep. Salernit.*

27. Si igitur Gregorius Papa VII. tantâ fuit præditus Sanctitate, ut æternam

Digitized by Google

cum Beatis, in Cœlorum regno ſit conſecutus Aureolam, quis credat illum leges Divinam, naturalem, atque humanas conculcaſſe, taliter, ac toties, quot vicibus, & ipſe Sacra Beneficia, Monachatus, Prioratus, Archidiaconatus, & Papatus, ſuſcepit in Eccleſiis, à quibus erat extraneus: & Petrum ad Anagninam, & Othonem ad Oſtienſem, & Hugonem ad Lugdunenſem, & Brunonem, Gebeardum, Gerardum, & Anſelmum ad Romanas Eccleſias promovit, viros Extraneos, & Extraprovinciales, ac reſpectivè Extranationales? Quis credat ipſum præceptivè, tamquam ex debito, & velut de rè, ſub pœnâ tranſgreſſionis Divinæ, naturalis, & humanę legis, imprevaricabilitèr obſervandâ, eſſe locutum, cum electionem Clericorum de gremio Eccleſiæ vacantis in Italiâ, Galliâ, & Hiſpaniâ &c. fieri indixit, juxtà textus ex adversò propoſitos, ſi ipſe poſteà eaſdem Clericis extraneis, extraprovincialibus, & extranationalibus committebat, vel committi curabat, aut reſpectivè in sè ſuſcipiebat? Nunquid vocem habuit Jacob, & manus Eſau (*a*)? Nunquid ore ſuo benedicebat, & corde ſuo maledicebat (*b*)? Prævaricator eratnè ipſe legum, quibus alios alligabat? Hæc certè cum ſincerâ ſanctitate repugnant, nec in uno, & eodem sè compatiuntur ſubjecto. Et quod mirum eſt, Henricus III. Imperator, perpetuus ejus hoſtis, & perſecutor formidabilis, hujuſque Aſſentatores, qui Gregorio vitam adulteram imputarunt (*c*): Benno Cardinalis, ejuſdem calumniator acerrimus, qui eum de incredulitate in Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum taxavit (*d*): Hugo Candidus, paritèr Cardinalis, & adverſarius inexorabilis Gregorii, qui in Conciliabulo Vuormacienſi, infinita, & horrenda adversùs ipſum effutiit (*e*): alii tandèm maledici Scriptores, qui eundem Papam, tamquam viri Necromantis, Simoniaci, & Sanguinarii calumniis lacerarunt (*f*), & ut illum infamarent, minuta quęque collegerunt, ſcrutantes Hieruſalem in lucernis (*g*): hi omnes, inquam, nihil de tàm atroci, ac toties repetito crimine Gregorium inculparunt, quod Divinâ, naturali, & humanis legibus conculcatis, beneficia eccleſiaſtica ipſe ſuſcepiſſet, ubi erat extraneus, & aliis extraneis contuliſſet, & reſpectivè conferri impenſius ſategiſſet?

28. Hujus Sanctiſſimi Pontificis, inquit Cardinalis Baronius, *gloria nunquam valuit Schiſmaticorum Scriptorum, Schiſmaticis Regibus faventium, calumniis obſcurari, vel aliquâ ex parte labefactari: quin potiùs longè clarior eſt ſemper reddita, atque illuſtrior, ſicut olim Sancto magno illi Athanaſio, fidei propugnatori, contigit, cum & ipſe circumventus, ac penè obrutus eſſet falſis objectionibus Arrianorum. Qui enim ab Eccleſiâ Catholicâ non deſciverunt, reſque hujus Sanctiſſimi Pontificis præclariſſimè geſtas ſinceræ mentis oculis ſunt contemplati, immenſis cum præconiis, ſi quem alium antiquorum Sanctorum Patrum, ſunt proſecuti* (*h*). Igitur cum de S. Gregorii VII. Papæ Sanctitate ambigere, & de illius obſervantiâ Divinæ, naturali, & humanæ legum, non ſit fas dubitare; oportet ex neceſſitate concludere, quod ubi ipſe electionem de Clero vacantium Eccleſiarum fieri indixit, non de præcepto, ſed de honeſtate eſt locutus: non ad eſſe, ſed ad benè eſſe: non abſolutè, ſed cæteris paribus; ſic ut, quantum in sè erat, optaret, quod ordinariè, prò poſſe, ac juxtà humanas congruentias Eccleſiis præficerentur indigenæ: nihil tamèn validitati electionis detraheretur; nullius gravis culpæ incurreretur opprobrium, ſi aſſumerentur etiam extranei: ſeù, ut de honeſtate indigenę præferientur extraneis in paritate meritorum: ſed quandonàm hæc paritas, vel diſparitas meritorum contingeret, ipſi diſpenſatores beneficiorum, penſatis rerum, locorum, perſonarum, ac temporum circumſtantiis, prò eorum prudentiâ definirent. Et ità argumentum ex factis Gregorii Papæ VII. nobis hiſtoricè objectum, vel nihil probat adversùs libertatem Eccleſiæ in promovendo extraneos ad eccleſiaſtica beneficia; vel non niſi probat de his poſtponendis cæteris paribus, Clericis indigenis: in hocque nos cum Contradictoribus convenimus.

29. *Arguunt undecimò* Contradictores ex iis, quæ narrat Theodorus Balſamon, Auctor, ad finem duodecimi Chriſti Sæculi florens, & dicens, quod uſque

ad

(a) *Geneſis cap. 27. num. 22.*
(b) *Pſalm. 61. n. 5.*
(c) *Card. Baron. an. 1074. n. 34.*
(d) *Idem Cardin. an. 1079. n. 1.*
(e) *Lambert. Schaphnaburg. de reb. German. an. 1076.*
(f) *Platina, & alii in Gregor. 7.*
(g) *Sophoniæ cap. 1. num. 12.*
(h) *Cardin. Baron. in notis ad Martyrol. Rom. die 25. Maii.*

Digitized by Google

ad ejus tempora illicitum fuit Epiſcopis Clericos ex aliis Eccleſiis ſuſcipere, & in ſuis Eccleſiis inſerere. Veruntamèn quod Patriarchę Conſtantinopolitano ſingulare hoc inerat privilegium, ut poſſet ex quâcumque Eccleſiâ Clericos ad ſe trahere, non illimitatè, & prò arbitrio, ſed regulatè, & prò illo tantum caſu, quo defeciſſet in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ numerus Clericorum, ab Imperatore ſtatutus: qui tamèn eventus in praxi, vix Byzantii poterat evenire, *propter multitudinem Cleri ipſius, eò quod nulla ſit omninò eorum penuria* (a): Traditque, Patriarcham Conſtantinopolitanum eâ facultate utendi, anſam arripuiſſe ex Novellâ Juſtiniani Imperatoris, quâ præfigit numerum Clericorum, ejuſdem Eccleſię miniſterio addictorum (b), quotiès, numero deficiente, oportebat aliundè ſuperfluos accerſere. Ergò, inferunt Contradictores, ſi uſque ad tempora Balſamonis fuit illicitum Epiſcopis alienos Clericos ad sè trahere, fuit etiam illicitum eiſdem beneficia ſacra conferre; ſicque ſi per duodecimi Sęcula hæc diſciplina viguit in Eccleſiâ, oportet illam vel ſubſiſtentem continuare, vel interruptam ad obſervantiam priſtinam revocare; & Clericos extraneos à beneficiis eccleſiaſticis ablegare.

(a) *Balſam in Nomocanon. Photii c.26.*

(b) *Juſtinian. Novel. 3 cap. 1.*

30. Reſpondetur *primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod idem olim fuerit trahi Clericum de unâ ad aliam Eccleſiam, & in ultimâ beneficium adipiſci. Diximus etenim ſuprà, & nunc iterùm replicamus, quod ſicut non eſt nunc, ità & non fuit olim utrumque idem: plures namque Clerici Ordines Sacros accipiebant, qui nihil de beneficiis, ſivè de ſportulis obtinebant; imò & Clericis habentibus de proprio, quo viverent; ex fructibus eccleſiaſticis beneficia, ſivè alimenta percipere non licebat. Ità tempore D. Hieronymi currebat hæc regula: *Clericos illos convenit Eccleſię ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum, & propinquorum nulla ſuffragantur. Qui autem bonis parentum, & opibus ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium profectò comittunt, & per abuſionem talium, judicium ſibi manducant, & bibunt* (c). Ità tempore D. Proſperi, qui ſæculo poſt D. Hieronymum vixit, hæc volitabant per ora virûm; *qui ſua poſſidentes dari ſibi aliquid volunt, non ſinè grandi peccato ſuo, undè pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis quidem dicit Spiritus Sanctus: peccata populi mei comedunt: ſed ſicut nihil habentes proprium, non peccata, ſed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt; ità poſſeſſores, non alimenta, quibus abundant, ſed aliena peccata ſuſcipiunt* (d). Ità tempore Juſtiniani, qui vixit Sæculo Proſperum inſequente, hæc lex invaluit: *Illis hæc miniſtrentur, qui prò veritate egerint, & non habent aliundè alimentorum occaſionem* (e). Et ſic de aliis.

(c) *S. Hieronym. Epiſc. ad Damaſ. cap. quoniam ult. 16. qu. 1.*

(d) *S. Proſper. de Vita contempl. l. 2 c. 10*

(e) *Novel. Juſtin. Ut determ. ſit num. Cler. circ. fin.*

31. Verum tamèn eſt, quod Clericis muneri alicui eccleſiaſtico exercendo ſpecialitèr deputatis, etiam ſi propriis bonis affluerent, permiſſum erat de ſacris largitionibus alimenta ſuſcipere (f): Nèc voluit Juſtinianus, poſt taxatum numerum eorum, qui debebant Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſervitio mancipari, aliquem ultrà ſchematis numerum, ſinè præbendâ ordinari: *non enim*, inquit, *illud patimur omninò fieri, ut dicatur, quià licentia erit ordinare quidem, non tamèn emolumenta præbere: hoc enim eſt rursùs ad confuſionem efficientium, & immenſam adjectionem ſecunda collegia conſtituentium: deindè etiam plurimas habebit cauſas circumventionis, ut alias ſibimet vias avaritiæ inveniant, & prò alimentorum expenſis* (g). Si ergò Clerici, patrimonio proprio dotati, & ſaltem illi, qui ſervitio Eccleſiæ non erant ſpecialitèr applicati, nempè qui non Parochi, Canonici, Manſionarii, aut alio conſimili officio addicti erant, licitè fructus eccleſiaſticos percipere non valebant; conſtat, quod ad evadendum peccatum, ſine illis vivere tenebantur, & per conſequens non erat tunc, ſicut & nunc non eſt idem ordines Clericales accipere, & beneficia ſacra obtinere. Si autem non erat idem; ſi unum ſtare poterat ſine alio, non benè, ex eo quod olim (uti ſupponit Balſamon) non liceret Epiſcopis Clericos alienos, ordinandos ad ſe trahere; ſequitur, quod nec etiam poſſet eos beneficio munerandos accipere: cum peculiares cauſæ concurrerent

(f) *Gloſ. in cap. quoniam Verb. parentum ult. 16. q. 1.*

(g) *Novel. Juſtin. Ut determin. ſit num. Cler. poſt. med.*

Digitized by Google

rent, & concurrant in Ordine, quæ non concurrunt in beneficio, diverſaque ſit ratio unius ab alio: A diverſis autem, & notiſſimis, non fit illatio (*a*): Undè benè ſtare poteſt, quod Epiſcopus non poſſet tunc, ſicuti & non poteſt nunc, Clericis alienis Ordines elargiri, & tamen eis poſſet, ſicut & nunc identidem poteſt, beneficia ſacra conferre.

32. Reſpondetur *ſecundò* Theodorum Balſamonem loqui non generalitèr, ſed ſtrictè ad caſum Clerici alieni reduplicativè, quà alieni. Per priora nàmque ſæcula, laici undecumque venientes, dummodò Catholici, ſcientiâ, & bonis moribus præditi, nec ullo canonico impedimento irretiti, poterant ubilibet, à quolibet Epiſcopo præveniri, Ordinibus inſigniri, & propriæ Eccleſiæ Clero conſcribi (*b*), ut ex Concilio Arauſicano (*c*), & ex epiſtolis D. Auguſtini ſatis liquet (*d*), noſque, etiam fusè ſuprà probavimus ad ſenſum, exemplis D. Hieronymi, & Pauliniani ejus fratris, Origenis, Pauli, Auguſtini, & aliorum (*e*), qui extrà ſuam Patriam, & reſpectivè Provinciam, ac Nationem ab Epiſcopis præventi, eorum Clero inſerti fuerunt per Ordinum collationem. At poſtquàm aliquis jam præventus, & Sacris Ordinibus fuerat alicubi decoratus, nulli ampliùs Epiſcopo liberum erat Clericum illum avellere à Clero, cui pridèm fuerat inſertus, & ad sè trahere (*f*): ſed is in priori Clero debebat in perpetuum permanere, niſi miſſionem, ſivè diſcedendi licentiam, à proprio fuiſſet Præſule conſecutus (*g*): Quam tamèn ipſe Præſul de rigore dare non tenebatur (*h*): Et ità etiam fit noſtrâ ætate, quoàd Clericos beneficiarios reſidentiales, qui ſinè aſſenſu proprii Epiſcopi ad aliam Diœceſim sè transferre non valent, & ibi beneficia paritèr reſidentialia ſuſcipere. Ab hâc lege tamèn sè ſolutum agnoſcebat in Africâ Epiſcopus Carthaginenſis, de quo Ferrandus: *Ut ſoli Eccleſiæ Carthaginis liceat alienum Clericum ordinare* (*i*). Et ità Epiſcopus Carthaginenſis, nedùm Laicos prævenire, ſed etiam Clericos jàm promotos, vel ad sè trahere, vel aliis egentibus Eccleſiis poterat indulgere, quâ de rè latè in Concilio Carthaginenſi actum eſt (*l*).

33. Cenſebatur hoc eſſe privilegium primarium Sedium, qualis erat Carthaginenſis in Africâ, & ſinè dubio eminentèr ejuſdem fuit ſemper compos Romanus Pontifex, ratione ſui ſupremi Primatus in toto Orbe, & Patriarchatus etiam, quem ſemper tenuit reſpectu Provinciarum Occidentalium. Epiſcopus quoque Conſtantinopolitanus hujuſce privilegii participem eſſe voluit, non vi Novellæ Conſtitutionis Juſtiniani, ut ex adverſò ſupponitur (quippè hæc præfinit quidèm numerum Clericorum, quos poterat, & debebat alere magna Eccleſia S. Sophiæ, Patriarchalis Conſtantinopolitana, & aliæ illi connexæ intrà eandem urbem erectæ; non autem quidquam loquitur de accerſendis Clericis alienis, vel non) ſed vi æqualium privilegiorum cum antiquæ Romæ Antiſtite, quæ Epiſcopus Conſtantinopolitanus, primo in Generali Concilio Conſtantinopolitano I. deindè in Chalcedonenſi geſtiit ſuffurari (*m*): quibus licèt Romani Pontifices pro viribus obſtiterint; Vis tamèn Imperatorum, & Præſulum Conſtantinopolitanorum prævaluit (*n*). Et ità ſtatim ac prærogativam Patriarchæ, & primi Antiſtitis poſt Romanum, ſibi aſſeruit Præſul Conſtantinopolitanus, hoc etiam ſibi competere voluit privilegium, ut poſſet Clericos ex aliis Eccleſiis in ſuâ ſuſcipere, vel in aliis ſui Patriarchatus, juxtà opportunitatem caſuum transplantare, quamquàm in ſuâ id vix poſſet occurrere, proptèr amplum numerum Clericorum, qui in eâ Metropoli vitæ eccleſiaſticæ nomen dabant.

34. Dicit ergò, ſeù intelligit Balſamon, quod ubi alii Epiſcopi ſolos alienos Laicos, non verò Clericos, ad sè trahere poterant; Præſul Conſtantinopolitanus, nedùm Laicos, verùm etiam alienos Clericos poterat ad sè trahere, tamquàm Paſtor unus ex primariis Orbis Sedibus, Patriarcha, & ſecundum poſt Romanum Pontificem tenens locum. Sed primò ex his ſequitur, quod omnes Epiſcopi tunc poterant Clericatu alienos laicos inſignire, & illis ſtipendia eccleſiaſtica impertiri: Sic-

(a) *Leg. ultim. in fin. & ibi Bartol. ff. de calumn. Gratian. diſcep. for. tom. 3. c. 516 nu. 6. Barboſ. Axiom. 234.*

(b) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 1. n. 1 & 5.*

(c) *Concil. Arauſic. I. cap. 9.*

(d) *S. Auguſt. epiſt. 215.*

(e) *Vide ſupr. tom. 2.*

(f) *Concil. Sardicenſ. c. 18. & 19. Conc. Carthag. III. c. 21. Concil. Arauſ. I. c. 8. Concil. Taurin. c. 7.*

(g) *S. Leo ep. 84. c. 9. Conc. Carthag. IV. c. 27 Conc. Arauſ. I cap. 8. Concil. Venet. in Armonia c. 10*

(h) *Thomaſſin. loc. cit. p. 2 l. 2 c. 2. n. 5. & 7.*

(i) *Ferrand. in Breviar. c. 230.*

(l) *Conc. Carthag. III. c. 44. 45.*

(m) *Concil. Chalced. cap. 27.*

(n) *Vid. Bals. tom. 1. ad Can. 27. Conc. Chalcedon. Thomaſſin. vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. p. 1 lib. 1 c. 30.*

Sicque hoc modo extraneos beneficiis paritèr inveſtire. Secundò, quod etiam Clericos alienos ad sè trahere poterant, conſentientibus eorum Epiſcopis, & hoc paritèr ſaltèm modo illos beneficiis eccleſiaſticis inſignire. Tertiò, quod ſicut poterat Antiſtes Conſtantinopolitanus alienos Clericos, vel ad sè trahere, vel in aliis Eccleſiis ſui Patriarchatus inſerere; ità idipſum facere poteſt Papa, & reſpectivè etiam omnes alii, qui in beneficiis elargiendis, à Pontifice cauſam habent: & ſic ſi omnis alia deſit ratio, authorizans jus beneficia extraneis impertiendi, hæc ſaltem prævalebit, quod poſſint beneficiis inſigniri, vel à Papâ immediatè, vel ab Epiſcopis, Principibus, & aliis, qui in collatione beneficiorum, vel reſpectivè in nominatione ad illa, cauſam habent à Papâ: Quod firmato, jàm argumentum, exadversò propoſitum, nedùm non probat, quod extraneis non poſſint beneficia ſacra deferri, ſed imò probat totum oppoſitum, nempè eis poſſe prò collatorum, & nominatorum ad ea, opportunitate præberi, quotiès vel Papa illa conferat, vel per viam collationis, aut nominationis, ab aliis diſtribuantur, qui eadem ſic diſpenſandi, auctoritatem habent à Pontifice.

35. Reſpondetur *tertiò*, Theodorum Balſamonem de falſitate convinci, tùm ex factis propriis, tùm ex doctrinâ, & geſtis alienis. Ex factis propriis, quià ipſe erat Chartularius, ſive Cartophylax Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ (*a*), potiſſimam illam dignitatem eccleſiaſticam tenens, cujus quicumque erat præditus, Patriarchæ cęlebranti, officio Archidiaconi fungebatur: Pœnitentiarii quoque munus obibat: Scripturas eccleſiaſticas cuſtodiebat: Bulloterium, ſive ſigillum Patriarchale, à Collo defluens gerebat: tanto demùm faſtigio Urbem obambulans incedebat, ut aureo anulo ad digitos perornatus, procederet *cum Mitrâ auro intextâ, & mulo vectus inſtar Patriarchæ* (*b*). In publicis tandèm conſeſſibus aliarum Urbium Epiſcopis pręcedebat, quia erat unus de Exocatacœlis (*c*), qui erant Parochi urbis Conſtantinopoleos, & veluti Cardinales magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Epiſcopis præcedentes (*d*), quos in Concilio Florentino Eugenius Papa IV. hoc affecit honore, ut non ei genua, aut pedes, ſed dexteram oſcularentur, & genam (*e*). Dùm autem Theodorus Balſamon hoc beneficium in Byzantii Eccleſiâ teneret, Patriarchalem honorem Antiochenæ Eccleſiæ ſuſcepit (*f*): non idoneis viris in ſuo Clero carentem, non ab Antiochenis electum, vel poſtulatum, ſed eis ultrò à Patriarchâ Conſtantinopolitano tranſmiſſum, adeò ut cum Antiochiam profectus eſt, nedùm ibi conſiſtere, ſed & nec illùc propiùs accedere ſit permiſſus (*g*). Indè Patriarchale beneficium Conſtantinopoleos conſequi concupivit, poſt Nicetam Mundanum Patriarcham ſolio depoſitum, ſed non obtinuit, quippè Iſaacius Angelus Imperator, ei prætulit Leontium Monachum (*h*).

36. Leontio intrà annum Sedem refutanti, Balſamon affectavit iterùm ſubrogari (*i*), ſed illum ſubſannavit Iſaacius, hac artificioſiſſimâ deluſione. Spopondit enim ei Cæſar Græcâ fide, & ficto animo, inſulas Conſtantinopolitanas, ſi probaret poſſe Epiſcopum licitè de unâ ad aliam Sedem transferri: hac enim doctrinâ opus eſſe ſimulabat Cæſar, ut ipſe Balſamon ritè poſſet de Antiochenâ ad Conſtantinopolitanam Sedem tranſire. Probavit Balſamon in Conſeſſu Epiſcoporum hanc ſibi gratiſſimam concluſionem, & rationibus, & exemplis, migrationem, de unâ ad aliam Eccleſiam, authorizantibus: tuncque Iſaacius, non Balſamonem, ſed Doſitheum de Hieroſolymitanâ ad Conſtantinopolitanam Sedem tranſuexit (*l*). Excanduit ad hæc Balſamon, & cum eo Epiſcopi, ejuſdem partes tenentes, ſeque deluſos à Cæſare conclamantes, Synodali decreto Doſitheum depoſuerunt, tamquàm, non aliquâ rationabili de causâ, ſed puro ſpiritu ambitionis translatum: & cum interim Conſtantinopolitana Eccleſia fuerit Georgio Xiphilino conceſſa, & Hieroſolymitana, cuidam alteri Patriarchæ (*m*); Doſitheus, & concupito caruit throno, & proprio, quem ſine juſtis cauſis reliquerat, atque ità pœnam integram luit, quam D. Leo Magnus ſuo exceſſui præfinivit: *Si quis Epiſcopus mediocritate Civitatis ſuæ deſpectâ, adminiſtrationem loci celebrioris ambierit, & ad majo-*

(a) *Cardin. Baron. ann. 1179. n. 20.*

(b) *Domin. Magri Notit. Vocabul. Eccl. V. Chartophylax.*

(c) *Nicol. Du Mortier. Etymolog Sacr. Verb. Cartophylax.*

(d) *Du Mortier, & Magri ubi ſupr. Verb. Enacatacœli.*

(e) *Domin. Magri loc mox citat.*

(f) *Cardin. Baron. ann. 1191. n. 50.*

(g) *Thomaſſin. vet. & nova Eccl. diſcipl. p. 1 l. 1. c. 15. n. 9 & sec*

(h) *Nicetas Choniates lib. 6. in Iſaacio.*

(i) *Baron. ann. 1187. num. 13.*

(l) *Nicetas Choniates in Iſaacio Thomaſſin. loc. cit. p. 1. l. 2. c. 26. num. 4.*

(m) *Card. Baron an. 1193. n. 25. 26. 27.*

Digitized by Google

majorem ſe plebem quâcumque occaſione tranſtulerit, non ſolùm à Cathedrâ quidem pellatur alienâ, ſed carebit & propriâ, ut nec illis præſideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per ſuperbiam ſprevit (*a*). Balſamon quoque, & Conſtantinopolitanum Patriarchatum non obtinuit, & Antiochenum non poſſedit, niſi nomine tenùs (*b*).

(a) S. Leo PP. 1. epl. 84. cap. 8.

(b) Baron. ann. 1191. num. 50.

37. Igitùr mendosè Balſamon affirmat, uſque ad ſua tempora illicitum fuiſſe Clericos de unâ ad aliam trahere Eccleſiam, cum ipſe ex Conſtantinopolitanâ, ubi Cartophylacis munere fungebatur, ad Patriarchatum Antiochenum proſiliverit, & ab hoc ad alterum Conſtantinopoleos refluere concupiverit. Sicque ſi Balſamon non intendit loqui de Clericis, qui ſine propriorum Antiſtitum conſenſu, vel traherentur alibi, vel sè trahendos offerrent; neſcimus videre quomodò ejus verba, cum veritatis ſenſu conſiſtant. Paritèr ex doctrinâ, & geſtis aliorum, ipſius Balſamonis placitum de falſitate convincitur, nempè ex hucuſque allatis per nos Patrum, Conciliorum, Canonum, & Hiſtoriarum documentis, quæ illius tempora præceſſere, & illi, tamquàm viro docto, incognita facilitèr non fuere: & præſertim ignoraſſe non eſt credibile, in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ, & Antiochenâ multos, quos ſupra retulimus, Pâtriarchale beneficium tenuiſſe, aliundè accerſitos; quarè nec incompertum illi eſſe poterat, nec ſine falſitate potuit denegare, quod extraneis pateret acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia. Convincitur tandèm falſitatis ex iis, quæ nos ſuprà fusè allegavimus de auctoritate Epiſcopi Carthaginenſis, Romani Pontificis, atque Patriarchę Conſtantinopolitani, ſumendi undecùmque alienos Clericos, & vel ſuæ, vel aliorum Eccleſiis inſerendos (*c*), quæ nè citrà neceſſitatem hìc replicemus illùc benevolum, ac doctum remittimus Anagnoſten.

(c) Vid. ſupr. tom. 2. ſæcul 4 cap 6. à n. 15. & tom. 3. c. 9. n. 7.

38. Reſpondetur *quartò*, Theodorum Balſamonem non eſſe teſtem omni exceptione majorem, ſed potiùs magnis, ac pluribus defectibus irretitum, ut vix ei quidquam fidei poſſit communitèr adhiberi, ubi vel directè, vel ex tranſverſo, ſermonem dirigit adversùs Latinos. Fuit enim Latinæ gentis hoſtis acerrimus (*d*), Photiani Schiſmatis fautor indefeſſus, & Papæ, ac Romanæ Sedis iniquiſſimus infamator (*e*): in id unum ſuis ſtudiis collimans, ut Orientalem Eccleſiam ſejunctam ab Occidentali teneret, & Epiſcopos Gręcos, à Romani Pontificis obedientiâ ſepararet. Huic ergò quanta fides habenda ſit, prudens Lector dijudicet: *ſuſpectos*, inquit Pontianus Papa, *aut inimicos &c, & eos, qui non ſunt bonæ converſationis, aut quorum vitæ eſt accuſabilis, & qui rectam non tenent, & docent fidem, accuſatores eſſe, & teſtes, & anteceſſores noſtri Apoſtoli prohibuerunt, & nos eorum auctoritate ſubmovemus, atque futuris temporibus excludimus* (*f*). Balſamon autem & ſuſpectus, & inimicus, & non bonę converſationis, & fidei contaminatę, & omnibus numeris eſt Latinæ genti adverſarius: Qualitèr ergò, & quantùm Latina gens ejuſdem ſcriptis deferet, ac teſtificationi adhęrebit? Plura, non inficiamur, benè protulit Balſamon, ſed & perplura malè ſcripturiit, tùm in Nomoçanone, tùm in Meditatis (*g*), cenſuram lectionis vetitæ promerentia, ne incautorum aures corrumpant, & plus noceant inſipientibus, quàm ſapientibus verè proſint, uti de libris, prava continentibus, ait aliquandò Sulpicius (*h*).

(d) Card. Baron. an. 1179. nu. 20. & 1191. num 51.

(e) Idem ann. 1191. nu. 62. Thomaſſin. p. 1. l. 1. c. 13. n. 2. & 2.

(f) Cap. ſuſpectos 4. cauſ. 3. qu. 5.

(g) Baron. ann. 1179. n. 20. & ann. 1191. nu. 51. & 62.

(h) Sever. Sulpit. in Dialog. 1. §. 1.

39. Brevitèr igitur de Balſamone hęc ſentimus: ſic ejus *doctrinæ ubertatem nobis admirationis eſſe, ut ei tamen in rebus plurimis non aſſentiamur. Adhibendus itaque delectus eſt, ut pretioſum à vili ſecernatur* (*i*): Et pro eo quod aſſerit, uſque ad ſua tempora Epiſcopis non licuiſſe alienos Clericos accerſere, hocque ſoli Patriarchę Conſtantinopolitano competere, tamquàm ſingulare privilegium; nedùm ejus ſenſui non ſubſcribimus, ſed imò contrarium ex allegatis motivis, ac rationibus ſuſtinemus: rati Balſamonem non dubitaſſe in rè tàm evidenti mentiri, ut facultatem hanc Romano Pontifici denegaret (quem cernebat ſæpè ſæpiùs alienos Clericos hinc indè concarpere, & vel in Romanâ, vel in alienis Eccleſiis collocare, modò in Epiſcopali, modò in Præsbyterali, modo in Cardinalitio munere,

(i) Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 13. n. 5.

Digitized by Google

nere, prout Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas depoſcebat) ut eandem poteſtatem ſoli Conſtantinopolitano Præſuli adjudicaret, quam adhùc & non illimitatè, ſed ſolummodò juxtà numerum à Cæſare conſtitutum, & in ſolo caſu deficientię indigenarum poſſe ad effectum perducere dictitavit: in hoc etiam vel palmaritèr deceptus, vel mendacitèr elocutus: quippè determinatio numeri Clericorum, de quâ in Novellâ Juſtiniani (*a*), non fuit lex generalis, ſed ad ſolam Eccleſiam Conſtantinopoleos limitata, nec prohibuit Patriarchæ tot quot vellet Clericos ordinare, ideſt Ordinibus eccleſiaſticis inſignire, ſed ità ordinare, ut determinatę alicujus Eccleſiæ affixi eſſent, vel illis, quæ Conſtantinopoli erectæ erant, & prætaxatum numerum habebant Clericorum, qui ex earum reditibus poſſent victualia, ſive Prębendas eccleſiaſticas adipiſci; hęcque lex tangebat non ſolùm Clericos extraneos, ſed etiam indigenas, & nativos, quotiès numerum illum prætaxatum excederent.

(a) Juſtinian. novel. 3 Ut determin. ſit nu. Cleric.

40. Et nèc verbum quidèm habuit Cæſar in præfatâ Novellâ de extraneis arcendis, vel admittendis ad eccleſiaſtica beneficia: talitèr ut hinc nullum fuerit illatum præjudicium auctoritati Patriarchæ, accerſendi undecùmque vellet Clericos in ſuâ Eccleſiâ locandos, vel eos de unâ in aliam Eccleſiam tranſplantandi, juxtà perſonarum, locorum, & temporum indigentiam. Pluriès ſuprà memoravimus Clericos aliundè exortos, & in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ ad Presbyteratum, Diaconatum, & alia Officia, ac Beneficia eccleſiaſtica admiſſos, prætèr promotos ad Patriarchatum: undè contendere, quod Patriarchæ, non liceret aliundè Clericos ad ſe trahere, eſt lucis ſolem negare: Nèc ulteriorem promeretur argumento indè petito, reſponſionem. Itàque narrativa Balſamonis, nec doctrinalitèr, nec hiſtoricè officit libertati Eccleſiæ in conferendo ſacras Præbendas, non modò Clericis localibus, & indigenis, verùm etiàm extraneis, dummodò idoneis, benemerentibus, atque dignis.

Digitized by Google

C A P U T XX.

In quo enodantur cæteræ Objectiones Historicæ, *productæ in prejudicio libertatis Eccleſię, munerandi etiàm Clericos extraneos ſacris Præbendis, & Eccleſiaſticis Beneficiis.*

S U M M A R I U M.

1 Duodecima Objectio *ex Innocentio III. qui mandavit eligi virum de gremio: à non factâ electione de gremio admiſit appellationem &c.*

2 *Lex aptatur ad ea, quæ frequentiùs accidunt: frequentiùs autem, ubi electio celebratur eligi ſolent viri de gremio:. At non ex debito.*

3 *Quod Miſſa in propriâ parochiâ audiatur &c. diceret Pontifex, ſi de his ageret, non indè tamen ſequitur, quod aliter fieri non poſſit.*

4 *Innocentius III. loquitur de honeſtate, non de præcepto. Cum eligitur extraneus, poſſunt aliqua minus grata Populo, & Clero.*

5 *Utrumque hoc inconveniens poterat accidere etiam circa indigenas electos. Innocentius loquitur de honeſtate, non de præcepto.*

6 *Si attendenda ſunt dicta, & facta Innocentii III. indigenę ſuccumbunt, cum extraneos admittendos eſſe mandaverit.*

7 *Cum obiiceretur Electo Saonenſi, quod eſſet extraneus, deberetque eligi aliquis de gremio, Innocentius exceptionem repulit.*

8 *Quod extraneitatis exceptio frivola ſit, explicat Gloſſa. Conſtat ergò, quod Innocentius electionem de gremio non præcepit, ſed conſuluit.*

9 *Innocentius III. non contuliſſet variis Eccleſiis indultum reſtrictivum electionis ad viros de gremio, ſi hæc eſſet, fuiſſetve de jure.*

10 *Ubi viget jus canonicę electionis, valida eſt electio extrà gremium, niſi ubi privilegium Apoſtolicum aliud exigat.*

11 *Reſiſtere poſſunt Electo ij, quibus invitis præficitur aliquis in Præſulem. Forma electionis nunc viget in ſolâ Germaniâ, & apud Maronitas.*

12 *Scripſit Innocentius PP. III. variis Epiſcopis, & Abbatibus, pro collatione beneficiorum faciendâ viris extraneis.*

13 *Alię plures literæ ipſius Innocentii indicantur, ex quibus innoteſcit collatio beneficiorum facta Clericis extraneis.*

14 *Multiformitèr probatum reſtat Innocentium III. extraneorum cauſæ faviſſe, nec electionem de gremio præcepiſſe, ſed conſuluiſſe.*

15 Decimatertia Objectio *ex Conſtitutione Cypriâ, quæ jubet, ut Gręcis Eccleſiis Græcus, & Latinis Latinus pręficiatur.*

16 *Ex quo magna ęmulatio emerſit inter Latinos, & Græcos, inter eos unio ſæpiùs tentata eſt, ſed nunquàm perſeveravit.*

17 *Quidam Græci catholicè in Cypro vivebant ſub ſuis Epiſcopis: orta verò eſt contentio inter Præſules Latinum, & Græcum, & utramque Gentem.*

18 *Jubet PP. Græcos Epiſcopos à Græcis, & de Græcis eligi, ac à Latinis Epiſcopis confirmari, & utriuſque Gentis Præſulis uni Archiepiſcopo Nicoſiæ ſubeſſe.*

19 *Sequitur Juramentum præſtandum ab Epiſcopo Græco Epiſcopo Latino, Archiepi-*

Digitized by Google

chiepiſcopo, ac Papę; aliaque de formâ in regimine adhibendâ.

20 *Conſtitutio hæc illùc tantum tetendit, ut tàm Gręca, quàm Latina gens in Cypro exiſtens, proprium, ac proprii ritus haberet Antiſtitem.*

21 *Innocentius PP.III. mandaverat, ut in Urbibus ſolos Græcos continentibus, Græcus pręficeretur Antiſtes, ubi Latini, & Græci erant, Latinus Pręſul præeſſet.*

22 *Concilium Lateranenſe IV. mandavit Vicarios tot linguarum conſtituendos à Præſule Latino, quot ei ſuberant Gentes diverſi ritus, & idiomatis.*

23 *Conſtitutio Cypria id fecit, ut in Cypro non eſſent in eodem loco duo Populi, & duo Præſules, ſed quiſque Populus proprium haberet Paſtorem.*

24 *Ex quacumque Regione eſſent, Græcum ritum tenente, Clerici poterant in Cypro beneficiis Græcis augeri. Conſtitutio ergò Cypria prodeſt extraneis.*

25 *Sicut ad decorem Eccleſiæ triumphantis pertinet varietas ordinum Angelicorum; ità ad militantis decorem pertinet varietas rituum ſacrorum.*

26 *Prævidit Alexander Papa IV. caſus varios, qui poterant evenire, & omninò mandavit ſemper Græcum Pręſulem Græcis debere præeſſe.*

27 *Secundum jura eligi non poteſt Monachus unius ordinis in Pręſulem alterius, non quià extraneus, ſed quià diverſi Inſtituti.*

28 *Sic & conſtitutio Cypria vetuit præfici Epiſcopum Latinum Gręcis, non ratione extraneitatis, ſed ratione diverſitatis ritus.*

29 Quartadecima Objectio *ex factis, ac dictis Æneæ Sylvii, qui fuit Pius PP.II. Nàm Germanica & Boemica beneficia Boemis, & Germanis dari voluit.*

30 *Cathelanus quidam fuit rejectus ab Epiſcopatu Pragenſi, non eo quod eſſet extraneus, ſed quià deerat ei conſenſus Regis.*

31 *Ex verbis Æneæ Sylvii conſtat, quod reſtitit Cathelano, tum quià ignorabat idioma Boemicum, tum quià rebus ipſius Sylvii obeſſe poterat.*

32 *Defectus ſcientię idiomatis eſt notabilis in paſtore populi, quem docere debet; non verò id facere poteſt ſermonis inſcius.*

33 *Inſcius idiomatis adhibere poſſet interpretem: tamèn hoc eſt incommodum. Aliqui Principes officio interpretis functi ſunt Sacerdotibus.*

34 *Ob inſcitiam idiomatis Anglici recuſavit accipere in Angliâ Epiſcopatum Guitmundus, qui fuit poſteà Cardinalis, & Epiſcopus Averſanus.*

35 *Scientibus idioma nil obeſt extraneitas. Quâ occaſione Archiepiſcopus Roſcholdenſis latinæ linguę ignarus, in eâ profecit.*

36 *Epiſtolæ Pii II. deſtruunt intentum Contradictorum: nàm in multis ſermonem habet de beneficiis per extraneos adeptis.*

37 *Pius II. Senenſis habuit Epiſcopatum Tregeſtinum, & Vuarmienſem, pluraque beneficia in Germaniâ Cardinalatum, & Papatum.*

38 *Indicantur alia ſimilia. Æneas Sylvius literas naturalitatis non habebat ab Imperatore. Servierat tamen Nationi Germanicę.*

39 *Profeſſus eſt Pius, sè beneficia illa obtinuiſſe à Papâ, qui ea concedere illi poterat. Facta ergò, & dicta Pii favent extraneis.*

40 *Omnis homo erroris eſt capax. Pius plura, quę in minoribus egerat, ſeu dixerat, retractavit ſpeciali Bullâ.*

41 *Si quid in privato ſtatu fecit libertati Eccleſiæ contrarium; id ſenex correxit, & in Pontificatu beneficia etiam viris extraneis eſt largitus.*

42 *Ubi Æneas Sylvius in ſuis epiſtolis viſus eſt extraneis obſuiſſe, locutus eſt non de neceſſitate, ſed de honeſtate, ac cæteris paribus.*

43 *Non eſt minor poteſtas Epiſcopi quoàd ſpiritualia in ſuâ Diœceſi, quam ſit Principis ejus loci in temporalibus.*

1. PRÆTER plura Documenta, ſive Argumenta, uſque modò per nos uberrimè diſſoluta, quibus Contradictores hiſtoricè probare nituntur, Clericos extraneos eſſe à beneficiis eccleſiaſticis repellendos; Alia motiva, ſeu Objecta producunt, paritèr hiſtorica, quibus opportunè nunc operę pretium eſt reſpondere. *Arguunt ergò duodecimò* ex facto, ſeù factis Innocentii Papę III. ſub cujus Pontificatu licèt electionum Canonicarum forma fuerit immutata, repulſis, à jure Antiſtites eligendi, laicis; attamen hoc inconcuſsè retentum eſſe dicunt, ut nonniſi Clericis indigenis beneficia eccleſiaſtica conferuntur. Ipſe etenim pluribus in locis, inquiunt, jubet electionem fieri de gremio Eccleſię, ſi Electores *poſſent in perſonam idoneam de gremio ipſius Eccleſię convenire* (a). Ipſe appellationem ad sè interpoſitam ob non electionem factam de gremio Eccleſiæ vacantis, admiſit, aſſerens, *cum enim ad nos fuerit appellatum, ut non niſi de Eccleſiæ gremio, & in loco tuto electio fieret &c.* (b). Ipſe Mediolanenſibus diſcordibus in electione Epiſcopi, & in illum compromittentibus, non alium dedit Antiſtitem, quàm de proprio eorum gremio, *ſupplicitèr poſtulantes, ut quem mallemus de gremio Eccleſię veſtræ vobis dignaremur concedere in paſtorem* (c). Ipſe Patriarchæ, & Capitulo Antiocheno in mandatis dedit, ut quemdam in Canonicum reciperent, qui *in Antiochenâ Eccleſiâ, per novem annos, & amplius in regimine ſcholarum, & divinis officiis fidelitèr ſervierat &c.* ex hac ratione, *quià dignum eſt, ut ubi laboraſſe dignoſcitur, ibi ſtipendia conſequatur* (d). Ipſe demùm dans formam, ſervandam in electione Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, ſcribit Archiepiſcopo Neopatrenſi, ac Epiſcopis Germopilenſi, & Avellanenſi, *Illos ad quos partinet electio Theſſalonicenſis Eccleſiæ moneatis, ut perſonam idoneam, ſiquidem in partibus illis reperta fuerit, abſque morâ per electionem, ſeù poſtulationem canonicam concorditèr ſibi pręficiant in Paſtorem. Si verò propter perſonarum defectum, quo non ſolùm ipſam Eccleſiam, ſed & totam Provinciam credimus laborare, perſonam idoneam non potuerint ad ejus regimen invenire; vos id nobis per veſtras literas intimetis* (e). Ex quibus, aliiſque ſimilibus, quæ his poſſent adnecti, clarè deducitur, voluiſſe Innocentium, quod beneficia eccleſiaſtica ſolis Clericis de gremio Eccleſiæ vacantis, ſeù aliàs indigenis conferrentur, repulſis indè conſequentèr extraneis. Ità inferunt Contradictores.

(a) *Innoc. Pap. III. l. 2. epiſt. 13.*
(b) *Innocent. III. l. 2. epiſt. 87.*
(c) *Innocent. III. epiſt. 141.*
(d) *Innocent. III. l. 4. epiſt. 177.*
(e) *Innoc. III. libr. 2. epiſt. 13.*

2. Reſpondetur *primò*, ideò præceptum fuiſſe ab Innocentio Papâ III. ut Promovendi ad beneficia Epiſcopalia ſumerentur de gremio, ſive de loco Eccleſiæ vacantis, quia ſe uniformavit Juris diſpoſitioni: Jus autem ità præcepit, quia à legislatore leges ſtatuuntur, ut in pluribus. Lex enim adaptatur ad ea, quæ frequentiùs accidunt, ut ajebat Theophraſtus (*f*). Nèc ſuper iis, quę rarò accidere ſolent, ſtatuenda eſt lex (*g*). Ut in pluribus autem, ubi electionis forma viguit, aut viget, electio fieri conſuevit de gremio, ſivè de loco Eccleſiæ viduatæ, ac ità fieri laudabile eſt (*h*). Benè ergò Innocentius in literis exadverſo allegatis, indixit eligendos eſſe viros de corpore Eccleſiarum, quia ſecundùm jus, & ut in pluribus, electio ità debebat fieri; ſed hoc nullam neceſſitatem involuit, quià jus nullibi hoc uti de neceſſitate præſcribit (*i*). Conſonat his Doctrina D. Thomæ perpendentis ſtatuta alicubi decernentia, ut electio Pręſulis fiat de gremio Eccleſiæ, ubi ſic habet: *ille, qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, ut in pluribus conſuevit eſſe utilior, quantum ad bonum commune, quià magìs diligit Eccleſiam, in quâ eſt nutritus* (*l*). Quem textum ſic gloſſat Seraphinus Capponius, ejuſdem D. Thomæ plauſibilis commentator: *Exiſtentes extrà gremium erunt quandòque ſufficientiores ſimplicitèr, ſed non prò tali loco, prò tali Eccleſiâ &c. Et ſi aliquis extrà forſan ſit, omnibus conſideratis ſufficientior; tamèn ut in pluribus conſuevit, ille de gremio eſſe ſufficientior loco iſti, & ſtatuta dantur prout in pluribus, non prout in paucioribus* (*m*).

(f) *Paul. lib. 7. ff. de leg. Thomas del Bene de Immun. c. 2. dub. 2. ſect. 4. n. 9.*
(g) *Leg. ex biſ ff. de legibus.*
(h) *Garcia de benef. part. 7. c. 9. n. 7.*
(i) *Barboſ. in cap. Inter. 21. n. 2. de elect.*
(l) *S. Thomas 2. 2. qu. 63. art. 2. ad 4.*
(m) *Seraphin. Cappon. in D. Thomam loc. cit.*

3. Qui-

Digitized by Google

3. Quibus ità ſe habentibus, certè ubi Pontifices, Epiſcopi, Concilia, & quicumque alii de aliquâ re agendâ diſſerunt, & ſe juri accommodant, de illâ ut in pluribus eos loqui oportet. Sic ſi occurreret eis de ſequentibus ſermonem habere, dicerent, quod quilibet Chriſtianus debet Miſſam in propriâ Parochiâ audire (*a*): debet ſua peccata proprio Sacerdoti confiteri (*b*): debet Matrimonium coram proprio Parocho, in ſuâ Parochiali Eccleſiâ celebrare (*c*): debet ibidem, & ab eodem, Baptiſmi Sacramentum ſuſcipere: & ſic de aliis: quarè? quia jura ità præſcribunt, & ut in pluribus ſic fieri ſolet. Non ſequitur tamen, quod qui alibi, quàm in propriâ Parochiâ, & à proprio ſuo Parocho, vel Miſſam audit, vel peccata confitetur, vel Baptiſmum ſuſcipit, vel Matrimonium Domi, aut alibi, quàm in Eccleſiâ parochiali celebrat; hæc omnia invalidè faciat, & culpam lethalem contrahat &c. quià leges, ut ſuprà, oppoſitum indicentes, & ut in pluribus loquentes, non ſanctionem talitèr anguſtarunt, ut in caſibus particularibus alitèr fieri non poſſit. Sub hoc igitur themate Innocentius III. inſinuans electionem fieri de Corpore Eccleſiarum, Juri sè uniformavit, & ut in pluribus eſt locutus, quippè ut in pluribus erat ſolitum promovendos de Eccleſiarum gremio ſeligere. Sed quià jus non rem talitèr coarctabat, quin in caſibus particularibus, & ut in paucioribus, vel alitèr non poſſent eligi etiam extranei, hinc eſt, quod per allegata facta, ſivè literas Innocentii non probatur illicitam eſſe extraneorum unà cum indigenis admiſſionem ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 4. Conc. Nannetenſ. c. 1.*

(b) *Cap. omnis utriuſque ſexus de pænit. & remiſ. Concil. Rotomag. c. 10.*

(c) *Cap. noſtrates 30. qu. 5. cap. ſi quis divinis ead. cauſ. & quæſt.*

4. Reſpondetur *ſecundò*, Innocentium loqui non de præcepto, ſed de conſilio, ſeù de honeſtate, & cæteris paribus (*d*). Quandoquidèm cum tunc vigeret ubilibet in totâ Eccleſiâ jus electionis Canonicæ, præſtabat, congruum erat, honeſtum erat, ut quantùm fieri poterat, Præſules eligerentur de gremio, eò quod ſi extraneus abipſis Electoribus provehebatur, duo mala indè poterant evenire: primum, quod Electus contemneretur à Populo non facilè obtemperaturo, viro aliundè venienti, & incognito (*e*). Secundum, quod Clerus Eccleſię vacantis obtenderet ſibi injuriam inferri, nullo ex ejus Corpore electo; quaſi nullus ex eis eſſet ad Præſulatum idoneus, & neceſſarium fuiſſet fructus, labori famulantium Eccleſiæ debitos, viris extraneis ab eorum Corpore, dilargiri (*f*). De ſecundò ità D. Gregorius ad Neapolitanos literas dedit, refutatorias quidem Joannis, & Petri ab eis Coelectorum ad infulas Paſtorales; deindè ad calcem addentes: *ſtudii prætereà veſtri ſit etiam alium, qui aptus ſit providere, ut ſi fortè huic ordini hic non videatur idoneus, ſit in quem ſe veſtra declinare poſſit electio. Nàm grave Cleri illius erit opprobrium, ut ſi hic fortaſſe approbatus non fuerit, alium sè dicant, qui eligi debeat, non habere* (*g*). De primo mentionem facit Nicolaus Papa I. in causâ Photii Conſtantinopolitanæ Cathedræ invaſoris, quem in eam non debuiſſe irrepere declamat, *nè is, qui de foris eſt alterius ovilis Chriſti repente principatum accipiat &c. & grex Dominicus incipiat eum, utpotè extraneum, & improviſum omninò contemnere, cum perſpiciat nil ſibi ſtipendia profeciſſe meritorum, & alienum, ſuorum cernat conſumere fructus bonorum* (*h*).

(d) *Selva de benef. p. 3. qu. 16. n. 2. Navar. Conſ. 6. num. 1. de elect. Barboſ. in c. cum inter n. 6. de elect.*

(e) *S. Leo PP. I. ep. 84. c. 5.*

(f) *S. Cæleſtin. PP. I. ep. 2. c. 5. cap. nullus invitis 13. diſt. 61.*

(g) *S. Gregor. lib. 8. epiſt. 40.*

(h) *Nicolaus PP. I. epiſt. 7. in tom. 8. Conc. Labbè.*

5. Sed quià utrumque inconveniens, tàm evenire poterat, ſi eligebatur extraneus, nempè ex alio loco progenitus, quàm ſi eligebatur indigena, nempè in eodem loco natus, ſed laicus, vel etiam Clericus, non inſertus numero Clericorum componentium gremium Eccleſiæ; electio enim, quæ ab initio fieri debebat per Clerum, & Populum (*i*), ſucceſſivè redacta eſt ad ſolos Canonicos componentes gremium, ſeù Capitulum Cathedralis (*l*); hinc eſt, quod tàm primi, quàm ſecundi mali cavendi ſollicitudo, ultrà vires ſimplicis honeſtatis non procedebat. Ideòque dùm Innocentius Papa III. (& idem de aliis Pontificibus eſt dicendum) viros ad Prælaturam Eccleſiarum præficiendos, dictavit debere eſſe de gremio; non id ità ſanxit, ut indiſpenſabilitèr, & ex neceſſitate deberet ità fieri, talitèr quod ſi extrà gremium quiſquam acciretur, invalida, & illicita eſſet electio, ſed ſolùm electionem fieri de gremio propoſuit, tamquàm quod ex honeſtate, de congruo, & ce-

(i) *Barboſ. de off. & poteſt. Epiſcop. p. 1. tit. 1. c. 3. n. 4.*

(l) *Cap. Cumana 50. de elect. cap. cum Eccleſiis de præbend. in 6.*

& cæteris paribus expediret extraneum indigenę non præferre, nec extrà gremium Promovendum conquirere, ſi in gremio vir æqualis meriti adeſſet, nè Clerici de gremio ſè prò contemptis haberent, Clerusque, & Populus egrè obtemperaret extraneo ignoto, & inoptato: vel etiam illum contemneret: aut alia emergerent inconvenientia, quæ Eccleſiam, poſſent facillimè perturbare. Cæterùm electio, quantum eſt in ſè, ſivè de indigena, ſivè de extraneo fieret, ſine controverſiâ ſubſiſteret, proùt & nunc, ubi viget electionis forma, ſubſiſtit (*a*). Et ſic ſi Innocentius Mediolanenſibus, in eum compromittentibus, unum de illorum gremio præfecit; ſi pluries electionem de gremio Eccleſiæ fieri indixit; ſi tandèm alia fecit, vel dixit, proùt in argumento notatur; hæc non niſi tamquàm de congruo, & honeſtate, ac cæteris paribus locum habere voluit; contrariis aliis dictis, & factis, de quibus paulò infrà erit ſermo, docens, potuiſſe alios, quàm de gremio, præfici Eccleſiis, & Clericos extraneos poſſe ubilibet beneficiis eccleſiaſticis inſigniri.

(a) DD. apud Barboſ. Jur. Eccl. univ. l. 3. c. 19. n. 113.

6. Reſpondetur *tertiò*, retorquendo argumentum. Nàm ſi ideò repellendi ſunt ab eccleſiaſticis beneficiis extranei, quià Innocentius Papa III. aliquandò provexit ad Epiſcopalia beneficia Clericos de gremio Eccleſiæ vacantis, & idem ab aliis fieri mandavit, appellationemque ab electione Præſulis extrà gremium factâ, illi delatam admiſit; cum etiam pluribus vicibus extraneos ad præbendas ſacras admiſerit, & admitti ab aliis fecerit, ſicut paulò infrà dicetur; & appellationes hujuſmodi eſſe frivolas declaraverit, & uti nullius ponderis refutaverit; patet quod ex ipſis factis, & dictis Innocentii Clericis extraneis, non minùs quàm indigenis, patet acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia. De præfatis appellationibus refutatis uti frivolis, fit ſermo in epiſtolâ ejuſdem Innocentii ad Archiepiſcopum Genuenſem, & Epiſcopos Placentinum, ac Bobienſem ſcriptâ, & Juris corpori inſerta (*b*), ubi diſſidentibus Canonicis Saonenſibus in electione illorum Antiſtitis, pars major, & ſenior Capituli eligit Præpoſitum Aſtenſem, indè ſatis extraneum, & diſtantem, ac epilepſiæ morbo laborantem: Pars verò altera prò electione Clerici de gremio Eccleſiæ inſtetit, aſſerens dictum Prępoſitum, *morbo epileptico laborare, prò quo aliâ vice tamquàm inhabilis fuerat recuſatus, nec ad aliam Eccleſiam debere fieri tranſitum, donèc reperiretur idoneus in Eccleſiâ Saonenſi*. Partibus demùm compromittentibus in Archiepiſcopum Mediolanenſem, hic Canonicum Modicenſem, pariter extraneum, in Epiſcopum Saonenſium nominavit.

(b) Cap. cum inter 21. de election.

7. Re tandèm utrinque delatâ per viam appellationis ad Sedem Apoſtolicam; Innocentius pronuntiavit electionem Præpoſiti Aſtenſis, validam, & licitam, tametſi Prępoſitus extraneus foret: Exceptionemque illi objectam, quod non eſſet de gremio, ac alias conſimiles exceptiones præter morbum epilepſiæ, uti nullius momenti, atque *frivolas* refutavit. En textus: *Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenùs, cum conſtet electionem de Præpoſito memorato, à majori, & ſaniori parte Capituli celebratam fuiſſe, publicatam etiam, & ſubſcriptam; Si dictus Prępoſitus eidem electioni conſenſerit, ut per mutuum conſenſum eligentium, & Electi, quaſi conjugale vinculum ſpiritualitèr ſit contractum, niſi ſufficientèr ſit oſtenſum eundem morbo epileptico laborare (ſuper quo contrà ipſum dicitur appellatum) vos non obſtante appellationis objectu, ſi qua ex aliis cauſis ſuperiùs memorati ſupponitur interpoſita (cum eas frivolas reputemus) electionem confirmetis ipſius: non obſtante quod poſt talem electionem à præfato Archiepiſcopo proponitur eſſe factam, etiam ſi à partibus in eum fuerit compromiſſum, cum Electores à tali electione ſic reſilire nequiverint &c.* (*c*). Nèc cenſeatur appellationem fuiſſe interpoſitam à ſolo vitio morbi epileptici, quià, quamvìs hæc fuerit præcipua cauſa, ſuper quâ fundata eſt appellatio, non tamen excluſa eſt alia extraneitatis, ſuper quâ talem, ac multam clamoroſitatem faciebat pars, quæ Præpoſiti electioni contranitebatur.

(c) D. cap. cum inter 21. de election.

8. Et ideò fortè primario ſolus defectus morbi epileptici fuit poſitus in propatulo, quia hic alicujus momenti erat; non verò extraneitas, uti parum relevans:

hæc

hæc tamen non fuit prętermiſſa, ſed ſolum ſecundariò allegata, & ſinè dubio ad judicium deducta fuit, ſicut patefacit gloſſa, verbis illis appoſita: *si qua ex aliis causis ſuperiùs memoratis proponitur interposita*, quæ ſic loquitur: *Ex aliis causis, ſcilicèt quià non erat de Ecclesiâ, & in eâdem erant idonei*. Appellatio ergò, cum aliis cauſis hanc etiam extraneitatis complectebatur, vel ſaltèm complecti poterat, & ſi de facto ad illam ſe extendiſſet, hęc à Pontifice parvipenſa eſt, & uti frivola declarata. Igitùr ſi Innocentius exceptionem electionis factæ extrà gremium, & ad sè interpoſitam, ac ſeriò ventilatam, uti *frivolam* refutavit; patet primò, quod non tamquàm de præcepto, ac neceſſariò, ſed ſolum tamquam de conſilio, & congruentèr electio illius, qui eſt provehendus ad beneficium Epiſcopale, debet fieri de gremio Eccleſiæ vacantis, itàut ſi electio fiat extranei, valida ipſa ſit, atque licita (*a*). Secundò patet, quod ubicumque Innocentius, in literis ab eo expeditis, electionem de gremio Eccleſię fieri dictitavit, non abſolutè, non præceptivè, nèc tamquam de neceſſitate locutus eſt, ſed ſolùm cæteris paribus, conſultivè, & uti de congruentiâ, atque honeſtate. Ac certè mirum, & pluſquàm mirum eſt, quod Impugnatores electionis Præpoſiti Aſtenſis, non ei ſolum extraneitatem objecerint, ſi hæc divino, humano, ac naturali jure illum reddebat incapacem beneficiorum! Tantundèmque eſt mirum, quod Pontifex Prępoſiti electionem approbaverit, ſi naturali, divino, & humano jure erat invalida! ſed cum hæc rè verâ ſint ſomnia, nullumque ſit jus divinum, naturale, vel humanum, talia tamquam de neceſſitate præſcribens; nec Impugnatores Prępoſiti in eis pedes fixerunt; nec Pontifex illa attendit, ſed exceptionem extraneitatis, uti frivolam pronuntiavit, & ità conſtat Innocentium, nunquàm in eo voto fuiſſe, quod beneficia eccleſiaſtica licitè non poſſint etiam Clericis extraneis diſpenſari.

(a) *Barboſa in d. cap. cum inter n. 2. & 6. de elect.*

9. Reſpondetur *quartò*, mentem Innocentii Papæ III. non eſſe ex ſolis ejus factis, & dictis, in argumento expoſitis, repetendam, ſed etiam aliundè colligendam, ſingula ſingulis congruè referendo. Et quod ipſe nunquàm ſenſerit electiones promovendorum ad beneficia debere neceſſario, ac indiſpenſabilitèr fieri de gremio Eccleſiæ vacantis, repulſis extraneis; patet ex eo, quod idem, jus electionis de ſolo gremio faciendæ, pluries indulſit Eccleſiis, tamquam ſpeciale privilegium. Non eſt autèm probabile, quod Pontifex tantæ auctoritatis, & doctrinæ, quantæ fuit Innocentius, Eccleſias deluſerit, conferendo illis tamquàm ſingulare, & individuum privilegium, id, quod ſecundum jura divinum, naturale, & humanum, non poterat alitèr exerceri: nec eſt probabile, quod Eccleſiæ, loco privilegii acceperint id, quod lex ſine alio indulto diſponit, & quod etiam ſine tali privilegio diverſum operandi modum non admittit (*b*). Sic in indulto, directo Fulconi Abbati Corbejenſi decernit: *obeunte verò tè nunc ejuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi quâlibet ſubreptionis aſtutiâ, ſeu violentiâ pręponatur, niſi quem tantum fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris, ſecundum Deum, & B. Benedicti regulam de eodem collegio, vel alterius cœnobii, ſi ibi aliquis ad hoc regimen dignus repertus non fuerit, providerit eligendum* (*c*). Alibi conſimilia indulta largitus eſt, normam tenens, ab Anteceſſoribus ſuis, in negotiis ſimilibus obſervatam, de quibus nos ſuperiùs non ſemel ſumus in decurſu præſentis Operis elocuti. Ex quibus apertiſſimè infertur, quod Innocentius, nonniſi ex privilegio poſſe conſiſtere cogitavit, debitum eligendi Præſules de gremio Eccleſiæ, indeque extraneos repellendi.

(b) *Leg. 1. C. de theſaur. cap. ult. 25. qu. 1.*

(c) *Innoc. III. tom. 1. epiſt. ad Fulcon. Corbejenſ. f. 136.*

10. Quarè ſicubi, vigente formâ provehendi Antiſtites per viam electionis Canonicæ, excipi voluit ab aliquibus, quod electio deberet fieri ex gremio, nec pateret extraneis aditus ad beneficia; exceptio hujuſmodi ſecundum Innocentium, locum non habuit, niſi in Eccleſiis ſpeciali indulto ab Apoſtolicâ Sede ſuper hoc roboratis. Et ità ubi deerat privilegium, congruebat quidem, honeſtum quidem erat, & decens, ut electio in aliquem de gremio caderet; ſed ſi extrà gremium, ſi ad quemcumque, ac quantùmlibet extraneum proceſſiſſet ipſa electio, valida erat,

& li-

& licita, prout & nunc eſt, ubi forma præfata electionis Canonicæ locum habet (*a*). Extrà hunc caſum electio facta de axtraneo, nunquam, neque pro invalidà, neque pro illicità cenſita eſt, niſi fortè, ubi ſimul contingeret Clericos de gremio ſperni, & extraneum invitis, ac reluctantibus præfici: Cum enim juxtà ſacrorum Canonum inſtituta nullibi debebant Rectores, ut præſint reſiſtentibus deſtinari (*b*), quippè omnibus placere debet, cui eſt ab omnibus obediendum: *cum non oporteat violentèr populos ad eum, quem nolint ſuſcipiendum compelli*; uti ſcripſit Fulco Remenſis Odoni Gallorum Regi (*c*), cum tandèm nulla *ratio ſinat, ut intèr Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati*, uti ſtatuendum cenſuit D. Leo in epiſtolà ad Ruſticum Narbonenſem (*d*); repellendos eſſe patet extraneos, talitèr extrà gremium aſſumptos, non præciſe quà extraneos, nec quà extrà gremium accitos, ſed quà invitis, & reluctantibus ſubintruſos.

(a) *Gloſ. in c. inter Canonicos V. alıam de electione. Selva de beneſ. p. 3. qu. 23. nu. 2. Navar. conſ. 6. n. 1. de elect.*
(b) *Cap. nullus invitis diſt. 61. & cap. ſi fortè diſt. 63.*
(c) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. l. 3. c. 15.*
(d) *S. Leo ep. 90. c. 1. & c. nulla ratio diſt. 63.*

11. Et in hoc caſu etiam Innocentius Papa III. extraneos à gremio Cleri prohibuit ad Prælaturas aſſumi, ſcribens Archidiacono, & Capitulo Capuanis; *licet cautum reperiatur in Canone, ut tunc alter de alterà eligatur Eccleſià, cum nullus in proprià fuerit repertus idoneus &c. illud decretum locum videtur habere, quandò Clericis renitentibus, & invitis per alicujus violentiam poteſtatis extraneus ingeritur ex adulterio; propter quod ſequitur in decreto, ut ſit facultas Clericis renitendi, ſi sè viderint prægravari, & quos ingeri ſibi viderint ex adversò, non timeant refutare* (*e*). Ità res ſe habebat pro tempore, quo per viam electionis Canonicæ Præſules præficiebantur Eccleſiis; & ita etiam ſe habet nunc pro locis, ubi eadem forma electionis Canonicæ in uſu eſt, nempè in Germanià (*f*). Extrà quam nullibi audivimus præfici Epiſcopos per viam electionis Canonicæ in locis Catholicis, niſi apud Maronitas Montis Libani, ſed ibi fortè non ſervantur omnes apices juris. Undè quoties ſumus extrà cauſam intruſionis Antiſtitis per violentiam humanæ poteſtatis, & Eccleſiæ Apoſtolico privilegio munitę, quod habeat clauſulam irritantem, & præſcribat, ut neceſſariò debeat de ejus gremio Præſul aſſumi, (quo caſu non ſolum extranei, ſed etiam indigenæ arcendi ſunt, ſi numerum Clericorum componentium gremium non intrant); mens Innocentii liquidò apparet, quod extraneos ut ſic non abſtinet ab adipiſcendis eccleſiaſticis beneficiis. Et ita neque facta, neque dicta Innocentii exadversò objecta, intentum probant Adverſariorum, ſed potiùs libertati Eccleſiæ ſuffragantur, ut poſſit ſemper, & quandòcumque pro ſuo libito acceſſum præbere Clericis extraneis non minus, quam indigenis ad eccleſiaſtica beneficia.

(e) *Innoc. III. tom. 1. lib. 2. ep. ad Archid. & Capit. Capuan. f. 436.*
(f) *Azorius inſtit. mor. p. 2. l. 3. c. 17 qu. 3. Vivian de jurepat. p. 1 lib. 3. c. 1. n. 36.*

12. Reſcondetur *quintò*, iterùm retorquendo argumentum ex alio capite. Nàm ſi facta, & dicta Innocentii Papę III. pro lege habenda ſunt, cum ipſe perplurìes beneficia eccleſiaſtica, etiam Clericis extraneis, vel ex ſe ipſo contulerit, vel ab aliis mandaverit erogari; Contradictores propriis jaculis ſe confodiunt, & pro nobis comprobant quod impugnant. Profectò ipſe Innocentius in epiſtolà ad Archiepiſcopum Mediolanenſem, jubet, ut conferat beneficium Cancellariæ ſuę Eccleſiæ Henrico Romanę Eccleſię Subdiacono (*g*): In alià ad Decanum Santonenſem mandat immitti in poſſeſſionem Canonicatus Eccleſię Pictavienſis Vvillelmum Scriptorem Apoſtolicum (*h*): In alià ad Epiſcopum, & Capitulum Pictavorum injungit, ut Canonicatum Vvillelmo Scriptori Apoſtolico dilargiantur (*i*): In alià ad Epiſcopum, & Capitulum Lemovicenſe præcipit, ut Vvalterum Clericum Rotomagenſem admittant ad Canonicatum eorum Eccleſiæ (*l*): In alià ad Epiſcopum, & Capitulum Tarviſinum, imperat illorum Eccleſiæ Præpoſituram conferri B. Romanæ Eccleſię Subdiacono (*m*): In alià ad Epiſcopum, & Canonicos Hiporegenſes indicit, ut Archidiaconatum Hiporegii tradant Joanni Romanæ Eccleſiæ Subdiacono (*n*): In alià ad Abbatem Aureæ Vallis commemorat, à Cœleſtino Papâ fuiſſe datum in mandatis Capitulo Santonenſi, ut Roſium Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, reciperent in Canonicum (*o*): In alià ad Epiſcopum Mantuanum innuit, ſe

(g) *Innoc. III. to. 1. l. 1 epiſt. ad Archiepiſcop. Mediol. f. 59*
(h) *Idem ibi epiſt. ad Decanum Santonen. fol. 68.*
(i) *Idem to. 1. l. 2 ep. ad Epiſcop. Pictavien. fol. 383.*
(l) *Innoc. III. to. 1. l. 1. ep. ad Epiſc. Lemovic. fol. 140.*
(m) *Idem ep. ad Epiſcop. Tarviſonenſ. f. 165*
(n) *Idem ep ad Epiſc. Hiporegienſ. f. 166.*
(o) *Idem ep. ad Abbat. Aureæ Vallis f. 231*

Digitized by Google

ſe ſcripſiſſe Epiſcopo, & Capitulo Tarviſinis, ut eorum Eccleſię præbendam impertirentur R. Romanæ Eccleſiæ Prelato (a).

13. Paritèr in aliâ ad Capitulum Eboracenſe, memorat sè ſua officia interpoſuiſſe, ut Archiepiſcopus Eboraci, Archidiaconatum illius Eccleſiæ largiri vellet Petro de Cerbolio, olim ſuo Præceptori (b): In aliâ ad Regem Angliæ illum interpellat, ne ipſi Petro de Cerbolio impediretur præfati Archidiaconatus poſſeſſio (c): In aliâ ad Philippum Auguſtum Regem Francorum, illius opem implorat, ut idem Petrus de Cerbolio ad Senonenſes infulas perveniret (d): In aliâ ad Epiſcopum Aurelianenſem eum requirit, ut beneficium conferat D. de Cerbolio, id petens ad preces Petri de Cerbolio, ſuperiùs recenſiti (e): Ipſe Vincentium Præpoſitum Sandomirienſem in Poloniâ, electum ſibi à Gracovienſibus in Epiſcopum confirmavit (f): Ipſe Epiſcopum Oſnaburgenſem ad Bremenſem Sedem tranſtulit, diù ob Civium diſcordiam in electione vacantem (g); Ipſe in epiſtolâ ad Capitulum Mediolanenſe, indulget ut Epiſcopus Terdonenſis poſſet cum Epiſcopatu, etiam Canonicatum Mediolanenſis Metropolis retinere (h): Ipſe in alia ad Abbates Ciſtertii, & Tulley, ſermonem facit de C.Teutonico Theſaurario Eccleſiæ Biſuntinenſis, ſimùlque, & ſemel præbendato in Eccleſiis Trevirenſi, & Spirenſi (i). Ex aliâ ejus epiſtolâ ad R. Cardinalem, conſtat hunc ſimul fuiſſe Cardinalem SS.Marcellini, & Petri, ac Abbatem Montis Caſſini (l): Ex aliâ ad Epiſcopum Petragoricenſem agnoſcitur, quod hìc cum Epiſcopatu ſimul etiam retinebat Abbatiam Sancti Frontonis (m).

14. Sed pagina creſceret in immenſum, ſi regeſta epiſtolarum ejus, à primo ad ultimum perſcrutari vellemus, & recenſere omnes collationes beneficiorum, vel mandata de illis conferendis, expedita favore extraneorum. Hęc, quę attulimus, jàm ſufficiant; ex eis enim ad exuberantiam apparet, magnum hunc Pontificem, & beneficia extraneis indulſiſſe, & ut ab aliis, iiſdem conferrentur egiſſe: Clericos de unâ ad aliam Eccleſiam tranſtuliſſe: præbendatos in pluribus Eccleſiis memoraſſe; qui proculdubiò, vel à primâ, vel à ſecundâ erant extranei. Et propterea nil de illo cogitari poteſt, niſi eam hac de rè mentem habuiſſe, quam talibus, ac tot operibus comprobavit; nempè quod extraneis quoque Clericis pateret acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia. Hinc congruè collationatis tàm juſſionibus, quàm factis in Argumento propoſitis favore Clericorum de gremio, cum tot aliis hìc per nos recenſitis, favore extraneorum, luce meridianâ clariùs apparet, electionem de gremio ab ipſo inſinuatam, non præceptivè, ſed conſultivè; non uti de neceſſitate, ſed uti de honeſtate; non abſolutè, ſed cæteris paribus fuiſſe propoſitam: & ità ſummando cuncta ſimul, & facta, & dicta Innocentii Papæ III. non contrà, ſed prò libertate Eccleſię hìc ſuppetunt argumenta: ex ipſiſque benè penſatis nunc à nobis tandèm poteſt, & omninò debet inferri, libertas Eccleſiæ, quam propugnamus.

15. *Arguunt decimotertiò* Contradictores ex Conſtitutione Cypriâ, ab Alexandro Papâ IV. tùnc edita, cum ſuborto jurgio inter Germanum Archiepiſcopum Græcorum in Cypro, & Archiepiſcopum Nicoſienſem Regni Metropolitam, ob jus Archiepiſcopale utrinque diſcerptum, causâque ad Sedem Apoſtolicam per viam appellationis delatâ, Pontifex tandèm inter cætera definivit: *At cuicumque Græcorum Eccleſiæ, Paſtore vacanti, Latinus Pontifex auctoritate propriâ, Præſulem ingerere non præſumat, niſi fortè ad eum illis negligentibus eligere, qui debebant, facultas eâ vice ordinandi Eccleſiam de Paſtore, juxtà generalis ſtatuta Concilii fuerit perlapſum trimeſtris temporis devoluta: in quo etiam caſu poteſtatem non habeat Latinus Epiſcopus præficiendi Eccleſiæ ſic vacanti, niſi perſonam Græcam, & tanto honori, & oneri ex merito congruentem &c. Ipſo verò Archiepiſcopo cedente, vel decedente in Sede de ſolio, quotieſcumque ipſa vacaverit, ſimplex duntaxàt Græcæ Nationis Epiſcopus ſubrogetur* (n). Si igitur Græcis, inquiunt Contradictores, nonniſi Græcus Epiſcopus præfici definitur; ergò etiam Latinis nonniſi Lati-

(a) *Idem epiſt. ad Epiſcopum Mantuanum f. 186.*
(b) *Idem epiſt. ad Decan. & Capit. Eborac. f. 239.*
(c) *Idem epiſt. ad Ricard. Reg. Angl. f. 232.*
(d) *Innocent. III. l. 1. epiſt. 168.*
(e) *Idem to. 2. l. 2. ep. ad Aurel. Epiſc. f. 303*
(f) *Matth. Michov. rer. Polon l. 3. c. 32.*
(g) *Innocent. III. l. 1. epiſt 158.*
(h) *Idem l. 1. epiſt. ad Cap Mediol. f. 82.*
(i) *Idem ep. ad Ciſterc. & Tulley Abb. f. 122.*
(l) *Idem ubi ſuprà f. 192.*
(m) *Idem to. 1. l. 1. ep. ad Epiſcop. Petragor. f. 221.*
(n) *Alexand. Pap. IV. in conſtit. Cypria.*

Latinus præponi poteſt: ergò beneficia Epiſcopalia nonniſi ejuſdem nationis viris ſunt danda. Sed quod dicitur de beneficiis Epiſcopalibus, locum habet etiam proportionalitèr in beneficiis ordinis inferioris; ergò etiam beneficia ordinis inferioris nonniſi ejuſdem gentis Clericis ſunt tradenda, quod idem dicere eſt ac indigenis: & ſic extranei ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi.

16. Reſpondetur *primò*, conceſſo antecedente, & dato tranſeat minori ſubſumptę, negatur utraque conſequentia, quià eſt æquivocatio enormis in verbis; nàm ly ejuſdem *nationis* unâ vice ſignificat *ejuſdem ritus*, & aliâ vice ſignificat *ejuſdem patriæ*, quę inter ſè infinito itinere diſtant. Sed ut reſponſio clariùs eniteſcat, ad hiſtoriæ præſidium eſt pergendum. Gręca gens ab initio eundem Deum, eundem Chriſtum, eandem fidei puritatem tenens cum Latinis, doctrinâ, & ſanctitate mirum in modum effloruit, donèc Patriarchalia jura invadente Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui ab initio ſimplex Antiſtites erat, Metropolitano Heracleenſi ſubjectus (*a*), & Imperatorum Conſtantinopolitanorum ope, ęqualia privilegia cum Pręſule antiquę Romæ, ſuffurari allaborante in Concilio Conſtantinopolitano I. (*b*), & deindè in Chalcedonenſi (*c*), tàm Patriarcha ipſe primus Pręſul Gręcorum, quàm tota ejus gens magnam induit cum Romano Pontifice, ac totâ Latinorum gente invidiam, & æmulationem, quę vix unquam potuit animo ſincero compeſci (*d*). Idiomatis, ac ritus propii in ſacris obſervandi, gens ipſa Greca tenaciſſima, idiomatis, & ritus Latini primò declinare, indè abominari cœpit commercium: Primatum quoque Romanę Sedis ſilere primum, indè formitèr impugnare: Sacramentorum materiam, & formam, quędamque alia tùm fidei, tùm diſciplinæ puncta, diverſimodè regulare, ac eiſdem uſque ad hęreſim, & ſchiſma pertinacitèr inhęrere. Tandèm ſub impio Photio, Cathedrę Conſtantinopolitanæ invaſore, & hæreſis, & ſchiſma, quæ in Gręcorum finibus ſerptitabant, in propatulo caput emiſit (*e*), factaque eſt ſciſſio inter utramque Eccleſiam adeò irreconciliabilis, ut per multas, ac repetitas vices, quibus unio tentata eſt, nunquàm ſolidè conſtringi quiverit (*f*), ac nunquàm Græca gens Latinæ in unitate Spiritus, atque fidei, ſincero charitatis vinculo potuerit colligari.

(a) *Glycas Annal. p. 4 f. 346 Baron. to. 1. ann. 44. n. 12.*
(b) *Conc. Conſtantinopol. 1 c. 5.*
(c) *Conc. Chalcedon. c. 27.*
(d) *Card. Baron. ann. 109. n. 46. & ann. 869. num. 67.*
(e) *Baron. ann. 863. n 33. an. 867. n 42.*
(f) *Odoric. Raynald. an. 1274. n. 16. & ec. an. 1278. n. 13. an 1440. 16 & ann. 1444. n. 17.*

17. Aliquę tamen Gręcorum turmę, & examina quandòque, retentis eorum ritibus, & idiomate, in ſacris peragendis; errores abjurarunt, & fidem Catholicam ſunt complexa. Hoc modo ſè geſſere Gręci, Cyprum inſulam incolentes, ubi cum Latinis permixti, catholicè vivere ſunt aggreſſi; ità tamen ut propriis Epiſcopis ſubeſſent. Quatuor aderant Epiſcopi Latini, totidemque Gręci, in Latinorum Diœceſibus conſtituti, propria tamen habentes loca, à quibus denominabantur. Unus ex Latinis erat Archiepiſcopus Nicoſię, ubi à Famaguſtâ, & hùc à Salaminâ exciſâ, Archiepiſcopalis dignitas fuerat tranſlata (*g*). Epiſcopns Gręcus Germanus nomine, intrà Diœceſim Nicoſienſem reſidens, in loco Solię Sedem habebat (*h*), & ſe pro Archiepiſcopo gerebat, undè inter eum, & Archiepiſcopum Latinum gravia jurgia inſurrexere, quę ad alios Latinos, & Gręcos utrimque diffuſa, maximam pepererunt in illâ inſulâ commotionem, donec per viam appellationis ad Sedem Apoſtolicam delatâ cauſâ, res tandèm eſt taliter definita Papę Alexandri Conſtitutione, quę Cypria dicta fuit, hicque illius eſt ſonus. *Irrefragabilitèr ordinamus, ut in inſulâ Cypro de cæterò infrà Latinorum Epiſcoporum Diœceſes, ſub Nicoſienſi Metropoli quatuor dumtaxàt exiſtant Gręcorum Pontificales Sedes, & Eccleſię Cathedrales &c. Cum quatuor ſolummodò in eadem inſulâ fore noſcantur Epiſcopales Sedes, & Eccleſię Pontificum Latinorum. Unam ſiquidem Pontificalem Sedem Gręcorum in Nicoſienſi apud Soliam: aliam in Paphenſi apud Archinos: tertiam verò in Famaguſtanâ apud Carpaſiam: & reliquam in Nimoſienſi Diœceſibus apud Leſacaram conſiſtere volumus, & ab iis denominari, & tàm nomen, quàm dignitatem Pontificalis officii habere Pontifices, qui eas pro tempore canonicè obtinebunt* (*i*).

(g) *Thomaſſ. vet. & nov. Eccl diſc. p. 1. l. 1. c. 29. n. 2.*
(h) *Raynald. an. 1260 n. 40.*
(i) *Odoric. Raynald. an. 1260. n. 40.*

18. Græcus quilibet Epiſcopus à ſuo Græco Clero debebat eligi, & à Latino Epi-

Epiſcopo confirmari, dummodò idoneus. Si Græcus Clerus intrà trimeſtre non eligebat, electio prout de jure ad Latinum Epiſcopum pertinebat; qui tamen non niſi Græcum Græcis præficere poterat in Antiſtitem, nec ſuper Epiſcopum Græcum, alioſque fideles Græci ritus, in ſuâ Diœceſi conſiſtentes ullam aliam habebat juriſdictionem, niſi quam Archiepiſcopus in ſuos Suffraganeos habet, ſecundum jura. Relictâ verò Germano Archiepiſcopo Græco dignitate, & denominatione Archiepiſcopali, donec ipſe viveret, inpoſterùm, nullus ex Græcis Metropoliticæ dignitatis titulum poſſideret, ſe cuncti Chriſtiani Regni Cypri, tùm Græci, tùm Latini, uni Archiepiſcopo Nicoſienſi ſubeſſent in iis, quæ Metropolitani officii jura concernunt, & in loco Soliæ Diœceſis Nicoſienſis, non amplius Archiepiſcopus Græcus, ſed ſimplex Epiſcopus ejuſdem ritus præeſſet. *Porrò*, inquit Pontifex, *quotiès quamlibet prædictarum Sedium Græcorum Præſulem vacare contigerit, alter à Clericis Sedis ejuſdem, Invocatâ Spiritus Sancti gratiâ, in Epiſcopum eligatur, cujus electionem Latinus Pontifex, in cujus Diœceſi fuerit Sedes illa, ſi eam invenerit de perſonâ idoneâ celebratam, canonicè auctoritate ordinariâ, ritè, ac ſinè difficultate confirmet, ſibique faciat per Epiſcopos Græcos vicinurum Diœceſium, quos ad hoc idem Latinus advocabit Pontifex, munus conſecrationis impendi Epiſcopalem ſollicitudinem, atque curam Monaſteriorum, Eccleſiarum, Cleri, & Populi Græcorum, in ſuâ Civitate, atque Diœceſi conſiſtentium, auctoritate propriâ commiſſurus eidem, & recepturus ab ipſo juratoriam profeſſionem obedientiæ* (*a*). (a) *Oderic-Raynald. an. 1260. n. 41.*

19. Sequitur Sacramentum obedientiæ præſtandum per Epiſcopum Græcum Epiſcopo Diœceſano Latino, necnon Archiepiſcopo Nicoſienſi, uti Metropolitæ, ac Summo Pontifici (*b*). Tùm ſubdit Alexander: *Quod ſi electionem illam cognoverit Latinus Pontifex irritandam, ad caſſationem ejus procedat, ſicut de jure fuerit procedendum &c. Sanè Græcorum Pontificum damnatio, ſeu depoſitio, ſive translatio, ac ceſſio, ſoli Romano Pontifici, juxtà prærogativæ Apoſtolicæ privilegia reſervetur, ut in illis, ſicut & in cæteris Epiſcopis, Pontificalis dignitatis ſtatus, & præcellentia manuteneantur. At cuicumque Græcorum Eccleſiæ, paſtore vacanti, Latinus Pontifex auctoritate propriâ, Præſulem ingerere non præſumat, niſi fortè ad eum, illis negligentibus eligere, qui habebant, facultas eâ vice ordinandi, eandem Eccleſiam de Paſtore, juxtà Concilii Generalis ſtatuta, fuerit, per lapſum trimeſtris temporis, devoluta: in quo etiam caſu poteſtatem non habeat Latinus Epiſcopus præficiendi Eccleſiæ ſic vacanti, niſi perſonam Græcam, & tanto honori, & oneri ex merito congruentem &c. Cæterùm Epiſcopi ejuſdem inſulæ canonicè ordinati, & de cæterò etiam prædictis Græcorum Sedibus ordinandi, habeant in Monaſteriis, Eccleſiis, Cleris, & Populis Græcis ſibi commiſſis, & obtineant univerſa, quæ ad dignitatis, vel ordinis Epiſcopalis officium pertinere, de jure communi noſcuntur, de quibus Latini Epiſcopi, exceptis illis dumtaxat caſibus, in quibus Metropolitanus de jure poteſt juriſdictionem exercere in ſuffraganei ſui ſubditos, nil uſurpent. Cauſæ autèm ad forum eccleſiaſticum pertinentes, ſi emerſerint inter Græcos ad ſuum Græcum Pontificem; ſi verò inter Latinum, & Græcum, ſive Græcus actor fuerit, ſive reus, ad Latinum loci Pontificem deferantur judicialitèr dirimendæ. Verùm ſalvâ Sedis Apoſtolicæ præeminentiâ, ad cujus præſidium omnes oppreſſi poſſunt immediatè confugere, cum ab Epiſcopo Græco appellandum videbitur, ad Latinum Epiſcopum, in cujus Diœceſi idem Græcus conſiſtit Epiſcopus, & ex indè ad Nicoſienſem Archiepiſcopum, ſi opus fuerit, provocetur* (*c*). (b) *Idem Raynald. loc. cit. n. 42.* (c) *Idem Raynald. an. 1260. n. 43. 44. 45.*

20. Et poſt plura interpoſita, pergit conſtitutio Pontificis. *Porrò licèt Eccleſia Græcorum Regni Cypri, ſecundum hanc ordinationem, non ſit Nationis ſuæ Metropolitanum inpoſterùm habitura; volumus tamen præfatum Germanum Archiepiſcopum Græcorum, dum vixerit, dignitatis Archiepiſcopalis, nomine, ac honore potiri: propter quod perſonam ipſius, donec ceſſerit, vel deceſſerit, ab Archiepiſcopi Nicoſienſis qualibet prorsùs eximimus poteſtate, atque ſtatuimus, ut ipſo Germano cedente, vel decedente, nullus in præfato Regno de cæterò Græcorum Archiepiſcopus* ordi-

ordinetur &c. Sed *in Sede de ſolio quotieſcumque ipſa vacaverit ſimplex dumtaxàt Grçcç Nationis Epiſcopus ſubrogetur &c.* (*a*). Alia continet pręſens hęc Cypria conſtitutio, quam videre eſt in ſuo fonte (*b*), nàm ad rem noſtram non pertinent. Poſita fuit autem pro regulâ inter utramque gentem obſervandâ (*c*). Quis autèm eâ tertiò perpensâ non agnoſcit hanc Conſtitutionem illùc ſolùm tendere, ut tàm Grçca, quàm Latina gens, in Cypri inſulâ conſtitutâ, Præſuli, proprium ritum, & idioma in ſacris peragendis retinenti, ſubeſſet; ut cum diſſimilium ſit infida ſocietas, nec ſperari poſſet utramque Nationem uni alterutrius ritus Antiſtiti libentèr ſubeſſe; utraque proprium Paſtorem, cui ſubeſſet, haberet, nullâ attentâ ratione, an Græcus Epiſcopus præſidens Græcis, ortus, & Clericatu inſignitus eſſet in Cypro, vel alibi; dummodò Græcum ritum in ſacris ſequeretur, & originem ex Græcâ progenie ſuſcepiſſet. Conſtat enim quod Græca Eccleſia per totam Macedoniam, Achajam, Peloponeſum, Epirum, Thraciam, Natoliam, Pontum, Tauricam, Cherſoneſum, Cretam, Cyprum, Inſulaſque Cyclades, atque Sporades, ac demùm cunctas alias in Ægeo Mari, & Archipelago conſtitutas, ſe diffundebat, & nùnc quoque ſe diffundit. Undecumque ergò ex his regionibus ſumerentur Antiſtites, Grçcis Eccleſiis, in Cypri Regno exiſtentibus, pręficiendi; tametſi origine indè eſſent extranei, parum referebat, dummodò Grçcum ritum ſequerentur, & juxtà Grçcç Eccleſię viverent diſciplinam.

(a) *Raynald. an. 1260 num. 49.*
(b) *Vide Tom. XI. p. 2 Conc. Gener f. 1355.*
(c) *Thomaſſ. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 1. l. 1. c. 29. n. 2.*

21. Aliam methodum in Urbibus, utriuſque Nationis fideles continentibus, obſervari præſcripſit Innocentius Papa III. poſt captam à Latinis Conſtantinopolim, aliaſque Grçciæ Regiones, ſcribens de hoc Thomę Maurocœno Patriarchæ Conſtantinopoleos: *Poſtulaſti per Sedem Apoſtolicam edoceri qualiter Epiſcopatus illos debeas ordinare, etiam in quibus permixti ſunt Græci pariter, & Latini, & quos debeas præferre in eiſdem: ad quod fraternitati tuæ brevitèr reſpondemus, quod in illis Eccleſiis, in quibus ſunt ſolummodò Græci, Græcos debeas Epiſcopos ordinare, ſi tales valeas reperire, qui nobis, & tibi devoti, & fideles exiſtant, & à tè conſecrationem velint recipere humilitèr, & devotè: in illis verò, in quibus cum Latinis Græci ſunt mixti, Latinos præficias, & præferas ipſis Græcis* (*d*). Methodus autèm hęc non poterat applicari ſtatui Regni Cypri, propter numerum Græcorum, qui nec tàm erat exiguus, ut ſubiici poſſet Paſtoribus Latinis; nec tàm immenſus, ut ſolos Pręſules Græcos eſſe pręficiendos urbibus mereretur. Aliam regulam dederat idem Pontifex in Concilio Lateranenſi IV. ſimilibus in caſibus obſervandam, nempè quod ubi plurium Nationum, diverſos ritus habentium, gentes in unâ Diœceſi commorarentur; Epiſcopus Diœceſanus tot ſibi conſtitueret Vicarios, quot rituum Gentes illi ſubeſſent, & ſi opus eſſet Antiſtite ipſarum gentium ritus Catholicos obſervante, Diœceſanus illum ſibi conſtitueret Vicarium, qui populis ſui ritus ſatisfaceret, iſque in omnibus, & per omnia ipſi Diœceſano eſſet ſubjectus.

(d) *Innoc. III. ep. ad Thomam Patr. Cōſtantinopolit. in ejus geſtis f. 109.*

22. *Quoniàm*, inquit Pontifex, & Concilium, *in pleriſque partibus infrà eandem Civitatem, atque Diœceſim permixti ſunt populi diverſarum linguarum, habentes ſub unâ fide varios ritus, & mores; diſtrictè præcipimus, ut Pontifices hujuſmodi Civitatum, ſive Diœceſium, provideant viros idoneos, qui ſecundùm diverſitates rituum, & linguarum divina illis officia celebrent, & eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, inſtruendo eos verbo pariter, & exemplo. Prohibemus autem omninò ne una, eàdemque Civitas, ſive Diœceſis diverſos Pontifices, habeat, tamquàm unum corpus diverſa capita, quaſi monſtrum. Sed ſi propter prædictas cauſas urgens neceſſitas poſtulaverit, Pontifex loci Catholicum Præſulem, Nationibus illis conformem, providâ deliberatione conſtituat ſibi Vicarium in prędictis, qui ei per omnia ſit obediens, & ſubjectus* (*e*). Hæc quoque regula opportunitati populi Græcorum, in Cypro degentium, congruè non potuit applicari; Sed neceſſaria fuit alia proviſio, quæ juxtà præfatam Conſtitutionem Cypriam regulata eſt, & monſtrum illud, quod emerſiſſet, ſi in uno, & eodem corpore Civitatis biceps

(e) *Innocent. III. in Conc. Later. 4. c. 9.*

caput

caput fuiſſet, Paſtorale officium exercens, disjectum eſt, loca Diœceſis dividendo, & uni eorum Gręcum, reſiduo Latinum Pontificem pręficiendo; itàut eſſet quodammodò Diœceſis Græca intrà Diœceſim Latinam, eo modo, quo dicitur in Scripturis, *quaſi ſit rota in medio rotæ* (*a*).

23. Ex toto ergò factorum, & doctrinarum harum decurſu ſatis clarè eniteſcit, cur loca propria, & determinata data ſint Epiſcopis Gręcis in inſulâ Cypro: nempè ut Græca gens proprios haberet Antiſtites, diſtinctos à Paſtoribus Latinorum, & deformitas illa expungeretur, quæ Eccleſiam deturpaſſet, ſi una, eademque Civitas duos Præſules habuiſſet. Erant enim ibi duo Populi, & duo Epiſcopi: Duo Corpora, & duo Capita, conjuncta, & ſubalternata, ſed non identificata. Cum autem utraque Natio Græca, & Latina proprium idioma, proprium ritum, propria indumenta; proprios demùm apices, ſive ſacrarum cœremoniarum, ſive eccleſiaſticę diſciplinę haberent, ab aliâ diſtinctas, nec poſſet ſinè fidei periculo, uni earum diſciplina, cęremoniæ, & ritus alterius ſubintrudi; neceſſarium erat, ut ſemper Latinis Latinus, & Gręcis gentibus ſuus Gręcus eſſet Antiſtes. Benè igitur Conſtitutio Cypria mandavit, ut Gręco Populo, ſemper *Gręcę Nationis* Pręſul pręficeretur: at dùm ibi dicitur *Nationis*, non intelligitur patria, ſed ritus in ſacris adhibendus, necnon idioma, cœremonię, mores, & diſciplinæ, quibus Gręci vivebant, itàut ſemper Gręcis pręeſſet Paſtor, Gręcum ritum, Gręcum idioma, Gręcas cœremonias, Gręcos mores, Græcam demùm inſequens diſciplinam undecùmque. Malè è contrà pręfatum verbum *Nationis* transfertur à Contradictoribus ad ſignificandam patriam, cum ibi patriam non ſignificet: Sed & ex quocumque loco ritus Gręci progenitus eſſet vir pręficiendus Gręcis Cypri, ſive beneficio Epiſcopali Gręco apud Cyprios decorandus, id poſſet ſine contradictione adipiſci.

(a) *Ezechielis c.1. n.16. & cap.10. n.9.*

24. Ex quocumque, inquam, loco, ſeù provinciâ, imò & ex quacumque natione originem habuiſſent, ſivè in Cypro nati eſſent, aut in Ponto, Cappadociâ, Lydiâ, Pamphyliâ, in totoque immenſo ſpatio Natoliæ, quę ſunt regiones ritus Græci, in Aſiâ conſtitutę: ſivè originem traxiſſent ex Cretâ, Peloponneſo, Thraciâ, Macedoniâ, Achajâ, aliiſque Regionibus ritus Græci, in Europâ ſitis: Uno verbo ſivè provehendi ad Epiſcopatus Græcos Cypri eſſent, Aſiatici, ſivè Europęi, ſivè Macedones, ſivè Lydi: ſivè Cappadoces, ſivè Thraces: ſivè Pontici, ſivè Epirotæ, ſivè aliorsùm in lucem editi; nihil referebat, dummodò eundem ritum; & idioma, ac mores, & cœremonias ſequerentur, quæ erant apud Græcos in uſu. Hoc autem nihil proficit cauſæ Contradictorum prò extraneis repellendis, ſed potiùs cauſæ extraneorum prò Contradictoribus confundendis, cùm etiam extranei à Regno Cypri, Extradiœceſani, Extraprovinciales, & etiam Extranationales inibi poſſent beneficia Græca adipiſci, dummodò Græcos ritus, & Græcam diſciplinam eccleſiaſticam ſequerentur. Eo modo, quo Abbatias ordinis Caſſinenſis, omnes Monachi, eandem regulam profeſſi, conſequi poſſunt, ſivè Itali, ſivè Galli: ſivè Hiſpani, ſivè Teutones: ſivè Macedones, ſivè Syriaci, ſivè Perſæ, ſivè Indi &c. Non verò fratres Capuccini, quià diverſi ſunt Inſtituti. Omnes pariter Prælaturas ordinis Dominicani, cuncti profeſſi ejuſdem Regulæ valent aſſequi, & nupèr Generalis hujus Ordinis erat P. Antoninus de Monroy Americanus ex Urbe Lymæ in Peruviâ; non verò eas captare poſſunt fratres Auguſtiniani: quià ſub diverſo militant Inſtituto. Unitas ergò ritus Græci ſtare poterat cum diverſitate nationis, ſicuti nùnc unitas monachatus Caſſinenſis, vel profeſſionis Dominicanæ ſtat cùm diverſitate originis, ac proindè, ex præſcripto Conſtitutionis Cypriæ, nè ad beneficia Epiſcopalia Græcarum Eccleſiarum in Cypro alii promoverentur, quàm Clerici Græci, nedùm non infertur excluſio, ſed imò potiùs infertur incluſio extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia.

25. Reſpondetur *ſecundò*, Decretum Alexandri IV. in Conſtitutione Cypriâ, non illùc tendere, ut extraneos repellat ab eccleſiaſticis beneficiis, ſed ut facultatem

tatem ſervet integram Clero Græco, præficiendi ſibi, per viam electionis Canonicæ, ſuum Præſulem, qui cum deberet ſolis Grēcis præeſſe, & ſuper eis plenam, & integram juriſdictionem Epiſcopalem exercere; juſtum erat, ut à Clero propriæ nationis eligeretur, nec ab Epiſcopis Latinis hęc facultas mutilaretur, minueretur, impugnaretur, ſed illibata ſemper conſiſteret. Porrò quemadmodùm ad decorem Eccleſię triumphantis pertinet diverſitas ordinum Angelicorum, in tres hierarchias (*a*), & novem choros diſtinctorum (*b*), qui ſub diſtinctis muneribus, & naturis (*c*), uno tamèn ore Deum glorificant (*d*); Sic ad venuſtatem Eccleſię militantis attinet diverſitas rituum ſacrorum à diſtinctis nationibus cuſtodita, Latinis, Græcis, Illyricis, Armenis, Syris, Jacobitis &c. qui diſſonis moribus, & cæremoniis, uno tamèn concentu, uno Spiritu, Domino famulantur, quotquot in charitate Dei, & Catholicâ veritate conveniunt. Hâc autem ſpecioſâ pulchritudine jam ſtatutâ in Chriſtianitate Inſulę Cypri, per diviſionem Eccleſiarum in binos ritus Latinum, & Græcum; quemadmodùm juſtum non erat, ut Gręca Eccleſia, Eccleſiæ Latini ritus eſſet infeſta, ità & nec juſtum erat, ut Latina Eccleſia, Eccleſiis Græci ritus ingereret gravitates; ſed apud utramque valeret aureum illud proloquium Magni Sancti Pontificis Leonis hujuſce nominis primi: *Suis terminis contentus ſit quiſque, nec ſuprà menſuram juris ſui affectet augeri* (*e*).

(a) *S. Thomas p. 1. quæſt. 108. art. 1.*
(b) *S. Thomas loc. cit. art 5.*
(c) *Idem S. Thomaſ. ubi ſuprà art. 4.*
(d) *Danielis cap. 3. num. 58.*
(e) *S. Leo Pap. I. epiſt. 64. c. 3.*

26. Prævidit Alexander Papa IV. Auctor Cypriæ Conſtitutionis poſſibilitatem caſus, quod Epiſcopus Latinus, Clero, & Populo Græco, aliquem de facto præficerent in Paſtorem; ideò ſeverè id interdixit, cavens: *quoties quamlibet Sedium Græcorum Præſule vacare contigerit, alter à Clericis Sedis ejuſdem &c. in Epiſcopum eligatur*: & infrà: *Cuicumque Græcorum Eccleſiæ Paſtore vacanti, Latinus Pontifex, auctoritate propriâ Præſulem ingerere non præſumat* (*f*). Nil aliud ergò hucuſque voluit Pontifex, niſi ut libera eſſet Clero Gręco facultas ſibi Antiſtitem eligendi: quod cum facere poſſet, ac plenâ ſuâ libertate potiretur, tàm eligendo Græcum Cyprium, quàm alium Aſiaticum, vel Europæum, tametsì à Cypro extraneum; ex hac libertate Græcis indultâ, non ſolum non probatur debitum excludendi à beneficiis extraneos, ſed imò potiùs probatur poteſtas eoſdem ſinè ambiguitate admittendi. Prævidit Pontifex alium caſum, nempè quod Græci Electores, vel per ſocordiam, vel per diſcordiam intrà trimeſtre, à Concilio Generali ad eligendum ſtatuto (*g*), Antiſtitem non eligerent, & ſic electio devolveretur ad Epiſcopum Latinum: & quia potuiſſet ſuccedere, quod Latinus Epiſcopus, facto loco prædictæ devolutioni, Latinum Clericum Græcis præficeret in Antiſtitem; Papa Alexander, poſt prohibitionem præfatam, nè Epiſcopus Latinus Gręcum Prēſulem conſtitueret, prò caſu quoque devolutionis præcautionem adhibuit ſic ſonantem: *quo etiam caſu poteſtatem non habeat Latinus Epiſcopus præficiendi Eccleſiæ ſic vacanti niſi perſonam Græcam, & tanto honori, & oneri ex merito congruentem* (*h*).

(f) Odoric Raynald. *ann. 1260. n. 40. 43.*
(g) Concil. *Lateran. 4. c. 23.*
(h) *Odoric. Raynald. loc. citat.*

27. Eſſet idem caſus, ſervatâ ſemper congruâ proportione, ſi Papa daret facultatem Cardinali alicujus ordinis Protectori, vel alicui Epiſcopo, præſidendi Capitulo Monachorum, Generalem Ordinis intrà determinatum terminum electuro, quo tempore elapſo, devolveretur electio ad Cardinalem, aut Epiſcopum ipſum, hicque ex ſe eligeret Generalem. Certè apertâ hujuſmodi devolutione, nunquid poſſet, & deberet Cardinalis, aut Epiſcopus ille Clericum, verbi gratiâ Somaſchum præficere in Generalem Monachis Carthuſianis? Aut fratrem Dominicanum, Jeſuitis? Vel Capuccinum Trinitariis? Vel Caſſinenſibus Barnabitam? Certè non (*i*): Quare? Nunquid ex hoc quod Regularis alterius Ordinis eſſet Gallus, vel Hiſpanus: Italus, vel Germanus; Aſiaticus, vel Europeus: Americanus, vel Cinenſis? Non: ſiquidem etiam Clerici ejuſdem Ordinis, cui præficiendus eſſet Generalis, ſi ubilibet in diſſitis illis regionibus orti eſſent, poſſent Generalatus ſui Ordinis beneficium, ſivè officium adipiſci. Cur ergò id non poſſent Epiſcopus, & Cardinalis præfati? Quià talis electus eſſet diverſi ritus, ſeù diverſi ordinis,

(i) *Tamburin de Jure Abbat. to. 2. diſp. 5. qu. 12. Azor. inſt. mor. p. 1. l. 12. c. 13. qu. 11. Barboſ. in Clement. 1. num. 2. de elect.*

Digitized by Google

dinis, diverſę profeſſionis, diverſæ regulæ, diverſi inſtituti (*a*): Eſſet vir educatus, & imbibitus differentis moribus, differentibus vivendi modis, differentibus maximis, & principiis, quibus unus ordo diverſimodè ab alio regulatur, & ideò eſſet incapax eligibilitatis (*b*). Quâ de rè Clemens V. in Concilio Viennenſi taliter definivit: *Cum rationi non congruat, ut homines diſparis profeſſionis, vel habitus, ſimul in eiſdem Monaſteriis ſocientur; prohibemus nè religioſus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus de cæterò eligatur. Quod ſi ſecùs actum extiterit, ſit eò ipſo irritum, & inane* (*c*).

(a) *Petr. Maria Paſſerinus de Election. cap. 15 qu. 57 à n. 650. Vide ſupr. ta. 2. ſæcul. 17. cap. 10. num. 30.*

(b) *Cap cum ad noſtram 37. de election.*

(c) *Clementin. cum rationi. 1. de elect.*

28. Quo igitùr motivo interdictum eſt Regularibus alicujus Ordinis alterius Inſtituti profeſſum, ſibi præficere in Generalem; eodem, & Alexander IV. prohibuit Epiſcopo Latino in caſu præfatæ devolutionis, præficere Græcæ Eccleſiæ, Inſulæ Cypri, Latinum Clericum in Antiſtitem: ideſt non ratione extraneitatis, conſideratâ extraneitate reſpectu Patriæ; ſed ratione diverſitatis ritus, morum, & inſtituti, quià rationi non eſt congruum, quod homines diverſæ profeſſionis ſibi reſpectivè præſint, & ſubſint. Argumentum ergò è Conſtitutione Cypriâ à Contradictoribus expiſcatum, vel nihil probat, quià extraneitatem non percellit, uti relatam ad diverſitatem Patriæ; vel ſi quid probat, hoc ſolùm probat, quod ab eccleſiaſticis beneficiis repellendi ſunt Clerici extranei ratione ritus, ipſaque beneficia ſunt ſolis Indigenis ratione ritus elargienda, nempè Latina Latinis: Græca Græcis: Armenica Armenis: Illyrica Illyricis: Syriaca Syris: & ſic de aliis, quod nos nedùm non negamus, ſed ultrò confitemur, ſufficitque nobis, quod Latina beneficia ſolis Clericis Latinis poſſint ritè, ac licitè diſpenſari. Sed quià intentum Contradictorum longè alio vertit intuitum, & prò Indigenis, non ejuſdem ritus, ſed ejuſdem Patriæ Clericos intelligit, nil hìc aliud ſupereſt, niſi repetere, quod malè ab eis torquetur nomen *Nationis* in Conſtitutione Cypriâ identitatem *ritus* ſignificans, ad ſignificandam identitatem *patriæ*: Et quod Conſtitutio prędicta plùs proficit admiſſioni extraneorum, eundem ritum profitentium, quàm illorum repulſioni ab eccleſiaſticis beneficiis. Quarè per hanc objectionem neutiquàm vulneratur libertas Eccleſię in diſtributione beneficiorum, tàm favore Indigenarum, quàm etiam Extraneorum.

29. *Arguunt quatuordecimò* Contradictores ex factis, & dictis Æneæ Sylvii Piccolominei, qui fuit poſteà Pius Papa II. Hic dùm Cardinalis Romanæ Eccleſię munere fungeretur, audito quod Pragenſes in Boemiâ Pręſulem Cathelanum Datarium Papæ ſibi elegerant in Antiſtitem, virum externum, & vernaculam illius Urbis, & Regni linguam non callentem, prò poſſe reluctatus eſt, & nè à Pontifice Calliſto III. confirmaretur, obſtitit, de quo etiam ſic Procopio Boemię Cancellario perſcripſit: *Intereà tuur Roratus, homo multivolus, & magnivolus ex Boemiâ procuravit afferri poſtulationem ad Pragenſem Eccleſiam cujuſdam Datarii Apoſtolici, boni quidem viri, ſed Cathelani, & ſermonis Boemici prorsùs ignari. Impedivimus hùcuſque promotionem* (*d*). Et in epiſtolâ ad Nicolaum Liſcum Volaterranum, ſic de eodem argumento eſt locutus: *Et ille quidem vir bonus, & doctus, & quem dignum hoc honore putamus, nobis tamèn non eſt viſum ad talem Eccleſiam quemquam promoveri, niſi conſulto Rege: ideòque quoàd potuimus, differre promotionem, conati ſumus* (*e*). Docuit ergò Pius viros extraneos ad beneficia Epiſcopalia, & conſequentèr etiam ad alia ordinis inferioris non eſſe admittendos. Quod & dilucidiſſimis verbis expreſſit, cum in epiſtolâ ad Martinum Meyer hæc protulit: *arbitraris fortaſſè beneficia, quæ in Germaniâ ſunt, Germanis potiùs committi debere, quàm extraneis: nec nos alitèr ſentimus* (*f*). Non uno igitur argumento, perſuaſum fuit Pio, inquiunt Contradictores, hocque cunctis aliis patefecit, ad eccleſiaſtica beneficia acceſſum extraneis non patere, & per conſequens juxtà ejus dictamina, beneficia eccleſiaſtica ſunt ſolis Indigenis, repulſis Extraneis, conferenda.

(d) *Æneas Sylvius epiſt. 247.*

(e) *Idem Æneas epiſt. 259.*

(f) *Idem qui ſuprà epiſt. 369.*

30. Reſpondetur *primò* negando ſuppoſitum, nempè quod Cathelanus ille, à Pio

Pio memoratus, ideò fuerit à Pragenſi Epiſcopatu repulſus, quià indè eſſet extraneus: non enim proptèr hoc, ſed proptèr tres alias cauſas, quarum nulla quidquam habet cum extraneitate commune. Primam cauſam indigitat Pius in epiſtolâ ad Nicolaum Liſcum Volaterranum, nempè ſe Cathelano obſtitiſſe, quià deerat conſilium, ſivè conſenſus Regis Boemiæ, ſeù de illo Æneas Sylvius ambigebat, ut ex ejus verbis in argumento poſitis patet: quod tamen obſtaculum non limitat ad Perſonam Cathelani, ſed uti generale illud pronunciat; ait enim, quod Roratus promovens Cathelanum cauſam amiſerat, quæ commiſſa ſucceſſivè fuerat Cardinali S. Marci, *amittenteque Roratu noſtro, cauſa commiſſa fuit Cardinali S. Marci, ut Plebi Boemię Datarius Papæ præficeretur Epiſcopus. Eſt ille quidem vir bonus, & doctus, & quem dignum hoc honore reputamus, nobis tamèn non eſt viſum ad talem Eccleſiam quemquam promoveri, niſi conſulto Rege: idedque quoàd valuimus, differri promotionem conati ſumus: tu hæc Procopio dicito* (*a*). Erat tùnc Rex Ladislaus: Regnumque Huſſitis Hæreticis undiquè ſcatebat, quos & Regi vitam veneno poſtmodùm ſuſtuliſſe creditum eſt (*b*). Juſtum erat ergò, ut nemo tantæ Eccleſię pręficeretur, Rege inſcio. Verùm cum rejectio ex hoc capite nedùm Cathelanum illum complecteretur, ſed etiam alios, tametsì indigenas, & Boemos, ſi Regi eſſent rationabilitèr ſuſpecti; hinc nihil colligi poteſt, quod ad arcendos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis proficiat. Hocque multò magis eſt verum, quià ſi Promotor Cathelani, causâ decidens, eam obtinuit, Cardinali S. Marci committi denuò ventilandam; indicium eſt adfuiſſe rationes illi ſuffragantes, prò eiſdem infulis conſeguendis: non fuiſſet autem ſignata præfata commiſſio, ſi Candidatus ille talibus fuiſſet obſtaculis implicatus, quæ ipſius electionem de jure invalidam pronunciaſſent.

31. Duas reliquas cauſas affert in epiſtolâ ad Procoplum Rabenſteinum Boemiæ Cancellarium, ob quas dicit, sè reſtitiſſe præfati Datarii promotioni, nempè inſcitiam idiomatis Boemici, & proprium ſuum intereſſe, nè talis promotio rebus ipſius Pii nocumentum inferret: En ejus verba: *Scripſimus tibi quid egerimus in rè Boemicâ, neque abs tè reſponſum habemus. Intereà tuus Roratus, homo multivolus, & magnivolus, ex Boemiâ procuravit afferri poſtulationem ad Pragenſem Eccleſiam cujuſdam Datarii Apoſtolici, boni quidem viri, ſed Cathelani, & ſermonis Boemici prorsùs ignari: poſtulationem attulit Lucas tibi notùs Monachus, quem Luterſaſum appellare ſoles: impedivimus hucuſque promotionem hujus rei, nè rei noſtrę nocumentum inferret, timemus, nè diutiùs impedire poſſimus: nàm Datarius plurimos faventes habet, & Roratus die, noctuque hos, atque illos adit: ſuadens nihil Regno eſſe utilius, quàm promotionem hanc fieri: velis dè his Regem, & Gubernatorem commoneſacere, ut ſciant quibus in terminis res ſunt, & an iſta placeant eis nos certiores facito; nàm Regi, & Regno veſtro ſervire præſtò ſumus* (*c*). Rex, ut innuimus, erat Ladislaus, perfectiſſimus Catholicus, & Huſſitarum hoſtis acerrimus (*d*). Gubernator Regni erat Georgius Podiebrachius, impius hæreticus, qui & ſub dolo Catholicæ profeſſionis, Rege ſublato, Regnum invaſit (*e*). Procopius Rabenſteinus erat Cancellarius Regni, & ingenuus Catholicus (*f*). Si igitur tertia cauſa, ob quam Pius provectioni Cathelani obſtitit, fuit proprium intereſſe, metuens nè rebus ſuis nocumentum inferret; jam oculis perſpicuis cernit doctus Lector, hoc nihil habere cum negotio extraneitatis commune, neque ex hac causâ quidquam detrahi extraneis, quin liberè admitti valeant ad eccleſiaſtica beneficia.

32. Reſtat ſecunda cauſa, ob quam Pius Cathelani reſtitit provectioni, nempè inſcitia idiomatis Boemorum, & hæc rè verâ ingens eſt, & notabilis, ſed nihil obſiſtens admiſſioni extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia. De Claudio Cæſare narrat Svetonius: *Splendidum virum, Græciæque Provinciæ Principem, verùm latini ſermonis ignarum, non modò albo Judicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit* (g). Veſpaſiano Cæſari Apollonius Tianęus communitèr perſuadebat, ut uni-

(a) *Æneas Sylvius epiſt.* 259.

(b) *Raynald. an.* 1457 *num.* 16. *Æneas Sylv. Hiſt. Boemiæ c.* 71.

(c) *Æneas Sylvius epiſt.* 147.

(d) *Cocleus Hiſtor. Huſſitar. l.* 11. *Æneas Sylvius Hiſtor. Boem. cap.* 69. & 70.

(e) *Raynal. an.* 1448. *§.* 1457. 16. 1458. 10. 21. 28. & *ann.* 1459. *num* 18.

(f) *Odoric. Raynald. ann.* 1462. *n.* 14.

(g) *Svetonius in Claudio c.* 16.

Digitized by Google

unicuique Provinciæ adminiſtrandæ præficerentur, non niſi viri, linguæ vernaculæ illius loci periti, nè Rector earum cuncta per Interpretem agere cogeretur (*a*). Et citrà dubium eſt, quod omni Magiſtratui gerendo, neceſſaria eſt intelligentia idiomatis loci, & perſonarum, ſuper quibus officium regiminis eſt exercendum, quipppè ut ait D. Auguſtinus, *Dominatio imperantis in linguâ eſt* (*b*). Sed maximè ad Epiſcopale munus obeundum peritia linguæ populi regendi eſt omnibus numeris neceſſaria, quippè ſine illâ, vel non, vel difficultèr poteſt munus ipſum obiri. Nèc ſine myſterio Dominus ſuper caput Apoſtolorum, quos deſtinabat, ad gentes barbari, ac ignoti ſermonis in viâ ſpiritus dirigendas, immiſit & Spiritum Sanctum, & illius dona, & *diſpertitas linguas tamquàm ignis* (*c*). Paſtoris etenim eccleſtaſtici eſt ſuo Ovili ſacra pabula miniſtrare, ejus confeſſiones audire, eum inſtruere, ei prædicatione amorem virtutis, & vitiorum odium inſinuare, alia tandèm peragere, quæ per ſolum linguæ, atque auditus organum transeunt: hæc autem quomodò à viro linguæ populi ignaro poterunt adimpleri, niſi ſpeciali miraculo in eum renovet Dominus magnalia, in ore Apoſtolorum parta, quandò *convenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniàm audiebat unuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes* (*d*).

(a) *Philoſtrat. in vit. Apoll. Tianæi l. 5. c. 13.*

(b) *S. Auguſt. de Civit. Dei l. 16. c. 4.*

(c) *Actorum cap. 2. num. 3.*

(d) *Actorum c. 2. n. 6.*

33. Adeſt ſuffugium Locumtenenſis, ſive Vicarii, qui ab inſcio linguæ poteſt in opportunitatibus adhiberi: & ità S. Valerius Græcus, Epiſcopus Hipponenſis ad ſermocinandum Africanis minus idoneus, D. Auguſtini operâ, ad inſtruendum populum utebatur (*e*). Adeſt & præſidium Interpretis, quod imperitiam idiomatis quodammodò compenſat, eſtque alicubi tantoperè magnifactum, ut non abnuerint Reges, & Principes Sacerdotibus evangelizantibus in officio Interpretis famulari, ſic S. Aidano Epiſcopo (quem Donevaldus Scotorum Rex, Oſvaldo Nortumbriæ Regi, miſerat ad imbuendos ejus populos fide) ab his non intellecto, Oſvaldus ipſe è vicino ſuggeſtu Interpretem egit, tanto ſpiritu, ac zelo, ut intrà ſeptem dies quindecim millia hominum Sacro ſint Baptiſmate abluti (*f*). Sic & Gotſcalcus Princeps Vandaliæ, Epiſcopis, & Presbyteris in ſuâ Regione prædicantibus, Interpretis vernaculę linguę officio perfunctus eſt (*g*). Sed quia Interpretis, & Vicarii commodum nimium incommodum eſt, ideò idiomatis imperitum, ſacri Canones definiunt eſſe beneficii paſtoralis incapacem. Et ità in Concilio Turouenſi, apud Caſtrum Guntherii celebrato, diſtrictè fuit inhibitum: *nè quis inſtituatur in aliquâ Eccleſiâ, cui ſit cura animarum annexa, niſi loci illius loquatur, & intelligat idioma. Si contrà præſumptum fuerit, & inſtitutus privetur beneficio, & inſtituentes poteſtate inſtituendi careant illâ vice* (*h*). Ipſęque regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ diſertis verbis edicunt, *quod ſi contingat ipſum* (Papam) *alicui perſonæ de Parochiali Eccleſiâ providere, ſeù mandare provideri, vel gratiam expectativam concedere, niſi dicta perſona intelligat, & intelligibilitèr loqui ſciat idioma loci, ubi hujuſmodi Eccleſia conſiſtit, proviſio, ſeù mandatum, & gratia deſupèr quoàd parochialem Eccleſiam, nullius ſit roboris, vel momenti* (*i*). Non mirum ergò ſi Pius Cathelanum præfatum, à conſequendo Epiſcopatu Pragenſi, quantùm potuit, impedivit, quandò eum novit, eſſe idiomatis Boemici totalitèr imperitum.

(e) *Baronius an. 393 num. 34 & ſeq.*

(f) *Card. Baron. an. 634. n. 13. Hect. Boeth. lib. 6.*

(g) *Krantzius Vandaliæ l. 3. c. 1.*

(h) *Concil. Turon. ap. Caſtr. Guntherii ann. 1231. c. 16.*

(i) *Regul. Cancell. Apoſt. n. 20.*

34. Conſimilis inſcitia perpulit aliquandò Guitmundum à Guillielmo Notho, Angliæ Rege requiſitum, ut aliquem ex Epiſcopatibus ſuæ ditionis acciperet, ab oblatis infulis abſtinere: qui & urgenti Regi, hanc allegavit pro causâ ſuę renitentiæ rationem. *Non video quâ lege dignitèr præeſſe valeam illorum cuneo, quorum extraneos mores, barbaramque locutionem neſcio* (*l*). Hic eſt Guitmundus Monachus Cœnobii S. Laudfredi, quod Crux Haltonis dicitur, paulò poſt electus Archiepiſcopus Rotomagenſis, & à ſuis adverſariis excluſus: qui diſcedendi licentiâ petitâ, & ab Odilone Abbate impetratâ, Romam *abiit*, ubi *Gregorius PP. VII. venientem ad ſè gaudens ſuſcepit, Cardinalem S. R. E. præfecit, & Urbanus PP. jàm probatum in multis, Metropolitanum Adverſis*, ideſt Averſanę

(l) *Orderic. Vital. Hiſt. Eccleſ. l. 4. ad an. 1070. f. 524.*

Digitized by Google

(a) *Idem Vital. loco citat f. 526.*

urbis ſolemnitèr ordinavit (*a*). Eadem inſcitia perpulit & Cęſarem Othonem IV. ad deſiſtendum à conatu pręficiendi Eccleſię Colonienſi Joannem Epiſcopum Cameracenſem, de quo hęc enarrat Cęſarius: *Mortuo Brunone &c. Et Othone jàm in Regno confirmato, de ſucceſſore in Eccleſiâ Colonienſi ſatis tractabatur. Hermannus Decanus Nonnenſis, qui vir eſt &c. valdè literatus, cum Deum, ejuſque Genitricem &c. toto cordis affectu deprecaretur, quatenùs tantæ Eccleſiæ dignus præficeretur nocte in viſu eadem Virgo beata ei apparens, & librum aureis literis ſcriptum porrigens ait, defer librum iſtum Epiſcopo &c. Per librum intellexit Epiſcopatum, quem cum ferre vellet Joanni Epiſcopo Cameracenſi, eò quod tàm Rex, quàm illi ipſi faverent, probitatem illius cognoſcentes, revocavit eum B. Virgo dicens, non Joanni, ſed Theodorico Sanctorum Apoſtolorum Præpoſito deferas illum &c. Tempore electionis, cum Rex prò Epiſcopo Cameracenſi intercederet, eique ab Electoribus reſponderetur, quod idioma terræ ignoraret, ceſſavit &c. Tùnc Electores perſonis quatuor vota ſua commiſerunt, à quibus Theodoricus in Antiſtitem electus eſt* (*b*). Ità Deo per miraculorum exhibitionem declarante, beneficia eccleſiaſtica, curę paſtoralis onere prędita non eſſe viris inſciis idiomatis illius loci prębenda.

(b) *Cæſarius l. 7. c. 41 Raynald. an. 1209. n. 6.*

35. Supèr utroque tamen caſu mox relato eſt notandum, quod tàm Otho Imperator, quàm Guillielmus Rex Anglorum cenſuerunt, nedùm Clericum extraneum, ſed etiam idiomatis imperitum beneficiorum eſſe capacem, & licèt quoàd defectum idiomatis erraverint; erronea tamen non fuit eorum opinio, quoàd rationem ſimplicis extraneitatis. Tàm Guitmundus quoque, quàm Joannes Cameracenſis à præfatis Epiſcopatibus abſtinentes, non vitium extraneitatis, ſed defectum peritiæ idiomatis allegarunt: tacitè dictitantes, quod eorum extraneitas, ſi à defectu ſcientiæ idiomatis fuiſſet ſeparata, nullum illis intuliſſet obſtaculum: itàut ſi in ipſis, tametſi origine extraneis, concurriſſet peritia linguæ illorum locorum, optimè beneficia illa Epiſcopalia, non obſtante extraneitate, fuiſſent adepti. Res in actu practico evenit, quandò Sveno II. Daniæ Rex Svenonem quendam ex Norvegiâ oriundum, ſuum Sacerdotem fecit, & cuidam Epiſcopali Cathedræ deſtinavit, virum literarum, & latinæ linguæ prorsùs ignarum: cujus æmuli cum in oratione publicè prò Rege canendâ, ubi dicendum erat *famulum tuum Regem Deus &c.* primam ſyllabam expunxiſſent, ipſe, vitio advertendo non idoneus altè intonans, pronuntiavit *mulum tuum Regem Deus &c.* undè omnium ludibrio, atque riſui eſt expoſitus. Tantâ tamèn irriſione ad literarum ſtudium provocatus, talitèr in doctrinâ, & in latinâ linguâ profecit, ut eam optimè poſſideret, merueritque citò Roſchildenſes infulas adipiſci (*c*). Si itàque etiam Cathelanus ſuperiùs memoratus poſſediſſet, vel brevi ſtudio linguam Boemicam aſſequi potuiſſet, nec Pius, nec quilibet alius, illum à conſequendo Pragenſi Epiſcopio divertiſſet. Cum autem peritia idiomatis poſſit eſſe non minùs in extraneo, quàm in indigenâ; patet, quod ex hiſtoriâ Pii, diſtinentis Cathelanum à dicto Epiſcopatu Pragenſi, quià idiomatis Boemici neſcium, nullatenùs omninò probatur debitum repellendi extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis.

(c) *Saxo Grammatic. lib. 11. & 12.*

36. Reſpondetur *ſecundò* retorquendo argumentum. Nàm ſi hiſtoria Cathelani à Pragenſi Epiſcopatu diſtenti per Pium relata, tantam meretur fidem, ut debeat pro regulâ in admittendis, vel repellendis extraneis deſervire, coęqualem etiam fidem debebunt aliæ quoque hiſtoriæ, ab eodem Pio confitæ, promereri: non eſt enim major ratio de unâ, quàm de aliâ. At tàm ex hiſtoriâ Cathelani, quàm ex pluribus aliis, per eundem Pium indicatis, patet extraneos aſſecutos eſſe eccleſiaſtica beneficia; ergò ſecundùm hiſtorias Pii, ad illa debebunt omnes admitti. Sanè, uti ſuprà mox innuimus n. 30. Procurator Cathelani, causâ amiſsâ, illam obtinuit committi Cardinali S. Marci denuò ventilandam: quemnam exitum habuerit, ignoramus. Cathelanum obtinuiſſe Cathedram cogitamus: tamen quandò etiam id non fuiſſet, magnum momentum eſt in ipsâ commiſſione, quam non

Digitized by Google

non eſt credibile, quod ſignata fuiſſet, niſi aliqua ratio probabilis ſubſtitiſſet, reddens illum præfati Epiſcopatus capacem, hocque ſufficit cauſæ noſtræ: nàm quotiès cenſitus eſt Cathelanus eſſe Pragenſis Sedis capax, à quâ toto Cœlo erat extraneus; liquet, quod extraneis acceſſus patet ad eccleſiaſtica beneficia. Ipſe quoque Pius alibi ſcribit Epiſcopo Tridentino, quod Franciſcus ejus Nepos, nempè Franciſcus Tedeſchinus Piccolomineus Senenſis, qui ſubindè fuit Cardinalis S. Euſtachii, Archiepiſcopus Senenſis, & poſteà Papa Pius III. (*a*), ſcribit, inquam, quod idem Franciſcus habebat expectativam Prębendæ in Eccleſiâ Tridentinâ, à quâ erat pluſquàm extraneus (*b*). In epiſtolâ ad Rodericum Lenzolium ex Valentiâ Hiſpanum, Cardinalem S. Nicolai, qui poſteà fuit Alexander Papa VI. (*c*), refert intentionem Calliſti III. Papæ, ipſi Roderico conferendi Abbatiam in Burgundiâ, quæ vacare dicebatur per obitum Tullenſis Antiſtitis, à quâ omnibus numeris erat extraneus (*d*).

(a) *Platina, Ciaconius, Bivius, & alii in Pio III.*

(b) *Æneas Sylvius epiſt. 76. in antiqu. editione.*

(c) *Ciaconius, Platina, & alii in Alexandr. VI.*

(d) *Æneas Sylvius loc. cit. ep. 29.*

37. Et quoàd propriam ipſius Eneæ Sylvii, ſive Pii II. perſonam, notum eſt, quod ortum habuit in Oppido Corſignani, quod ipſe poſteà Epiſcopali titulo decoravit, & vocavit Pientiam ab ejus Papali nomine (*e*), & ità fuit Etruſcus origine Senenſis: tamèn Epiſcopatum Tergeſtinum ſibi à Nicolao PP. V. tributum obtinuit, in Carnis ſitum, intèr Italiæ, Germanię, atque Iſtrię confinia, à quo citrà dubium erat extraneus (*f*). Et prętèr Cardinalatum S. Sabinę, ac Romanum Pontificatum, quę ſunt beneficia eccleſiaſtica primæ notę (*g*), & à quibus ipſe quoque erat extraneus; in epiſtolâ ad Ludovicum Ducem Bavariæ dicit sè poſſidere in ejus ditione Eccleſiam quandam Hiſpanenſem vocatam (*h*). In aliâ ad Theodoricum Archiepiſcopum Colonię, memorat, sè poſſidere in ejus ditione Præpoſituram Sanctenſem, non parvam habentem juriſdictionem (*i*). In aliâ ad Joannem Hinderbachium ei commendat Eccleſias ſuas dictas in Greze, & in Hirning, quas in Germaniâ poſſidebat (*l*). In aliâ ad Petrum Cnor, recenſet sè habuiſſe penſionem ſuper Abbatiâ ſitâ propè Conſtantiam (*m*). In aliis tribus ad Decanum Vvormacienſem, ad Martinum Meyer, & ad Joannem Tolner, fusè differit de Præpoſiturâ Eccleſiæ Vvormacienſis ſibi collatâ, & de obſtaculis ſuper id emergentibus, ob Capitulum reluctans; quarè ipſe jura ſua ſuper dictâ Prępoſiturâ permutavit cum præfato Decano, ei cedente quandam Eccleſiam, in dictione Comitis Palatini bona tenentem (*n*). In aliâ ad Caſimirum Regem Poloniæ aſſerit sè à Capitulo Vvarmienſis Eccleſiæ in Pruſſiâ Regali electum fuiſſe eorum Antiſtitem (*o*). Quâ de rè etiam Friderico Imperatori ità ſcribit: *gratias ago Majeſtati tuæ pro literis Sanctiſſimo Domino noſtro, & Sacro Collegio ſuper facto Vvarmienſis Eccleſiæ in meum favorem miſſis, nunc cum idem Dominus noſter Eccleſiam illam mihi commendaverit, ſupplex oro, ut digneris literas opportunas in bonâ formâ ſcribere ad Sereniſſimum Poloniæ Regem, ſubſcribendo illas manu propriâ, ut major videatur affectio, rogantes eum, ut procuratoribus meis poſſeſſionem ipſius Eccleſiæ aſſignari facias* (*p*).

(e) *Raynald. an. 1462 num. 47.*

(f) *Platina in Pio II.*

(g) *Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 4. n. 47. & 52.*

(h) *Æneas Sylvius loc. cit. epiſtol. 71.*

(i) *Idem Æneas epl. 154.*

(l) *Idem qui ſupra epiſt. 129.*

(m) *Idem Æneas epiſt. 136.*

(n) *Idem epiſt. 73. 86. 157.*

(o) *Idem epiſtol. 88.*

(p) *Idem Æneas Sylvius ubi ſupr. epiſt. 93.*

38. In aliis epiſtolis ad Joannem Nihili, ad Joannem Inderbachium, & ad Martinum Meyer, eos requirit, ut ſi aliquam Prępoſituram, vel Abbatiam, vel Parochiam, notabilis reditus, vacare contigerit, id illi denuncient, ut eiſdem conſequendis poſſit incumbere (*q*). Nèc ſomnietur hìc Pium talia, & tot beneficia in Germaniâ eſſe aſſecutum, vel ut aſſequeretur optaſſe, quià haberet literas Nationalitatis ab Imperatore, tamquàm qui ultrà 24. annos Germanicæ Nationi deſervierat (*r*); Nàm literę naturalitatis vel tempore Pii non erant fortè in uſu: vel ſine dubio ille eas non habuit: quod patet ex conqueſtionibus, quas factas innuit ab aliquibus Germanię Pręlatis, proptèr reſervationes beneficiorum Alemanię, tùm ipſius, tùm aliorum Cardinalium favore factas (*s*). Nèc enim conqueri potuiſſent Pręſules Alemanię de Pio, ſi literis naturalitatis ab Imperatore donatus, beneficia Germanica obtinuiſſet. Habuit ergò Pius literas à Pontifice, quarum vigore uſque ad duo millia ducatorum annui reditus poſſet in

(q) *Idem epiſtol. 66. 68. & 86.*

(r) *Idem epiſtol. 73. & 86.*

(s) *Idem epiſtol. 73. & 86.*

Germaniâ adipiſci: quod Pius pluriès inculcavit non debere eſſe grave Nationi Teutonicæ, quippè illi ſuprà 24. annos deſerviverat (a). *Scribit nobis*, inquit Decano Vvormacienſi, *Joannes Tolner querimonias factas eſſe apud aliquos Germaniæ Prçlatos de reſervationibus Cardinalium, quas habent in partibus illis: neſcimus, an proptèr nos, & gratiam noſtram, is rumor fiat: nos quidem ſuper 24. annos in Alemaniâ ſervivimus, & ſemper honorem illius nationis pro virili noſtrâ promovimus, & nùnc ad Cardinalatum, quamvìs inſufficientes vocati, id conamur, id ſtudemus, id totâ mente quærimus, quod illi nationi utile, decorumque eſſe putamus, cum nonnullis aliquandò vehementèr contendentes, itàut in Sacro Collegio magis Germanum, quam Italum eſſe dicant. Quibus ex rebus non ſumus arbitrati Germanicæ Nationi futurum odioſum, ſi beneficia in eâ pro duobus millibus ducatorum in annuis reditibus obtineremus* (b).

39. Tàm multa ergò beneficia, & penſiones obtinuit Pius non ab Imperatore, nec illius operâ, neque vi literarum naturalitatis, illi à Cæſare conceſſarum, quamquàm ingenuè ſit profeſſus, sè nolle beneficia conſequi, niſi *cum bonâ gratiâ Principum, in quorum territorio eſſent* (c): quod relativè ad urbanitatem protulit, non ad neceſſitatem: & non reſpectu ſolius Imperatoris, ſed etiam reſpectu aliorum Imperii Principum: non inquam, tot beneficia obtinuit Pius operâ Imperatoris ut ſuprà, ſed merè à ſolo Romano Pontifice, ſoliſque illius literis, de quo ipſe Pius ad Martinum Meyer hçc habet: *Quod ſi ſuper hujuſmodi beneficiis, ac dignitatibus reſervationes obtinuimus, accepimus à Summo Pontifice, quod nobis concedere potuit, ſine cujuſpiam injuriâ* (d). Pius ergò beneficia conſecutus eſt in Germaniâ non uti indigena, ſed uti extraneus. Habuit beneficium Epiſcopale Tergeſte in Carnis, Vvarmię in Pruſſiâ: beneficium Cardinalatus in Eccleſiâ S. Sabinę: beneficium Summi Pontificatus in Eccleſiâ Romanâ: Habuit Prępoſituram in Diœceſi Vvormacię: aliam in Diœceſi Coloniæ: penſionem ſuper Abbatiâ Conſtantiæ: alia beneficia ſuperiùs memorata in aliis Diœceſibus, à quibus erat extraneus, extraprovincialis, & reſpectivè etiam extranationalis: prętèr ea, quę ſcripſit de Franciſco ſuo Nepote, & de Roderico Cardinali, uti ſuperiùs memoravimus. Imperator gratias egit Pontifici, & Sacro Cardinalium Collegio prò Eccleſiâ Vvarmienſi eidem commendatâ. Si ergò & factis, & dictis Pii, vel circà Pium editis ſtandum eſt; ſi hiſtorię, quę in ejus epiſtolis enunciantur, locum habere debent; hę primùm non disjunctivè, ſed collectivè ſumendæ ſunt: ſimulque omnes ſunt conferendæ: poſteà ex cunctis ſimul unitis argumentum eſt deducendum: quod ſi ritè fiat, certè argumentum non pro extraneis repellendis probat, ſed potiùs pro illis ad ſacra beneficia admittendis.

40. Reſpondetur *tertiè* Pium in verbis ex adversò allegatis, non egiſſe de excluſione extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, quemadmodùm latè hùcuſque oſtendimus. Sed dato etiam, & non conceſſo, quod rè verâ de illorum excluſione ſententiam protuliſſet; dicimus, quod ipſe in privato ſtatu, proùt illi opus erat calamum agens, talia dictitavit, nec quidquam ſuper hoc ex cathedrâ pronuntiavit, quod prò infallibili ſit habendum. Quilibet homo privatus eſt capax erraudi, & beatus qui non exceſſerit in ſermone: omnis enim homo mendax eſt, inquit Regius Pſaltes (e): Quod ſi quis alius hominum eſt expertus, expertus eſt Pius, dùm in Concilio Baſileenſi clamoroſiſſimis fremitibus, adversùs Sedem Apoſtolicam, Romanumque Pontificem ejulavit, in quo sè tàm notabilitèr deceptum, totque errorum tendiculis irretitum, ſapientior factus, conſpexit, ut de sè publicè retractando ſæpiùs cogitaverit; & Summo demùm Pontificatu recepto, jàm ſenex, Deo citò animam redditurus, ſpeciali Conſtitutione, paralogiſmos, quos in adoleſcientiâ effutierat, retractaverit: *Nos homines ſumus*, inquit in illâ Bullâ, *& ut homines erravimus: neque imus inficias, multa, quæ diximus, ſcripſimus, egimus damnari poſſe: Verùm non ut Arrius, Eutyches, Macedonius, aut Neſtorius, & alia blaſphemorum turba, ex animo damnatam viam elegimus.*

Sedu-

(a) *Idem epiſtol. 86. & 136.*

(b) *Idem qui ſupr. epiſt. 73.*

(c) *Idem epl. 73. prope finem.*

(d) *Idem epiſtol. 86. poſt medium.*

(e) *Pſalm. 115. n. 11.*

Seducti peccavimus ut Paulus, & ignorantèr perſecuti fuimus Eccleſiam Dei, & Romanam, primamque Sedem. Propter quod proſtrati antè oculos Divinæ pietatis, ſupplices oramus: Delicta juventutis meæ, & ignorantias nè memineris. Pudet erroris, pœnitet maledictorum, ſcriptorumque, vehementèr pœnitet: plùs ſcripto, quàm facto nocuimus. Sed quid agamus? Scriptum eſt: volat irrevocabile verbum. Non ſunt in poteſtate noſtrâ ſcripta, quę in multas inciderunt manus, & vulgo leguntur, utinàm latuiſſent &c. (*a*).

41. *Cogimur igitur, dilecti filii, B. Auguſtinum imitari, qui cum aliqua in ſuis voluminibus erronea inſerviſſet, retractationes edidit. Humilis, & probatiſſimi vir ingenii, qui ſuas ineptias vereeundè confiteri, ac corrigere, quàm impudentèr defendere maluit. Idem & nos faciemus. Confitebimur ingenuè ignorantias noſtras, nè per ea, quæ ſcripſimus juvenes, error irrepat, qui poſſit in futurum Apoſtolicam Sanctam Sedem oppugnare* (*b*). Ità de ſuis ſcriptionibus, & de opinione, quâ illas inferciverat, ſuperioritatis Concilii Generalis, Romano Pontifici, ejuſque poteſtati, ſenex jam, & à juventutis furore divulsâ, ingenuè pronuntiavit. Eundem ſenſum de aliis ſuis opinionibus habuiſſe non ambigimus, ſi quid in minoribus protulit, quod Eccleſiæ minueret libertatem: & ità quidquid dixerit, vel ſenſerit Pius, ſi quid unquàm ſenſit, vel dixit, quod libertati Eccleſiæ officeret in conferendis eccleſiaſticis beneficiis etiam viris extraneis, combinandũ eſt cum iis, quæ ſucceſſivè in ſimilibus eventibus ſcripſit, aut dixit, & præſertim dùm eſſet Summus Eccleſię Pontifex, quotempore inter cętera tranſtulit Epiſcopum Tutelenſem Provincię Bituricenſis ad Epiſcopatum Tornacenſem tùnc Provincię Remenſis (*c*). Nicolaum Forteguerram Piſtorienſem in Etruriâ factum Epiſcopum Teatinum in Aprutio, Cardinalem S. Cæciliæ creavit (*d*). Jacobum Ammanatum Lucenſem pariter in Etruriâ factum Epiſcopum Ticinenſem in Inſubriâ, Sacrâ Purpurâ cum titulo S. Cryſogoni decoravit (*e*). Et alias plures promotiones, & translationes Epiſcoporum fecit in locis, à quibus erant extranei; infinitaque beneficia minoris ordinis viris extraneis eſt largitus, ut ex ejus regiſtris poterit obſervari. Pio ergò *ſeni magìs, quàm juveni credite, nec privatum hominem pluries facite, quàm Pontificem, Æneam reiicite, Pium recipite* (*f*).

(a) *Pius Pap. II. Conſtit. 10. §. 1.*

(b) *Idem loc. citato § 3.*

(c) *Æneas Sylvius ep. 374. & 375.*

(d) *Ciacon. poſt Vitam Pii II. in Nicol. Forteguer.*

(e) *Ciacon. ibidem in Jacob. Ammanat.*

(f) *Pius II. Conſtit. 10. § 3.*

42. Reſpondetur *quartò* Pium, ubi ad Martinum Meyer ſcribit, quod beneficia Germaniæ Germanicis viris ſunt conferenda, loqui non de neceſſitate, ſed de honeſtate: non de condigno, ſed de congruo: non abſolute, ſed de cęteris paribus: Et ità beneficia Gallica, potiùs Gallis, quàm extraneis: Italica Italis: Hiſpanica Hiſpanis: Luſitanica Luſitanis: Indica Indis: Aſiatica Aſianis ubilibet tandem, & ubicumque ſita indigenis, potius quàm extraneis in ęqualitate meritorum ſunt conferenda. Sed in his primò exempta intelligitur poteſtas Papæ, cujus territorium totus eſt orbis, nec ei quiſquam Chriſtianus Clericus eſt extraneus. Exempta quoque intelligitur poteſtas Imperatoris, & Regum reſpectu ſuarum ditionum, ut poſſint quoſcumque Clericos ſui ſtatus de uno in aliud Regnum ſui dominii advocare: & ità videmus Regem Hiſpaniæ beneficiis Epiſcopalibus Americæ, non Americanos, ſed Hiſpanos ordinariè præficere: Beneficiis Regnorum Coronæ Caſtellæ Clericos interdùm Coronæ Aragonenſis præponere; Regem Portugalliæ idem promiſcuè facere in Regnis tùm Europęis, tùm Indicis, quibus præeſt. Imperatorem Italos, Gallos &c. in Germaniâ ad Præbendas accire: Gallorum Regem in Galliâ idem facere: Papam Cardinalatus, Epiſcopatus, & alia beneficia Italiæ, ac Status eccleſiaſtici omnium Regnorum incolis elargiri: imò quędam Regna, & Nationes, tamquàm ex debito Cardinalatus beneficia eſſe ſuis Nationalibus conferenda, & ſcriptis, & dictis, & proteſtationibus, & clamoribus aliquandò audivimus prætendiſſe. Quæ omnia certè, neque coram Deo, neque coram hominibus, licitè poſſent ad effectum perduci, ſi beneficia extraneis impertiri eſſet juribus Divino, naturali, & humano prorsùs oppoſitum.

43. Et quià non minor eſt poteſtas Epiſcopi in ſuâ Diœceſi quoàd ſpiritualia, quàm

quam ſit Principis in eodem loco, reſpectu temporalium, eadem facultas in Ordinario viget, admittendi ad beneficia ſuæ juriſdictionis extraneos: Niſi fortè ubi Princeps Supremus, titulo legitimo eſſet pręditus, excipiendi adversùs extraneum, tamquàm ſibi, & ſuo ſtatui, probabili ratione ſuſpectum. Et ità theoricè ubilibet docetur; & ità practicè in toto Orbe communitèr factitatur. Undè nulli. dubium eſſe poteſt, & debet, quin excluſio extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis locum habeat ſolummodò de congruo, de honeſtate, & cæteris paribus. Argumentum ergò ex dictis, & factis Ænęę Sylvii Piccolominei, poſteà Pii Papę II. hiſtoricè deductum, tot reſponſionibus diſſolutum, nihil proficit cauſæ Contradictorum: nihil probat pro repellendis à beneficiorum conſecutione viris extraneis: nihil demùm evincit prò diminuendâ libertate Eccleſiæ, in admittendo ad ſuas Præbendas Clericos alibi natos: Et ità de primo ad ultimum, eadem Eccleſiæ libertas in ſuo naturali eſſe ſubſiſtit, unumque demùm illi pręſtat incontrovertibilitèr concludendum, liberum, & licitum eſſe Eccleſiæ, illiuſque Miniſtris, atque in primis Papę ipſius Eccleſiæ Capiti, necnon Epiſcopis, aliiſque omnibus, tàm Ordinariis, quàm Delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, eccleſiaſtica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

RESPONSIO

OBJECTIONIBUS POLITICIS.

CAPUT XXI.

In quo ſatisfit Objectionibus POLITICIS , *libertatem vellicantibus , quâ prædita eſt Eccleſia conferendi beneficia ſacra , non modò Clericis indigenis , verùm etiàm extraneis .*

SUMMARIUM.

1 Prima Objectio *politica fundata in eo , quod contrà omnium gentium conſuetudinem fieri videtur impertiendo extraneis beneficia &c.*

2 *Itèm in Galliâ , Luſitaniâ , Poloniâ , Siciliâ , Hiberniâ , Sardiniâ , apud Venetos , & ubique à beneficiis excluduntur extranei . Si quid autem ubique frequentat Eccleſia , inſanum eſt diſputare , an ità faciendum ſit .*

3 *Ubi excludantur per præpotentiam laicalem : nil obeſt . Ubi ex juſtitiâ excluduntur ; id ſit ex privilegio Apoſtolico .*

4 *Privilegia ſingulorum non faciunt legem communem . Oportet oſtendere privilegium Apoſtolicum conceſſum ſuper hâc rè Neapolitanis .*

5 *Quod in Galliâ excludantur extranei à beneficiis , hoc refertur privilegio Apoſtolico , de quo Petrus de Marcâ dubitat , & cur ?*

6 *Argumentum negativum eſt valdè infirmum : undè quod privilegium non fuerit alicubi memoratum , non indè infertur in Galliâ non adeſſe .*

7 *Privilegium iſtud videtur fuiſſe poſterius Martino Papæ V. ob ea , quæ ipſe ſcripſit Regi Poloniæ . Aliundè videtur fuiſſe anterius , & cur ?*

8 *In omni obligatione exempta cenſetur auctoritas Papæ : qui dans alteri facultatem , majorem apud ſe retinet , poteſtque tollere privilegia .*

9 *Non quidquid Apoſtoli agebant , jus , & præceptum fuit . Nèc jus Divinum , nec naturale , neque canonicum datur , excludens extraneos à beneficiis .*

10 Co-

10 *Covarruvias, & Mariana aſſerunt privilegium excluſivum extraneorum à beneficiis Regno Caſtellæ iuniti indulto Apoſtolico Sixti IV.*

11 *Leges Regiæ armare poſſunt privilegium Apoſtolicum, ut promptiorem habeat executionem, at & ſe ipſis non valent excludere extraneos.*

12 *Reges Hiſpaniæ operam dederunt, ut Valentini à Sixto V. & Sardi à Clemente VIII. impetrarent diploma excluſivum extraneorum.*

13 *Contradictores in argumento ſaltitant de locis privilegio præditis, ad carentia privilegio: Ipſi verò tale privilegium non habent.*

14 *Innuitur contentio, quâ Præſules Conſtantinopolis affectarunt jura æqualia cum Pontifice adipiſci, & ut redarguti ſunt in Concilio Chalcedonenſi.*

15 *Si à Regno Neapolitano Clerici extranei à beneficiis nunquàm fuerunt excluſi; ut quid tantâ novitate perturbatur Eccleſia?*

16 *Si excluſio innititur privilegio, ubi hoc deeſt, corruit excluſio, Si innititur juri, repellendi erunt etiam nationales, qui in loco beneficii orti non ſunt.*

17 *Nationales in cunctis locis eorum nationis adipiſcuntur beneficia, ſed argumentum Contradictorum, ſi valeret, probaret oppoſitum.*

18 *Mutatio confinium Regni quoàd res temporales, nihil afficit quoàd diſpenſationem beneficiorum, & res eccleſiaſticas.*

19 *Rejectio extraneorum, ubi fit, referri debet ad privilegium Apoſtolicum, quod extrà locum ipſius privilegii non afficit.*

20 *Si excluſio aliis Juris communis legibus referatur; ſubſiſtere non poteſt, quippè leges illæ nedùm excludunt extraneos, ſed etiàm nationales, & quos?*

21 Secunda Objectio *ex periculo, quod extranei ſecreta Regni revelent, & inſidias adverſus publicam quietem moliantur &c.*

22 *Hoc argumentum locum non habet in minoribus beneficiis. Eccleſia, & Regnum debent ſibi viciſſim opitulari.*

23 *Si Objectio valet, oportebit repellere omnes Medicos, Judices, Cauſidicos, Theologos, Milites, Aulicos &c. quià nocere poſſunt.*

24 *Si dicatur hos permitti, quia ordinati ſunt ad bonum producendum, idipſum dicimus nos de Clericis extraneis, valetque utrobique par ratio.*

25 *Objectio probaret, quod etiam Mercatores, Milites, Artifices extranei repellendi eſſent, quia mala Reipublicæ inferre poſſunt.*

26 *Exploratorum genus in Republicà neceſſarium eſt. Laudantur à politicis Principes, qui per exploratores hoſtium arcana deregebant.*

27 *Aliqui Principes ex ſe ipſis aliena loca petierunt, ut illa explorarent. Rarò contingit Clericos his explorationibus operam dare.*

28 *Si periculum eſt ex promotione alicujus ad aliquod beneficium, poteſt Rex contrà illum excipere, ne promoveatur, & quomodò?*

29 *Extrà loca privilegio Apoſtolico munita, & extra caſum probabilis ſuſpicionis, non habet locum excluſio extraneorum.*

30 Tertia Objectio *ex reluctantià, quà nationes obſiſtunt, nè beneficia extraneis conferantur, ut fecerunt Galli, & Angli, reſiſtentes Honorio III.*

31 *Malè refertur à Choppino ſeries facti: verioribus ergò verbis exprimitur, quibus retorqueri poterit adverſus Contradictores.*

32 *Gallis in Concilio Bituricenſi, reſiſterunt Romano Cardinali Legato, petenti ab eis duas præbendas in cunctis Eccleſiis nomine Papæ.*

33 *Non tàm factum, quàm ratio facti attendenda eſt. Galli, & Angli reſtiterunt, nolentes eſſe primi abſque exemplo in hac rè.*

34 *Objectio ſagittam dirigit extra orbitam, loquitur enim de locis privilegio Apoſtolico munitis, & quæſtio noſtra eſt de locis eo carentibus.*

35 *Obſtiterunt Galli, & Angli, metuentes, nè Papa titulo præbendarum ſuppreſſo, reditus Fiſco Pontificio applicaret.*

36 *Pa-*

36 *Papæ tunc Epiſcopatus conferebant, & alia beneficia, dabantque Regibus indultum concedendi unam, vel duas præbendas in Eccleſiis ſui Regni.*
37 Quarta Objectio *ex malis, quæ procedunt à conceſſione præbendarum factâ extraneis, de quibus fit mentio à loquentibus de Imperio, Galliâ, & Hiſpaniâ.*
38 *Quòd Anglos mala hæc denuntiat Rex Clementi Papæ VI. quod extranei ſint mercenarii, nec reſideant, curam animarum negligant &c.*
39 *Mala hæc magis exaggerantur quam fuerint. Vel ſi fuerunt olim, modò non ſunt. Ipſaque provenire valent, tàm ab indigenis, quàm ab extraneis.*
40 *Quanta ſit vis dictionis* nonnunquàm, & præſertim. *Oſtendit utraque vox, præjudicia illa provenire, tùm ab indigenis, tùm ab extraneis.*
41 *Objectio loquitur de beneficiis curatis, non de ſimplicibus, & quod ſolùm cæteris paribus conferenda ſunt indigenis.*
42 *Ad inconvenientia tollenda, quæ in Objectione notantur, non opus eſt privare Eccleſiam ſuâ libertate, cum ſatis ſit uti ſuo remedio legali.*
43 *A degeneri effectu occaſionalitèr eveniente, ad deſtructionem bonæ cauſæ non benè agitur: nulla enim eſt ars, quæ non multis incommodis miſceatur.*
44 *Multi Patres eximii filios degeneres reliquerunt: Nunquid propter hoc interdicendus eſt Viris præclaris uſus Matrimonii?*
45 *Etiàm ſi Clerici extranei mala, quæ decantantur, interdùm producerent, id ut in paucis evenit, & in Originariis etiam evenit.*

1. CONTRA *omnium gentium conſuetudinem faciens, Regum juſſa contemneret, & univerſarum concordiam Nationum ſuâ diſſenſione violaret* (a), quicumque contenderet eſſe ad beneficia eccleſiaſtica Clericos, etiam extraneos admittendos, inquiunt Contradictores. Et ſic *Arguunt primo* loco, *politicè* differentes. In omnibus pene Orbis Regionibus beneficia eccleſiaſtica debent ſolis Clericis indigenis ex præciſâ neceſſitate conferri. Nàm in totâ *Germaniâ* nulli dubium eſt, quod extraneis non patet aditus ad beneficia (b). In *Boemiâ* extraneos reiici teſtatur Bertholdus Pontanus (c). In *Hungariâ* idipſum ſuccedere affirmat Gregorius Toloſanus (d). Ab exiſtentibus in Ducatu Sileſiæ tantùndem fieri docet Schifordegherus (e). De Præbendis *Aragoniæ* non niſi Aragonenſes participant, uti oſtendit Ramirez (f). *Valentiæ* Regni beneficia ſoli Valentini adipiſcuntur, uti legitur apud Creſpi de Valdaura (g). Beneficiorum Regni *Navarræ* ſoli Navarrenſes participant ex Didaco Perez (h). *Catalonica* non niſi à Catalanis obtineri tradit Portoles (i). Et in ditionibus Coronę *Caſtellanæ* ſubjectis, ſoli ex Caſtellâ nati Clerici conſequuntur, uti mandavit literis Covarruvias (l).

2. Pariter in *Galliâ* nullus extraneus admittitur ad beneficia, prout inquit de Marca (m). In *Luſitaniæ* Regno ſita, nullus qui non ſit Luſitanus, valet acquirere, quemadmodùm firmat Auguſtinus Barboſa (n). *Poloniam* repellere extraneos memorat Choppinus (o). In *Siciliam* non introeunt alienigenæ ad beneficia captanda ex Roccho Pyrrho (p). In ſtatu *Venetorum* eundem ſervari ſtylum indiviſuat Panormitanus (q). Apud *Helvetios* jus advenas repellens à beneficiis viget, de quo loquitur Stumphius (r). In *Hiberniâ* alienigenæ repelluntur (s). In *Sardiniâ* idipſum fit (t). In *Angliâ* priuſquàm à fide Catholicâ deſiliret, eadem methodus ſervabatur (u); Ergò in omnibus, ſivè penè in omnibus Chriſtiani Orbis Regionibus beneficia eccleſiaſtica ſolis Clericis indigenis debita ſunt, ibique Alienigenæ repelluntur. Hocque poſito, intrat aurea regula D. Auguſtini: *Si quid tota per Orbem frequentat Eccleſia, quin ità faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt* (x): præſertim cum politicè conveniens ſit, ut quod ſingulæ Nationes totius Orbis Chriſtiani ſibi prodeſſe cenſent, ac veluti proficuum inconcuſsè cuſtodiunt, ab aliis quoq; populis obſervetur, cum hoc tamquàm de jure gentium ſit, quo omnes utuntur Nationes. Ergò jam generali ſenſu dicendum venit, quod bene-

(a) *Eſther. cap. 13. num. 4.*
(b) *Æneas Sylvius epiſt. 169.*
(c) *Pontan. Boemiæ piæ lib. 7.*
(d) *Gregor. Toloſan. Syntagm. p. 2. l. 17 c. 6 n. 42.*
(e) *Schiford. in vindic. pro Epiſc. Sileſiæ qu. 4.*
(f) *Calliſt. Ramirez de legibus Regni § 26. n. 64.*
(g) *Valdaur. par. 1. obſer. 6.*
(h) *Perez. l. 1. Ordonament. tit 3. lib 18 V. quæ ningun.*
(i) *Portoles.*
(l) Covar. *pract. quæ. lib unic. c. 35 n. 5.*
(m) *Petrus de Marca l. 5. c. 9 n. 2.*
(n) *Barboſ. ibi Alteſer in cap. 4. de poſtul. prælat.*
(o) *Renat. Choppin. poſt lib. 3. de Deman. Franc.*
(p) *Rocch. Pirr Sicil. Sacr. in Eccl. Meſſan. ann. 1418.*
(q) *Addent. ad Panorm. in c. proponente de reſcript. Perez. loc. cit.*
(r) *Stumphius.*
(s) *Card. Oſſat tom. 2 epiſt 55.*
(t) *Breve Clementis PP. VIII.*
(u) *Alteſer. in c. bonæ 4 de poſtul prælat.*
(x) *S. Auguſt. epiſt. 118.*

ficia eccleſiaſtica ſunt ſolis Clericis indigenis concedenda,& extraneis deneganda.

3. Reſpondetur *primò*, dato tranſeat Antecedenti, negatur ultima conſequentia, ex eo quod in exadversò propoſitis Regionibus, exluſio extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, non eſt à jure divino, neque à naturali, neque à lege Canonicâ, vel Civili, neque tandem à lege municipali, vel gentium, ſed ibi vel ſit, juſtitiâ ita depoſcente, vel per vim, & prępotentiam laicalem. Si per vim, & prępotentiam laicalem: noſtrum non eſt reſpondere: vir enim, & præpotentia viribus repellitur, non reſponſionibus, & ſcripturis: attamèn celeberrimum eſt aſſertum D. Juſtini Martyris ad Antoninum Pium Imperatorem, quod tantum valent Principes opinionem veritati, & injuſtitiam juſtitiæ pręferentes, quantum prædonis in ſolitudine (*a*). Reges ſunt, & Principes, non qui utcumque principantur, & reguant, jura calcando, Eccleſiæ libertatem opprimendo, & omnia impunè faciendo, tametſi à ratione devia, & enormia, ſed qui ſecundum juſtitiam in ſuis geſtis procedunt: undè proloquium: Rex eris, ſi juſtè reges: alioquin, ut benè arguebat S. Auguſtinus: *Remotâ juſtitiâ, quid ſunt Regna, niſi magna latrocinia* (*b*). Laici Principes ſubſunt Eccleſiæ non præſunt (*c*), ad eoſque ſpectat in rebus ſacris debitum ipſi Eccleſiæ obſequendi, non auctoritas imperandi (*d*). Et quod injuſtæ ſint eorum leges, vel quidquid agunt, ad repellendos à beneficiis ſuę ditionis extraneos, conclamant unâ voce tam Theologi (*e*), quam Canoniſtę (*f*). Si verò à præfatis locis, vel aliquibus eorum (quot, & qualibus nobis ignotum eſt, nec ſcimus quantâ veritate loquantur Auctores à Contradictoribus allegati, prout in margine ad Objectionem) extranei repelluntur, juſtitiâ ſic depoſcente, id merè, purè, ac totalitèr eſſe non poteſt, niſi à privilegio Apoſtolico. Habet hoc Romana Sedes, ut homines, & loca de fide benemerita, vel ob diſciplinam eccleſiaſticam, ſivè aliis de cauſis digna, quibus sè gratam reddat, benignis favoribus proſequatur. Ità S. Gregorius uſum, Pallii Archiepiſcopalis Syagrio Auguſtodunenſi, tametſi non Metropolitano, ex ſpeciali gratiâ conceſſit (*g*). Maximo Syracuſano conceſſit, ut toti Siciliç Inſulæ præſideret, ibique cauſas minores Sanctæ Romanę Sedi reſervatas audiret (*h*). Anglorum gentis in gratiam, quoſdam conſanguinitatis gradus prò conjugiis celebrandis remiſit (*i*): & alia aliis locis, & perſonis ſpecialia privilegia conceſſit. Idipſum & alii Papæ fecerunt, quotiès, & cum quibus judicarunt, juxtà contingentias temporum, expedire. Privilegia autem ſunt ſtricti juris, uti communitèr ſentiunt Doctores (*l*), & uti jura ipſa decernunt (*m*): ideòque ſtrictè intelligenda ſunt, nec ſunt extendenda de loco ad locum, neque de caſu ad caſum (*n*), nec plus operari debent, quàm præſeferant verba in eis contenta (*o*). Et quidquid ex privilegio eſt, de jure communi non eſt, ſed potiùs de lege particulari (*p*). Proptèr benemerentiam ergò aliquarum Nationum, & locorum, ſivè ob aliam urgentem cauſam, ſinè quâ privilegia non conceduntur, Papæ aliqui ex ſpeciali gratiâ eis indultum auctoritate Apoſtolicâ conceſſerunt, ut beneficia inibi conſtituta, non valeant ad extraneos pertinere. At hoc quod non ex lege generali, ſed ex indulto particulari procedit, extrà illa loca, & gentes non afficit: ſicut ex eo quod *habent Galliarum Reges id privilegium, ut nemo eligatur Epiſcopus, qui ſibi non præſtet fidelitatis curam* (*q*), non benè infertur, quod Epiſcopi omnes ubilibet debeant Principi temporali juramentum fidelitatis exhibere.

4. Sanè, uti benè ait D. Hieronymus, *privilegia ſingulorum non poſſunt legem facere communem* (*r*). Et idcircò, quidquid ſit, an in Galliâ, Hiſpaniâ, Germaniâ, Luſitaniâ, Poloniâ, & in aliis locis, ac regionibus, in Objectione notatis Clerici extranei repellantur ab eccleſiaſticis beneficiis (ſi verè tamen ibi legitimè repelluntur, & non per præpotentiam laicalem, cum multa dicantur, quæ non ſunt: & interdùm Auctores, vel in gratiam ſuę gentis, vel ſpè, vel metu acti, ſcribant adeſſe privilegia in locis, in quibus rè verâ non ſunt: hocque negotium pertinet ad factum, examinando ſingularitèr loca memorata, ut comperiatur, an privilegium adſit, vel ibi totum fiat per vim) cum excluſio extraneorum ibi fiat non ex lege generali Eccleſię, neque ex divinâ, vel naturali lege, ſed merè ex privilegio Apoſtolico,

ex-

(a) *S. Juſtin. Apolog. ad Antonin. Pium.*

(b) *S. Auguſt. vid. Gonet. Clyp. Theol. tom. 3. de leg. diſp. 4 art. 1. n. 2*

(c) *Cap. ſi Imperator diſt. 96. & ibi DD. del Bene de Immun. c. 10. dub. 1. ſect 2. n. 1 & 2.*

(d) *Cap. laicis 16 q. 7 del Bene loc. cit. c. 10. dub. 16. n 47.*

(e) *Azorius inſt. mor. p. 1. l 5. c. 1. n 96. Diana p. 3. tr. 1 reſ. 17. & 26. Peſantius de Immun. diſp 17.*

(f) *Thom. del Bene de Immun. c. 8 dub. 10. Barboſ. in c. 5 de inſtit. n 3. & alius ab eo alleg.*

(g) *S. Greg. lib. 7. epiſtol 5.*

(h) *S. Greg lib. 2. epiſtol. 4.*

(i) *S. Greg. lib. 12. epiſtol. 32.*

(l) *Seraphin. dec. 605 n 2. Barboſ. ad c. 7. de privil. n. 11.*

(m) *Cap. porrò de privilegiis.*

(n) *Seraph. deciſ. 555 n 5.*

(o) *Seraph. dec. 605 n 3. Barboſ. in c. 7. de privil. n. 10.*

(p) *Cap. privilegia diſt. 3 leg. 1. C. de theſaur. lib. 10.*

(q) *Germon. de Sacror. Immun. l. 3. c. 21. num. 24.*

(r) *S. Hieron. in Jonæ cap. 1.*

expreſsè, ac particularitèr illis gentibus impertito, vel ſaltèm tacitè illis dato in permiſſione conſuetudinis immemorabilis, cum famâ privilegii, quæ uti talis ex ſe habet vim privilegii, & conceſſionis (*a*), non benè ſequitur, quod etiam in aliis locis, & Regionibus, ac generalitèr in totâ Chriſtianitate, Clerici extranei debeant à beneficiis ſacris excludi. Oportet ergò ut Contradictores oſtendant, quod Regno, vel Nationi Neapolitanæ, conceſſum fuerit per Apoſtolicam Sedem compar indultum, excluſivum extraneorum, & tunc iſtis impedietur acceſſus ad beneficia ejuſdem loci: alioquin, ceſſante privilegio, vel conſuetudine prædictâ immemorabili, privilegii famam, & vim habente, ad jus commune recurrendum eſt, quod non minùs admittit extraneos, quàm indigenas (*b*): noſque hic ad hominem pergimus ſic alloqui Contradictores verbis, quæ habuit D. Gregorius ad Joannem Archiepiſcopum Ravennatem: *Aut mos omnium etiam à tuâ eſt fraternitate ſervandus, aut ſi tuæ Eccleſiæ aliquid ſpeciale dicis eſſe conceſſum à prioribus Romanæ Urbis Pontificibus &c. à vobis oportet oſtendi. Quod ſi hoc non oſtenditur, reſtat, poſtquàm talia agere, neque conſuetudine generali, neque privilegio, vendicas, ut uſurpaſſe tè comprobes quod feciſti* (*e*).

(a) *Cap. ad decorem ſel ibi DD. de inſtitution.*

(b) *Borell ſum. dec. tom. 1. tit. 14. n. 49.*

(c) *S. Greg. lib. 2. epiſtol. 54.*

5. Sed & in locis privilegio Apoſtolico ſpecialitèr communitis; adhuc Eccleſia libera eſt in admiſſione Clericorum extraneorum ad beneficia: quippè ibi manus Pontificis non ità intelligitur alligata, ut juſtis concurrentibus cauſis non valeat aliud, quam privilegium ſuggerit exercere. Alii quoque, favore quorum editum eſt privilegium, cedere illi poſſunt, & provectionem extraneorum admittere. Demùm Princeps temporalis ipſius loci, habiles ad beneficia poteſt reddere extraneos, exhibitione literarum naturalitatis, quod quotidiè in variis Regionibus cernimus factitari. Quinimò etiam Exteris carentibus literis naturalitatis, poſſunt Præſules præfati loci, vel alii Collatores, aut Nominatores ad beneficia, hæc eadem impertiri, & proviſio valida eſt: tametſi ei valeat obſiſti, ad hoc ut ſervatis ſervandis debeat revocari, ob defectum literarum naturalitatis, quas alioquin ſufficit obtineri poſt collationem beneficii: undè patet, quod collatio de sè erat valida. Vide quot modis repreſentantes Eccleſiam, & in eis ipſamet Eccleſia libera eſt in provectione Clericorum extraneorum ad beneficia, etiam in locis munitis Apoſtolico privilegio; multò magìs ergò libera eſt in locis privilegio ipſo carentibus. Cæterùm quod in *Galliâ* excluſio Clericorum extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, debeatur Apoſtolico privilegio, id ſatis clarè docet Coſmus Guymer auctor Gloſſæ in Pragmaticam Sanctionem, aſſerens: *Et ut ferunt, Rex Franciæ habet privilegium, quod exterus, & alienigena, non poteſt beneficiari in ſuo Regno ſinè ejus permiſſione* (*d*), quem Auctorem, quis credat hoc jus tradidiſſe Pontifici ſinè maximo veritatis fundamento, dùm commentabatur legem, ad imminutionem Pontificiæ auctoritatis ſancitam? Accedit ad hæc auctoritas Rebuffi, celebris Juriſconſulti Galli, in Senatu Pariſienſi Cauſidici, ac Juris Pontificii inibi Ordinarii Profeſſoris, qui in ſuâ Praxi beneficiorum, agens de Regulâ 20. Cancellariæ Apoſtolicæ, cavente, quod quis intelligat idioma, hæc habet: *Non recipitur Papæ diſpenſatio in Franciâ, contrà iſtam regulam, quæ eſt juris Divini* (nempè quoàd animarum Curatos, ut intelligat idioma ovilis, quod paſcunt) *ad hæc ratione privilegii, dati Regi Franciæ, ut nullus alienigena ſinè literis naturalitatis poſſit in Regno beneficia obtinere* (*e*).

(d) Coſmus Guymer, *Pragmat. Sanction.*

(e) *Rebuff. prax. benef. in Reg. 20. gloſ. 1. §. ideo.*

6. Ambigit de veritate hujuſmodi privilegii Petrus de Marca, libentèr alioquin acuens calamum, ubi de reſcindendis, vel attenuandis prærogativis Romanæ Eccleſiæ ſermo intercurrit: ſuæque titubantiæ rationem ex his unicè dimetitur, quod nec in Pragmaticâ Sanctione, à Carolo VII. Franciæ Rege compoſitâ; nec in conſtitutionibus Caroli VI. aliorumque Regum Francorum, quorum ſit memoria in dictâ Pragmaticâ Sanctione, quidquam prorsùs dicitur de tali privilegio Apoſtolico (*f*), quod tamen potuit fuiſſe, vel anteriori, vel etiam poſteriori tempore obtentum. Sed valdè infirmum eſt argumentum negativum, quod uti tale,

(f) *Petrus de Mar. l. 4. c. 8. n. 9.*

tale, non eſt ad veritatem detegendam idoneum; præſertìm cum aliundè adſin. documenta, & Auctores, ingenuè confitentes id, quod argumentum negativum impugnat: *Negativa exempla*, inquit Thomaſſinus, *& argumenta non ſatis habent momenti, eum in ſilentio tota vis eorum ſit, ut in comparationem veniant cum iis, quæ ſumuntur* ex aliis legitimis documentis (*a*): quarè quod Carolus Sextus, & Septimus, non memoraverint privilegium Apoſtolicum, excluſivum extraneorum à Regno Galliç, quid refert? Formuliſta ille, qui Sanctionem Pragmaticam dictitavit, nullum verborum limitem habebat, per quem intercurrere neceſſariò deberet; poterat, & non poterat privilegium memorare, & ſicut illud memorando, non ei ortum dediſſet, ſi rè verâ in rerum naturâ non extitiſſet; ità idem reticendo, non illud abſtulit, cum certè à parte rei jam adeſſet. Ceterùm in rebus adeò antiquis ſufficit fama privilegii, ut habeatur juxtà ratio cenſendi, effectivè illud adeſſe (*b*). Ut quid ergò de Marca ipſum ex ſolis argumentis negativis impetere, quç non magis probant illius non exiſtentiam, quam probet non exiſtentiam Regni Braſilienſis, vel Mexicani, ſilentium Strabonis, qui de provinciis Orbis Geographicâ diſquiſitione pertractans, nec Mexicum memorat, nec Braſiliam. Nimiùm ergo imbecilli fundamento innititur de Marca, ſi ejus intentum fuit, ut privilegii Apoſtolici vim abſumat, quod à beneficiis Gallicanis Clericos aliundè natos expellit: cum, ut innuimus, potuerit fuiſſe ſicut anteriori, ſic etiam poſteriori tempore obtentum.

(a) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 1. l. 2. c. 36. n. 19. in fin.*

(b) *Seraphin dec. 330. n. 9. & 449. n. 4.*

7. Modeſtiùs Thomaſſinus de hoc eſt privilegio locutus: *Nulla*, inquit, *hic ſuperiùs perſtricti privilegii memoria, veſtigium nullum, ut non injuriâ poſteriùs impetratum fuiſſe conjicias. Ejus meminit Rebuffus, ubi affirmat, ei privilegio nullis Papæ diſpenſationibus derogari poſſe: eo porrò non Parochialibus tantùm Eccleſiis juxtà Regulam Cancellariæ, ſed omnibus indiſcriminatim beneficiis peregrinos ablegari. Sed in Franciâ idem in omni beneficio, ratione privilegii: cum Alienigena in Franciâ beneficia ſinè Regis conſenſu non poſſit habere, quæcumque ſint illa beneficia* (*c*). Quandonam rè verâ hoc privilegium fuerit Regi, ac Nationi Gallicæ contributum, nobis quoque eſt incompertum, quod *fuerit poſteriùs* edicto Pragmaticæ Sanctionis, indicio eſt epiſtola Martini Papæ V. qui paulò antè ea tempora objurgans Uladislaum Poloniç Regem, ſæculari poteſtate extraneos à beneficiis Poloniæ repellentem, ait: *ſupplicant ſæpè Reges, ac Principes, & nos eis interdùm complaceemus &c. interdùm etiam aliter diſponimus, quam ipſi Reges, & Principes ſupplicarint. Nupèr ſiquidem quinque proviſiones in Regno Angliæ fecimus alio modo, quàm ipſe Rex ſcripſerat &c. Hoc ſimilitèr fecimus aliàs in Regno Caſtellæ, & novitèr in Regno Franciæ in duabus Eccleſiis; fueruntque proviſiones noſtræ reverentèr, ut dignum erat, à Regibus acceptatç* (*d*). Viceverſâ quod *fuerit anteriùs*, argumento eſt controverſia, quç inter Innocentium Papam III. & Philippum II. cognomine Auguſtum, Regem Franciç, ob Canonicatum Eccleſiæ Laudunenſis, quem tàm Rex in Galliâ uni ex Cappellanis ſuç aulç contulit, quàm Papa Romç alteri ſibi magìs grato conceſſit: quereliſque ſuper hoc hinc indè ſubortis, cauſa ad Capitulum Laudunenſe remiſſa eſt, ut pronuntiaret, quiſnam ex duobus promotis eſſet alteri præferendus (*e*).

(c) *Thomaſſin. ubi ſup. p. 2. l. 1. c. 103. n. 8.*

(d) *Odoric. Raynald. ann. 1429. n. 13.*

(e) *Gallia Vindic. diſſert. 1. §. 1. f. 7.*

8. Ex his patet non deeſſe momenta indicantia privilegium illud eſſe antiquius Pragmaticâ Sanctione. Sed fortè dubitari poterit, an comprehenderet beneficia Epiſcopalia, vel ſola beneficia minoris ordinis: vel an ligaret manus Pontificis, ex regulâ generali, quod in omni obligatione, ſemper exempta cenſetur auctoritas Papæ (*f*), ut in præciſis terminis collationis beneficiorum, faciendæ certo generi perſonarum firmat Seraphinus Razzalius, natione Gallus (*g*): vel ex aliâ regulâ, quod Papa dans alteri facultatem, non cenſetur ſuo juri quidquam ullateuùs ſubtraxiſſe, *ſic ſuum diſpenſans onus in alios, & honorem, ut nihil ſuo honori ſubtraheret, nec juriſdictionem ſuam in aliquo minueret*, uti loquitur Innocentius Papa III. (*h*): vel demùm ex illâ regulâ, quæ diſponit, quod *Romana Eccleſia ſuâ auctoritate valet disiungere, & disiuncta congregare &c. & pietatis,* vel

(f) *Cajetan 2. 2. q. 88. art. 12. ſ. dubium 2.*

(g) *Seraph. dec. 1091. num. 6.*

(h) *Innoc. III. Regeſt. 13. epiſt. 9. & alibi.*

vel neceſſitatis intuitu ſemèl à ſè conceſſa, valet vel in totum, vel in partem commutare &c. & privilegia Eccleſiarum vel imminuere, vel immutare (*a*). Utcumque res ſè habeat, hoc unum certum eſt, quod privilegium excluſionis extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, Gallicæ Genti conceſſum eſt, in ſententiâ Gloſſatoris Pragmaticę Sanctionis, & Rebuffi, de quibus ſuprâ; ergò ab aliquo oportet fuiſſe conceſſum; ſed non poterat concedi niſi à Papâ; ergò ab aliquo Papâ ex neceſſitate conceſſum fuit, ſivè antè, ſivè poſt Pragmaticam Sanctionem, hoc parum refert. Et quidèm quod hujuſmodi privilegium non potuerit niſi à Papâ concedi, patet quià ejus conceſſio pręſupponit plenariam, & ſupremam poteſtatem adminiſtrativam bonorum Eccleſiæ, illiuſque beneficiorum, quæ non eſt niſi in Romano Pontifice (*b*).

9. Nequè contendatur hoc eſſe privilegium Canonicum à ſacris Canonibus conceſſum, vel à jure divino, aut naturali cunctis indultum. Nàm quoad jus divinum, oportet oſtendere textus ſcripturales, id expreſsè, & præceptivè diſponentes, non verò exemplaritèr: nàm non quidquid in ſacrâ Scripturâ narrativè, aut exemplaritèr continetur, *nec quidquid Apoſtoli obſervabant, jus, & præceptum erat* (*c*). Quoàd jus naturale paritèr oportet juris naturalis dictata proferre: non enim de jurę naturali eſſe poteſt, quod per 1717. annos, ex quo Eccleſia Dei fundata eſt, non fuit ubilibet obſervatum: imò vix ab ultimis ſæculis in aliquibus tantùm locis eſt ex indulto Pontificio permiſſum. Tandèm quod jus Canonicum Canones depromendi ſunt, extraneos repellentes, ut eorum excluſio dici poſſit à privilegio Canonico derivari: cum tamèn hi Canones non ſint in rerum naturâ; Imò potiùs Canones oppoſitum disertè diſponant (*d*). Qui tamen adhùc ſuppoſiti Canones, quatenùs etiam adeſſent, vim nullam adversùs poteſtatem Pontificis in sè tenent, nec Canones eſſe poſſint, rationem juris habentes, niſi ſint Papali auctoritate firmati. Si dicatur verò hoc privilegium à lege Regali, vel municipali profluere; gratis hoc aſſeritur, cum nulla poteſtas laicalis valeat hanc excluſionem extraneorum, auctoritate propriâ, definire: Nàm ſi loquamur de illorum excluſione, facta potentialitèr, & per vim, hæc nullius eſt momenti, quippè ea, quæ à laicis fiunt in materiâ beneficiorum de facto, nullum jus inducunt, nec quidquam afficiunt (*e*); Si autem loquamur de Legibus, & Statutis, ſuper hoc ipſo per laicos Principes promulgatis, & negamus ſuppoſitum, nempè quod laici Principes has leges, & ſtatuta licitè valeant promulgare: nam Doctores communi voce affirmant leges iſtas eſſe validitate omnimodè vacuatas (*f*). Inter eos quęrit Azorius an ſatis hujuſmodi leges excluſivas extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, à Laicorum auctoritate promanare, & reſpondet *minimè, quià laici de beneficiorum cauſis nihil decernere queunt, quarè neceſſe eſt, ut Romani Pontificis privilegio, aut conſenſu approbentur, aut ipſius Canonici juris auctoritate confirmentur* (*g*), intelligendo hic Canonicum jus prò Canonibus juris corpori inſertis, & à Pontifice authorizatis, itàut eorum diſpoſitio, non à ſe ipſis principalitèr, ſed à Pontifice illoſmet authorizante deſcendat. Et ità quocumque modo ſumatur excluſio extraneorum, ſemper verum eſt, eam à ſolo poſſe Pontificio diplomate derivari.

10. Pariter in *Regno Caſtellæ* excluſio extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis, tota eſt à Privilegio Apoſtolicæ Sedis, ut ſupponit Didacus Covarruvias Præfectus Prætorio Philippi II. Hiſpaniarum Regis: ait enim: *Adnotandum eſt jus hoc, quod Caſtellanus hic Principatus, & Regia obtinet Reſpublica, ne dentur eccleſiaſtica beneficia exteris, non tantùm procedere à conceſſione Romanorum Pontificum, præſcriptione, & uſu immemorabili, ut conſtat ex l. 18. & ſeq. lib. 1. ord. tit. 3. & multis aliis Pragmaticis à Carolo V. Hiſpaniarum Rege primò editis; ſed & à maximâ, & evidenti regiminis ſpiritualis, & Eccleſiaſtici utilitate, ità quidem, ut ex contrario uſu, & praxi plures contingant Eccleſiarum miniſterio calamitates, quarum ſi certum habuerit Summus Chriſti Vicarius cognitionem, dubio procul, præ illius ſupremæ dignitatis, quam Summus totius Eccleſiæ Paſtor, & Rector obtinet integritate, juſtitiâ, & divini cultus zelo, tantis, & tot malis medelam adhibebit: ejus*

(a) *Cap. poſtquam §. his ita 21. cauſ. 25. q. 2.*

(b) *Cap. omnes diſt. 2. cap. licet. 2. de præb. in 6. Clementin. 1. Ut liste pendent.*

(c) *Regale Sacerdotium prælud. §. 2. f. 45*

(d) *Cap. ad decorem de inſtit. cum aliis alibi citat.*

(e) *Seraphin. deciſ. 1382. n. 7.*

(f) *Diana p. 3 tr. 1. reſ. 17. & 26. Peſantius de Immun diſp. 17 del Bene eod tit. cap. 8, dub. 10. Barboſ. in c. ad decorem §. de inſtit.*

(g) *Azorius inſt. mor. p. 2. l. 6. c. 4. q. 25. in fin.*

jus quidem rei judicium, nec noſtrum eſt, nec præſentis tractatus, jam coronidem exigentis, examini, prò ejus dignitate committi debet. Sed *& juri, quo utimur ſuffragatus textus in cap. bonæ il 2. col. ult. de poſt. præl. item text. in cap. ult. de Cleric. peregr. text. in cap. Afroſ. 98. diſt. cap. nullus invitis diſt. 61. cap. neminem 70. diſt. Ex jure Civili text. in l. Eccleſiis C. de Epiſc. & Cleric. &c.* (a). Ex quo toto ſermone patet, quod licèt hic Auctor, jura juribus cumulando, aliis quoque titulis privilegium exluſivum extraneorum conſtipet, præcipua tamèn ejus vis in privilegio Pontificio fundatur, quod Mariana memorat à Sixto Papâ IV. fuiſſe conceſſum *Henrico Regi, ne externi homines ampliùs in Caſtellâ Sacerdotia expectarent, de quo lis tandiù fuerat cum Romanis* (b). Quomodò, qualitèr, & quandò privilegium iſtud fuerit conceſſum, & uſquequò ſe extenderet, vel extendat, nobis non eſt notum, quippè illud ſub oculis non habuimus.

(a) *Covar. pract. qu. 1 un. c. 35. n. 5.*

(b) *Mariana rer. Hiſpan. l. 24. c. 16.*

11. Nihil relevantibus aliis textibus Juris Canonici, & Civilis, per Covarruviam allegatis, quippè illa omnia, quæ majoris momenti ſunt, ſuperiùs in Objectionibus Legalibus diſpeſcuimus, & oſtendimus, cauſæ iſti nihil prodeſſe. Neutiquàm paritèr afficientibus Legibus Regalibus, ab eodem Covarruviâ citatis, quandoquidèm hæ nonniſi editę fuerunt ad armandum ſeculari poteſtate memoratum diploma Pontificium, *ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorem. Sæpè etenim per Regnum terrenum, cæleſte Regnum proficit: ut qui intrà Eccleſiam poſiti contrà fidem, & diſciplinam Eccleſiæ agunt, rigore Principum conterantur: ipſamque diſciplinam, quam Eccleſiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat,* ait optimè S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis (c). Cæterùm leges Regiæ, ſtatuta municipalia, & ſi quæ aliæ conſtitutiones ſunt à temporali poteſtate dilapſę, quæ Clericis extraneis obſiſtant, nè conſequi poſſint eccleſiaſtica beneficia, ex ſe ſumptæ, & ex naturâ ſuâ conſideratę, vim non habent, quam verbis oſtentant, niſi privilegio Apoſtolico ſuffulciantur. Et ità egregiè Cabedus, poſtquam lautè diſſeruit de repulſione præfatâ extraneorum, concludit: *quamvis hæc ità ſe habeant, ſciendum eſt, ſi hujuſmodi ſtatuta, & leges non fuerint approbatæ per Sedem Apoſtolicam, Judices ſæculares eas obſervantes, & adeptionem poſſeſſionis beneficii alienigenis prohibentes, peccare, quoniam contrà libertatem eccleſiaſticam agunt, ut ex Panormitano, & Capiſ. pulchrè reſolvit Portoles* (d). In quem ſenſum etiam nulli dubium eſt deſcendiſſe ipſum Covarruviam, dùm ſuum ſermonem claudit, optando, ut Summus Pontifex, vel Concilium Generale à Pontifice approbandum hanc legem edat, in totâ Eccleſiâ univerſalitèr obſervandam (e), per quod oſtendit, hanc legem generalem, excludentem à beneficiis extraneos, non adeſſe; nec ſatis eſſe, ſi edatur à Principe temporali, ſed neceſſarium eſſe, ut ab Eccleſiâ promulgetur.

(c) *S. Iſidor. l. 3. ſent. de Sum. bon. c. 53.*

(d) *Petrus Cabedus pract. quæſt. canon. 38.*

(e) *Covar. loco cit. § Unde.*

12. Sed & Reges Hiſpaniæ, totamque illius Nationem, uſque nunc diverſimodè non ſenſiſſe, patet ex indulto, quod pro *Regno Valentiæ* fuit à Sixto Papâ (f). Et ex diplomate, quod prò *Regno Sardiniæ* fuit à Clemente Papâ VIII. conceſſum (g). Si enim ſtatuta municipalia, ſi leges Regiæ ſufficientes fuiſſent ad ablegandos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, profectò nec Valentini, neque Sardenſes hujuſmodi privilegia à Sede Apoſtolicâ poſtulaſſent: nec Reges Hiſpaniæ utrique, huic Regno dominantes, permiſiſſent ipſorum diplomatum impetrationem, neque ipſi impetrationi ſuam operam impendiſſent. Idipſum, quod de Regnis inclytarum Nationum *Galliæ*, & *Caſtellę*: atque prò Regnis *Valentiæ*, & *Sardiniæ*, diximus, eſt æquâ lance verum de Auguſtâ *Germanicâ* Natione, atque prò aliis conſpicuis Regnis *Hungariæ*, *Poloniæ*, *Portugalliæ*, *Boemię*, cæteriſque Provinciis, ac locis ſuperiùs indicatis (ſi verè in iſtis, vel in aliquo eorum, quod nobis non certò conſtat, quippè privilegia eorum non legimus) ubi extraneis non patet acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia: ibi enim excluſio hæc non poteſt habere locum, niſi ex privilegio Apoſtolico, propter motiva, & rationes hucuſque in-

(f) *Sixtus Pap. V. conſt. 64.*

(g) *Lotter. de re benef. l. 2. qu. 33. n. 328.*

præ-

præſenti Capitulo recenſitas. Si autem ubi beneficiorum collatio ad ſolos indigenas coarctatur, repulſis extraneis, repulſio hæc, & coarctatio ſubſiſtere non valet, niſi quatenùs eſt freta indulto Apoſtolico; patet primò, quod nec de jure communi, nec de jure divino, neque naturali, neque gentium beneficia Clericis extraneis denegantur. Nàm ad quid tam potentes, doctæ, & præclarę Nationes, atque Regna, & Reges exigere à Summo Pontifice, tamquàm ex ſpeciali gratiâ, & privilegio id, quod jus commune, juraque Gentium, naturale, & divinum obſervandum eſſe diſponerent? Nàm fruſtrà precibus impetratur, quod à jure communi competit (*a*). Secundò patet, quod in locis, ubi conſimile indultum deeſt, excluſio extraneorum non habet locum. Tertiò demùm patet, quod nihil facit ad caſum ſententia Divi Auguſtini, dicentis, quod id, quod tota per orbem frequentat Eccleſia, inſolentiſſimę inſanię ſit diſputare, an ſit rè verâ faciendum (*b*): Quippè Divus Auguſtinus non loquitur de iis, quę fiunt ęx indulto particulari, ſed de iis, quæ ubilibet ex generali Eccleſię praxi exercentur. Quinimò ipſa ſententia poſſet ſub hoc themate retorqueri: Per totam Eccleſiam, in locis ſpeciali diplomate non ſuffultis, Clerici extranei admittuntur ad eccleſiaſtica beneficia; ergò quod non debeant admitti in Regno Neapolitano, ubi conſimile privilegium deficit, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt diſputare.

(a) *Leg. 1. Cod. de theſaur. l 10.*

(b) *S. Auguſt. epiſt. 118.*

13. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm dato tranſeat antecedenti, negatur ultima conſequentia: quià ſit ſaltus de uno ad aliud; de locis privilegiatis ad loca privilegio carentia, & ſit illatio à diverſis ad diverſa: ideòque conſequentia non tenet. Jàm diximus, quod nullo jure neque divino, neque naturali, neque Gentium, neque humano extranei excluduntur ab eccleſiaſticis beneficiis: Sed ſolùm ex privilegio Apoſtolico. Vel ergò Contradictores non valent extraneos à beneficiis Regni Neapolitani, alteriuſve loci, prò quo depugnent, expellere tamquàm de jure, quià nullum jus adeſt id pręſcribens. Vel ſi jus hoc adeſſe contendunt, oportebat illud ab eo tempore executioni mandare, quo incęperunt beneficia eccleſiaſtica Clericis in titulum erogari. Mille & ſeptingenti jam anni ſunt, ex quo Eccleſia fundata eſt, & totidem ex quo reditus eccleſiaſtici in ſportulas, & prębendas, ac aliquantò poſt in titulum tradi Clericis incęperunt; Quid eſt, quod non niſi nunc habita eſt attentio ad obſervantiam hujuſmodi juris: & pro Clericis extraneis ubilibet repellendis à conſecutione beneficiorum, non eſt ſeriò tractatum, inſtitum, inculcatum, cum Summo Pontiſice, cum Epiſcopis, & Ordinariis locorum, cum Principibus, & Privatis, Patronis beneficiorum, cum eorum tandèm Collatoribus, vel reſpectivè ad ea Nominatoribus? Per mille nè & quingentos, vel ſeptingentos annos neglecta eſt obſervantia Juris communis, divini, naturalis, & gentium, & non niſi nunc tàm ſerò, aperti ſunt oculi cœcorum, & aures ſurdorum, & mutorum labia ſunt ſoluta? Durus eſt ſermo iſte, & quis poteſt illum audire (*c*)?

(c) *Joan. cap. 6. n. 61.*

14. Affectantes Epiſcopi Conſtantinopolitani honores Patriarchicos adipiſci, ſtuduerunt illos in Concilio I. Conſtantinopoli habito, ſynodalitèr ſibi dari, & de facto Concilium ipſum, Canonem edidit, æqualia primis Sedibus, imò & ipſi Romanæ Eccleſiæ jura Nectario Byzantino Antiſtiti adſcribentem (*d*). Reclamavit ad hęc audita Damaſus Papa, ejuſque in Petri Cathedrâ Succeſſores; totoque animi conatu obſtiterunt, ne canon iſte ullum prorsùs ſortiretur effectum; ſi verè tamen fuit canon conciliaritèr editus, & Synodali deliberatione procuſus: valdè etenim, & non levibus indiciis ambigit de illius veritate Cardinalis Baronius (*e*). Utcumque ſit, S. Gregorius teſtis eſt, Romanam Eccleſiam nunquàm hunc Canonem admiſiſſe (*f*). Sed Præſules Conſtantinopolitani ab incępto non deſtitere. Ideòque Anatolius in Concilio Chalcedonenſi honores ipſos conſequi feſtinavit, & abſentibus Legatis Apoſtolicis Canonem promulgari ſategit, quo ſibi cum Romano Pontifice jura coęqualia tradebantur (*g*). Ingentes dedit ad hęc audita rugitus magnificus S. Leo, tunc Eccleſię Romanæ præſidens, & tàm Anatolio (*h*), quàm Marciano Imperatori (*i*), ejuſque uxori Pulcheriæ (*l*), literas dedit querimoniæ ple-

(d) *Conc. Conſtantinopolis 1. c. 5.*

(e) *Card. Baron. an. 381. n. 35. & 36.*

(f) *S. Greg l 6 ep. 31 & 123.*

(g) *Conc. Chalcedon. cap. 27.*

(h) *S. Leo Pap. I. epiſt. 53.*

(i) *Idem S. Leo epiſtol 54.*

(l) *Ipſemet S. Leo epiſt. 55.*

plenas, clamans, quod in totius Eccleſię perturbationem ſuperba hęc elatio tenderet, ad quam confovendam fuiſſent Epiſcopi Concilii, vel depravando traducti, vel terrendo compulſi. Legati quoque D. Leonis, Synodo aſſiſtentes, præfato Canoni conſtantiſſimè reſtiterunt, & ad conterendam illam abuſionem, fautoribus Anatolii, obtendentibus quod hunc honorem, jam à 70. annis in Concilio Conſtantinopolitano, ipſius Anatolii Anteceſſores fuiſſent ſynodalitèr aſſecuti, reſponderunt: *ſi hi temporibus hoc beneficio uſi ſunt, quid nùnc requirunt? Si nunquàm uſi ſunt, quarè requirunt* (a)?

(a) *Vide Bellarm. de Pont. l. 2. c. 18. §. addo.*

15. Eodem modo detur nobis Contradictores affari, & ab eis ad hominem ſciſcitari; an dùm ipſi contendunt, quod ſit de jure divino, naturali, & humano, quod beneficia eccleſiaſtica ſolis debeant indigenis diſpenſari, extraneis ſinè ulla ſpe, ſine miſeratione repulſis, an inquam, per mille & quingentos, vel ſeptingentos annos, ex quo Eccleſiæ, & beneficia eccleſiaſtica in eorum patriâ ſunt fundata, unquàm ad praxim deduxerint tot, & tanta præfatorum ſuppoſitorum jurium dictata? Si illa ad praxim per tàm prolixum tempus perduxerunt; ſuperfluum eſt, quod nunc ſuis ejulatibus, & ſcriptionibus expulſionem extraneorum conſequi meditentur, quam jam per tot, & tàm vetuſta ſęcula pro inconcuſſo more habuerunt. Si autèm illa nunquàm ad effectum perduxerunt, ut quid geſtiunt id nunc tam ſerò conſequi, quod per decem, & ſeptem ſęcula non eis permiſſum eſt adipiſci? Cur hujuſmodi novitate geſtiunt eccleſiaſticum ordinem perturbare, quandò jam per mille, & ſeptingentos annos, & ultrà non potuerunt in ea, irritis ſemper conatibus, prævalere? *Si hi temporibus hoc beneficio uſi ſunt, quid nunc requirunt? Si nunquàm uſi ſunt, quarè requirunt?* Dicunt, quod à tempore Magni Conſalvi Ducis, & Ferdinandi Catholici, Anteceſſores eorum ſuper hoc inſtiterunt: At valdè inofficioſa eſt hæc objectio, ſiquidem hujuſmodi inſtantia non apud laicam, ſed apud eccleſiaſticam poteſtatem erat promoveuda: & cum caruerit effectu; jam ex tunc de illius imbecillitate ſatis innotuit, fruſtraneumque eſt velle nunc reparare, quod nunquàm vires potuit invenire (b). Facit ad hæc reſponſio D. Leonis præfato Anatolio: *perſuaſioni tuę in nullo pœnitùs ſuffragatur quorundam Epiſcoporum ante ſexaginta, ut jactas annos facta ſubſcriptio, nunquàm à Prędeceſſoribus tuis ad Apoſtolicę Sedis tranſmiſſa notitiam, cui, ab initio ſui, caducę, dudùmque collapſæ, ſera nunc, & inutilia ſubiicere fulcimenta voluiſti* (c). Itàque quià nunquàm in locis, pro quibus Contradictores perorant, praxis ulla viguit, beneficia eccleſiaſtica ad ſolos originarios coarctans, & extraneos ab eorum conſecutione repellens; reſtat ut & inibi nunquam ſit creditum, quod ſint, vel fuerint in rerum naturâ ſomniata hæc Jura, divinum, naturale, & humanum, extraneis obſiſtens, & quod, quidquid ſit de locis indulto Pontificio ſuffultis; ubi hoc privilegium deeſt, beneficia ipſa non minùs extraneis, quam indigenis ſint tradenda.

(b) *Vide ſuprà to. 2. cap. 27. n. 19.*

(c) *S. Leo Pap. l. ep. ad Amalium.*

16. Reſpondetur *tertiò*, Argumentum Contradictorum nihil probare, quià ex utroque latere claudicat, vel probando nimiùm, vel probando parùm: Nàm ſi excluſio extraneorum à locis, in argumento propoſitis, innititur privilegio Apoſtolico, uti de facto inniti debet, ubi habet locum, argumentum parum probat, quià non probat, quod extranei ſint ubilibet à beneficiis ſacris arcendi, ſed ſolum in illis locis, quæ ſunt Pontificio diplomate communita: ſicque ubi diploma coęquale non exiſtit, argumenti quoque ratio non ſubſiſtit. Si verò excluſio ipſa referatur ad jus commune, argumentum nimiùm probat, quià probat, quod à beneficiis eccleſiaſticis, nedùm repellendi ſint alienigenæ, nempè illi, qui extrà Regnum, vel aliquam Regionem exorti ſunt, ſed etiam illi, qui extra Diœceſim, aut Oppidum, ſive extra locum, ubi Eccleſia ſita eſt, nati ſunt: ſive, qui illius loci Eccleſię non ſunt adſcripti. Etenim juris, ſive civilis, ſive canonici leges, quæ de extraneis à beneficiorum conſecutione abſtinendis, mentionem aliquam faciunt, omnes Clericos repellunt, qui non ſunt *ejuſdem Loci* (d), ejuſdem *Civitatis* (e), de *proprio Epiſcopatu* (f), de *illâ propriâ Diœceſi* (g), de *gremio* ipſius Eccleſiæ &c. (h), per quorum

(d) *Conc. Remenſ. an. 610. cap. ult. leg. in Eccleſiis C. de Epiſc. & Cler.*

(e) *S. Greg. l. 2. ep. 20. c. nullus invitis 13. & ibi Gloſ. V. Civitatis diſt. 61.*

(f) *Cap. te nobis 4. de Cler. peregr.*

(g) *Cap. Sacrorum 34 diſt. 63.*

(h) *Conc. Conſtantinopol. 4. c. 23. cap. Metropolitan. 19 diſt. 63.*

Digitized by Google

rum verborum tenorem excluduntur nedùm extranei, ſed etiam illi, qui in ſenſu Contradictorum ſunt indigenæ, nempè pertinentes ad eandem Provinciam, vel Regnum, ſive ditionem in temporalibus eidem ſeculari Principi ſubjectum. Et ità Contradictores proprium non hinc adipiſcuntur intentum; nàm ipſi nomine indigenarum omnes unius Regni, & Regionis incolas comprehendere intendunt, ſed jura præfata pro indigenis, nonniſi, ad eandem Eccleſiam, vel Locum, vel Civitatem, vel Eccleſię gremium pertinentes, agnoſcunt.

17. Ideò ſi argumentum quidquam valeret, probaret, quod nullus extra propriam Diœceſim poſſet eccleſiaſtica conſequi beneficia, cum tamèn Germani in totâ Germaniâ: Boemi in totâ Boemiâ: Hungari in totâ Hungariâ: Poloni in totâ Poloniâ: Luſitani in totâ Luſitaniâ: Aragonenſes in totâ Aragoniâ: Caſtellani in totâ Caſtellâ: Galli in totâ Galliâ, præbendas paſſim adipiſcantur. De ultimis ſic ait Rebuffus: *Cum Gallicus hodiè ſermo ubique intelligatur in Regno, is, qui loquitur Gallicè, dummodò aliàs ſit idoneus, beneficia in toto Regno obtinere non prohibetur* (a). Et ita ubi olim pro extraneis reputabantur illi omnes, qui non erant de gremio alicujus Eccleſiæ, noſtrâ tempeſtate, pro talibus non habentur, niſi illi, qui extra aliquod Regnum, vel dominium Principis temporalis exorti ſunt, vel abeo non ſunt naturalitatis diplomate communiti: *Decretis Cæleſtini Papę*, inquit Thomaſſinus, *Capitularibus Caroli Magni, & legibus codicis, præfici, & ordinarį cuique Eccleſiæ, non ſinebantur, niſi proprii ejus Cives, dùm in iis eſſent, qui omnes ejus officii numeros obire poſſent. Itàque longo ex intervallo ſequimur priſca illa ſtatuta, ſi non alios beneficiis abigimus, quàm qui ex ipſo Regno oriundi non ſunt, aut jura Regni, Principum diplomate ſpeciali non ſunt aſſecuti* (b). At certè hujuſmodi tantam alterationem, & novitatem in ſignificatione verbi *alienigenę*, vel *extranei*, potuit quidem auctoritas Principum temporalium, quoad res merè ſæculares, ingerere: Verùm quoad rẹs eccleſiaſticas, hęc alteratio non potuit ſinè auctoritate Eccleſiæ prodire.

18. Oſtendant ergò Contradictores, Canones eccleſiaſticos, qui generali lege declarent, quod indigenæ pro beneficiis conſequendis, ſint omnes Clerici ad idem Regnum, vel dominium temporale pertinentes, & quod extranei ſint omnes ad illud Regnum, & dominium neutiquàm attinentes; oſtendant hoc, & dabimus manus victas. At hoc non oſtendent, quià nunquam ab Eccleſiâ lex talia decernens prodivit. Et quidquid ſit, an extraneitas, & indigeneitas, quoad temporales effectus, repetenda ſit à finibus Regnorum, vel à limitibus dominiorum; profectò quoad negotium beneficiorum eccleſiaſticorum, res alitèr omninò ſè habet ex memorato Thomaſſino, ità loquente: *Si qui velint, quamprimùm Provincię aliquæ Regno, & Coronę Regum accreſcunt, & adglutinantur, jam tùm eas conſociari legibus, & privilegiis reliqui Regni totius, ii non ſatis adjeciſſe videntur animum ad ea, quæ obſervata ſunt ſuperius, & ad ipſam rerum hiſtoriam. Si enim res ità haberet, fruſtrà laboraſſet Franciſcus I. ad impetrandum indultum Britanniæ minoris, & Provinciæ: Fruſtrà Succeſſores ejus ambiiſſent ejus propagationem: fruſtrà Reges omnes hactenùs deſudaſſent ad impetrandum indultum trium Epiſcopatuum Metenſis, Virodunenſis, & Tullenſis, necnon & Elnenſis, Perpiniacenſis, aliorumque recentiùs Regno adjectorum. Superſederi potuerat, poſſetque adhùc eo labore cum ſatis eſſet, pomœria Imperii Gallicani eò protuliſſe* (c): Ex quibus vides, quod dilatatio, vel reſtrictio confinium Regni, non alterat formam ab Eccleſiâ conſtitutam quoad diſpenſationem beneficiorum, niſi accedat ſpeciale indultum Apoſtolicum, alterationem ipſam inducens.

19. Itàque rejectio extraneorum, ſi quæ legitimè ſit alicubi, vel in Germaniâ, Franciâ, Hiſpaniâ, Luſitaniâ, Poloniâ, vel in aliis Regnis, aut Provinciis, & Locis, prout ſupponunt Contradictores, & in argumento proponunt, vel conſideratur, tamquàm proveniens ex Privilegio Apoſtolico, peculiaribus illis locis, ex ſpeciali gratiâ conceſſo, & argumentum indè petitum non probat, quod extrà illa

(a) *Rebuff prax. benef. reg. 20. Canc. gloſ. 2 num. 13.*

(b) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 1. c. 103. n. 9.*

(c) *Idem Thomaſſin. ubi ſupr. p. 2. l. 1. c. 46. num. 4.*

loca, excluſio præfata ſubſiſtat, cum privilegium ſit ſtricti juris (*a*), & uti tale, non ſit extendendum de loco ad locum, neque de perſonâ ad perſonam (*b*). Quarè niſi Contradictores probent, quod etiam loca illa, pro quibus ipſi laborant, compari ſint privilegio munita, extraneos à beneficiis inibi nunquàm poterunt diſtinere: nec politicè bonum eſt ibi in hac prætenſione conſiſtere, quoniam, ut ait Alexander Papa III. *temerarium eſt, & indignum aliquem ſibi ſuâ auctoritate præſumere, quod Romana Eccleſia alicui, certâ ratione inſpectâ, ſingularibus voluit beneficiis indulgere* (*c*). Si verò conſideretur uti Juris communis diſpoſitio, innixa Privilegio Apoſtolico, & defectus eſt in interpretatione Sanctionis, cui excluſio præfata in illis locis innititur, quippè id fit, ut innuimus, ex mero privilegio Apoſtolico: Privilegium autèm ſive perſonale, ſive locale, ad jus commune trahi non debet (*d*).

(a) *Capit porrò, & ibi DD. de privil.*
(b) *Cap. mandato de præſumption. gloſ. in c. ſanè 9. V. temerarium de præſumpt.*
(c) *Capit. ſanè 9. de privil.*
(d) *Cap. Conſtitutus 11 & ibi gloſ. in caſ. de conceſ. præbend. gloſ. in d. cap. ſanè de privil.*

20. Ad hæc, ſi eadem excluſio alii Juris communis diſpoſitionibus referatur, jam diximus, quod ſubſiſtere non poteſt; quippè leges Juris communis huic negotio adaptabiles eò uſque procedunt, ut nedùm pro extraneis habeant extranationales, qui ad Regnum, ſive ditionem temporalem non pertinent, ſed etiam Nationales, qui ad eundem locum præciſum non conveniunt, ubi erectum eſt beneficium. Et ità Clericus Vienneſis non poterit in totâ Germaniâ, nec Pariſienſis in totâ Galliâ, nec Matritenſis in totâ Hiſpaniâ, nec Uliſſiponenſis in totâ Luſitaniâ, neque Cracovienſis in totâ Poloniâ, nec Neapolitanus in totâ Siciliâ citrà Pharum &c. beneficia ſuſcipere, ſed quiſque debebit in Diœceſi ſolummodò propriâ promoveri, tantâ rerum confuſione, ut nulla ea major poſſit probabilitèr reperiri, quippè & Clericorum capacitas intrà nimiùm anguſtos limites coarctabitur, & Papæ, Imperatoris, Regum, Epiſcoporum, aliorumque, ad quos ſpectat beneficia conferre, vel ad ea nominare, nimiùm poteſtas arctabitur: quandoquidèm hi omnes beneficia, à ſuâ conceſſione dependentia, licitè non poterunt niſi ſolis, & præciſis Clericis Diœceſanis loci beneficii largiri. Ad quam confuſionem, & reſtrictionem de medio tollendam, utpotè politicè, nimium noxiam, libertati eccleſiaſticæ contrariam, & praxis jam inolitæ deſtructivam, politicè convenit definire, quod Eccleſia ſit in ſuâ plenâ libertate præficiendi etiam Clericos extraneos, eccleſiaſticis beneficiis.

21. *Arguunt ſecundo loco* Contradictores hoc modo. Promotio extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia damnoſa eſt Reipublicæ, quià extranei arcana regiminis detegunt; inſidias adversùs publicam quietem moliuntur: ſeditiones concitant, atque fovent: ſicque, ut ait Schifordegherus: *ſuſpectus omnis Principi, vel Regi eſſe debet, quicumque non eſt loci indigena, ſed tantùm advena, cum exteri arcana Imperii poſſint ſollicitare, quomodò Pragmatici noſtri præcipuam hanc rationem eſſe dicunt, ne quis exterorum ad beneficia eccleſiaſtica maximè ſupremo admittatur* (*e*). Cui adnectendus eſt Azevedus dicens: *Tertia principalis ratio juſtificativa noſtræ concluſionis eſt, quià Regni, & Regis intereſt, ne arcana ejuſdem Regni, vel Regis revelentur exteris, ut dixit textus ſingularis in l. Mercatores C. de commmerc. & Mercat. ibi, ne alieni Regni, quod non convenit, ſerutentur arcana. Ideò exteros non convenit habere beneficia, ut Rebuff. ubi ſupr. & Benedictus in d. Capit. Raynutius uerb. & uxorem nom. n. 484. in parte de ſucceſſion. ab inteſtat. juxtà illud Eccl. Cum extero non facies conſilium; neſcis enim quid pariet, & habetur in d. lib. 2. Regal. Franc. jure 8. in fin. Ideò juſtè ſe opponit Rex proviſioni, quæ fieret de incolâ alterius Regni, ſecund. Gloſ. in extravag. execrabilis de præbend. Joan. 22. verſ. diverſorum Regnorum ex d. celebri Innocent. ibidem allegati, in cap. ſuper his de accuſat. ubi hoc notat Abbas n. 13. & Afflictus in præludiis ad Conſtitutiones Siciliæ, quæ. 18. n. 7. & Gloſ. in Pragmatic. Sanction. in proem. §. nàm Eccleſiarum verb. exterorum fol. 32. in parvis, & in Regalibus Franc. qu. jure 8. Selva de beneſ. 2. par. qu. fin. nu. 18. 19. & 24. Gomeſius in Reg. de idiomate qu. 1. col. 2. & 3. ex eo dicens, quod licèt ex omnibus Nationibus eligantur Cardinales, minimè tamèn*

(e) *Schifordegherus Vindic pro Epiſcopat. Sileſiæ qu. 3*

ſunt

ſunt eligendi de Alemaniâ, ne ſecreta Eccleſiæ Imperatoribus pandant, licèt ex *cap. 1. Concilii Sacri Tridentini ſeſ. 24. de reform. in fin. verbis id non diſtinguatur. Quo nomine Rex noſter poteſt, & tenetur præcavere, ne alienigenæ in hoc Regno beneficia obtineant, quia ſi ſecùs fiat, alterum ſequitur, vel quod non reſident, vel quod ſecreta Eccleſiæ, & Regni pandent. Et ſic poteſt Rex petere repelli Epiſcopum promovendum in Regno non ſibi fidelem* (*a*). Quibus ità ſe habentibus, inquiunt Contradictores, patet, quod politicè oportet, ut extranei à beneficiis eccleſiaſticis repellantur.

(a) *Azeved. leg. 14. lib 1. tit. 3. nov. recopil. num. 19.*

22. Reſpondetur *primò*, Argumentum, ut in sè ſumptum, in ipſis propriis viſceribus continere ſufficientem ſui enodationem. Nàm non de omnibus beneficiis, ſed de majoribus tantùm loqui videtur, & non generalitèr, ſed ſolum reſpectu ad perſonas, quæ in caſibus individualibus rationabilem cauſam dant; ut de illis debeat ſuſpicio haberi, ideoquè poſſit tùnc Princeps temporalis loci excipere, ne promoveantur. In quo nos cum Contradictoribus convenimus: *benè eſt* enim, inquit Vivianus, *quod qui Eccleſiis præficiendi ſunt, ſint confidentes, non inimici Principi Loci, & Civitatis, ubi reſidere debent, ut unanimes adjuvent fideles, & in pace cuſtodiant* (*b*). Concordiâ etenim etiam minimæ res creſcunt: diſcordiâ verò etiam maximæ dilabuntur: & omninò publicę felicitati neceſſarium eſt, ut Eccleſia, & Regnum ſibi mutuo præſto ſint, ſesè viciſſim adjuvent, ſesè amabilitèr complectantur, uti ſcripſit Arnulphus Lexovienſis Alexandro PP. III. (*c*). At aliud eſt excipere contrà hunc, vel illum Electum particularem, proptèr inimicitiam, vel rationabilem cauſam ſuſpicionem concipiendi de illo: aliud eſt excipere contrà omnes generalitèr Clericos extraneos, non inimicos, non probabili ratione ſuſpectos, ſed ex ſolo ideali conceptu poſſibilitatis inconfidentiæ fundatæ in remotiſſimâ cauſâ extraneitatis. Primum eſt verum, & cenſemus cum Afflicto, quod in tali caſu *Rex poſſit dicere Papæ, non accepto eum in Epiſcopum, quia habeo ipſum ſuſpectum de proditione* (*d*). Aſt ſecundum, non ſubſiſtit, quià deeſt cauſa rationabilis, probabilis, & proxima: quâ deficiente nedùm ſecundum leges Conſcientiæ non poteſt Princeps mutilare libertatem Eccleſiæ, & privare Clericum electum jure ſuo, juſtè acquiſito ad beneficium ſibi per legitimum largitorem delatum; ſed etiàm ſecundùm prudentiam politicam, tùm reſpectu ſui, oſtendens sè non ex juſtitiâ, ſed ex merâ præpotentiâ Clericis ritè electis obſiſtere; tùm reſpectu populi, demonſtrans sè ex tàm remotis ideis, ſuſpicionis non probabilis, ſed merè poſſibilis, moveri, ad impediendas promotiones hominum, nè officia adipiſcantur, à legitimis largitoribus ſibi delata. Itàque oportet, quod ſuſpicio ſit legitimis fundamentis innixa, & talis, quæ poſſit probari, vel à cunctis prò veroſimili reputetur. Et tùnc, benè ait Azorius, *poteſt Princeps contrà Electum opponere, nè confirmetur, eò quod ſit ipſi ſuſpectus: quod ſi probaverit eum ideò eſſe ſuſpectum, quod vel patriam proditurum, vel arcana Principis detecturum, vel contrà ipſum Principem conjuraturum, probabilitèr omnes credant; electio diſſolvi debet* (*e*). Quod cum ſuccedere non poſſit in cunctis Clericis generalitèr conſideratis quantumvìs extraneis; hinc eſt, quod ipſi, vi præfati argumenti, non ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi.

(b) *Vivian de Jurepatr. p. 1. l. 2. c. 9. nu. 22.*

(c) *Arnulphus Lexovienſ. epiſtol. 54. ad Alex. III. in to. 1. 2. p. 2. f. 454. Bibl. Vet. Patrum.*

(d) *Afflict. quæſt. 18. num. 7.*

(e) *Azor. inſt. mor. part. 2. l. 6. qu. 6 & quæres.*

23. Reſpondetur *ſecundò*, quod ſi Argumento, de quo agitur, ſtandum eſt, repellendi erunt nedùm viri extranei, ſed etiam indigenæ, & nativi, ac præſertim illi, qui tametſi de facto non ſemper inferant malum Reipublicæ, tamen illud aliquandò inferunt, & ex naturâ ſuâ poſſunt inferre. Sicque perpetuo exilio erunt à Regnis, & Urbibus repellendi Medici, ſive extranei, ſive indigenę, quia hi vel errando, vel delinquendo, poſſunt homines occidere, & non rarò etiam occidunt. Nicias Medicus ſe obtulit promptum Romano Populo Pyrrhum Epirotarum Regem, Romanis valdè infenſum, occidere (*f*). Sedecias Medicus Carolum Calvum Imperatorem occidit (*g*). Idem fecit Hamnon, paritèr Medicus, Bajazzeto II. Turcarum Sultano, & Hadrianus Cæſar ſuo tumulo inſcribi mandavit:

(f) *Elianus Var. hiſtor. lib. 12.*

(g) *Ritius de Reg. Franc. l. 2. Egnatius in Carol. Calvo,*

Digitized by Google

vit: turba Medicorum occidit mè. Repellendi erunt omnes Judices, etiam indigenæ, quia hi quandòque *infideles ſunt, ſocii furum, diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos (a).* Repellendi erunt omnes Cauſidici, & Curiales, etiam Nationales, quia aliquandò diſſenſiones fovent, & ad lites alios alliciunt: nec evenit raro, ut non prò veritate, ſed prò lucro cauſas inflectant. Repellendi erunt omnes Theologi, quia aliquandò opiniones laxas docendo, & ratiunculis innittendo, ſalutem animarum in diſcrimen ponunt; vel quæſtiones inutiles excitando, confuſiones, & conflictationes magnas producunt. Demùm etiam Milites, & Aulici, & Nautæ, & Agricolę, & Aromatarii, & Typographi, & alii generalitèr omnes, cujuſcumque artis profeſſores, ſive indigenę, ſive extranei repellendi erunt, quia nullus horum aliquandò non mala infert Reipublicæ, & cuncti, ſi mala non inferunt; mala tamen poſſunt inferre,

(a) Iſaiæ cap. 1. n. 23.

24. Si dicatur, quod intantùm & Medici, & Judices, & Cauſidici, & Theologi, & alii pręmemorati, nedùm permittuntur, ſed etiam foventur in Republicâ, quia ex naturâ ſuâ ordinati ſunt producere bonum: & ſi quod malum aliquandò gignunt, id prętèr intentionem evenit, ſeù prętèr finem ab eorum profeſſione intentum; nèc ideò proptèr vitium paucorum, vel damnum, raro ſuccedens, detrahi debet probitati aliorum rectè operantium, ſed ſatis eſt pœnis, & exilio adversùs noxios deſęvire, quandò, & quotiès actualitèr peccant, ut eorum ſupplicio, cœteri ab improbè ſè gerendo compeſcantur: cum aliàs, ſi non actualitèr delinquant, ſed eorum crimen intrà meræ poſſibilitatis lineas conſiſtat, non juſtè, nec prudentèr, neque politicè illis pœna poſſit inferri, nec exilium intimari; quia ſola poſſibilitas delicti nimiùm remotè damnificat Rempublicam; Si hoc, inquam, dicatur de illis; idipſum & nos proferimus de Clericis extraneis: licèt hi, ad eccleſiaſticas prębendas admiſſi, poſſint & arcana Regis detegere, & inſidias adversùs Reipublicę felicitatem inſtruere, & alia facere, quę publico bono damnoſa ſunt, hęcque etiam fortè aliqui, & alicubi fecerint; tamèn quia id quam rariſſimè ſuccedit, & iſtud periculum latiſſimos poſſibilitatis limites non excedit, nimiumque remotum eſt malum, quod inde valet in Rempublicam inſilire; prò non extanti habetur: ſatiſque eſt politicè, ut ſi qui Clerici extranei in his delinquant, carcere, exilio, vel aliâ condignâ pœnâ plectantur: non tamen ideò repellendi ſunt indiſtinctè omnes Clerici extranei, probi, periti, modeſti, fideles Principi; populis, quos regunt proficui, rectè ſuum munus adimplentes, & qui meliùs fortè quàm Nationales, Eccleſias regunt, oveſque ſibi creditas paſcunt.

25. Reſpondetur *tertiò*, quod ſi argumentum præfatum debet viribus prævalere, non ſoli Clerici extranei arcendi erunt ab eccleſiaſticis beneficiis, ſed à pari arcendi erunt etiam Mercatores extranei à mercimoniis exercendis: Milites extranei à caſtris militaribus ſequendis: Artifices extranei ab artibus obeundis. Quinimò & ipſi Itinerantes extranei à peragrandis Regnis, & Regionibus; quippè omnes hi, vel commorando in alienis ditionibus, vel per eas incedendo, & Urbium fortitudinem obſervare poſſunt, & fortalitiorum ſchemata delineare, & divitias, & genium populorum indagare, & viarum commoditates trutinari, & marium, & fluminum, & aquarum profunditatem perſcrutari, & ſcripturas ſeditioſas divulgare, & conſilia rebellionis infundere, & incendia excitare, & venenis cibaria, & peſtilenti infectione aerem inquinare, ac alia ſimilia in præjudicium Principis localis, ac publicę felicitatis audere, non minus quàm facere valeant Clerici extranei. Parium autèm ſicut eadem eſt natura (*b*), ſic æqualis eſſe debet juris diſpoſitio (*c*). Et tamèn nullum politicum Regimen, nullus Princeps repellit generali lege à ſuâ ditione omnes Mercatores extraneos, cunctoſque Milites extraneos, univerſos Artifices extraneos, quoslibet Itinerantes extraneos, ſed ſolummodò in caſibus particularibus, ſi quis ex his delinquit contrà honeſtam ſta-

(b) *Leg. ſi ſocer. in fin. ff. ſoluto matrimon.*
(c) *Cap. inter corporalia cap. ſicut ergò de translat. Epiſc.*

tus

tus rationem, condignâ pœnâ mulctatur, relictis intactis aliis, qui in publicam felicitatem non peccant, quia præfata pericula non niſi remota ſunt, rarò accidunt, nec à cunctis extraneis, ſed à pauculis, qui ut plurimùm ſuæ temeritatis citò dant pœnam vel laqueo, vel ſecuri.

26. Cæterùm exploratorum genus, tàm neceſſarium eſt in Republicâ, ut ubi hi deſunt, regimen ſit infelix: nec Princeps de illis è proprio Statu abigendis politicè, vel ſaltèm publicè, debet agere: quia ſi ipſe alienos expellit, alieni quoque ſuos eiicient, & ità ſi fortè ſua conſilia ad alienos non pervenient, aliena quoque ad ſe non penetrabunt, majori detrimento, quàm lucro. Prudentium ergò Principum, & in politicis rebus optimè peritorum eſt Mercatoribus, Artificibus, Itinerantibus, & generalitèr quibuslibet extraneis patentem in ſuo ſtatu ſinere ingreſſum, ſed propria conſilia nulli communicare, ac ſatagere, nè exploratoribus veritas innoteſcat: Si verò aliqui ex his in materiâ ſtatus delinquunt, eos promeritis ſuppliciis urgere. Et interìm ipſe quoque in alienis ſtatibus exploratores cautos immittere, qui conſilia aliorum detegant, & ſibi referant. Nunquàm à perito Principe meliùs aurum impendi affirmabat Ferdinandus de Avalos, notiſſimus Dux, & bellator, quam in perſcrutatorum ſtipendiis, qui pacis, & belli tempore aliorum Principum & facta, & dicta denuntient (*a*). *Nec enim alitèr ego dixero*, inquit Polybius, *quàm ſi quis cenſet aliud magis proprium eſſe boni Ducis officium, quàm hoſtium Imperatoris ingenium, naturamque noſſe, errare eum, imò inſanire* (*b*). Incomparabilis Ducis nomen promeruit Magnus Conſalvus Cordubenſis, qui ſub Ferdinando V. Catholico rebus militaribus Hiſpaniæ præfuit, magnus non tàm conſilio, & magnanimitate, quàm ſedulitate indagandi ſecretiora rerum hoſtilium: Ad quas funditùs penetrandas, aliquandò in exploratoribus ſeptingenta circitèr millia aureorum inſumpſit (*c*). Laudi datur Attilæ Hunnorum Regi, quod hùc illùc multos exploratores haberet, per quos interna hoſtium calidiſſimè penetraret (*d*). Celebrat Livius Hannibalem, quod *omnia ei hoſtium haùd ſecùs, quam ſua nota erant* (*e*). Sub Manuele Comneno Græcorum Imperatore, nulla fuit Italiæ Urbs, in quâ non ipſe haberet indagatores omnium, quę in ſecretioribus conclavibus agebantur (*f*). Ità de aliis cautis, prudentibus, & politicis Principibus dicas.

27. Exploratores ergò hos, & explorationes oportet eſſe in Republicâ, quia oportet, quod Principes aliena perſcrutentur, ad propriam, & ſui Statu utilitatem, nec ea ſine exploratoribus penetrare valent; niſi ex ſeipſis mentito amictu alienas Urbes, & Provincias circumluſtrent, quemadmodùm aliquandò feciſſe Matthiam Corvinum Hungariæ Regem (*g*), magnum Saladinum Saracenorum Dynaſtam (*h*), & alios Principes, atque Duces; quorum tamen neſcias an temeritatem, an fortunam magis demireris, ſi ad Regiones hoſtiles sè contulerunt. Obſervatum eſt autem in praxi hujuſmodi explorationes, & inſidias, de quibus in argumento, vel nunquàm, vel pluſquàm rarò à Viris eccleſiaſticis proficiſci: & de facto ab eis veroſimilitèr provenire non poſſunt, quia vel Clerici ſunt beneficio reſidentiali inſigniti, & amor manſionis, atque uxoris ſpiritualis, ſibi à Deo, in beneficio ipſo collatę, eos facit conſiderare tamquàm propriam patriam locum illum, in quo obtinent beneficium, & ſic alieno ſunt animo ab inſidiis inibi parandis, ab explorationibus tranſmittendis, & ad ſimilia contrà bonum publicum periculosè aggredienda, & multò minùs complenda. Si verò Clerici beneficium ſimplex nacti fuerint, talia ad effectum perducere non valent, eò quod non ibidem perſonalitèr commorantur. Ordinariè ergò mala iſta procedunt ab Itinerantibus, ab Artificibus, à Mercatoribus, vel à ſimilibus hominibus extraneis, aut ſimilia mentientibus, qui ſub obtentu mercaturæ artis, itineris &c. arcana regiminis detegunt, inſidias adversùs publicum bonum moliuntur &c. Procedunt etiam, & non rarò, ab ipſorum Principum intimioribus Aulicis, & Miniſtris politicis, ac familiaribus, qui auro externi alicujus Principis capti, ſecretiora quæque ſtatus pandunt,

(a) *Jovius in Piſcario lib. 6.*

(b) *Polybius hiſtor. lib. 3.*

(c) *Paulus Jovius in Conſalvo.*

(d) *Bonfinius lib. 5. decad. 1.*

(e) *Titus Livius lib. 22.*

(f) *Nicetas lib. 7.*

(g) *Bonfinius lib. 8. decaſ. 4.*

(h) *Jo. Bapt. Egnatius lib. 9. c. 8.*

dunt, conſilia detegunt, arcana magis recondita patefaciunt, ſic ut D. Leone teſte cuilibet Principi, & Principatui ſit plus periculi ab inſidiatore occulto, quàm ab hoſte manifeſto. Priùs ergò debebunt Mercatores, & alii præfati extranei ab Urbibus, & Regnis depelli: Priùs debebunt Aulici, & Familiares, atque Miniſtri Principum ab eorum Statibus longiùs ablegari, quam Clerici extranei à beneficiis, quia pluseſt periculi ab illis, quàm ab iſtis. Et tamen nullum regimen politicum arcet Mercatores, Aulicos, Miniſtros, alioſque prefatos, generali lege, ſed ſolùm plectit eos, quandò in caſibus particularibus delinquunt, quia aliàs dicta pericula, quantum ex ſè, & ex naturâ rei nimium ſunt remota: ergò multò minùs repelli debent generali prohibitione à beneficiis Clerici extranei, quia eadem pericula ſunt in iſtis valdè magìs remota, ſufficietque ut ſi in hoc aliqui particularitèr peccent, condebitis coercitionibus urgeantur. Poſſibilitas ergò periculi in argumento enuntiati, non eſt tanti momenti, ut prò ratione ſufficiat excludendi Clericos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis.

28. Reſpondetur *quartò*, Auctoritates in Argumento allatas ſi quid probant, probare nedùm contrà Clericos extraneos, ſed etiam contrà indigenas: nec probare excluſionem generalem omnium Clericorum extraneorum, vel indigenarum, ſed particularem, in illis tantùm caſibus faciendam, in quibus probabilis, & veroſimilis ratio eſt reputandi, quod adſint pericula illa in argumento propoſita. Profectò ſi res ponatur in hiſce circumſtantiis, Princeps excipere poterit contrà electum, & procurare, *ne ſub religionis prætextu Reſpublica detrimentum aliquod patiatur* (a): tùm quia, uti benè ponderat Gonzalez, in tali caſu excluſio niti videtur approbatione Sedis Apoſtolicæ (b): tùm quia, ut ait Ramos in ſupplici libello ad Alexandrum Papam VII. *Regium hoc jus, ſive prærogativa, non admittendi Epiſcopos, Regi, aut Regno ſuſpectos, utcùmque electos, inſtitutoſque ab Apoſtolicâ Sede, nititur in primis naturali, & politicâ ratione, & jure tuitionis publici ſtatus, quietis, ſalutis, quam tueri nulli magìs quam Principi convenire, nec alium ei rei ſufficere ſcripſit Paul. in l.3.ff.de off. Præfec. Vigilum, & nè ſuſpecto Epiſcopo admiſſo, ſtatus Civitatis vocetur in dubium, ut de Pontificiâ electione dixit olim Baſilius Præfectus Pretorio, cujus relata verba in Synodo Romanâ 4. ſub Symmacho cap.1.tom.2.Conc.edition. Severin. par.1. & apud Gratianum in cap. bene 1.verſ.quamquàm 96.diſt.* (c). Sed hæc ratio nihil proficit cauſæ Contradictorum, quia per ipſam non percutiuntur Clerici quà unius, vel alterius nationis, ſed quà ſuſpecti, & ideò ſive ſint indigenæ, ſive extranei, ſi vigeat in eis probabilis ratio ſuſpicionis, adversùs illos excipi poteſt, nè promoveantur, ſed non indè benè poteſt inferri, ergò Clerici extranei ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi.

(a) *Lavorius de elect. canon. tit 4 c.4.n.57.*
(b) *Gonzal. in cap. petitio de jurejur.*
(c) *Ramos in ſuppl. libel. ad Alex. VII. propoſ.2.n.9.*

29. Cœterùm extrà caſum probabilis ſuſpicionis, excluſio extraneorum non habet locum, niſi pro Regnis, & Provinciis, quæ privilegio Apoſtolico excluſivo eorundem extraneorum, ſtipatę ſunt: Et tunc excluſio, non in Clericatum, neque in extraneitatem, præcisè uti talem, refunditur, ſed in illam, uti à privilegio particulari percuſſam. Extrà locum poſteà privilegio ſuffultum, excluſio Clerici ſuſpecti à beneficiis eccleſiaſticis, non ſubſiſtit, niſi pro tempore, quo ſuſpicio ipſa veriſimilitèr viget, ac probabilitèr adhùc durat, nàm poſtquàm periculum jàm ceſſavit, ac ſuſpicio rationabilitèr deſiit, excluſio quoque Clerici extranei totalitèr evaneſcit. Exemplificatur hoc in Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ, de quibus Azevedus in argumento allegatus (d), & meliùs D. Antoninus affirmat: *Nèc ulla patria excluditur, ex quâ ad Cardinalatum aliquis non poſſit vocari. Sed quia de Alemaniâ conſuetum eſt, ut eligatur Imperator, qui eſt Miniſter Eccleſię, nè ſecreta Eccleſiæ ſuis Miniſtris pandantur, ne quos oportet eſſe ſubjectos, habeat Eccleſia ex ſuâ patriâ, vel generatione Dominos, & Judices deferentes, ideò non conſuevit Eccleſia de Alemaniâ Cardinales vocare* (e). Porrò diſcriminoſæ diſcordiæ, quæ olim vigebant inter Romanos Pontifices, & Germanicos Imperatores,

(d) *Azeved l.34.lib. 1.tit.3.nov.recopil.nu. 39.*
(e) *S. Antonin ſum. p.3 tit.21 4.1.§ 2.*

facie-

faciebant, ut ex politicâ ratione ad Cardinalatus beneficium nullus Clericus Alemanicus perveniret. At pace intèr utramque dignitatem redintegratâ, & periculis eliminatis, quæ tùnc vigebant, optimè nunc Cardinales Alemanici promoventur, & id oculis noſtris fieri pluriès vidimus, & ſucceſſivè fiet. Quarè? Quià ceſſavit cauſa ſuſpicionis. Igitùr, à pari, tametſi extrà loca, privilegio excluſivo extraneorum ſuffulta, Clerici extranei, qui verè ſunt Domino temporali rationabili probabilitate ſuſpecti, poſſint à beneficiis ſacris excludi, tamen quotiès ſuſpicio deſiit, & periculum non ſubſiſtit; excluſio quoque, ob defectum cauſę, non afficit, nec libertas Eccleſię indè quidquam præjudicii perſentit. Et en jam totalitèr exinanitum argumentum, politicè ex hac ratione nobis oppoſitum; quo jam penitùs reſoluto, nihil aliud reſtat, niſi demùm de more noſtro concludere, quod integra ſubſiſtit, & inconcuſſa permanet libertas Eccleſiæ pręficiendi etiam Clericos extraneos eccleſiaſticis beneficiis.

30. *Arguunt tertio loco* Contradictores ex ingenti obſiſtentiâ Nationum Catholicarum, reluctantium ne beneficia extraneis conferantur. Anno 1226. petente per ſuos Legatos Honorio Papâ III. ab Anglis, ut ſibi liceret duas in quibuſlibet Eccleſiis præbendas, pro ſuo libito, & voluntate conferre; Clerus, Optimates, ac Rex ei conſtantiſſimè reſtiterunt. Rem narrat ex Matthęo Vveſtmonaſterienſe Renatus Choppinus, hoc modo: *Regii Britanniæ Inſulę Procuratores olim Pontificiis Legatis reſponderunt, à triplici Angliæ Ordine petentibus duas Sanctę Dei prębendas attribui, in Templo quovis Epiſcopali, & duas ſimul in quolibet Cœnobio Monachi portiones; fuiſſe ſcilicèt Regiâ, Procerumque beneficientiâ extructas Anglię ſacras Ædes, ac dotatas, ideòque prefatę fundationis munera non eſſe in alios, aliorumque uſus detorquenda. Hinc gravè ibidem ſancitum edictum in Anglicos Epiſcopos, qui Regię clientelę fundis potiebantur, ne profana hæc beneficiarii juris prędia Romanę obſtringerent Eccleſiæ, undè Reges clientelari obſequio fraudarentur. Itàque Summus Pontifex repulſam tulit &c.* (*a*). Idipſum & Galli fecere, ipſi Pontifici, duas Præbendas prout ſuprà petitas, denegando, qua dè rè in Concilio Bituricenſi anni 1225. actum eſt (*b*). Itàque ex utriuſque hujuſce nationis obſiſtentiâ convincitur, inquiunt Contradictores, quod politicè admittendum non eſt, ut beneficia eccleſiaſtica Clericis extraneis conferantur, ſed operę pretium eſſe, ut ſolis indigenis diſpenſentur.

(a) *Choppin. de ſacr. polit. l. 1. c. 3. n. 12.*

(b) *Conc Bituricenſ. ann. 1225. Matth. Pariſius eod. anno.*

31. Reſpondetur *primò* negando ſeriem facti, prout à Choppino recantatur, ex Matthæo Vveſtmonaſterienſe, & retorquendo argumentum. Veritas etenim ſucceſſus alitèr ſe habet; nempè hoc, qui ſequitur, modo. Stephanus Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Regni Anglię Primas anno 1226. apud Vveſtmonaſterium Epiſcopos congregavit, alioſque, quos in negotio pertractando intereſſe habere putavit: Adfuit Conſeſſui, ſivè Concilio, etiam Rex Henricus III. Sceptrum Anglicanum tùnc tenens, coràm quibus Stephanus recitari fecit literas Pontificias Honorii, poſtulantis, ut ex ſingulis Eccleſiis Cathedralibus, & Abbatialibus duę præbendæ ſegregarentur, Curiæ Romanæ per Pontificem applicandę. Quibus auditis Rex, & Pręſules, & Optimates, ſumpto ſpatio ad deliberandum, ſeorſim unà convenere, deque reſponſo petitioni dando, inſimùl habito maturo tractatu, tandèm Rex modeſtiſſimè Archiepiſcopo Cantuarienſi, negotium proponenti reſpondit: *Iſta, quæ ſuadet nobis Dominus Papa univerſam Chriſtianitatis latitudinem reſpiciunt: Et quià nos, quaſi in extremis Orbis conſtituti ſumus partibus, cum viderimus qualitèr cætera Regna ergà tales sè habuerint exactiones, Dominus Papa, cum ab aliis Regnis habuerimus exemplum, in obſequiis nos inveniet promptiores: Et his dictis conceſſa eſt omnibus licentia redeundi. Matthęus Paris in Henrico III. rem alitèr narrat cum aliquâ ſannâ, prò more ſuo, in Eccleſiam Romanam* (*c*).

(c) *Ludov Bail. ſum. Conc. tom. 2. in Conc. Vveſtmon. an. 1226. & tunc.*

32. Quod Gallos quoque res ità ſe habuit. Romanus Cardinalis S. Angeli Legatus ab Honorio Papa III. eſt ad Galliarum partes directus (*d*), qui convoca-

(d) *Odoric. Raynald. ann. 1225. n. 24.*

tis

Digitized by Google

tis ad Bituricenſem Civitatem, Rege, & Epiſcopis novem Provinciarum, centum circitèr numero, illis propoſuit literas, & cauſam ſuæ Legationis, & poſt altercatum intèr Simonem Monfortium, & Raymundum Comitem Toloſanum, ſuper terris, quibus Toloſanus fuerat ob hæreſim Albigenſium à Concilio Generali privatus; Romanus expetivit in ſingulis Galliæ Cathedralibus duas præbendas à Summo Pontifice poſtulatas, Romanę Curiæ applicandas; quibus auditis, Procuratores Capitulorum, qui Synodo intererant, erecto contradictionis vexillo petitioni Apoſtolicæ conſtantiſſimè reſtiterunt (a): & ſic ſunt Legatum Pontificium allocuti: *Rogamus in Domino, nè iſtud ſcandalum oriatur per vos in Eccleſiâ Gallicanâ, ſcientes quod ſinè maximo ſcandalo, & ineſtimabili damno, non poſſet hoc ad effectum perduci. Quià eſtò quod aliqui aſſentiret, nullus eſſet ejus aſſenſus in rebus, quę omnes tangunt, cum ferè omnes majores, & generalitèr omnes ſubditi, nec non & ipſe Rex, & omnes Principes, parati ſint contradicere, & reſiſtere uſque ad capitis expoſitionem, & omnis honoris privationem: præſertìm cum videatur imminere proptèr hoc ſcandalum, ſubverſio Regni, & Eccleſię generalis* (b). Hùc uſquè reluctantia Procuratorum, qui Concilio Bituricenſi prò Capitulis aſſiſtebant. Nùnc audiamus rationem, proptèr quam ad hæc moti ſunt: *Ratio autem noſtri timoris*, inquiunt apud Matthęum Pariſium, *eſt quod cum cæteris Regnis non habuiſtis rationem, & quibuſdam Epiſcopis præcepiſtis, & Abbatibus, ut cum præbendæ vacaverint, ad opus Domini Papæ reſervent* (c).

(a) *Bail. loco cit. in Conc. Bituric. an. 1225.*
(b) *Matthæus Pariſ. in Henric. III.*
(c) *Idem Matth. Pariſ. loc. cit.*

33. Igitur quià in quolibet ſucceſſu non factum, ſed ratio facti eſt attendenda (d), Si ratio reſiſtentię præfatę perpendatur, argumentum regurgitat adversùs Contradictores. Nàm Rex Henricus III. Angliæ, cum Clero, & Optimatibus ſuæ Nationis, non negavit Pontifici duas præbendas, prout ſuperiùs poſtulatas, ſed ſolùm abnuit eſſe primus, qui in ſuo Regno hanc novitatem, nullibi ampliùs introductam, admitteret, profeſſus alioquin, quod ſi cæteræ Nationes id facerent, anglicana quoque illarum exemplum ſecuta fuiſſet. Paritèr Philippus Galliæ Rex cum Clero ſuę Regionis, non abnuerunt præbendas petitas Honorio Pontifici dilargiri, ſed caverunt, nè Legatus id ad effectum primò in Galliâ perduceret, donèc de tanto negotio, ex quo magna ſcandala poterant excitari, haberetur congrua ratio cum aliis Regnis, atque Nationibus. Et hæc quidèm fuit etiam intentio ipſius Legati, qui ſè faſſus eſt non niſi ſub hac conditione præbendas Pontificio nomine poſtulaſſe, ſi etiam aliæ Nationes, & Regna in eundem ſenſum libenti animo convenirent: *quidquid præcepit*, ait Pariſus, *tali conditione, licèt tacitâ, intellexiſſe, ſi Imperium, & alia Regna conſentirent* (e). Igitur nec Gallica, nec Anglicana Natio præbendas Summo Pontifici denegarunt abſolutè, ſed reſpectivè ad id, quod facerent cœteræ Nationes: Indèque ad ità ſe gerendum inductę ſunt, quià juſtitiæ diſtributivæ conſonum non eſt viſum, ut ipſi hoc onere premerentur, niſi & aliæ quoque Nationes illud ſubirent. Si itàque aliæ Nationes idipſum egiſſent, tàm Galli, quàm Angli præbendas petitas contuliſſent. Non ergò exiſtimaſſent politico regimini obſiſtere, quod beneficia eccleſiaſtica ad manus Summi Pontificis pervenirent, Clericis extraneis conferenda, ſed quod id fieret ſolummodò in Angliâ, & in Galliâ, non verò quoàd alias Nationes, & ità argumentum in ſuo vero proſpectu poſitum, nedùm non probat excluſionem, ſed imò potiùs admiſſionem probat Clericorum extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia.

(d) *Leg. cum pater. §. dulciſſimis ff. de Legat. 2.*
(e) *Matth. Pariſius ubi ſupr.*

34. Reſpondetur *ſecundò* Argumentum nihil probare: quià extrà orbitam quæſtionis, de quâ agitur, ſagittam immittit. Nàm nos loquimur de locis privilegio excluſivo extraneorum carentibus. Anglia verò (f), atque Gallia (g), hoc privilegio præditę erant, ut ipſi ſupponunt Contradictores, & ideò bene abnuerunt aſſenſum præbere abſciſſioni duarum Præbendarum, quas intendebat Pontifex à cunctis Galliæ, & Anglię Eccleſiis ſeparare, & uſui Clericorum Romanæ Curiæ applicare: Quià cum utraque Natio diplomate ſuffulta eſſet, repellente extraneos ab eorum præbendis; juſtum non erat, quod tale, ac tantum indultum, tàm

(f) *Alteſer. in c. bonæ 4. de poſtul. prelat.*
(g) *Rebuff prax. benef. in reg. 20. gloſ. 2. num. 10.*

Digitized by Google

tàm difformitèr vulneraretur, ut duos extraneos in ſingulis Eccleſiis admitteret, & præbendas ipſas uſui, non temporaneo, ſed perpetuo Clericorum extranationalium ſubjugaret. Nèc omittimus adnotare, quod verba Choppini, ſivè Vveſtmonaſterienſis, vocantia poſtulatas prębendas, *Regiâ, Procerumque beneficentiâ extructas ædes, vel profanę fundationis munera, vel Regiæ clientelę, profana beneficiarii juris prædia*, & talia quæ ſi, uti petebantur, Papæ concederentur, *Reges cliantelari obſequio fraudarentur* (*a*), dant intelligere, quod prębendæ illæ, vel eſſent Juriſpatronatus laicalis: vel haberent adjunctas juriſdictiones temporales, aut alias appendices, à Rege immediatè dependentes: vel eſſent præbendę laicales, & profanæ. Non dubitamus etenìm quin fuerint olim, & ſint adhùc hodie præbendæ profanę, & cappellaniæ merè laicales, ad uſumfructum Clericis diſtributæ, & ad dominos laicos totalitèr pertinentes, abſquè eo quod nec Epiſcopus, neque Papa de illarum debeant ſe collatione miſcere (*b*). Quaſdam hujuſmodi qualitatis memorat Carolus Molinæus, ſed incauto, & lutulento ſermone (*c*). Unum eſt, quod tales præbendæ tunc temporis dabantur; Et vel eſſent hujuſce naturæ, vel Patronatus laicalis, vel adnexas habentes juriſdictiones, & dependentias regales, illæ præbendæ, quas Honorius Pontifex poſtulabat, nil mirùm ſi ei in hoc fuit obſtitum. Sed hinc nihil infertur adversùs nos, qui non de præbendis profanis diſputamus, neque Patronatus laicales, ac Regios attingimus, ſed beneficia libera, & ut ſic, præſcindendo ab hiſce qualitatibus, & dependentiis.

35. Reſpondetur *tertiò* negando ſuppoſitum, nempè quod ideò duæ illę prębendæ à Summo Pontifice in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus, & Abbatialibus Galliæ, atque Angliæ poſtulatæ, illi fuerint denegatæ, ut non poſſent Clericis extraneis præberi: Non enim proptèr hoc negatæ fuerunt, nec ullum veſtigium apparet hujuſmodi cauſalitatis, cum poſſet illas Papa conferre Gallis, & reſpectivè Anglis in Romanâ Curiâ verſantibus, vel intrà propriam eorum patriam commorantibus: Sed potiùs idcircò videtur obviatum fuiſſe voluntati Pontificis, quià, & uterque Rex, & eorum Antiſtites, atque Optimates metuerent, nè fortè prębendæ illæ, talitèr Romanæ Curiæ uſibus applicarentur, ut ſuppreſſo earum titulo, reditus, quibus erant dotatæ ad Fiſcum Apoſtolicum, vel ad alios Romanę Eccleſiæ Miniſtros in perpetuum pervenirent, ſinè ſpe, quod illas ampliùs poſſent Clerici Nationales adipiſci. Hoc indicat notabile illud motivum, reluctantiæ verbis inſertum, quod præbendæ ipſæ non erant ad alios uſus, quàm ad præſcriptos à fundatore detorquendę (*d*). Undè benè videtur poſſe deduci, quod ſi qui tùnc reſiſtebant, potuiſſent veroſimilitèr cogitare, quod Papa non fuiſſet ſuppreſſurus titulum præbendarum, vel alitèr alteraturus earum qualitatem, ſed eas fuiſſet viris benemeritis collaturus, modò Nationalibus, & modò extraneis, fuiſſetque tandèm applicaturus ipſas præbendas juxtà Fundatorum intentionem; nec Rex, nec Proceres, nec Epiſcopi eidem obſtitiſſent; ſed prompto animo ſuum aſſenſum voluntati Pontificię contuliſſent, ut prębendas petitas Clericis ſibi magis gratis, vel magis de ſe benemerentibus impertiret.

36. Nèc res alitèr ſe poſſe habere videtur, ſi fiat attentio ad parvum numerum præbendarum, quas hoc modo ſibi optabat Honorius Pontifex reſervare, dùm exindè Romani Præſules earum longè majorem numerum ſuæ diſpoſitioni reſervarunt. Nèc eſt probabile Gallos, & Anglos voluiſſe Apoſtolicæ Sedi contendere jus conferendi prò ſuo libito duas præbendas in ſingulis Eccleſiis, quandò ſucceſſivis temporibus, prò ſuo arbitrio diſtribuit, Epiſcopatus, & majores dignitates, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis, ut eſt omnibus manifeſtum. Accedit ad hæc, quod quantùm ad Reges Gallię, Bonifacius Papa VIII. Philippo IV. Pulchro indultum largitus eſt, vi cujus poſſet unam præbendam in quâlibet Eccleſiâ ſui Regni conferre (*e*). Clemens VII. Antipapa Carolo VI. Regi conceſſit, ut duo beneficia in cunctis paritèr ſui Regni Eccleſiis conferret (*f*). Longè antè Eugenius Papa III. privilegium Ludovico VII. largitus eſt, ut in quâlibet Eccleſiâ ſui Regni

(a) *Choppin. de ſacra politia l.1.c.3.n.12*

(b) *Perez. de Lara de Capellaniis l.2.c.1. num 34.40.48 49.*

(c) *Molinęus de infirmis reſignan. n.416. 417.*

(d) *Choppinus loc. citat.*

(e) *Hiſtor. Univerſit. Pariſ. to.4 f.18 & 32.*

(f) *Thomaſſin. vet. & nova Eccl. diſcipl. p.2.l.1.c.54.n.9.& 12.*

Regni primò vacaturam præbendam, Clericis ſibi benè viſis concederet (*a*). Et alius Pontifex idem diploma prò aliis beneficiis conferendis S. Ludovico IX. eſt largitus (*b*). Quantùm etiam ad Reges Angliæ Henricus V. Romano Pontifici omnium beneficiorum ſui Regni diſpoſitionem remittere deſtinavit; quod cum morte pręventus, ad effectum perducere non potuiſſet, Eugenius Papa IV. Henricum VI. ejus filium, ut propoſitum Patris fidelitèr exequeretur, commonuit (*c*). Quæ cum ità ſint, probabile non eſt, quod fuerit denegata Papæ facultas diſponendi de duabus prębendis, prout ſuprà poſtulatis, ſi vel ipſe talem facultatem Regibus largiebatur: vel Reges ei libertatem de omnibus diſponendi remittere deſignarunt. Itàque propulſata non fuit à Gallis, & Anglis facultas, quâ uti volebat Honorius III. ſuper duabus dictis præbendis, eo quod neutra Natio pati vellet, ut beneficia extraneis conferrentur, ſed proptèr alias rationes in tribus hiſce reſponſionibus aſſignatas. Et ità argumentum politicè non concludit Contradictorum intentum, ſed potiùs ex mente utriuſque Nationis offerentis ſe promptam votis Romani Papę adhęrere, quoties identidem fieret ab aliis quoque Nationibus, probatur libertas Eccleſiæ diſponendi de beneficiis etiam favore Clericorum extraneorum. Alia de hâc rè diximus in primo Tomo (*d*), illùc benignum Lectorem remittimus.

37. *Arguunt quarto loco* Contradictores ex multis malis, quæ profluere autumant à collatione beneficiorum extraneis factâ, quorum malorum cum bonum ſit ab Eccleſiâ Dei originem tolli; ſequitur quod politicè præſtet beneficia ipſa non extraneis, ſed ſolis indigenis conferre. *Sanè quoàd Imperium*, inquiunt, mala ipſa ſic enantiat formula, quâ Miſſis Ludovici I. Imperatoris, electioni Epiſcoporum aſſiſtentibus, juſſum eſt Clerum, & Populum intèr cætera commonere: *Sæpè inter eum, qui de alienâ Eccleſiâ fuerit Pontifex factus, & inter gregem ſibi commiſſam ſcandala, & contentiones oriuntur, & peccatis facientibus fit lupus, qui debebat eſſe Paſtor, & ſemper inter eos, ut ait Apoſtolus, foris pugnæ, intus timores* (*e*). Quoàd *Regnum Galliæ* mala uti ſuprà provenientia enumerat Philippus IV. Rex, ejuſque Proceres, ſic clamantes: *Et ainſi le Egliſes ſont defraudees de leur ſerviee, & les volontez de ceux, qui les egliſes fondeent, ſont aniancies, par quoi aumoſnes ſon laiſſiees pitiè arriere miſe e le bien faits ſubtraicts, qui aux Egliſes ſoulojent eſtre faits, le Egliſes en ſont ſi abbaiſſiees, & deſebeves, che à peine en ya ebe nult qui le deſſervent, ni li Prælats ne poens donner leurs benefices, aux nobles Cleres, & aux autres biens nez, & bien lettrès de leurs Dioceſes, de qui Anteceſſeurs les dittes Egliſes ſont fondees*. Quæ fuſiùs Carolus VII. in Pragmaticâ Sanctione promulgavit (*f*). Quoàd *Regnum Caſtellæ*, Henricus III. Rex in Comitiis ſui Regni ea tetigit clamore eorum, quę ſequuntur verborum: *los Sanctos Padres, que ordenaron las coſas con razon, y ſunctitad antiquamente eſtableeieron, que en las dignidades, y beneficios de la Sancta Yglesia fueſſen pueſtos los naturales de las Tierras, y de las sales dignidades, y beneficios, y que anſi fueſſen ballatos pertenecientes. Porque por los sales ſe ſirvirian, y honrarian, y defenderian mas las Yglesias, y sè acreſentaria mas la Devocion del pueblo Chriſtiano. Porquanto es de preſumir que cadauno ama el bien, y honra, y trae proveeho a la Tierra, donde es natural* (*g*).

38. Quoàd *Regnum Angliæ*, dicunt, quod mala ipſa verbis dolentibus intonarunt Anglicani in epiſtolâ ad Innocentium Papam IV. dùm Lugdunenſe Concilium I. haberet (*h*): Et Eduardus III. Rex Angliæ in epiſtolâ ad Clementem VI. apud Thomam Vvalſingamum, ubi penè eiſdem verbis, quæ in Pragmaticâ Sanctione Caroli VII. Gallorum Regis leguntur, hæc habet: *Dolendum eſt, quod ipſius vineæ propagines degenerarunt in labruſcas, & exterminant eam apri de ſylvâ, ſingulareſque feræ depaſcunt eam, dùm per impoſitiones, & proviſiones Sedis Apoſtolicæ, quę ſolito graviùs invaleſcunt, ipſius peculium contrà piam voluntatem, & ordinationem donatorum, manus occupant indignorum, & præſertìm*

exte-

(a) *Gallia Vindicat. diſſert. 1. §. 2. f. 40.*

(b) *Thomaſſin. & Gallia Vindicat. loco citat.*

(c) *Oderic. Raynald. an. 1434. n. 16.*

(d) *Vide ſupr. tom. 1. Secul. 13. cap. 36. à num. 13.*

(e) *Formul. 6. in med. ap. Sirmond. to. 2. Conc. Gall. f. 641.*

(f) *Pragmat. Sanctio Caroli VII. in prin.*

(g) *Lib. 19. Ordinam. et lege Hiſpan.*

(h) *Vid. tom. 11. Conc. p. 1. f. 664.*

Exterorum, & ejus dignitates, & beneficia conferuntur perſonis alienigenis, plerumque nobis ſuſpectis, qui non reſidens in dictis beneficiis, & vultus commiſſorum eis pecorum non agnoſcunt, linguam non intelligunt, ſed animarum curâ neglectâ, velut mercenarii ſulummodò temporalia lucra quærunt, & ſic diminuitur Chriſti cultus, animarum cura negligitur, ſubtrahitur hoſpitalitas, Eccleſiarum jura depereunt, ruunt edificia Clericorum, attenuatur devotio Populi, Clerici dicti Regni, viri magnæ literaturæ, & converſationis honeſtæ, qui curam, & regimen poſſent ibi ſalubritèr peragere, & forent prò noſtris, & publicis conſiliis opportuni, ſtudium deſerunt proptèr promotionis congruę ſpem ablatam(a). Igitur cum toti Chriſtianitati tot, & tanta mala, atque incommoda ex collatione beneficiorum extraneis factâ, proveniant, dicendum eſt, quod juxtà regulas melioris politicæ, beneficia eccleſiaſtica ſunt ſolis indigenis conferenda, Clericis extraneis indè longiùs ablegatis.

39. Reſpondetur *primò*, quod hujuſmodi motivis jam ſuprà ſatis in probationibus eſt reſponſum, quæ cum ibi fuerint exinanita, & viribus penitùs vacuata, neceſſarium non eſſet eis novas addere reſponſiones (*b*). Veruntamèn ne materia deeſſe, & infecundum à nobis agitari calamum videatur; dicimus quod mala in argumento propoſita, magis exaggerantur, quàm rè verâ unquàm fuerint à parte rei. Et quatenùs etiam tunc dè factò ſuccederent, quando inculcabantur; nunc tamèn poſt plurima ſæcula, ex quo evenerunt, non ſunt, neque ſuccedunt, quia ex tunc fuit eis opportunè proviſum: Et ſi non ſunt, nec ſuccedunt, politicè non debet proptèr ea pax Eccleſiæ turbari. Sed dato etiam, & nunquam conceſſo, quod nunc quoque de factò ſuccederent, cum hæc non minus producantur a beneficiariis indigenis, quàm ab extraneis; ſi argumentum prævalere debet, oportebit eccleſiaſtica beneficia nedùm denegare Clericis extraneis, ſed etiam indigenis. Ecquot etenim beneficiarii indigenæ, cum plebe ſibi commiſsâ contentiones habent, & ſcandalis inferunt alimenta? Quot in beneficiis non reſident? Quot naturali Principi incogniti, & non probati, ac genio adverſi beneficia ſuſcipiunt? Quot hoſpitalitatem non exercent: animarum curam negligunt: ædificia ruere: Eccleſiarum jura deperire permittunt? Imò ex indigenis adhùc alia ulteriora mala naſcuntur, quæ ex alienigenis non proveniunt. Nàm & invidiæ foventur, quæ nunquam intèr Concives deficiunt: Et partialitates audiuntur, & iuconfidentiæ: & in juſtitiæ, vel Sacramentorum adminiſtratione, deviationes à recti tramite &c. Si ergò nedùm æqualia, ſed etiam numeroſiora mala ex largitione beneficiorum facta indigenis exoriuntur; oportebit ab eiſdem potiùs Clericos indigenas, quam eos, qui ſunt extranei, diſtinere.

40. Porrò mala, in argumento axaggerata, ęquè ſuccedere in Clericis indigenis, ac in extraneis inſinuare non omiſit Carolus VII. Rex Galliarum in præfatione Pragmaticæ Sanctionis, dùm talitèr eſt locutus; *Eccleſiarum peculia manus occupans indignorum, & non nunquàm exterorum* (*c*). Quod & totidem ferè verbis expreſſit in citatâ epiſtolâ ad Clementem VI. Eduardus Rex Anglorum de Eccleſiâ ſub vineę allegoriâ dicens, *ipſius peculium contrà piam voluntatem, & ordinationem donatorum, manus occupant indignorum, & præſertim extraneorum* (*d*). Ubi, qnià verba in publicis documentis, & juribus exarata, debent propriam ſignificationem habere, & aliquid operari (*e*); notandę ſunt illæ dictiones *nunquàm, & præſertim*, quæ non minùs tangunt indigenas, quàm extraneos, nam vox *nunquàm* idem ſignificat, ac aliquandò (*f*), & ſic patefacit, mala illa provenire primariò ab indigenis, quandò ipſi beneficia poſſident, & interdùm, ſeù ſecundariò etiam ab extraneis, quandò extranei retinent beneficia. Similitèr vox *præſertim* comparativa eſt, & ſignificat idem ac præcipuè (*g*), includitque alias perſonas, & caſus (*h*), adeòque repreſentat, non à ſolis extraneis, ſed præcipuè ab indigenis mala exaggerata profluere: ac præjudicia ibidem ab utroque Rege conclamata ſuccedere quidèm in Clericis extraneis, ſed ex ęquo imò, & præcipuè etiam

(a) *Thomas Valſinga mus in Eduardo III.*

(b) *Vide ſupr. to. 3. Sæcul. 14. cap. 40. & 41.*

(c) *Pragm. Sanct. Caroli VII. in proœm.*

(d) *Thomas Valſingamus in Eduardo III.*

(e) *Cap. ſi Papa §. ſi autem in fin. de privileg.*

(f) *L. non nunquam ff. de rè judic. l. cum quem temere in fin. ff. de collat. bonor.*

(g) *Barboſ. tract. var. dict. 277. n. 1.*

(h) *Pariſ. de conf. d. benef. qu. 29. n. 54.*

etiam in indigenis evenire: ideòque ſi cuncti illi repellendi ſunt ab eccleſiaſticis beneficiis, à quibus mala decantata proficiſcuntur, operæ pretium erit nedùm Clericis extraneis, ſed etiàm indigenis beneficia eccleſiaſtica denegare. Si dicatur, quod prædicta mala ut in pluribus in indigenis non ſuccedunt, idipſum dicimus nos, quod eadem etiam in extraneis ut in pluribus non eveniunt, & idcircò ſi argumentum caret viribus ad repellendos indigenas, viribus quoque deficit ad excludendos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis.

41. Reſpondetur *ſecundò*, quod auctoritates in Argumento allegatæ, & exaggerata mala recantantes, ſi ſeriò ponderentur, non aliò collimant, quàm ad ſuggerendum, expedire, ut beneficia, cæteris paribus, potiùs conferantur indigenis, quàm extraneis; Et ſinè dubio documenta ipſa loquuntur ſolummodò de beneficiis reſidentialibus, atque curam animarum habentibus, quorum poſſeſſores apud ſuas Eccleſias non reſideant, ſuumque officium prò debito non adimpleant: ſicque canunt extrà chorum, & extrà caſum, de quo nobis præcipuum negotium eſt, eloquuntur: quæſtio enim principalis, quę cauſam dedit ſcriptionibus Contradictorum, reſpicit beneficia merè ſimplicia, quamvìs & ad beneficia quoque reſidentialia ſe extendat. Porrò obſervetur formula Ludovici Imperatoris in argumento allatas, quę ſub hiſce terminis eſt concepta: *Deum omnipotentem paritèr invocetis, ut non de alienâ Eccleſiâ Sacerdotem vobis mittat, ſed de ipsâ familiâ, ſi dignus in ea aliquis fuerit inventus, dare dignetur*: ubi apertè ſermo eſt de beneficiis Curatis, nec inibi excluduntur extranei abſolutè, ſed ſolummodò cæteris paribus. Idipſum & ex totâ ſerie Pragmaticæ Sanctionis educitur: & ex conſimili tenore epiſtolæ Eduardi III. ad Clementem Papam VI. utraque etenim perſtringit beneficiarios reſidentiales Curatos à munere ſuo deficientes, & à reſidentiæ legibus ſe contumacitèr alienantes. Quod & paritèr in sè continent ejulatus Anglorum, aures Innocentii Papæ IV. in Concilio Lugdunenſi pulſantes, ibi: *Undè verè dicere poſſunt, quod non ſunt boni Paſtores, quoniàm oves ſuas non cognoſcunt, nec Paſtorum notitias oves habent; hoſpitalitati, eleemoſynarumque largitioni ſicut ſtatutum eſt in Eccleſiâ, non inſiſtunt, ſed fructus tantàm percipiunt extrà Regnum aſportantes, regnum non mediocritèr depauperando; quibus reditibus fratres, nepotes, conſanguinei noſtri, & ceteri benemeriti de Regno Angliæ prędicto beneficiarii tenerentur, qui poſſent, & vellent dicta charitatis opera, & etiam plura alia miſericorditèr, & piè exercere, & Eccleſiis ipſis perſonalitèr deſervire, ut qui Altari deſerviunt, vivant etiàm de Altari &c.* (a). Quę verba evidentèr non niſi perſonant de beneficiariis, curæ animarum onere obſtrictis, & ad rem prò quęſtione noſtrâ, uti principalitèr tangente beneficia merè ſimplicia, parùm faciunt: cum & nos inconcuſsè profiteamur beneficia quæcumque, cæteris paribus, eſſe potiùs concedenda indigenis, quàm extraneis: & reſidentialia, atque animarum curam habentia, eſſe conferenda viris doctis, & piis, qui apud ipſa reſideant, idioma populi intelligant, & muneri ſuo perſonalitèr ſatisfaciant.

(a) *Vid. tom. 11. Concil. p. 1. f. 664.*

42. Reſpondetur *tertiò*, inconvenientia, quæ decantantur in argumento, quatenùs etiam ſubſiſterent, quod negatur, adhùc tamèn talia nomen eſſe, ut propter illa debeat Eccleſia ſuâ libertate privari, quà pollet præbendi beneficia tùm viris extraneis, tùm indigenis; quandòquidem ad ipſa inconvenientia è medio tollenda, adeſt ſuum remedium canonicum, & legale, nimirùm pœnæ à Sacris Canonibus conſtitutæ adversùs eos, qui talia inconvenientia committunt. Ipſæ caſibus applicentur; ipſis contumaces plectantur; ipſarum flagellis delinquentes prò debito ſubmittantur, & inconvenientia ceſſabunt, nec propter hæc libertas Eccleſię eſt totalitèr ſupprimenda. Puniantur beneficiarii extranei, ſi qui inconvenientia iſta committunt: legibus, minis, flagellis eorum pervicacia plectatur: libertas verò Eccleſię in ſuo eſſe ſinatur; & beneficiarii extranei, qui in ſimilibus non delinquunt, ſed benè ſuo munere defunguntur, permittantur beneficia accipere, & accepta pacificè poſſidere. Alìàs ſi propter inconvenientia præfata mutilanda eſt

Ec-

Eccleſię libertas, quià in eâdem nedùm extranei, ſed etiam indigenæ poſſunt proruere, & non rarò dilabuntur; libertas Eccleſiæ ità erit diſſipanda, ut non ſolùm Clerici extranei, ſed etiam indigenæ debeant à beneficiis eccleſiaſticis elongari.

43. Reſpondetur *quartò*, apud nullum ſanæ mentis Politicum poſſe habere rationem laudabilis argumenti illud, quod à degeneri effectu, & non niſi occaſionalitèr eveniente, ad deſtructionem bonæ cauſæ, & quæ bonum effectum producere apta eſt, conſequentiam deducit: quippè uti benè ait Cardinalis Sfondratus, *Nulla eſt in rebus humanis, aut ars, aut ſtatus, aut conditio tàm perfecta, & abſoluta, quæ non multis, magniſque incommodis miſceatur: & ob quę, ſi tollenda illa eſſent, tolli omnes artes, poteſtates, ac ſtatuum conditiones oporteret, idque omnibus his incommodis multò pejùs foret. Ex Regiâ poteſtate, quot injuriæ? Ex arte navigandi, quot naufragia? Ex ſcientiâ militari, quot cædes, arteſque nocendi? Ex Matrimoniis, quot adulteria, lites domeſticæ, & partus Reipublicæ noxii? An ideò Regia poteſtas, Matrimonia, arteſque abolendæ? At multò id pejùs, ac pluribus obnoxium malis: ſublatis videlicèt humanis commerciis, dataque injuriis, vagiſque amoribus licentiâ* (a). Enumeret, qui poteſt, cædes, quas imperiti Medici committunt: lites, quas cavilloſi Curiales excitant: Falſitates, quas Notarii perfidi exarant: fraudes, quas Mercatores avari: uſuras, quas Campſores iniqui: injuſtitias, quas venales Judices: Simonias, quas beneficiorum ſordidi collatores perpetrant, vel patroni. Silemus latrocinia agricolarum, peculatus decurionum, proditiones famulorum, iniquitates ſatellitum, & alia ſexcenta, quæ ſucceſſivè poſſent adnecti: Nunquid è mundo tollendi ſunt laudabiles, & honorati Medici, Curiales, Notarii, Mercatores, Campſores, Judices, Collatores, ac Patroni beneficiorum? Nunquid protelandi Agricolæ, Decuriones, Famuli, Satellites &c. profectò non: Aliàs ad primum Chaos hominum reſpublica deſiliret.

(a) *Gallia Vindicat. differt. 2. §. 3. in re, p. ad 1. object.*

44. Quid plura: infiniti Patres leguntur in hiſtoriis, virtutibus, & meritis excellentes, qui filios degeneres procrearunt; Adam Cainum (*b*): Abraham Iſmaelem (*c*): Salomon Roboamum (*d*): Joſias Joachazum (*e*): Ezechias Manaſſen (*f*): Cteſippum Chabrias (*g*): Germanicus Caligulam (*h*): Veſpaſianus Domitianum (*i*): Marcus Antonius Commodum (*l*): Carus Carinum (*m*): Septimius Severus Caracallam (*n*): Carolus IV. Vvenceslaum (*o*): & alii permulti, quorum nimiùm voluminoſum eſſet individualia nomina recenſere: quoddamque videtur eſſe naturę infortunium, omnium ſæculorum experientiâ comprobatum, ut patrem eximium ſæpè filius illaudabilis inſequatur, adeò ut diceret Avidius Caſſius, neminem magnorum virorum, bonum, & utilem filium reliquiſſe (*p*). Nunquid autem propter hoc hominibus præclaris interdicendus eſt uſus matrimonii, ne operam illi dantes, patres evadant, & filios illaudabiles faciant exoriri? Abſit. Quarè? quià matrimonium ex ſui naturâ bonum eſt, & ſecundùm ordinem rerum, ex patre gregio, egregii deberent filii prodire, juxtà canticum Poetæ, *fortes creantur fortibus, & bonis eſt in juvencis, eſt in equis patrum virtus* (*q*). Quod ſi quandòque à patribus excellentibus filii degeneres procreantur, ſi quandòque *imbellem feroces progenerant aquilæ columbam* (*r*); hoc prætèr naturam evenit, ſeù contrà intentum cauſæ ſuccedit: & cum cauſa matrimonii ſit in ſe bona; non debet improbitas effectus probitati cauſę detrahere.

(b) *Geneſis cap. 4*
(c) *Geneſis cap. 15. n. 15.*
(d) *3. Regum cap. 11.*
(e) *4. Regum cap. 23.*
(f) *4. Regum cap. 21*
(g) *Fulgoſ. lib. 3. c. 5.*
(h) *Sveton. in Caligul. Fulgoſ. l. 3. c. 5.*
(i) *Sveton. in Veſpaſian. & in Domitian.*
(l) *Bapt. Egnatius, & alii in Commodo Sul. Capitolin. in Marco Aurelio.*
(m) *Fulgoſ. lib. 3. c. 5.*
(n) *Egnatius in Antonino Caracalla Herodian. l. 4. Dio, Spartian. & alii.*
(o) *Dubravius lib. 23.*
(p) *Avidius Caſſius in vita Severi Imper.*
(q) *Horatius lib. 4. Ode 4.*
(r) *Horatius loc. cit.*

45. Idem ergò dicendum eſt de collatione beneficiorum factâ Clericis extraneis: Clerici extrani, ut ſupponitur, interdùm ſcandala committunt, diſcordiis inſiſtunt: Eccleſias expilant: reſidentiam non faciunt: hoſpitalitatem non exercent: eleemoſynas non largiuntur: Sacras ędes ruere: beneficiorum jura perire permittunt: aliaque fortè inconvenientia committunt, quæ in Argumento exaggerantur: eſto: ità ſit. Verùm iſta non ut in pluribus, ſed uti in paucis eveniunt: neque in ſolis extraneis, ſed etiam in originariis ſuccedunt; nec ex defectu cauſæ acci-

accidunt, quę bona eſt, ſed ex defeƈtu effeƈtus, occaſionalitêr degenerantis: Corrigatur ergò effeƈtus, qui à reƈti tramite defleƈtit: pleƈtantur condignis pœnis beneficiarii extranei in has inſanias proruentes: legibus malo occurratur: opportunis tandèm remediis inconvenientia quęcumque ſunt eliminentur; ſed non ideò Eccleſia puniatur imminutione proprię libertatis, nè contrà omnem juſtitiam portet pater iniquitatem filii degeneris (*a*); nè colligentes zizania eradicent cum illis etiàm triticum (*b*). Igitùr argumentum, vel non percutit caſum, de quo eſt nobis contentio; vel non afficit magis extraneos, quàm indigenas: vel ad ſummum expoſcit adhiberi malo remedium, ſed longè diverſum ab eo, quod exoptant Contradiƈtores. Et ità libertas Eccleſię ipſius argumenti viribus non ſubſternitur; ſed ſemper magis fortis, & illibata conſiſtens, hoc unum dat nobis ad calcem quatuor pręſentium reſponſionum adiicere: Quod liberum, & licitum eſſe debet Eccleſię inpoſterùm, ſicut uſquè modò fuit ſacris præbendis, etiàm Clericos extraneos inſignire.

(a) *Ezechialis cap. 18 n. 20.*
(b) *Matthæi cap. 13. num. 29.*

C A P U T XXII.

In quo notabili Objeƈtioni POLITICÆ *reſpondetur, propoſitę adverſùs libertatem Eccleſię in conferendo Beneficia, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis. Agiturque de* Annatis Apoſtolicis, *& dè* Denario S. Petri.

S U M M A R I U M.

1 Quinta Objeƈtio *quod infertur detrimentum reipublicæ extraƈtione pecunię factæ ab extraneis, undè etiam S. Ludovicus inhibuit* Annatis *exigi.*

2 *Extraƈtio auri verè damnoſa reputatur reipublicæ, non omnis tamen, ſed illa, quæ fit ſine rationabilibus cauſis.*

3 *In locis, ubi ex privilegio Apoſtolico extranei à beneficiis repelluntur, juſtè reſiſtitur extraƈtioni redituum. Non ſic ubi deeſt privilegium: & cur?*

4 *Matrimonia intèr extraneos licitè fiunt, nec poſſunt ſine juſtitiæ prævaricatione impediri. Idem fit à Mercatoribus, & Campſoribus.*

5 *Matrimonia, commercia, & penſiones admittuntur inter extraneos ob mutuam inter gentes compenſationem utrò citròque venientem.*

6 *Objeƈtio probat, quod nedùm extranei excludendi ſint, ſed etiàm illi nationales, qui non reſident in patriâ, & abſunt ſine neceſſitate.*

7 *Extranei non traducant reditus beneficiorum extrà ſtatum: Nàm ſi beneficiarii ſunt reſidentiales, reditus intrà regionem retinent.*

8 *In beneficiariis ſimplicibus ſi detrahantur expenſæ faciendæ in loco; tenuis pars redituum transfertur extrà ſtatum.*

9 *Quâ occaſione Philippus II. Hiſpaniæ Rex quæſierit, an poſſet inhibere cambia cum ſtatu eccleſiaſtico. Theologicè illa impedire non poterat.*

10 *Refertur Pragmatica, diƈta S. Ludovici Galliarum Regis, in quâ prohibentur exaƈtiones pecuniæ, quę fiunt à Curiâ Romanâ.*

11 *Hanc Pragmaticam aliqui prò verâ reputant, alii prò ſpuriâ: nec fuit allegata per plures annorum centurias.*

12 *In*

12 In Bibliothecâ Patrum, & in Hiſtoriâ Univerſitatis Pariſienſis edita eſt ſine quinto articulo impugnante Annatas.

13 Tempore, quo data ſupponitur Pragmatica, pecuniæ ſi quæ colligebantur in Franciâ, id fiebat prò addicebantur expeditioni S. Ludovici in Terram Sanctam.

14 Alias ob rationes Pragmatica illa nutat, & vel eſt ſpuria, vel ambiguæ fidei, nec prævalet ad minuenda jura Pontificis.

15 Articulus quintus eſt ſuppoſititius: qui adhùc non omnes exactiones, ſed ſolas injuſtas percutit; quarum quamdam recenſet, ſeù fingit Matthæus Pariſius.

16 Indicta tunc erat exactio generalis in pluribus Regnis ad tuendam Eccleſiæ cauſam: mirumque eſt, quod ſolus Galliæ Rex eidem reſtiterit.

17 Extrà caſum impoſſibilitatis, & injuſtitiæ, exactiones Pontificiæ approbantur à Pragmaticâ S. Ludovici, quotiès piâ, & juſtâ de causâ fiant.

18 Contrà Rabarderum, Diana oſtendit multiplicibus ex cauſis juſtè exigi Annatas de beneficiis à Datariâ Pontificiâ.

19 Pontifex ut adminiſtrator bonorum Eccleſiæ ſicut illa aliis dare valet, ſic partem ſibi poteſt applicare.

20 Etiàm Diana impugnat antefactam Pragmaticam S. Ludovici, & eam, vel ejus quintum articulum non ſubſiſtere docet.

21 Exactionem Annatarum impedire non pertinet ad laicos. Illarum inſtitutio præceſſit Concilium generale Viennenſe.

22 Perperàm trahitur Pragmatica S. Ludovici ad excludendum extraneos à beneficiis, & cohibendas eorum reſervationes, cum de his non loquatur.

23 Jura Eccleſiæ Romanæ non vulnerantur in Pragmaticâ S. Ludovici, quæ jura omnium Eccleſiarum apertè intacta eſſe decernit.

24 Pragmaticæ D. Ludovici nulla facta eſt mentio in Pragmaticâ Sanctione, nec in diſſidio Philippi Pulchri cum Bonifacio VII.

25 Ludovicus XI. abolevit Pragmaticam Sanctionem, quæ nec ad Annatas tollendas, neque ad repellendos extraneos quidquam proficit.

26 Laici Clericis infeſti libentèr acuunt linguam adversùs eos. Fruſtrà exactiones Annatarum pulſantur Pragmaticis Gallicanis.

27 Non omnes exactiones eccleſiaſticæ damnandæ ſunt ut Annatæ, ſed aliæ injuſtæ. Si quid ultrò defertur pietatis titulo, juſtè ſuſcipitur.

28 Se fortè per miniſtros Pontificios alicubi gravoſæ fierent exactiones, ſuum adeſt remedium, recurſus ad Sedem Apoſtolicam. Quid Germani, & Dani?

29 Quoàd Denarium S. Petri antiquiſſimus eſt: illum primus edixit pendi Carolus Magnus in Germaniâ, & Franciâ, ubi regnabat.

30 Solvebatur in Poloniâ ex eo tempore, quo Benedictus PP. IX. cum Caſimiro Monacho Cluniacenſi diſpenſavit, ut Regnum reciperet.

31 Ex Regno Hiberniæ paritèr denarius ille ſolvebatur. Multiſque documentis oſtenditur à Regno Angliæ fuiſſe ſolitum exhiberi.

32 Intercepit hanc ſolutionem Henricus II. Rex in diſſidio cum S. Thomâ Cantuarienſi: totalitèrque abrogavit Henricus VIII.

33 Etiàm in Regno Scotiæ ſolebat exigi penſitatio, dicta Denarius S. Petri: quæ & ab incolis Regni Sveciæ ſolvebatur.

34 Præbebaturque etiam à Britanniâ minori, & ab aliis locis. Quid autem nunc de illâ ſit, nobis non eſt notum.

Opor-

1. **O***PORTET Epiſcopum &c. amplecti eam, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exortari in doctrinâ ſanâ, & eos, qui contradicunt, arguere: ſunt enim multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores &c. quos oportet redargui; qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ* (*a*). Impegiſſet exiguitas noſtra in hujuſmodi qualitatis viros, ſi, quæ ſcripſerunt Contradictores, in eorum verò ſenſu ſcripſiſſent, & non magis ad opportunitatem ſuæ cauſæ, atque ut aliquibus complacereut, in propatulo poſuiſſent. Attamèn quià Epiſcopi eſt, non ſcribentium mentem, ſed doctrinam ſcrutari, & quæ in ea reperit à veritatis tramite declinare, ad ſani dogmatis puritatem pertrahere; proſequimur officium noſtrum adversùs Objectiones Politicas Contradictorum, & id, quod ipſi proponunt, prò imbecillitate noſtrâ pergimus ventilare. *Arguunt* autem ipſi *quinto loco*. Beneficiorum collatio facta extraneis eſt damnoſa publicæ utilitati, quià per eam reditus prębendarum, earumque valor extrà ſtatum tranfertur; & multa pecunia hùc, atque illùc diſtrahitur; depauperatâ exindè ditione. Hùcque ſpectant quęrimonię Principum, & Populorum adversùs exactiones Romanæ Curiæ, quas vel titulo *Annatarum* colligit, vel uti *Spolia Clericorum* ex beneficiis eccleſiaſticis ad ſe trahit: vel prò *Fabrica S. Petri* exigit: vel prò penſionibus favore Curialium intercipit: obſtrepentibus ipſis Populis, & Principibus, ne tanta pecunia extrà illorum dominium traiiciatur. Hinc Philippus II. Rex Hiſpaniarum cambia ſui Regni cum Romanâ Curiâ ob Annatas ſolvendas interdicere cogitavit (*b*), quod fecit Henricus IV. Rex Galliæ tempore Gregorii Papæ XIV. (*c*). Ludovicus XI. graviſſimis comminatis pœnis, inhibuit, ne Spolia Clericorum, & vacantium apud Francos Eccleſiarum, ad Romanam Curiam tranſmitterentur (*d*). Et antè omnes Ludovicus, quantumvis pietate, & æquitate percelebris, editâ de his Pragmaticâ quâdam, diſtrictè prohibuit exactiones Romanę Curiæ (*e*): Si ergò & Reges, & Populi præſati, tantâ contentione obſtiterunt, nè portiones redituum beneficialium, quales ſunt Annatę, Spolia Clericorum &c. Romam tranſveherentur, depauperato indè Regno, contrà publicum bonum; multò magìs publico bono expedire cenſuerunt, ne integri proventus beneficiorum Clericis extraneis Collatorum, extrà Regionem tranſportarentur; & ità politicè loquendo patet, quod Clerici extranei ſunt à beneficiis eccleſiaſticis repellendi.

(a) *Ad Titum cap. 1. num. 7.*

(b) *Ex Chiocarel. tom. 18.*

(c) *Preuv. de libert. de Franc. c. 4. n. 3.*

(d) *Thomaſſin. de beneſ. p. 3. l. 2. c. 57. n. 11.*

(e) *Vid. eam ap. Cobaſut. notit. ſect. 13. poſt Conc. Lugdun. 1.*

2. Reſpondetur *primò* Argumentum ex diſtractione divitiarum à Regno, vel ditione aliquà petitum, in politicis eſſe gravis momenti: quippè aurum, uti dicebat Veſpaſianus apud Xiphilinum, *eſt nervus Principatus* (*f*). *Nèc ulla gens eſt, quæ animo ęquo ex Regione ſuâ aſportari aurum ferat* (*g*). Attamèn non omnis extractio pecunię damnanda eſt, ſed illa ſola, quæ illegitimo titulo, & ſinè juſtâ causâ completur: Nàm ſi ratione belli, mercaturæ, vel ſtipendii alicui debiti, aut aliâ juſtâ de causâ fiat, nedùm injuſta non eſt, verum etiam damnandum venit impedimentum illi appoſitum. Proreges Indiarum, & utriuſque Siciliæ, Gubernatores Belgii, & Mediolani &c. argenti, & auri flumina non ſemèl ex illis Statibus eduxere, ſed quià juſtis titulis id fecerunt, improbanda ipſa extractio non eſt. Reges Hiſpanici, Officiales eorum, ac Mercatores, aliique, qui partem habent in negotiis Indiarum, quotannis ex Americâ argenti, & auri, ac pecuniarum montes educunt: adeò ut quidam Hiſtoricus referat, quod ab Indiâ ex quo detecta fuit, in Hiſpaniam juxtà rationes publicas Hiſpali notatas traducti fuerunt mille, & ſexcenti milliones auri (*h*). Et juxtà compotum alterius Auctoris, tantum argenti ex Americâ in Hiſpaniam advectum eſt, ut tota illius maſſa, ſi uniri poſſet, montem efformaret Potoſio ſimilem, ex cujus viſceribus potiſſimè effoſſæ ſunt illę opes (*i*). Alius rerum ſpeculator curioſus refert, ex Americâ in Hiſpaniam tantum argenti advectum eſſe, ut factâ comparatione diſtantię utriuſque Regionis, *repertum*

(f) *Xiphilinus in Veſpaſiano.*

(g) *Æneas Sylvius ep. 56. ad Martinum Meyer.*

(h) *Camus divertiſſement. hiſtorique pag. 113.*

(i) *Chiflet. Lampad. hiſtor. 12. ad vindic. Hiſpan f. 73.*

Digitized by Google

ſum ſit, ab uno ad aliud extremum fabricari potuiſſe pontem ex palis argenteis longis palmos novem (*a*). Hæ extractiones, quantum in ſe ſumptæ, ſunt Indiis damnoſæ: Verùm quia Extractores earum habent juſtam cauſam taliter ſe gerendi; exactiones ipſæ, nec improbandæ ſunt, neque impediendæ.

(a) *Joan Limneus ad Auream Bullam Caroli IV. cap. 9. §. 1. obſerv. 7. n. 2.*

3. Applicato autem ſermone ad beneficia eccleſiaſtica, dicimus, quod extractio nummorum à Beneficiariis extraneis facta, è Regnis, quæ privilegio Apoſtolico fulta ſunt, Clericos alienigenas abigente, in depauperationem ſtatus politici vergit; ideòque Princeps juſtè reſiſtit promotioni extraneorum ad beneficia eccleſiaſtica ſuæ ditionis, & benè de Regno Franciæ inquit Rebuffus; *Regis intereſt, & Nominatorum, ac aliorum incolarum Regni, ne pecuniæ extrà Regnum transferantur* (*b*). Sed hoc eſt verùm tantummodò prò locis, & ditionibus dicto privilegio decoratis, nè hoc inutile reddatur. At in locis, tali indulto carentibus, argumentum nullius eſt ponderis, quoniàm ibi damnum, proveniens ex tranſvectione fructuum beneficiorum per extraneos poſſeſſorum, compenſatur cum commodo, quod ſentiunt viceversâ indigenę illius loci, præbendas alibi adipiſcentes. Sit exemplum patheticum hoc, quod ſequitur: Regnum Neapolitanum nunc cum hæc ſcribimus, prætèr alios Pręlatos, Antiſtites, Parochos, Canonicos, Abbates, & cęteros Clericos ex ſe natos, ſed alibi beneficiis eccleſiaſticis inſignitos, habet ſeptem præclariſſimos Cardinales Romanæ Eccleſiæ. Hi habent Epiſcopatus, Abbatias, Eccleſias, Penſiones, & Beneficia extrà Regnum Neapolitanum, proventus notabilis, & adequantis, ac fortè exuberantis reditus, quos multò numeroſiores Clerici extranei percipiunt in ipſo Regno. Quoàd publicum autem bonum, nec Statibus alienis fit præjudicium, eò quod præfati Eminentiſſimi Cardinales Neapolitani inibi obtineant beneficia, nec viceversâ Statui Neapolitano fit præjudicium, eò quod ibi Clerici extranei ſint præbendati, quià fit intèr eos congrua compenſatio, de quâ Hieronymus Aleander in Conventu Vuormacienſi coram Carolo V. *Li Beneficii Eccleſiaſtici &c. per lo più in qualſivoglia luogo ſogliono goderſi da paeſani, e di quelli, ne quali ciò non avviene, ſi fà la compenſatione, godendone ſcambievolmente gl'uni nella patria degl'altri* (*c*).

(b) *Rebuff. prax beneſ. in reg. 10. gloſ. 2. num. 9.*

(c) *Pallavic. Hiſtor. Conc. Trid. l. 1. c. 25. n. 22.*

4. Idipſum quotidiè cernimus evenire in Matrimoniis, quæ celebrantur inter extraneos, talem, ac tantam interdùm dotem extrà Sponſæ patriam traducentes; ut univerſalem ſivè diſplicentiam, ſivè invidiam in indigenis producant. Hęc ſæpiſſimè accidunt, quià Matrimonium eſt liberum (*d*): Nec ulla lex coarctat eos, qui illud contracturi ſunt, ut connationalibus ſolùm, & non extraneis, ſe conjungant (*e*). Quinimò prorsùs & illicita, & improvida eſſet lex Principis temporalis, quæ interdiceret matrimonia ſuarum ſubditarum, cum viris extraneis, nè dotes nuptarum extrà propriam ditionem diffluerent (*f*). Illicita, quià obſiſteret libertati Matrimonii. Improvida, quià tametſi per connubia cum extraneis dotes è ditione diſcedant, tamèn etiàm viceversâ refluunt ad ditionem, dùm una exit, & alia ingreditur, ſitque per mutua connubia talis compenſatio, ut non expediat matrimonia inter extraneos impedire. Id paritèr procedit crebriùs in commerciis, & negotiationibus Mercatorum, atque Campſorum, qui ad alienas Urbes, & Regna pergentes, ibi & mercimoniis, & literis collybiſticis, ingentes pecunię ſummas congerunt, & extrà loca traiiciunt, abſque eo quod nedùm non prohibeantur, ſed ìmò juxtà Ariſtotelem, hi quantò magìs fieri poteſt, debeant eſſe alienigenæ (*g*). Ut quid autem tales, ac tantę extractiones auri Mercatoribus, & Campſoribus extraneis permittuntur? non aliâ de causâ, niſi quià viceversâ in Regionibus extraneorum, alii ejuſdem profeſſionis viri idipſum faciunt, Græci in Italiâ, Itali in Græciâ: Galli in Hiſpaniâ, Hiſpani in Galliâ: Europæi in Aſiâ, Aſiatici in Europâ, & ſic de aliis, qui hinc indè modò introducentes, modò tranſmittentes merces, & pecunias, faciunt, ut calculatis negotiis, res politicè compenſentur, & publica utilitas mutuâ partium negotiatione proficiat.

(d) *Cap. Gemma, & ibi Gloſ. V. libera de Sponſalibus.*

(e) *Cap. Francia 1. de Sponſal.*

(f) *Diana p. 7. tr. 1. reſ. 22. § 6. & 7. Thom. del Bene de Immun. c. 8. dub. 20. ſect. 4. n. 15.*

(g) *Ariſtot. Politic. lib. 7. c. 4.*

5. Pręterea identidèm ſuccedit in penſionibus, ſivè temporalibus, ſivè ec-

cleſiaſticis, quæ ultrò citròque à viris diverſarum Regionum hinc indè percipiuntur: cum tamen, ſi ratio argumenti valeret, penſiones quoque deberent viris extraneis abrogari, abſque eo quod poſſet Princeps temporalis, vel eas conferre, vel iiſdem ſuum aſſenſum præbere: quippè hoc faciendo nimiùm præjudicium politicum ſuo Statui inferret, illum tantis exhauriendo pecuniis: ultrà quod ſi de jure divino, & naturali eſt, uti perperàm ſupponunt Contradictores, quod beneficia non valeant Clericis extraneis præberi; non poteſt nec etiam Princeps temporalis ſuum impertiri conſenſum, ut penſiones Eccleſiaſticæ (quę ſunt pars beneficiorum, & ejuſdem cum illis compotes conditionis) Clericis extraneis conferantur, quippè Princeps derogare non poteſt juri naturali, & divino. Et tamèn penſiones iſtæ paſſim extraneis conferuntur, nec niſi ad ſummum deprecativè à Summis Principibus impugnantur: quemadmodùm modo merè deprecativo Carolus V. nomine Nationis Germanicę, apud Hadrianum Papam VI. inſtetit; *cuperent, noſtrâque interceſſione à Sanctitate veſtrâ obtinere poſſe ſperant, ut penſiones, quæ ex Sacerdotiis Germanicis Curiæ Sanctitatis veſtrę, & Romanę urbis hominibus perſolvuntur, poſt hac in Germaniâ detineantur* (a). Nèc diſſimilem tenuere rationem Galli, quandò Legati Caroli IX. Regio nomine, precatorias haſce voces Concilii Tridentini Patribus inſinuarunt: *Penſiones ſuper beneficiis non conſtituantur, & quę ſunt conſtitutæ tollantur, quo reditus eccleſiaſtici in alimenta Paſtorum, & pauperum, alioſque uſus pios transferantur* (b). Per quæ non auctoritativè, ſed merè deprecativè poſtulata, datur intelligi, quod penſionum eccleſiaſticarum, extraneis collatarum exactio juſtitiæ nititur, & non niſi ex gratiâ poteſt intrà Regni limites coerceri. Ideò autem non tolluntur hujuſmodi penſiones, ſive eccleſiaſticæ, ſive temporales, quià viciſſim à viris diverſarum gentium ex alienis Regionibus percipiuntur. Et omiſſo reſpectu ad alias rationes, prò eo quod politicum concernit, ſatis eſt ut fiat hinc indè compenſatio, ex eo quod hi in illis, & illi in his locis penſionum lucra ſuſcipiunt. Si autem politicè Matrimonia, commercia, & penſiones admittuntur, nec bono publico obſiſtere reputantur, ob mutua inter gentes conſortia, & compenſationem, quæ viciſſim inter utroſque ſuccedit, neſcimus videre cur & idem non ſit de beneficiis eccleſiaſticis politicè ſtatuendum.

6. Reſpondetur *ſecundò* Argumentum nihil probare, quià probat nimiùm: probat enim, quod beneficia eccleſiaſtica nedùm non ſint Extraneis conferenda, ſed nec etiam Indigenis, & Nativis, ſi extrà locum, in quo beneficium erectum eſt, commorentur, quià hi quoque extrahunt è Regione temporali pecunias, & depauperant ſuo modo Provincias; contrà ſuppoſitam rationem publici boni. Non loquimur de Epiſcopis, Abbatibus, aliorumque ordinum Clericis beneficiatis, qui ex causâ Legationum, vel munium publicorum, prò ſervitio ſui Principis, vel compatritii populi, extrà fines Diœceſis, vel extrà Regionem propriam commorantur: quandoquidèm de his poterit ſupponi, quod communi bono, & publicæ utilitati deſerviant; videturque quodammodò eſſe Sacerdotale officium legationes, & itinera prò utilitate Principum, ac Populorum lucris obire; prę ſertim ubi ad conciliandos affectus aliorum Principum, vel ad gratias obtinendas, vel ad pacem conſciſcendam abſcedunt. Et ità S. Ambroſius nomine Valentiniani III. Cæſaris ad Maximum Tyrannum Nuntius acceſſit (*c*). S. Martinus Turonenſis prò Gallis Proceribus eundem Maximum, Oratoris officio fungens, adivit (*d*). S. Leander Hiſpalenſis prò Hermenegildo Viſigothorum Rege ad Imperatorem Tiberium II. legationem obivit (*e*). S. Joannes Chryſoſtomus prò Arcadio Imperatore ad Gainam Gothorum Ducem delegatus acceſſit (*f*). S. Epiphanius Ticinenſis modò prò Herulis (*g*), modò prò Liguribus Theodoricum Italiæ Regem, veniam petiturus, adivit (*h*): Et modò prò Ricimere Gothorum Rege cum Anthemio Imperatore conciliando (*i*): modò prò pace inter Julium Nepotem, paritèr Imperatorem, & Evaricum itidem Gothorum Regem componenda, Caduceatoris partes aſſumpſit (*l*). De his, aliiſque ſimilibus Prælatis, ſolo conſilio utilitatis publicæ diſcedenti-

(a) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl. p. 3. l. 2. c. 31. n. 12.*

(b) *Memoir. pour le Concil. de Trente f. 174 372.*

(c) *Paulin. in Vit. S. Ambroſii.*

(d) *Sever. Sulpitius Dial. 3.*

(c) *S. Gregor. in præfat. moral.*

(f) *Theodoret lib. 5. c. 33. Socr. l. 6. c. 6. Sozomen. l. 7. c. 4.*

(g) *Ennod. in Vit. S. Epiphanii.*

(h) *Card. Baron. ann. 496. n. 57.*

(i) *Idem Baron. ann. 471. n. 15.*

(l) *Ennod. in Vit. S. Epiphan. Card. Baron. ann. 474. n. 11.*

denti-

dentibus, hic non loquimur: quippè *nihil eſt tàm Epiſcopale quàm per Regna, & Provincias diſcurſare, paſtorali ſollicitudine ad pacem Regnis, & Imperiis ſanciendam* (a). Sed loquimur de illis Clericis beneficiariis, qui ob proprium tantummodò commodum, & propter privatam utilitatem, vel voluptatem, extrà Diœceſim, ſivè Regionem propriam commorantur: his, inquam, omnibus deneganda erunt eccleſiaſtica beneficia, quandòquidem fructus eorum extrahendo, Diœceſibus, & Regionibus ipſis, aliquandò inferunt pręjudicium. Quis autem hoc dicere audebit? Quis omnibus Clericis beneficiatis, moram intrà fines propriæ patrię limitabit? Si autem tranſvectio valoris beneficiorum extrà Regionem tanti non eſt momenti, ut Clericis indigenis negari debeant eccleſiaſtica beneficia; nec etiam tanti momenti erit, ut à beneficiis ipſis Clerici extrani debeant retineri.

(a) *Thomaſſin. Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 3. c. 37. n. 11. & quis.*

7. Reſpondetur *tertiò*, negando ſuppoſitum, nempè quod beneficiarii extranei traducant fructus beneficiorum extrà Regionem, & Regnum. Nàm ſi beneficiarii ſunt reſidentiales, ibi fructus beneficiorum inſumunt, ubi reſident; rèque ad praxim reductâ, ſi ex unâ parte ponatur pretium dictorum fructuum, & ex aliâ ponantur impenſæ, quas beneficiarii ipſi neceſſariò faciunt in victu, & veſtitu, equitatu, & honeſtâ ſuſtentatione ſui ipſius, & familiarium ſuorum; necnon ſolutio publicorum onerum, ſatisfactio obligationibus Eccleſię, ſtipendia Concionatorum, Cantorum, Cœremoniſtarum, Officialium, Agentium, Capellanorum, Famulorum, Vicarii, Cancellarii, Satellitum, reparatio Eccleſiarum, ac domorum, & molendinorum, cultura agrorum, vinearum &c. celebratio feſtorum, proviſio paramentorum, & utenſilium prò ſacriſtiâ, ſolutio procurationis Viſitatori ordinario, ſubſidium charitativum Cathedraticum, & alia impendia in libris, literis, itineribus, muneribus, medicinalibus, eleemoſynis &c. cuncta demùm onera, quibus quiſque Beneficiarius premitur; invenietur, quod exitus, vel equat introitum, vel alter ab altero parum differt, & vel totus, vel penè totus reditus beneficii in ipſo loco, ubi beneficium eſt, erogatur. Quod ſi Beneficiarius, ſecundùm regulas honeſtatis, & prudentię humanæ ſeponit aliquid prò ſuis neceſſitatibus, ne occurrente aliquo infortunio, debeat hunc illum interpellare, dicens, *date obulum Beliſario* (b); benè facit: nàm etiam *Dominus habebat loculos, & à fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat*, inquit D. Auguſtinus (c). Sed hæc vel nunquàm extrà Statum traducentur, vel tanta unquàm non erunt, quæ extrà Statum tranſvecta, notabile inferant bono publico præjudicium.

(b) *Cedrenus ap. Jo. Steph. Menoch. traten. erud. cent. 8. c. 4. tom. 2*

(c) *S. Auguſt. tract. 62. in Joan. Beda in c. 13 Joan.*

8. Si verò beneficia ſint mere ſimplicia, beneficiarii, non omnes, extrà ditionem commorantur, ſed partìm extrà, partìm intrà. De illis, qui permanent in ditione, ſuperfluum eſt effari, quippè eorum reditus è ditione non abſcedunt. De illis autèm, qui foris reſident eloquendo, oportet priùs in praxi deducere expenſas neceſſarias in ſatisfactione onerum, feſtorum, Miſſarum, dotium, Cappellanorum, in culturâ prędiorum, in reparationibus domuum, & Eccleſiarum, in proviſionibus, cambiis, & aliis uti ſuprà proportionalitèr applicatis, & videbitur quod quotiens ſummæ, quæ ſuper excedit expenſas, erit adeò exiguę quantitatis, ut ex centum aureis reditus beneficialis, vix quarta pars ad Beneficiarium perveniat ab oneribus depurata, quę tametſi extrà Statum traducatur, notabile illi pręjudicium non infert, præſertìm attentâ compenſatione, quæ aliundè Statui accedit, juxtà ea, quę hìc ſuperiùs num. 3. & ſequentibus allegavimus. Cæterùm ſi tranſvectiones pecunię extrà ditionem, Beneficiariis in culpam oppoſitę, arcendæ ſunt; operæ pretium erit etiam Judices, Officiales, Famulos, Artifices, Milites, Duces, Gubernatores, Proreges, & alios aliarum profeſſionum viros extraneos relegare, quippè hi peculia ex eorum operibus, & miniſteriis conſciſcunt, extràque ditionem traducunt. Oportebit etiam interdicere indigenis, ne munera, & xenia viris extrà Statum degentibus tranſmittant, quia per hęc quandòque millia millium aureorum extra ditionem propriam traducuntur, ut contigit

in immenſo Donario, quod Dux Metimnæ las Torres Prorex Neapolis miſit in Hiſpaniam Comiti de Olivares (*a*). Si autem hæc paſſim permittuntur, nec eorum permiſſio, quantumvis enervativa virium ditionis, tranſvectione pecuniarum, noxia cenſetur publico bono; permitti debent etiam fructus beneficiorum extraneis; neque traductio pecuniarum per eos facta extrà Regnum, reputari debet præjudicialis publico bono: tùm quia non debent eſſe deterioris conditionis Clerici, quàm viri aliorum ordinum (*b*): tùm quia ſi proportio, vel collatio fiat traductionis pecuniæ illorum cum evectionibus pecuniarum, ex donariis, artificiis, & officiis laicalibus, uti ſuprà profluentibus, his illi non poterunt reſpondere unum prò mille: quippè plus auri educunt Duces, Gubernatores, Proreges extranei, ſingulariter ſumpti, quàm omnes beneficiarii ſimul, alicujus Regni, aut Provinciæ.

(a) *Alphonſ. Loſchi Compend. Hiſtoric. in Caſa d'Auſtria & il Côte d'Olivareſ f. 116*

(b) *Thom. del Bene de Immun. c. 5. dub. 7. ſect. 16. n. 4.*

9. Reſpondetur *quartò*, retorquendo argumentum quoàd facta Philippi II. Caroli VII. Ludovici XI. & S. Ludovici IX. exadverſò allegata: idque ut pateat, eadem hic ſucceſſivè examinabimus. Philippus II. Rex Hiſpaniarum, cuidam inſigni Theologo Academię Valliſoletanæ, intèr alia quæſita, hoc propoſuit, an ei liceret cambia Regni Hiſpaniarum cum Statu Eccleſiaſtico inhibere (*c*). Hocque fecit Rex, quandò flamma illa gravis incendii erupit, quod inter Paulum Papam IV. & ipſum Regem exarſit, quâ de rè apud Hiſtoricos (*d*); Philippus enim ut Paulum terrefaceret, non armis tantùm invadendam eſſe ditionem Pontificiam cenſuit; ſed etiam poteſtatem Papalem eſſe novis propoſitionibus fatigandam; dogmate politico, non theologico. Petiit ergò, an ſalvâ conſcientiâ poſſet prçfatis cambiis curſum ſolitum interdicere. Reſponſionem autem Theologi nos neſcimus; ſed ſi Theologi, doctrinâ, & pietate inſignis fuit, non potuit eſſe niſi negativa, quià ſecundum regulas ſinceræ Theologię, prohibitio hæc non eſt licita (*e*). Et de facto reſponſionem ipſam fuiſſe talem patefacit ejus effectus: Nàm Rex cambia prçfata non inhibuit, ergò ſignum eſt, quod Theologus prohibitionem illam nullatenùs licere ſuggeſſit. Et ità ex hoc facto Philippi nedùm non quidquam probatur adversùs extraneos beneficiis eccleſiaſticis munerandos, ſed imò potiùs oppoſitum: nempè quod ſicut extractio pecuniæ è Regno ob cambia cum Romanâ Curiâ, tutâ conſcientiâ impediri non poteſt, ità etiam extractio pecuniæ ex fructibus beneficiorum non eſt cauſa ſufficiens, ob quam ipſa beneficia debeant Clericis extraneis denegari. Hucuſque Theologicè in hoc facto Philippi II. de quo ſi politicè agi debuiſſet, non minùs negativa reſponſio emerſiſſet: Quandoquidèm ſi verum eſt, ut audivimus, quod Rex Hiſpaniæ ex Indultis Pontificiis multa centena aureorum millia percipiat (nempè ex Bullâ Cruciatę quadringenta millia ſcutorum: Ex mulctis, & confiſcationibus officiis Inquiſitionis, ducenta millia: Ex quartâ Eccleſiaſticâ prò taxa 60. triremium, quadringenta millia: Ex compoſitionibus ſpoliorum ducenta millia: prætèr alia emolumenta ex magiſterio trium Ordinum Militarium, S. Jacobi, Alcantaræ, at Calatravę, & ex præſentatione ad Epiſcopatus, & Abbatias, penſionumque reſervatione ſuper illis); certè politicè non expediebat Philippo cambia Hiſpanię cum Romanâ Curiâ interdicere, nè hęc illi viceversâ præfata indulta ſubtraheret, vel alio modo contenderet. Et ità argumentum ſive Theologicè, ſive Politicè percipiatur, vel non officit cauſæ noſtrę, vel ei potiùs proficit, quàm obſiſtat.

(c) *Chioccarel. tom. 18.*

(d) *Joſeph. Silof. Hiſt. Cler. Regul. l. 9. Foreſt. to. 3. p. 2. in Paul. 4 §. 5.*

(e) *Diana p. 7. tr. 1. reſ. 22.*

DE PRAGMATICA S. LUDOVICI, & ANNATIS DATARIÆ APOSTOLICÆ.

10. Quoàd Pragmaticam S. Ludovici IX. Regis Galliæ, ſive Edictum, quod illius nomine circumfertur, hæc ea continet, quæ ſequuntur:

Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex, ad perpetuam rei memoriam: prò ſalubri, & tranquillo ſtatu Eccleſiæ Regni noſtri, nec non prò divini cultus augmento, & Chriſti fidelium animarum ſalute, utque gratiam, & auxilium omnipotentis Dei (cujus ſolius ditioni, ac protectioni regnum noſtrum ſemper ſubjectum extitit,

tit,

tit, & nunc eſſe volumus) conſequi valeamus, quæ ſequuntur hoc Edicto conſultiſſimo, in perpetuum valituro ſtatuimus, & ordinamus.

I. Ut Eccleſiarum Regni noſtri Prelati, Patroni, & Beneficiorum collatores ordinarii Jus ſuum plenariè habeant, & unicuique ſua Juriſdictio ſervetur.

II. Itèm Eccleſiæ Cathedrales, & aliç Regni noſtri, liberas electiones, & earum effectum integralitèr habeant.

III. Itèm Simoniæ crimen peſtiferum, Eccleſiam labeſactans, à Regno noſtro penitùs eliminandum volumus, & jubemus.

IV. Itèm promotiones, collationes, proviſiones, & diſpoſitiones Prælaturarum, Dignitatum: & aliorum quorumcumque beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum Regni noſtri, ſecundum diſpoſitionem, & determinationem Juris communis, ſacrorum Conciliorum Eccleſiæ Dei, atque inſtitutorum Sanctorum antiquorum Patrum fieri volumus, & ordinamus.

V. Itèm exactiones, & onera graviſſima pecuniarum, per Curiam Romanam Eccleſiæ Regni noſtri vel impoſitas, vel impoſita, quibus miſerabilitèr Regnum noſtrum depauperatum extitit, ſivè etiam imponendas, vel imponenda, levari, aut colligi nullatenùs volumus, niſi dumtaxat prò rationabili, piâ, & urgentiſſimâ causâ, vel inevitabili neceſſitate, & de ſpontaneo, & expreſſo conſenſu noſtro, & Eccleſiæ Regni noſtri.

VI. Itèm libertates, franchiſias, prçrogativas, jura, & privilegia per inclytæ recordationis Francorum Reges prædeceſſores noſtros, & ſucceſſivè per nos Eccleſiis, Monaſteriis, ac locis piis, Religioſis, nec non eccleſiaſticis perſonis Regni noſtri conceſſas, & conceſſa, innovamus, laudamus, & approbamus &c. (a).

11. Sed totam hanc Pragmaticam S.Ludovici eſſe ſpuriam, & fictitiam complurimi Doctores affirmant. Et licèt illam genuinam eſſe arbitrentur Henricus Spondanus in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis (*b*), Cęſar Egaſſius Bulæus in Hiſtoriâ Univerſitatis Pariſienſis (*c*), Gabriel Coſſartius (*d*), Petrus de Marca (*e*), Carolus Feuretus (*f*), Petrus Pithæus, & alii; Tamèn apud alios, nedùm prò ſuſpectâ, ſed etiam prò manifeſtè illegitimâ reputatur. Unumque ſufficiat audire Actorem libri de Libertatibus Eccleſię Gallicanę, Natione Francum, & ſatis doctum, rerumque Gallicarum optimè conſcium, qui non merè arbitrariè, ſed rationibus examinatis pronuntiat: *Equidèm integram illam ſuppoſitam eſſe ſentiunt etiam Scriptores Gallici, præſertìm eruditiſſimus vir Ludovicus Thomaſſin. tom. 3. de Beneſ. par. 4. lib.2. cap.10. num.11. ubi aſſerit, eam nullo ſolido fundamento, neque ullius Auctoris antiqui, & cui plena fides adhibeatur, teſtimonio fulciri. Fuſiùs, & validiùs eam impugnat cap. 41. n. 4. ejuſdem libri, & lib.3. cap.24. n. 17. Sunt argumenta non pauca contrà integram Conſtitutionem, ſed ſunt etiam ſpecialia contrà quintum articulum, qui ſolus, ut dixi, ad S. Sedem attineret. Pragmatica illa à nemine allegata fuit uſque ad tempus ſchiſmatis Avenionenſis, & contentionis Eccleſię Gallicanæ contrà Pontifices, hoc eſt ferè 200. annis à tempore, quo condita ſupponitur, nec etiam tunc in lucem edita fuit, ſed adhùc pluſquàm centum annis poſt eam allegationem, ideſt anno 1515. in ſubſidium ſcilicet alterius Pragmaticæ Sanctionis à Carolo VII. tempore Concilii Baſileenſis promulgatæ.*

(a) Eſt in Tomo 11. Concil. Labbè, & ap. Cabaſut. notit. Eccleſ. ſæcul 13. poſt Concil. Lugdun. 1. & in Bibl. Patr. tom 6.

(b) Spondan. tom. 1. an. 1268.

(c) Bulæus Hiſt. Univerſit. Pariſienſ. tom. 3. f. 391.

(d) Gabriel Coſſartius f 908. in tom 12. Conciliorum.

(e) Petr. de Marc. Concord. l. 4. c. 9 n. 4.

(f) Feuret. lib. 2. de Abuſ. c. 7. n. 3.

12. *Pluriès typis excuſa eſt ſinè articulo illo suprarelato. Eo enim omiſſo refertur in Bibliothecâ Patrum per Margarinum de là Bigne, Doctorum Sorbonicum tom.6. cujus intrà 30. annos tres factæ ſunt editiones Pariſiis, cum privilegio: quarum ultima eſt anni 1609. Eodem modo habetur in Bibliothecâ Patrum, Doctorum Colonienſium anno 1618. tom.13. Cęſar Egaſſius Bulęus in hiſt. Univerſ. Pariſ. an. 1666. edita tom. 3. pag. 391. illam etiam exſcribit abſque illo articulo. Nullam habet veriſimilitudinem, quod Sanctus ille Rex, cujus tanta erat in Sanctam Sedem reverentia, Edicto ſolemni Romanæ Curię Officiales, ut jurium Epiſcopalium uſurpatores comprimere voluiſſet, eoſque tuntę cupiditatis incuſare, ut Regnum ab eis ſuum fuiſſe ad pauperiem redactum enunciaret. Si qua fuiſſet adversùs hanc*

Curiam

Curiam querela, precibus, cohortationibus, monitionibus, vel ſi vis, etiam minis ſignificaſſet; non autem publicâ Conſtitutione. Qui eſſet Chriſtianiſſimus ille Rex ergà Sanctiſſimam Sedem affectus, anno ſequenti demonſtravit, cum inter alia, quę filio ſuo monita, quaſi hæreditariam ſucceſſionem teſtamento conſcripſit; Duo iſta præſertim commendavit: Sis devotus, & obediens matri noſtræ Romanę Eccleſiæ, & Summo Pontifici tamquàm Patri Spirituali. Præmiſerat: Sis diligens, quod omnes ſubditi tui juſtitiâ, & pace fruantur. Maximè autem Perſonæ Eccleſiaſticæ, & Religioſæ. Adducto deindè Avi ſui Philippi Auguſti exemplo, qui ab Eccleſiaſticis iniuriam ſibi fieri malebat, quam cum eis contendendo Eccleſiam ſcandalizzare; ſic concludit: Ama igitur, ò fili, Perſonas Eccleſiaſticas, & ſerva pacem eorum, quantùm poteris. Quis credat Principem, qui filio exemplum proponit tolerandæ injurię ab eccleſiaſticis viris illatæ, diſſidiis cum eis vitandi causâ, anno præterito jugum non ſibi, ſed Regni ſui beneficiis à Curiâ Romanâ impoſitum Pragmaticâ ſuâ Sanctione compeſcere voluiſſe; Non erat certè mos adhàc inductus, nec à ſancto illo Rege profectus eſt, auctoritatem Regiam Sanctę Sedis ordinationibus opponendi, ſed potiùs Eccleſiam à laicorum vexationibus vindicandi.

13. *Anno 1268. quo condita fertur hęc Pragmatica, S. Ludovicus ad ſecundam in Terram Sanctam expeditionem, cum Summi Pontificis conſilio sè accingebat. Quarè improbabile omninò eſt, Sanctiſsimum illum Regem immoderatas Officialium Curiæ Romanæ exactiones Papam celaturum fuiſſe, iiſque, remedio ipſi Pontifici probroſo (cum in eum recideret Officialium culpa) occurrere maluiſſe: præſertim cum tunc temporis Eccleſiæ prçeſſet Clemens IV, natione Gallus, alieniſſimus ab omni avaritiâ, & carnali in parentes affectu, quorum occaſione bona eccleſiaſtica ſæpè cumulantur, & dilapidantur. De illo Pontifice ſic loquitur Genebrardus ad annum 1265. Optimus Pontifex bona Eccleſię optimè diſpenſavit. Cum duas filias ex mortuâ uxore antè Pontificatum ſuſcepiſſet, uni in Monaſterio collocatæ triginta tantum libras dedit. Alteri 300. libras dotis nomine, Clerico Nepoti tres præbendas habenti, duas abſtulit, ſe dicens Deo, non carni, & ſanguini velle acquieſcere, An igitur ſub tali Pontifice opus fuiſſet, ut S. Ludovicus Edicto ſuo Romanę Curię rapacitatem ſiſteret, aut beneficiorum, & bonorum eccleſiaſticorum adminiſtrationem, & uſum, quæ res ad Eccleſię jurisdictionem propriè pertinet, Pragmaticâ Sanctione moderaretur? Si quod fuiſſet tunc temporis exactum ab Eccleſiâ Gallicanâ ſubsidium, non niſi ad juvandum in expeditione bellicâ S. Ludovicum impendendum fuiſſe prudentiſſimus quiſque judicaret (a).* Addè quod triennio anteà idem Pontifex utramquem Siciliam Carolo Andegavenſi, fratri germano ejuſdem S. Ludovici contulerat, quem & pecunia, & omni alio ſubſidio juvit ad utrumque illud Regnum adipiſcendum: totuſque tractatus hujuſce conceſſionis ex condicto inter Papam, & ipſum S. Ludovicum initus eſt, prorſuſque concluſus. Oporteret ergò quod ſanctus iſte Rex valdè immemor fuiſſet beneficiis mox à Pontifice ſibi ſuæ domui, ſuoque fratri germano collati, & quidem beneficii, in duorum Regnorum aſſecutione conſiſtentis, ſi tàm citò Pragmaticam illam evulgaſſet vulnerantem jura Pontificia, & Apoſtolicæ Sedi, ejuſque Curiæ probrum non exiguum inferentem.

(a) *Anton. Charlaſ. de libert. Eccl. Gallic. l. 1. c. 15. n. 6.*

14. Ex his patet quantum à recto aberret Modernus quidam Auctor valdè liberè aſſeverans, quod perperàm ab aliquibus dubitatur de veritate hujuſmodi Pragmaticę, eò quod non adſit ratio de illâmet dubitandi: Cum è contrà potiùs adſint tàm efficacia motiva de illius ſinceritate ambigendi, ut eam prò illegitimâ non reputare videatur ſpecies quędam erroris. Quibus etiam addi poſſent ea, per extenſum, quę doctiſſimus Thomaſſinus pluribus in locis de ipsâ Pragmaticâ egregiè diſſerit (b). Sed nos brevitati ſtudentes, eadem hic verbatim omittimus recenſere. Unum eſt, quod Pragmatica illa, ſi non totalitèr ſpuria eſt, eſt ſaltèm valde ambiguę fidei, & ideò nihil officit juribus Eccleſiæ, jam per multa centena annorum curricula ſolidatis. Quod ſicuti neque latroni, neque impiiſſimo cuilibet viro,

(b) *Thomaſſin Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 33. n. 4. & p. 3. l. 1. n. 43. n. 17.*

viro, legitimè poſſent ſua jura abrogari, vi legis dubiæ, & de cujus veritate certiſſimè non conſtaret, ità multò minùs propriis juribus poteſt Eccleſia pia, & Sancta Mater, ac pacificè jura ipſa poſſidens, obtentu Pragmaticæ Divi Ludovici, vel fictitię, vel ſaltèm ambiguę, denudari. Quę Sanctio quatenùs etiam genuina eſſet; adhùc quoàd articulum quintum magis nutat, ubi agit de exactionibus Romanę Curię: *primò*, quià *conſtat in geſtis Sanctiſſimi ejus Regis, nihil occurrere, quod poſſit anſam dediſſe ei Pragmaticæ publicandæ, cum nihil unquàm ei cauſæ, vel negotii fuerit cum Romano Pontifice, vel cum Curiâ Romanâ* (a). *Secundò*, quià cum anno 1268. quo ſupponitur edita, pararetur in Galliâ ſecunda expeditio belli prò Terrâ Sanctâ recuperandâ, Pontifice illam promovente, oportet, quod exactiones in Galliâ, vel non fierent, vel ſi fiebant, non niſi prò adjutorio Regię claſſi conferendo ſuccederent, & ſic non eſt probabile, quod Rex illas retuderit, quę in ſui favorem colligebantur: & eſto quod in eis comparandis, aliquis interveniret exceſſus; Rex quidèm Pontificem prò corrigendo exceſſu commonuiſſet, at non Papales miniſtros lege pungente, ſivè Pragmaticâ illâ probroſâ coercuiſſet (b). *Si quæ fuerunt*, inquit Thomaſſinus S. Ludovico *regnante Romanorum Pontificum in Eccleſiam Gallicanam exactiones, ea pecunia in manus venit Sanctiſſimi Regis ad ſacras ejus expeditiones: ut procul ſit à veri etiam ſpecie, iniquo illum animo eas tuliſſe: quin & propiùs à vero abeſt ſollicitatos non ſemèl à S. Ludovico fuiſſe Pontifices, ut id genus exactionibus aſſentirentur, undè & in Pontificem, tunc & in Regem crebra Cleri murmura* (c).

15. *Tertiò*, quià in antiquis dictæ Pragmaticæ impreſſionibus quintus ille articulus non habetur: qua de rè ità peregregiùs Bellarminus: *Legi Pragmaticam Sanctionem ejuſdem S. Ludovici, quæ habetur ad finem tomi 6. Bibliothecæ Sanctorum Patrum editę Pariſiis ann.* 1589. *ubi habentur eędem ordinationes, demptis verbis ſuprà ſcriptis, quæ videntur poſteà addita in odium Eccleſię Romanæ. Legi etiam ſimiles ordinationes, tàm apud Paulum Æmilium, tàm apud Robertum Gaguinum in vitâ S. Ludovici, & verba illa &c. non reperio* (d). In additione quoque Bibliothecæ Patrum, Pariſiis editâ anno 1609. ut innuimus, & in aliâ editione Doctorum Colonienſium facta anno 1618. nec non in Hiſtoriâ Univerſitatis Pariſienſis Bulæi, edita anno 1666. habetur quidem præfata S. Ludovici Pragmatica, ſed quinto illo articulo deſtituta, uti originalitèr in ipſis editionibus videre eſt, & obſervat Auctor libri de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ſuperiùs memoratus (e). Undè oportet, quod Pragmatica ipſa, vel ſit tota ſuppoſititia, vel ſaltèm quintus ejus articulus ſit confictus. Sed utcumque res ſè habeat, hoc unum certum eſt, quod quantumvis etiam ipſe articulus quintus eſſet indubitabilis, & genuimus, non cohibet attamèn, niſi *exactiones, & onera graviſſima pecuniarum impoſitas, vel imponendas* (f), nempè injuſtas, excedentes, & à juſtitiæ tramite diſcedentes, qualem fuiſſe oportet illam, de quâ (ſi tamèn vera eſt) uti de dicti S. Ludovici tempore indictâ, oggannit Matthæus Pariſius, ſolitus prò ſuo poſſe adverſus Romanos Pontifices oblatrare (g): ad quorum etiam injuriam videtur ſuam Hiſtoriam conſciviſſe (h), dicens, ejuſdem D. Ludovici *diebus dominus Papa apices ſuos, authenticos nuntios, Prædicatores, & Minores miſit ad omnes Franciæ Prælatos, ſigillatim ſupplicans, ut unuſquiſque juxtà ſuam poſſibilitatem ſibi unam quantitatem pecuniæ accommodaret, & ipſe proculdubiò eum reſpiraret, quod cuique competeret, redderet indubitantèr. Quod cum Regi Francorum innotuiſſet, ſuſpectam habens Romanæ Curiæ avaritiam, prohibuit nè quis Prælatus Regni ſui, ſub pœnâ amiſſionis omnium bonorum ſuorum, talitèr terram ſuam depauperaret: & ſic cum ſibilo, & deriſione omnium, Papa, & Legati ſophiſtici, quorum humeris hoc officium incumbebat, inanes à Regno receſſerunt memorato* (i).

16. Oportet, inquam, injuſtam, & ſinè causâ, indictam fuiſſe illam exactionem: vel falſam, ſivè falſatam eſſe narrationem Pariſii: vel S. Ludovicum ſuæ pietatis limites exceſſiſſe: vel fortè ſuos Conſiliarios Regio nomine abuſos ad impedien-

(a) *Thomaſſin. loc. cit. p. 2. l. 2. c. 33. n. 4.*

(b) *Charlaſ. de libert. Eccl. Gallic. l. 1. c. 13.*

(c) *Thomaſſin. ubi ſupr. p. 3. l. 1. c. 43. n. 16. & adde.*

(d) *Bellarmin. Apolog. contr. Regem Angliæ c. 6.*

(e) *Charlaſ. de libert. Eccl. Gall. l. 1. c. 15 num. 9.*

(f) *Pragm. S. Ludov. ap. Cabaſut. notit. Saecul. 13 poſt Concil. Lugdun. 1.*

(g) *Bellarmin. de Script. Eccl. in Matth. Pariſio. Baron. ann. 996 num. 63.*

(h) *Card. Baron. ann. 1197. n. 16 & 17.*

(i) *Matthæus Pariſius ann. 1247.*

dienda ſubſidia, quæ Pontifex depoſcebat, cum aliàs per ea tempora collectio indicta ſit generalis in pluribus Chriſtianitatis Regionibus, nec à Regibus impugnata, cujus rei memoriam ſuccintam facit Raynaldus hoc modo: *Ingentem ex Angliâ pecuniæ vim coegiſſe Innocentium queritur Pariſius, ac Joannem, Alexandrum Minoritas, ac Marinum Cappellanum eò miſſos, in invidiam traducit: Additque Goffridum Urbis Præfecti filium in Scotiam, Joannem Rufum in Hiberniam miſſos. Extant in Pontificio Regeſto ad Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Hiſpaniæ, Galliarum, Germaniæ Archiepiſcopos, atque Epiſcopos datæ, ut opes ſuas ad tuendam Eccleſiæ cauſam conferant. Ex quo Pariſius adducendi in invidiam Pontificis, occaſionem aucupatus eſt, atque ex eo Vveſtmonaſterienſis incautè venenum hauſit. Qui ſanè Auctores æquiores extitiſſent, ſi prudenti judicio extremam ponderaſſent inopiam, quâ tunc premebatur Romana Eccleſia, pericula quibus undique erat circumfuſa &c. Nèc enim remedium tantis malis adhiberi poterat, niſi inſtruerentur potentiſſimæ ad tot retundendos hoſtes copiæ, nec milites ſinè ſtipendiis ali poterant, nec haberi ſtipendia, niſi à Chriſtianis, & maximè à Clero cogerentur* (*a*).

(a) *Odoric. Raynald. ann. 1247. n. 19.*

Mirum eſt autem, quod à ſolis Gallis exactioni Pontificis obſtitum ſit, cum alia Regna illam ſinè reluctantiâ conferrent; niſi fortè Regiam renitentiam divulgarunt ipſi Clerici Gallicani, qui triennio antè Pontifici expoſuerunt extremam pauperiem, quâ angebantur, *Nùnc decimam, nùnc duodecimam præſtando, nùnc centeſimam, nùnc aliarum exactionum onera ſuſtinendo*, quas prò expeditione Hieroſolymitanâ contulerant, rogantes ut ab illis inpoſterum Regi perſolvendis abſolverentur (*b*).

(b) *Duchesne Hiſt. Norman. f. 1012.*

17. Præciſâ autem cauſâ impoſſibilitatis, vel injuſtitię, exactiones Pontificiæ nedùm in Pragmaticâ S. Ludovici non prohibentur, ſed imò expreſsè approbantur, indictæ nempè prò tribus caſibus, ſcilicèt *prò rationabili, piâ, & urgentiſſimâ causâ*: Et prò, ſeù de *ſpontaneo conſenſu* Regis, & Eccleſiæ Gallicanæ (*c*). In quibus rerum circumſtantiis exactiones Romanę Eccleſiæ à Pragmaticâ prædictâ apertiſſimè permittuntur, & approbantur eâdem ęquitate, quâ injuſtæ, & injuſtis de cauſis impoſitæ, vel imponendæ abrogantur: in hoc autem & nos cum Contradictoribus conſentimus, ſi de talibus eloquuntur: Non enim Romana Curia, ſed & nec quælibet humana poteſtas, debet exactiones ſivè ex propriis, ſivè ex alienis Statibus ad sè trahere injuſtè, & ſinè cauſis rationabilibus corrogatas. Sed exactiones illæ toto cœlo diſtant, nihilque commune habent, nec quidquam prorſus concludunt adversùs exactiones Annatarum, quas Romana Sedes in collatione beneficiorum percipit jam uſu plurimorum ſęculorum firmatas, & vi Concordatorum intèr Sedem Apoſtolicam, & Nationes, ac Regna ſtabilitas, quas principalitèr impetunt Contradictores, nullatenùs autem invertit Pragmatica S. Ludovici, de qua impræſentiarum eſt ſermo. Porrò de ipſis *Annatis* jam ſuprà eſt habitus tractatus, oſtendimuſque quanta, & qualis eſt earum antiquitas, & juſtitia (*d*). Si quid aliud ſupèr illis deſideratur, damus hìc egregiam reſolutionem Antonini Dianę Panormitani de illis differentem, qua ſi noſtra non ſufficiunt, obturabitur, conjunctis viribus, os loquentium iniqua.

(c) *Pragm. S. Ludov. art. 5. ap. Cabaſut. loc. cit.*

(d) *Vid ſupr. tom. 2. cap. 17. & 18.*

18. Quęrit Diana, *An Principes poſſint prohibere, nè Annatæ ex ſuis Regnis Summo Pontifici ſolvantur ſine eorum conſenſu*: Et quęſtionem reſolvit prout ſequitur (*e*). *Affirmativè reſpondet P. Rabardeus ſect. 4. num. 7. fol. 91. Quià (ait ille) cum ſub Regis protectionem conſtituta ſint omnia bona temporalia ſubditorum ſuorum, etiam Eccleſiarum, & Clericorum, neceſſarium eſt illè conſentire Exactionibus, vel Tributis, prætèr jus commune jam in ſuo Regno ab antiquo tempore receptum imponendis. Commentator Pragmaticæ Sanctionis refert ex Annalibus noſtris, Sanctum Ludovicum IX. Franciæ Regem, & alios Reges maximè Catholicos vetuiſſe hujuſmodi Annatas, & alias exactiones de beneficiis, in ſuo Regno exigendas. Ità Rabardeus*: qui tamen valdè hallucinatur trahendo ſuppoſitam Pragmaticam S. Ludovici ad pulſandas Annatas Apoſtolicæ Datariæ, cum dè illis nulla-

(e) *Diana part. 7. tr. 2 reſ. 22.*

Digitized by Google

nullatenùs eloquatur. Subdit Diana: *Sed ego puto, ſecluſo tamen aliquo Privilegio Regibus à S. Pontifice conceſſo, quod revocatum non ſit, contrarium omninò dicendum eſſe; Nàm aliqui docent Annatas Summo Pontifici deberi, Divino Jure, aut ſaltem ex Jure Divino ſcripto originem traxiſſe, ut ex Echio, & Ferdinando Cordubenſi obſervat Azorius tom.2. lib.7. capite 12. quæſt.1. & alii. Si ergò ſolutio Annatarum competit Pontificibus de Jure Divino, quomodò in illis ſolvendis poſſunt sè Principes ſæculares immiſcere? Deindè ſi Annatæ Pontificibus non debentur Jure Divino, debentur tamen illis ad eorum, & Curiæ ſuſtentationem. Poteſt quidèm Pontifex decimas, fructuum etiam, quæ aliis debentur, laicis concedere, cap. A nobis de decim. cap. Adrianus 63. cap. in Synodo 16. quæſt.1. ſicut pleriſque conceſſis. Poteſt ſtatuto, conſuetudine, aut privilegio induci, ut primi anni fructus, & quandoque duorum, aut trium fabricæ, Epiſcopo, aut ad alium quempiam uſum reſerventur, idque præcipuè Rom. Pontificis auctoritate. Cap. ſi proptèr sua debita, de reſcrips. libr.6. Et in Extravagan. Joan. XXII. Quæ incipit: Suſcepti: & non poterunt medii fructus primi Anni Summo Sacerdoti reſervari? Poteſt pater corripere filium ſibi alimenta negantem, & ad ea præſtanda compellere l. qui Filios. Cod. Quæ res pigno oblig. poſ. & l.1. & 11. Cod. de patr. qui fil. diſtr. ipſos etiam vendendo. Et non poterit Spiritualis Pater, cui non minùs obſequii debemus, quàm carnali, quartam partem fructuum Eccleſiaſticorum prò ſuis neceſſitatibus reſervare?*

19. *Quod ſi quis diceret, non tenentur filii Patribus theſaurizare, ſed Pater filiis, ſecundæ Corinth. cap.12. nec etiam neceſſitatis tempore. Habet Eccleſia Romana propriam Diœceſim, cujus Sacerdotes ſuo tenentur Epiſcopo ſubvenire: habet Eccleſia amplum temporale dominium, hujus ſubditi ſuo ſubveniant Domino: non graventur alii, qui ſuis Dominis, & ſuis Epiſcopis providere tenentur, ne multiplici prægraventur onere; Reſpondebimus, non teneri filios Patribus theſaurizare: teneri tamèn Patri ſubvenire, cum eget, ſic Roman. Pontifici omnium Parenti, & Paſtori: prò quâ ſubvenſione adinventæ ſunt Annatæ. Quod verò Romanus Pontifex propriam habet diœceſim: habet quidem propriam, quæ ſcilicèt alterius non ſit, ſed non propriam, quæ Romanis finibus coarctetur. Cum enim ſit Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, univerſus Orbis ſua eſt diœceſis. Cap. per principalem, cap. cuncta per mundum 9. quæſtionem 3. nec minore onere gravantur Eccleſiæ ſubditi, quod aliis teneantur ſubvenire Principibus. Quandoquidèm, & prætèr Annatas, quæ cum aliis communes ſunt; ad ea tenentur Pontifici vectigalia, quæ & alii ſuis Principibus contribuunt. Confirmantur ſupradicta, quod licèt dominium bonorum Monaſteriorum, ſeù Eccleſiarum ſit penès eorum Communitates excipimus Cappucinos, & Minores de Obſervantiâ, ut tradit Gaſparus Hurtado, de Juſtit. & Jure diſp.1. difficult.19. Petrus à Sancto Joſepho, in Ideâ Theol. moral. lib.4. cap.9. reſol.3. Caetanus in 2. 2. quæſt.43. num.105. art.8. col. de reditibus cap.23. & alii; tamèn dicendum eſt, ut rectè obſervat Trullench. in Decalogum tom.2. lib.7. cap.2. dub.5. num.1. Non eſſe ità abſolutum, & independens, ſicus ſæcularium. Et ideò S. Pontifex, cum ſit adminiſtrator omnium bonorum Eccleſiaſticorum, poteſt ex aliquâ juſtâ causâ dicta bona ab illis tollere, & alicui donare, relictis ad victum neceſſariis, ut docent communitèr Doctores, Trullench. ubi ſuprà; Dicaſtillus, de Juſt. & Jure lib.2. tract.2. diſp.1. dub.8. num.100. Leſſius, lib.2. cap.4. dub.5. num.19. & 20. Molina, tom.1. tract.2. diſp.29. concluſ.2. Cajetanus, loc. citato, & alii. Itàque potuit Pontifex Annatas ad ſui, & Curiæ ſubſtentationem ex bonis Eccleſiaſticorum conſtituere, & exigere, nec ullo pacto poſſunt Reges in his sè immiſcere, cum dominium, ſeù potiùs adminiſtratio bonorum Eccleſiaſticorum ad Summum Pontificem pertineat; qui ex hac ratione, ſi poteſt ex juſtâ causâ, interdùm bona Eccleſiaſtica Principibus laicis concedere, ut tradit Trullench. in Decalog. to.2. lib.7. cap.2. dub.6. num.12. Et ideò Regibus Hiſpaniæ, & Galliæ decimas conceſſit, ut obſervat Caſtillo Sotomajor de Tertiis, cap.10. num.6. & Valboa de Ma-*

grovejo lect. Salmat.tom.1.ad Cap. cauſam de præſcriptione num.12. & 13. Quantò magis ſibi ipſi poterit Pontifex bonorum Eccleſiaſticorum fructus applicare. Itàque dicendum eſt, quod quandò Annatarum exactio videtur Principibus nimiùm Regnis ſuis oneroſa, tùnc ejus exactionem nec debent, nec poſſunt probibere, ſed ad Summum Pontificem, prò moderatione dictæ Annatæ humilitèr recurrant.

20. Ad exemplum verò, quod Pater Rabardeus adducit de S. Ludovico IX. Rege Gallo, non reſpondebo, niſi verbis Bellarmini, dignitate, doctrinâ, & Sanctitate Eminentiſſimi, in Apologiâ contrà Regem Angliæ, cap.6. ubi ſic ait. Addit poſteà S. Ludovicum Regem publicâ Pragmaticâ Sanctione omnes Curiæ Papalis exactiones intrà Regnum ſuum probibuiſſe, & citat ad marginem, ex areſtis Senatus Pariſienſis. Ego verò legi quidèm apud Nicolaum Gallum inter alias S. Ludovici ordinationes, hæc verba: Itèm exactiones, & onera graviſſima per Curiam Romanam Eccleſiæ Regni noſtri impoſita, vel impoſitas, quibus Regnum noſtrum miſerabilitèr depauperatum exiſtit, ſivè etiam imponendas, aut imponenda, levari, aut colligi nullatenùs volumus, niſi prò rationabili, piâ, & urgentiſſimâ inevitabili neceſſitate: & de ſpontaneo expreſſo conſenſu noſtro, & ipſarum Eccleſiarum Regni noſtri. Et fortaſſe hæc eadem verba habentur in areſto Senatus Pariſienſis, quod mihi notum non eſt. Cæterùm legi Pragmaticam Sanctionem ejuſdem S. Ludovici, quæ habetur ad finem Tomi ſexti Bibliothecæ Sanctorum Patrum, editæ Pariſiis anno 1589. ubi habentur eædem Ordinationes, demptis verbis ſupraſcriptis, quæ videntur poſteà addita in odium Eccleſiæ Romanæ. Legi etiam ſimiles ordinationes, tàm apud Paulum Æmilium, tàm apud Robertum Gaguinum, in vitâ S. Ludovici, & verba illa à Nicolao recitata non reperio: Sed contrà potiùs legi apud eoſdem Auctores S. Ludovicum Romanæ Eccleſię Pontificibus Innocentio IV. Alexandro IV. Urbano IV. & Clementi IV. quorum temporibus vixit, fuiſſe addictum, & obedientem. Nàm Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi excommunicanti, & deponenti Imperatorem Fridericum adſtitit S. Ludovicus, atque ut verbis Æmilii utar: Se vireſque Regni ſui, ac conſilium Sacroſanctæ poteſtati tutandæ paratum eſſe profeſſus, Innocentii cauſę dignitatem, roburque addidit. Et infrà. Intereà Francus (S. Ludovicus) auctoritate nominis Franci tegens Pontificem, ſacram inſupèr militiam in barbaram Religionem profeſſus erat. Deniquè in vitâ S. Ludovici, quę extat apud Laurentium Surium, à Confeſſario ejus, ut creditur ſcripta, inter alia monita, quæ Sanctus moriens filio ſuo, Regnique heredi dedit: hæc verba habentur, ſemper ſis addictus, & devotus Romanę Eccleſię, ejus Pontifici, haud ſecus, atque Spirituali Patri tè morigerum præbeas. Hùcuſque Bellarminus.

21. Et licèt Martinus V. in Concilio Conſtantienſi, ſeſſ.43. aſſerat, ſe nullatenùs Annatas in aliquo Regno impoſiturum, niſi de conſilio Prælatorum ejuſdem Regni; Neſcio quomodò P. Rabardeus fol.93. poſſit hoc decretum extendere ad Principes laicos, qui ſub nomine Epiſcoporum nec debent, nec poſſunt includi, & cum talis conceſſio ſit quædam ſpecies privilegii, ſequitur non eſſe extendendum de perſonâ ad perſonam ſecundum regulam Juris. Nèc deſinam hic obitèr adnotare P. Rabardeum, fol.77. & 91. ſentire Annatas ortum habuiſſe tempore Joannis XXII. & Reges Franciæ primùm id Juris Summo Pontifici conceſſiſſe. Ità ille. Sed contrarium docet Thomas Campegius Epiſcopus Feltrenſis in opuſcul. de Annatarum inſtitutione, & earum defenſione, fol.170. ubi ſic ait. Annatarum inſtitutionem, ſi ad Jus divinum referre volumus, ut ſint decimæ Decimarum Summo Sacerdoti deditæ, eam tamèn non adeò novam aſſerimus, ut Joanni XXII. quod plerique faciunt, tribuamus: quandoquidèm illarum inſtitutionem Viennen. Concilium receperit, quod habitum fuit anno 1311. & Oſtien. ac Joan. Andreas, qui Joannis XXII. tempora præceſſere, de his mentionem fecerunt. Defenſionem autem Annatarum contrà Duarenum, quem ſequuntur ejuſdem farinæ homines Tobias Pauxmeſter, de Juriſd. lib.2.c.3.n.37. & ſeq. & Theodorus Keinkingk, de regim.ſæcul. & Eccleſ. lib.3. Claſſ.1.cap.8.n.25. invenies apud Filliucium, tom.3. tract.41.cap.6. n.54.(a).

(a) Diana part.1.tr. 1.reſ.22.

Hanc

Digitized by Google

Hanc eandem quæſtionem de Annatis movet Thomas del Bene Marubienſis in Regno Neapolitano, fortiterque ſuſtinet earum prohibitionem factam à Principe ſæculari eſſe injuſtam, & eccleſiaſticæ Immunitati contrariam. Legat eam Lector in fonte (*a*), vel apud alios Auctores (*b*), tędet nos enim illorum verba tranſcribere.

22. Perperàm poſtmodùm allegatur præfata D. Ludovici Pragmatica ad excludendum extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, ariolarique videtur Petrus de Marcâ, dicens: *Huic glorioſiſſimo Regi prima debetur libertatis Eccleſiæ Gallicanæ reſtitutio, quam ſuo edicto, poſt mutatam diſciplinam in beneficiorum collationibus 1268. procuravit; quo uno capite contentiones intèr Epiſcopos, & Romanam Curiam tunc ferè continebantur* (*c*). Legat eam quicumque vult, & nè verbum quidèm inibi reperiet indicans prævias contentiones inter Sedem Apoſtolicam, & Epiſcopos reſpectu beneficiorum, præſertim cum eo tempore nondùm incœpiſſent, vel ſaltèm nondùm invaluiſſent, Reſervationes Apoſtolicæ aliquorum beneficiorum collationem Epiſcopis abſcindentes. Multò minùs ibi reperire eſt verba, Clericos extraneos à beneficiis eccleſiaſticis excludentia, & prætérquàm quod non eſt Principis ſæcularis quidquam definire de beneficiorum diſpoſitione, nec dè quibuſcumque rebus eccleſiaſticis (*d*), obſervetur, quod art. 2. dicit *Eccleſiæ Cathedrales, & aliæ Regni noſtri, liberas electiones, & earum effectum integralitèr habeant*. Et artic. 4. hæc continet: *promotiones, collationes, proviſiones, & diſpoſitiones Prælaturarum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum &c. ſecundùm diſpoſitionem &c. Juris communis, Sacrorum Canonum Eccleſiæ Dei, atque inſtitutorum Sanctorum antiquorum Patrum fieri volumus* (*e*): Per quæ verba non alienigenæ repelluntur à beneficiis, non Jura Eccleſiæ Romanæ in eorum diſpoſitione ſauciantur, ſed potiùs laicorum violentiæ percutiuntur, quibus libertatem Eccleſiæ in electione Prælatorum, & in beneficiorum diſpenſatione lędebant (*f*).

23. Et quidèm quantùm ad jura Sedis Apoſtolicę teſtatur Carolus Feuretus, nullatenùs fuiſſe læſa per Pragmaticam S. Ludovici, nec per hanc præventiones beneficiorum illi fuiſſe ſublatas, ſed tantùm declaratum: *Beneficia eſſe ab Ordinariis conferenda, juxtà ſancta decreta, & Sanctiones Canonicas, quæ etiam poteſtatem, & ſuperioritatem S. Sedis in ſpiritualibus adſtruunt* (*g*). Nèc credendum eſt, quod Sanctiſſimus ipſe Rex voluerit impetere jura Romanæ Eccleſiæ, qui in ipſius Pragmaticæ Sanctionis ſerie bis jura omnium Eccleſiarum intacta eſſe decernit, nempè articulo 1. hoc modo: *Eccleſiarum Regni noſtri Prælati, Patroni, & beneficiorum Collatores Ordinarii, jus ſuum plenariè habeant, & unicuique ſua juriſdictio ſervetur*: & artic. 6. *libertates, franchiſias, prærogativas, jura, ac privilegia per Reges prædeceſſores noſtros, & per nos Eccleſiis &c. nec non eccleſiaſticis perſonis Regni noſtri conceſſas &c. innovamus, laudamus, & approbamus* (*h*). Quoàd negotium verò extraneorum, eos admittit potiùs, quàm repellat præmemorata Pragmatica: quippè cum decernat Eccleſias eſſe per electionem Canonicam providendas, & beneficia, atque officia eccleſiaſtica eſſe ſecundùm diſpoſitione Juris communis, Sanctorumque Conciliorum, & Sanctorum Patrum inſtituta, diſpenſanda: electio autem Canonica, Juris Communis diſpoſitio, Sanctorumque Patrum, & Conciliorum inſtituta non modò Clericos indigenas, verùm etiàm extraneos admittant ad eccleſiaſtica beneficia, prout fusè in hac totâ noſtrâ lucubratione probavimus; patet quod Pragmatica S. Ludovici, quatenùs etiam genuina eſſet, ac quatenùs etiàm quidquam poſſet Princeps laicus de rebus eccleſiaſticis definire, cauſæ extraneorum à beneficiis repellendorum non proficit, ſed eos potiùs includit.

24. Et hæc ſatis ſint dicta de Pragmaticâ Sanctione S. Ludovici Galliarum Regis: à qua deſcendendo ad aliam celebrem Pragmaticam Sanctionem, quæ per Antonomaſiam appellatur Pragmatica Sanctio, vel à Philippo IV. Francorum

(a) *Del Bene de Imman cap. 8. dub. 30.*
(b) *Azorius Inſt. mor p 2. l. 7. c. 12 qu 1. Filliuc. tom 3. tr. 41. c. 6. n. 54. Thom. Campeg. de Annat. inſtitut.*
(c) *Petr. de Marca de Concord. lib. 4. c. 9. num. 4.*
(d) *Cap. laicis 24. cauſ. 16. qu. 1.*
(e) *Pragm. S. Ludovic. ap. Cabaſut. notit. Eccl. ſæcul. 13. poſt. Conc. Lugdun. I.*
(f) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 4. c. 31. n. 4.*
(g) *Feuret. l. 2. de abuſ. c. 7. n. 4.*
(h) *Pragm. S. Ludovic. loc. cit. art. 2. & 6.*

Rege primùm excogitatâ, cum notiſſimum illud invaluit diſſidium inter dictum Regem, & Bonifacium VIII., quod Eccleſiam penè totam concuſſit; vel à Carolo VI. adinventa, & in Comitiis Bituricenſibus à Carolo VII. promulgata, nunquàm tamen à Clero Gallicano eſt poſitivè acceptata (a), de quâ ſuprà lautè locuti ſumus (b). Mirum eſt hanc nullam facere mentionem Pragmaticæ S. Ludovici præfatæ, *quamquàm peropportuna tunc quidem fuiſſet ejus auctoritas, quandò diutina efferbuit diſſenſio inter Bonifacium VIII. Papam, & Philippum Pulchrum Regem* (c): Et nec aliis poſteà temporibus illius memoria facta eſt, quandò opportuniſſimum fuiſſet eam ſaltem commemorare, nempè *graſſante ſchiſmate Avenionenſi ſub Carolo VI. Rege, quandò ſublatæ ſunt omnes Romanæ Curiæ exactiones; nuſquàm ullum hujus Pragmaticæ* S. Ludovici, *veſtigium. Nè tàm quidèm commemorata eſt ad exempli auctoritatem, ubi ſub Carolo VII. Pragmatica Sanctio concinnata eſt* (d). In hac, inquam, Pragmaticâ Sanctione Caroli VII. exactiones Annatarum diriſſimè lancinantur, & urgetur acceptatio Concilii Baſileenſis, quâ parte Annatas ipſas Romanæ Sedis condemnat: Sed præterquam quod Clerus Gallicanus nullum actum poſitivum unquàm fecit pro abolitione Annatarum, & acceptatione dicti Concilii (e); Patres in eo congregati ſpoponderunt prò Annatis ſublatis compenſationem aliquam Sedi Apoſtolicæ ſubrogare. Cum autem compenſatio ipſa nunquàm fuerit ſubrogata, exactio Annatarum ex conſequenti potiùs approbata videtur ab illâ Synodo, quàm damnata.

25. Sanctionem ipſam poſteà abolevit Ludovicus XI. Rex Galliarum, de quo Papyrius Maſſonus: *Ludovicus initio Regni Pragmaticam Sanctionem ſuſtulit. Extant ejus de eâ rè ad Pium Pontificem literæ, inter Pii ipſius epiſtolas, quibus teſtatur legem illam latam ſeditionis, & ſchiſmatis temporibus, meritò ab sè everſam, quod ejus, à quo Sanctæ Leges oriuntur, auctoritatem minueret. Pii quoque ad Regem literæ, tollendæ Pragmaticæ conſilium laudant. Intèr cætera, inquit, commendamus, quod abſque conventu, & conſultatione multorum, Pragmaticam auferre conſtituiſti. Sapis certè, & Regem tè magnum oſtendis, qui non regaris, & regas &c.* (f). Quo facto, idem Rex, poſt 18. annos, viſus eſt velle eandem Pragmaticam in Aurelianenſi Synodo renovare, & ità ejus conatum deſcripſit Marerius, quod Ludovicus Aureliæ convocavit Epiſcopos, & alios Galliarum Proceres, ut de reſtituendâ Pragmaticâ Sanctione tractaret, & Annatas expungeret, ſed poſt varias altercationes, res infecta remanſit, & dilata ad aliud Concilium, Lugduni celebrandum, quod poſteà non eſt habitum Rege verſipelli ſeriò non agente, ſed hæc ſolummodò politicè proponente, ut Pontificem territaret hicque Florentinis: Regiâ protectione potientibus, cenſuras, quibus implicati fuerant, relaxaret (g). Si ergò nec Rex, nec Clerus, nec Magnates Concilio adſtantes, quidquam deliberarunt de Annatis è Galliâ protelandis; ſignum eſt eaſdem fuiſſe prò legitimis reputatas. Pariter ſi Pragmatica Sanctio Caroli VII. fuit ſolemnitèr abolita, uti ſuprà fuſiùs demonſtravimus (h); ſignum eſt eandem non fuiſſe habitam prò legitimâ: Et ſic neſcimus videre quid utilitatis intendant Contradictores ex hujùs Pragmaticæ apicibus expiſcari, cum hæc neque pro extraneis repellendis, neque pro Annatis abolendis, in toto ſuo curſu potuerit prævalere. Profectò jam in Franciâ Pragmatica illa Sanctio nullam efficaciam, nullum habet honoris momentum, ſed ſi in aliquibus Bibliothecis hæret contrà interdictum Leonis Papæ X. (i); ibi ſedet, ut in pulvere dormiens: vel ibidem ſuſpenſa dependet, velut *oblata in anathemà oblivionis* (l), viribus penitùs vacuata: prò extraneis à beneficiis repellendis nihil proficit: pro Annatis abolendis nedùm nihil operatur; ſed ubi anteà ex veteri curſu hæ minoris erant valoris; in pactione Concordati, & ſuppreſſione dictæ Pragmaticæ, ad novum, majoremque valorem perauctæ ſunt (m). Quid ergò ex hâc Pragmaticâ eruere volunt Contradictores? Alia de hujuſmodi Sanctione luculentiùs allegavimus ſuprà, ubi de Concilio Lateranenſi V. tractavimus: Dignetur benignus Lector illuc intuitum retro-

(a) *Foreſt. tom. 3. p. 2. in Eugen. PP. IV. n. 1.*
(b) *Vid. ſupr. tom. 2. ſæcul. 15. c. 2. à n. 17. & ſæcul. 16. c. 5. à n. 2.*
(c) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 31. n. 4.*
(d) *Idem pa. t. 3. l. 1. c. 44. n. 17. in fin.*
(e) *Idem p. 3. l. 2. c. 59. n. 4. 5. 6. Foreſt. loc. cit. & Con. & ſ di tal tenore.*
(f) *Papyr. Maſſonius l. 4. Annal. in Ludovic. XI.*
(g) *Jo. Marerius tract. differ. ſchiſmat. & Concil. f. 93.*
(h) *Vid. hic ſupr. tom. 2. ſæc. n. 15. c. 2. & ſæcul. 16. c. 5.*
(i) *Leo PP. X. Conſtit. 20.*
(l) *Judith. cap. 16. n. 23.*
(m) *Ludov. Bail. ſum. Concil. tom. 2. in Conc. Later. V. tit. de Concordat.*

retrotrahere; nos etenim illa hìc non inſerimus, ne ſemèl dicta inutilitèr replicemus.

26. Habent hoc interdùm laici, ut libentèr Clericis ſe reddant infeſtos (*a*), & contrà eccleſiaſticos linguam exacuant, præſertim adversùs Præſules, & Antiſtites, eos intèr cœtera, de iniquis exactionibus incuſando. Et ubi Urbium Decuriones, Magnates, ac publicarum rerum Miniſtros peculatibus aliquando, & latrociniis inquinatos, oculis cæcis pertranſeunt; in Clericis nihil indiſcuſſum relinquunt, *ſcrutantes Jeruſalem in Lucernis* (*b*). Romana Sedes in hoc fuit immaniſſimè lacerata, & poſita velut *in ſignum, cui contradicatur* (*c*): Nèc unquàm ei deerit copia detractorum, quia nunquàm deficiet ſeries invidentium illius gloriæ: Ranę in cœno coaxantes: Canes lunæ oblatrantes: Ethiopes ſolem maledictionibus impetentes (*d*): Sed ſemper Iſthmum fodientes (*e*). Lancinant nùnc eam de injuſtis exactionibus, Contradictores, & in præſidium ablegant binas Gallicanorum Pragmaticas, quarum altera conficta eſt, altera fuit publicè condemnata. Honeſtius fulcrum adhibuiſſent, ſi clamores nationis Germanicæ tempore Calliſti Papæ III. editos allegaſſent, ſed & reſponſa Pontificis operę pretium fuiſſet illis adnectere, ſcripſit enim Pontifex ipſe Friderico Romanorum Imperatori, prout ſequitur: *Audivimus rumorem eſſe, tamquàm nos aurum ex natione tuâ ſuprà quam deceat, extorqueamus: Injuriantur profectò nobis, & à vero longè recedunt, qui talia dicunt: nihil unquàm noſtro nomine ab his extortum eſt, quibus beneficia contulimus, ut illi garriunt, nihil exactum, nihil petitum, præter Annatam vetuſto jure debitam. At ſi qui contrà Turcas pecuniaria nobis ſubſidia obtulerunt, non recuſavimus, nec recuſare quidem debemus prò tantâ Chriſtianę religionis neceſſitate* (*f*): Dixit Calliſtus: & tam Annatas, quia juſtiſſimas, quam ſpontè oblatas pecunias perrexit accipere, quia à fidelium pietate non recuſandas.

27. Itàque non quælibet exactiones eccleſiaſticę obliterandæ ſunt, nec omnes publico bono obſiſtunt, ſed injuſtę, inſolitę, illegitimis modis extortæ; non verò ſolitæ, legitimę, juſtæ, quales ſunt *Annatæ* Sedis Romanæ, & ſi quæ aliæ ſunt ad Sedem Apoſtolicam concurrentes. De exactionibus loquimur: nàm de ſpontè oblatis, & de muneribus, quæ fortè ab aliquibus porriguntur, non eſt hìc agere ſpontè namque oblata pietatis titulo, vel ad pios uſus, ipſe D. Gregorius Magnus libenti manu ſuſcepit (*g*). Aliis ex cauſis, dummodò honeſtis donata culpam non continent: Et ſi in caſibus individuis aliqua inconvenientia ſuper hoc accidunt, vel humanitatis vitium eſt, quod nunquàm deficiet: vel offerentium culpa, qui non coacti ultrò ſpondent, quod præbent: & ſicut id non exigitur, ſic non niſi difficillimè refutatur. Et ubinàm aurum ſpontè oblatum non accipitur? In quâ Orbis regione, in quâ Principum aulâ, munera ultrò delata non acceptantur? *Videant, & ſciant, & recogitent, & intelligant paritèr* (*h*), qui rerum humanarum periti ſunt, an, & quot dentur, qui licitè, ac ſpontè oblatum *poſt aurum non abeunt, neque ſperant in pecuniæ theſauris? Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vitâ ſuâ* (*i*). Optabilis ſit nec nè quælibet excluſio munerum, quia hæc interdùm excæcant cor hominis (*l*). Transeat. Certè tamen quoàd licitè, ac ſpontè oblata, non eſt res ingentis expers difficultatis: & humanus vivendi modus id agit, ut prò maximo habeatur, ſi & animus temperet à donariis, & manus à turpibus quæſtibus retrahatur: Cœterùm munera non acceptari ſi quæ dantur, plus eſt, quam quod poſſit univerſali praxi ſperari. De Germanis ob res hujuſmodi condolentibus, Æneas Sylvius ità Martino Meyer reſpondit: *ſubjungis extorqueri multum auri ab his, qui dignitates, vel alia beneficia aſſequuntur non eſt cur de hâc rè conqueramini, ſed potiùs de cupiditate, & ambitione veſtrorum hominum, qui currentes prò Epiſcopatibus, invenientes competitores, his, quibus palatium patet, certatim pecunias offerunt; illi verò, qui alloqui Pontificem poſſunt, non ſunt omnes ſimiles Angelis, ſed quales in Alemaniâ, Galliâque multos reperias,* reci-

(a) *Cap. Laicos 2. qu. 7. cap. Clericis de immun. Eccl. in 6. Bellet. diſquis. Cler. p. 1. de Clerico teſte* §. 5 *n. 3.*

(b) *Sophoniæ cap. 1. num. 12.*

(c) *Lucæ c. 2. num. 34.*

(d) *Plinius lib. 5. c. 8.*

(e) *Della Motta Scuola de' Prencipi Geograf. c. 36.*

(f) *Calliſtus PP. III. inter epiſtolas Æneæ Sylvii epiſt. 39.*

(g) *S. Gregor. lib. 6. epiſt. 9. & 23.*

(h) *Iſaiæ cap. 41. n. 20*

(i) *Eccleſiaſtici cap. 31. n. 8*

(l) *Exodi cap. 23. n. 8.*

recipiunt enim quod offertur, non extorquent. Romanus autem Præſul ſolus in thalamo ſuo, nunc hos, nunc illos audit, & illos promovere ſolet, qui magis commendantur: nec ſcit, nec etiam arbitratur pecuniæ causâ hos, aut illos commendatione præferri: nec ſibi plus auri datur, quam Concordata permittant, niſi fortè aliquandò occaſione expeditionis contrà Turcas aliquid ſupèr Annata recipit, quod ſibi profectò non fuit in tantâ neceſſitate negandum &c. Nec Curiæ veſtrorum Pontificum accuſationibus carerent: patet itàque longè latèque hoc genus querelarum (*a*).

(a) *Æneas Sylvius. epiſt. 86. ad Martin. Meyer.*

28. Veruntamèn ſi quandò vel temporum neceſſitas, vel Miniſtrorum vitium; exactiones Romanæ Curiæ facit eſſe gravoſas, quod noſtrâ ætate nunquàm audivimus contigiſſe; Sedes Apoſtolica juſtitiæ cultrix eſt; ipſi exponatur gravamen: prò alleviamento ſupplicetur, & res ad congruum reducetur æquilibrium. Ità Canutus Rex Danorum oneroſas nimium eſſe cenſens exactiones Romanę Curiæ, quas Archiepiſcopi Danię prò receptione Pallii pendebant; Joanni Papæ XX. Romam veniens, ſuas querimonias expoſuit, & decretum moderationis, ſi non totalis exemptionis, obtinuit (*b*). Ità alii fecerunt, & ità faciendum eſſe ſignificavit mox memoratus Calliſtus III. in epiſtolâ ad Fridericum III. Imperatorem de Natione Germanicâ, ſic perorans: *Si quid eſt, quod ipſi Nationi moleſtum videatur ex his, quæ prodeunt ex noſtro ſolio; idque fortaſsè dignum emendatione cenſetur (poſſumus enim & nos ut homines aliquandò labi, atque errare in his maximè, quę facti ſunt) non decet Epiſcopos, aut alios quoſuis mortales ſuper Apoſtolicam Sedem auctoritatem ſibi vendicare, aut &c. Apoſtolicæ Sedis mandata contemnere, ac prò ſuo voluntatis arbitrio eccleſiaſtica diſponere &c. Si quis arbitratur ſecum non benè agere Apoſtolicam Sedem, recurrere ad eam debet, gravamen exponere, remedium petere: nequaquàm pia Mater filiorum deſiderio deerit, quod viderit ad ſalutem eorum pertinere* (*c*). Alia de *Annatis* ſuperius diximus (*d*), earum repetat intuitum benigniſſimus Anagnoſtes, & prò veritate, & prò eruditione ſibi inveniet ſatisfactum; jàm etenim de illis tandèm ſermo noſter omnimodè conticeſcit.

(b) *Baron. ann. 1027. n. 4. Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 3. l. 1. c. 62. n. 10.*

(c) *Calliſt III. inter epiſtolas Æneæ Sylvii epiſt. 89.*

(d) *Vid ſupr. tom. 2. Sæcul. 14. c. 17. & 18.*

DE DENARIO S. PETRI.

29. *Ad Denarium S. Petri* nùnc ſermonem convertimus, qui ſpecies exactionum erat, & forte alicubi etiam nùnc eſt, quæ debentur Apoſtolicæ Sedi. Uſque à primis Eccleſiæ ſęculis Fideles è diſſitiſſimis Regionibus nummos D. Petro Apoſtolorum Principi tranſmittebant. Nàm in epiſtolis S. Gregorii reſponſa leguntur, quæ S. Pontifex Mauritio Auguſto ob denarios S. Petro miſſos direxit (*e*): Aliud ibidem ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum (*f*): Aliudque ad Theotiſtam, & Andream ſcriptum de causâ conſimili reperitur (*g*). Agitur & de Velis, ſive Aulæis, quæ periſtromata nùnc dicuntur, Baſilicæ D. Petri à Rusticanâ Patriciâ tranſmiſſis (*h*). Et in Actis D. Audoęni Epiſcopi Rotomagenſis habetur, quod per manus ipſius Præſulis tantam nummorum copiam Connationales ſui D. Petro Apoſtolo tranſmiſerunt, ut altaria pecuniis cumularet (*i*): Sed hæc fortè non niſi fuerunt eleemoſynę manuales. *Denarium* autèm *S. Petri* propriè dictum, ſtudiis noſtris non occurrit anteà memoratum, quam Imperium Romanum in Occidente fuerit reſtitutum. Carolus enim primus, ab operum magnitudine, magnus communitèr appellatus, Leonis Papæ III. auctoritate, honore, ac ornamentis Imperialibus decoratus (*l*), primitias Imperii ſui Apoſtolorum Principi conſecravit, juſſu, & hortatu decernens, ut unaquæque familia denarium unum quotannis, taxatâ aſſignatione, conferret, prætèr ea, quæ quiſque ex devotione propriâ largiretur. Complectebatur Caroli ditio *Germaniam*, ſimul & *Galliam*, & ab utrâque denarium hunc fuiſſe ſolitum erogari, ſignificant loca in verbis expreſſa, quæ S. Gregorius PP. VII. ad ſuum Nuntium ſcripſit, in Galliam ablegatum: *Dicendum eſt omnibus Gallis, & per veram obedientiam pręcipiendum, ut unaquæque*

(e) *S. Gregorius lib. 8. epiſt. 2.*

(f) *S. Gregorius lib. 6 epiſt. 4.*

(g) *Idem S. Gregor. l. 6 epiſt. 23.*

(h) *S Gregorius l. 9. ep 38.*

(i) *Vita S. Audoęni. ap. Surium tom. 4. die 24. Auguſt. cap. 23.*

(l) *Anaſt Biblioth in Leon. 3. Baron. ann. 800 n 6 Eginard. in Carol. Mag.*

que

Digitized by Google

que domus, ſaltèm unum denarium annuatim ſolvat B. Petro, ſi eum recognoſcunt Patrem, & Paſtorem ſuum more antiquo. Nam Carolus Imperator, ſicut legitur in tomo ejus, qui in Archivio Eccleſiæ B. Petri habetur, in tribus locis annuatim colligebat mille, & ducentas libras ad ſervitium Sedis Apoſtolicæ, ideſt Aquiſgrani, apud Podium S. Mariæ, & apud S. Egydium, excepto hoc, quod unuſquiſque propriâ devotione offerebat (a).

(a) *Gregorius PP. VII. lib. 8 ep. 23.*

30. Eodem modo etiam in *Poloniâ* denarius, ſive ſolidus S. Petro annuatim pendebatur, ſaltèm ex eo tempore, quo Benedictus Papa IX. cum Caſimiro Micislai II. filio, auctoritate Apoſtolicâ diſpenſavit, ut relictâ Cluniacenſi cucullâ, regale acciperet indumentum, hac lege adjectâ, ut ex tunc Poloni, inciſione rotundâ, & quodammodò Monachali, ſibi cæſariem decurtarent, & annuatim D. Petro Apoſtolo unum ſolidum erogarent (*b*). *Videbatur*, inquit Longinus, *cenſus iſte, qui denarius S. Petri vocabatur, primùm Polonis difficilis, atque gravis, utpotè qui ſecum perpetuam trahebat in Polonos obnoxietatem* (*c*). Attamèn illis fuit valdè proficuus, quandò repetentes quaſdam Provincias, à circumſtantibus Principibus occupatas, Poloni, eas probarunt ad illorum diadema Regium pertinere, ex denario S. Petri, quem locorum illorum incolæ quotannis D. Petri ærario perſolvebant (*d*). Profuit etiam ipſis, quandò Boemis tributum depoſcentibus à Poloniæ Regno, tamquàm ſibi Clientelari; Poloni infractis viribus obſtiterunt Joannem Papam XXII. ſuper hoc interpellantes, qui Archiepiſcopo Gneſnenſi talia ſcripta tranſmiſit: *Supplicaſtis ut eum Regnum prædictum eſſet nobis, & Eccleſię Romanæ, nullo mediante ſubjectum, & in ſignum ſubjectionis ejuſmodi, cenſus, qui denarius B. Petri vocatur, nobis, & eidem Eccleſiæ annis ſingulis deberetur &c. de tali Rege provideremus eiſdem, qui ſè patentèr exemplum oſtenderet, qualitèr ſubditos oporteret per juſtitię ſemitas ambulare &c. Nobilem virum Vladislaum Craconiæ, Sandomiriæ &c. Ducem &c. promovendum per nos in Regem Poloniæ concorditèr nominando: ſupplicantes inſtantèr, ut præfatum Ducem in Regem dignaremur ipſius Regni Polonię, de benignitate Apoſtolicâ promoveri, & coronari diademate Regio mandaremus &c.* (*e*).

(b) *Card. Baron. an. 1041. ad 1049.*

(c) *Longinus Duglo-ſchius.*

(d) *Idem Longinus.*

(e) *Raynald. an. 1319. n. 2. 3. 4.*

31. Idem denarius D. Petro, ſive Apoſtolicæ Sedi à Regno *Hiberniæ* præbebatur: nàm inter cœtera monumenta, reperitur quod Henricus II. Rex Angliæ, cum Hadriano Papâ IV. pertractans de Hiberniâ ſibi armorum viribus ſubigendâ, pactus eſt denarium S. Petri quotannis ſine ambiguitate perſolvere (*f*). De *Angliâ* ipſum denarium perſolvente, en quæ collegimus, eſt hiſtoriis. Ina Rex Anglorum Occidentalium, teſte Matthæo Veſtmonaſterienſi, hoc generalitèr definivit, ut *de ſingulis familiis denarius B. Petro, & Romanæ Eccleſiæ mitteretur* (*g*). Cum Gregorius Papa VII. Guillelmum Angliæ Regem per Legatos urgeret, ut ſibi, & fidelitatem juraret, & cenſum ſolitum, denarium S. Petri perſolveret, primum facere recuſavit, ſecundum autem promptè adimplevit, indicium exhibens luculentum, debiti ab illo Regno denarii (*h*). De quâ paritèr annuali penſitatione, Alexander Papa II. paulò poſt eidem Regi perſcripſit: *Angli piæ devotionis reſpectu, ad cognitionem religionis, annuam penſionem Apoſtolicæ Sedi exhibebant &c.* (*i*). Paſchalis PP. II. S. Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum, & Regni Primatem admonuit, ut collectionem denarii S. Petri toto ſtudio promoveret (*l*). Et cum Rege Henrico I. conqueſtus eſt, quod vix in dimidiatâ ſummâ ei fuiſſet ſub illo tempore perſolutus (*m*). S. Eduardus Rex Anglię in literis, quas ad Nicolaum Papam II. dedit, hæc individuè memoravit: *Ego augeo, & confirmo donationes, & conſuetudines pecuniarum, quas habet S. Petrus in Angliâ; & ipſas pecunias collectas cum regalibus donis, mitto vobis, ut oretis prò me, & prò pace Regni mei coram corporibus Sanctorum Apoſtolorum* (*n*). Cujus denarii ſolutio, videtur quod nedùm per ęs, & libram fuerit regulata, ſed etiam juxtà alias facultates, quas Anglię Incolę poſſidebant: In legibus etenim præfati S. Regis hoc enuntiatur: qui habuerit triginta denariatus vivæ pecuniæ, dabit denarium S. Pe-

(f) *Baron. an. 1159. num. 22. & ann. 1171. num. 12.*

(g) *Matth. Vueſtmonaſter.*

(h) *Baron. ann. 1079. num. 10.*

(i) *Alexand. PP. II. epiſtol. 8.*

(l) *Paſchal. PP. II. epiſtol. 40.*

(m) *Paſchal. II. epiſt. 105.*

(n) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 3. l. 1. c. 32. n. 4. 5. cum.*

S. Petri &c. (*a*). Nèc ſine notâ tranſiri debet, quod Eduardus mittens Nicolao Papæ præfato denarium S. Petri, epiſtolæ titulum iſtum apponit, Summo Patri Eccleſiæ Univerſalis Nicolao Edvardus Dei gratiâ Rex Anglorum &c. (*b*).

32. Porrò hunc denarium D. Petro quotannis ſolitum exhiberi, intercepit Henricus II. Anglię Rex, cum D, Thomas Cantuarienſis, ob notiſſima illa incendia, quæ cum Henrico habuit, & penè totam Inſulam pervaſerunt, abſceſſit (*e*). Demùmque illum totalitèr abrogavit Henricus VIII. Rex, cum Pontificiâ auctoritate excuſsâ, & fide etiam Catholicâ ejuratâ, in ſchiſma primùm, deindè in hęreſim, quam & calamo, & gladio ſtrenuiſſimè impugnaverat, eſt prolapſus (*d*). Alia poſſent addi, quæ Regnum *Anglię* D. Petri cenſualem eſſe declarant, de quo præmemoratus Henricus II. ad Alexandrum III. Papam ſcripſit: *Veſtrę juriſdictionis eſt Regnum Angliæ, & quantùm ad feudatarii juris obligationem, vobis dumtaxàt obnoxius teneor, & aſtringor Patrimonium B. Petri Romanus Pontifex ſpirituali gladio tuęatur* (*e*). Pendebat *Anglia* 700. *Hibernia* verò 300. argenti marcas Pontifici (*f*), Joannes Rex tributum mille argenti marcarum prò Regno Angliæ Romano Papæ ſpopondit (*g*): quas ſibi ſolvi Joannes Papa XXII. aliquandò petiit, & obtinuit (*h*). Nèc Nicolaus Papa IV. Eduardo I. Regi aſſentitus eſt poſtulanti, ut hujuſmodi tributum, quod Romanę Eccleſiæ debebatur, Anglicis inpoſterùm Eccleſiis præberetur (*i*).

33. Hęc, & alia poſſent addi de Regno *Anglię* (*l*), & non diſſimilia congeri de aliis Regnis, quæ olim quaſdam pecunię ſummas Apoſtolicæ Sedi annuatim perſolvebant; ſed ea intermittimus, tamquàm rationem quandam potiùs feudalitatis pręſefereutia, quàm piæ erogationis, de quâ loquimur, denarius S. Petri communitèr appellatæ. Non omittemus tamèn advertere, quod iſte denarius S. Petri, etiam à Regni *Scotiæ* incolis prębebatur: ſervaturque adhùc epiſtola Joannis PP. XXII. in quâ mandat cenſum illum apud Scotos colligi, qui D. Petri denarius nuncupatur (*m*). Idipſum conſueviſſe fieri in Regno *Sveciæ* tempore, quo ibi Catholicę fidei puritas efflorebat, citrà controverſiam eſt, ad quod probandum intèr cœtera documenta, facit ejuſdem Joannis PP. XXII. epiſtola ad Regem illius Regionis directa, quâ illum requirit, ut ſuo Collectori favorem, auxiliumque pręſtet in colligendo cenſu Apoſtolicæ Sedi debito., qui D. Petri denarius appellatur. Qui paritèr & aliam ſcripſit epiſtolam Electo Epiſcopo, atque Capitulo Upſalenſi, depoſcens, ut denarium S. Petri, In Sveciâ collectum, & ad Cameram Apoſtolicam nondùm tranſmiſſum facerent opportunè perſolvi (*n*). Sed jam hęreſis, quæ floridiſſimum illud Regnum fædavit, hanc quoque nobiliſſimam imaginem Svecię pietatis infelicitèr abolevit.

34. Attamèn iſta exhibitio, dicta denarium S. Petri, vel fuerit ſpontanea contributio, vel penſitatio ex obligatione prębenda, unum eſt quod debita fuit, & tempore Joannis Papę XXII. ſuperiùs memorati multis in locis exigebatur. Quâ de rè Raynaldus ſummatim adnotat *Pontificem exigi juſſiſſe à Reginaldo quæſtore B. Petri denarium in Angliâ, Vvalliâ, Hiberniâ &c. & cum Electo Upſalenſi, & Canonicorum Collegio provinciam Joannes dediſſet, ut denarium B. Petri in Sveciâ cogerent, Regem Sveciæ rogavit, hortatuſque eſt, ne quid impedimenti in eo Cenſu à Svecis perſolvendo inferret. Nèc ſolùm ex Angliâ, & Sveciâ, verùm è Norvegiâ etiam, Daniâ, & Poloniâ, exegiſſe denarium S. Petri, datæ ad earum partium Reges &c. Et Archiepiſcopos Apoſtolicæ literæ docent* (*o*). Solvebatur & in *Britanniâ* minori; ſolvebatur & alibi (*p*); ſed quidnam nùnc de hac rè ſit, nobis eſt incompertum. Hæreſis, quę in quibuſdam è dictis Regionibus Catholicam fidem abſumpſit, nil mirum ſi & denarii S. Petri religioſam exhibitionem expunxit: Satis tamen nobis eſt oſtendiſſe illius juſtitiam, & antiquitatem. Quę ſi nùnc non perſolvitur, in caput Contradictorum hoc recidit, qui Romanam Curiam de nimiis exactionibus lacerant, cum hęc denarium S. Petri nùnc non recipiendo, minora proculdubiò ad ſe trahat, quàm ſolita eſſet elapſis temporibus adipiſci.

CA-

(a) *Idem loc. cit.*

(b) *Baron. ann. 1060. num 9.*

(c) *Gallia Vindicat. diſſert. 3. §. 3. n. 8.*

(d) *Raynald. an. 1521 num 54. 68. 73. & ann. 1534. à n 5.*

(e) *Card. Baron. an. 1173 n 10.*

(f) *Raynald. ann. 1317 n. 47.*

(g) *Thomaſſin. p. 3. l. 1. c. 32. n. 4.*

(h) *Raynald. loco cit.*

(i) *Idem Raynald. an. 1202. n. 12.*

(l) *Polydor. Virgil. hiſt. Angl. l. 4.*

(m) *Raynald. ann. 1319. n. 82.*

(n) *Joan. Vaſtonius Vitis Aquilonia fol. 194.*

(o) *Odoric. Raynald. ann 1317. n. 49. & ſeque.*

(p) *Vide Spondan. ad annos 940 782. 869. 1045. 1159. Gall. Vindicat. diſſert. 3. §. 3. n. 8.*

CAPUT XXIII.

In quo agitur de Spoliis Clericorum, & de fructibus vacantium Beneficiorum, quæ percipit Romana Eccleſia: eorumque juſtitia demonſtratur: ac dicteria in oppoſitum diluuntur.

SUMMARIUM.

1 Varias viceſſitudines Spolia Clericorum paſſa ſunt. Reditus vacationis tempore decurrentes, ab initio debebantur Succeſſoribus in beneficio.
2 Leges eccleſiaſticę interdixerunt, nè quis Clericus bona morientium beneficiariorum invaderet. Concilium verò Andegavenſe quibus id permiſerit.
3 Alibi Laici in morientium Sacerdotum Spolia, & vacantium Eccleſiarum bona irrumpebant, quos varia Concilia coercuerunt.
4 Atto Vercellenſis declamat contrà iſtas depredationes. Concilium Arvernenſe grave infligit anathema laicis Spolia uſurpantibus.
5 In aliis locis Clerici cum Laicis bona vacantium Eccleſiarum, & decedentium beneficiariorum diripiebant, quos leges repreſſerunt.
6 Alicubi Spolia præfata ſibi aſſumebant quilibet Epiſcopi in propriâ illorum Diœceſi: & Spolia Epiſcopatuum vacantium accipiebant Archiepiſcopi.
7 Decreverunt varia Concilia, ut bona decumbentium apud Oeconomum, durante vacatione beneficii, deponerentur, ad commodum Succeſſoris.
8 Etiàm Imperatores tàm in Occidente, quàm in Oriente quaſdam ediderunt ſanctiones, pro tuendis Spoliis, & reditibus vacantium Eccleſiarum.
9 Aliqui Principes inceperunt ſibi arrogare Spolia decumbentium Sacerdotum. Alibi Cuſtodiam eorum aſumpſerunt, undè manarunt jura Regalię, & Deportus.
10 A Cuſtodiâ, & tuitione deſcenderunt illi Principes ad Spolia, & reditus vacantium Eccleſiarum ſibi uſurpandos.
11 Etiàm Duces, & Comites, qui prius erant temporanei, poſtquàm facti ſunt perpetui, ſibi Spolia præfata in ſuis Ditionibus arrogarunt.
12 Comites Narbonenſes, Toloſani, & aliorum locorum banc ſibi poteſtatem aſſumebant, cui poſteà ſolemnitèr renuntiarunt.
13 Hujuſmodi uſurpatio Spoliorum facta à Principibus, variis execrationibus transfigitur à Papis, & à Sanctis Patribus.
14 In Galliâ, & Angliâ jus percipiendi hos reditus, & Spolia, ad fiſcum Regium pertranſivit, vi antiquæ conſuetudinis, & approbatæ.
15 Succeſſivè Spolia iſta ad Sedem Apoſtolicam pervenerunt, non ubique tamen exiguntur, etſi ad eam pertinere debeant.
16 Innuitur antiquum veſtigium pertinentię hujuſmodi Spoliorum ad Papam. Principibus non licet ſtatuere, ne Spolia Romano Pontifici tribuantur.
17 Verior ipſius pertinentię origo referenda videtur ad ſchiſma Avenionenſe, cum Pſeudopontifices Spolia ad ſè traxerunt.
18 Jàm ſaltèm à 336. annis Spolia pertinent ad Cameram Apoſtolicam. Juſtiſſima ſunt, & de iis varii Pontifices Bullas ediderunt.

19 *Spolia Papæ, tamquàm ſupremo adminiſtratori bonorum Eccleſię debentur. Beneficiati ſunt Domini redituum Eccleſiæ illorum vitâ durante.*

20 *Pontifex colligendo Spolia, ſe reddit vindicem malè adminiſtrati à Clericis patrimonii eccleſiaſtici. Poteſt Papa Spolia hæc piis uſibus applicare.*

21 *Interdùm Papę Spolia contulerunt Epiſcopis, Regibus, & Ducibus.* Regalia *quoque, &* Deportus, *ubi viget, hinc initium habuiſſe videtur.*

22 *Conſuetudo favet Pontifici in Spoliis exigendis, cui detulit Concilium II. Lugdunenſe; illique inhæret* Luctuoſa, *&* Mortma, *ubi exigitur ab Epiſcopis.*

23 *Si conſuetudo ſufficit Principibus, & Epiſcopis pro jure colligendi Spolia eccleſiaſtica; quanto magis ſufficit Pontifici, qui eſt ſuper omne jus.*

24 *Aſſertur Doctrina Joannis Azorii, qui variis rationibus probat juſtitiam, quâ Spolia eccleſiaſtica Fiſco Pontificio penduntur.*

25 & 26 *Octo rationes accumulat Navarrus juſtificantes exactionem Spoliorum, quæ percipit Papa de exuviis Clericorum.*

27 *Non eſt major ratio, cur in unâ, quam in aliâ regione Spolia Summo Pontifici debeantur. Multò magis ei debentur in ſuo Statu.*

28 *Regnum Neapolitanum eſt feudum, & territorium Romanæ Eccleſiæ. Pius Papa IV. Bullam edidit Spolia Clericorum addicentem Cameræ Apoſtolicæ.*

29 *Indè aliâ Bullâ declaravit fructus omnium beneficiorum Regni Neapolis, Sedi Apoſtolicæ reſervatos eſſe, ac deberi.*

30 *Neapolis Regnum Sedis Apoſtolicæ patrimonium eſt. Non eſt omnium judicare, an Sedes Apoſtolica indigeat nec ne ſubſidio Spoliorum.*

31 *Exaggeratur pro majori, quam ſit exactio Spoliorum in Regno Neapolitano, ut factum fuit de ſubſidio* Campanilis *in Galliâ.*

32 *Recens memoria eſt indulti, quo Innocentius Papa XII. exemit à Spolio Eccleſias Regni Neapolis, improvidaque eſt ibi impugnatio Spoliorum.*

33 *Nequè Rex, neque Clerus mandarunt impugnari Spolia. Quis ergò, & quâ auctoritate prò illis diruendis inſiſtit?*

34 *Si in Spoliis exigendis exceditur modus, non Sedes impetatur, ſed corrigantur abuſus. Cathedra enim non demeretur, ſi exactores peccant.*

(a) *Cap. hæc 38. c. de Laicis 46. cauſ. 12 qu. 2. cap. præſenti 9. & ibi Gloſ. V. reſervari de offic. Ordinar. in 6.*
(b) *Canon. Apoſt 40.*
(c) *Conc. Antioch. c. 24. 25.*
(d) *Concil. Chalced. cap 22.*
(e) *Concil. Rhegienſ. cap 7.*
(f) *Conc. Pariſ. c. 14.*
(g) *Conc. Pontigon. cap 14.*
(h) *Conc. Tarracon. an 512. c. 12.*
(i) *Concil Burdigal. an 1260.*
(l) *Concil. Aurel. II. cap 6.*
(m) *Hincm Remenſ. epiſt. 12. 22. 45.*
(n) *Flodoard. hiſt. Remenſ l 3. c 4.*
(o) *S. Greg. l. 2 ep. 19 l. 3 ep. 11. l. 4 ep. 13. 14 & 22.*
(p) *S. Greg. l. 4 ep 20*

1\. PRÆSENS Capitulum peculiari ſermoni de *Clericorum Spoliis* deputamus, ad Cameram Pontificiam ab antiquo tempore pertinentibus, quæ ſicuti Contradictores intacta non relinquunt, nec exempta faciunt ab eorum dicteriis; ità & à nobis hìc omitti non debent, & indefenſa relinqui, ut eorum juſtitia omnibus innoteſcat. Ergò hìc illorum originem, antiquitatem, & juſtitiam prò exiguitatis noſtrę viribus tuituri, ultrò fatemur Spolia Clericorum varias viciſſitudines paſſa eſſe. Nàm quidquid de bonis Eccleſiæ ſupererat, ad hæredes defuncti non pertinens, vel ex ipſius Eccleſię reditibus vacationis tempore decurrebat, ab initio fidelitèr ſervabatur, ut ipſiuſmet Eccleſię uſibus deſerviret, aut ad ſucceſſorem in beneficio perveniret (*a*), ut habetur ex Canonibus Apoſtolorum (*b*); & ex Conciliis Antiocheno (*c*), Chalcedonenſi (*d*), Rhegienſi (*e*), Pariſienſi (*f*), Pontigonenſi (*g*), Tarraconenſi (*h*), Burdigalenſi (*i*), Aurelianenſi II. (*l*), nec non ex Patribus, ac Scriptoribus Eccleſiaſticis ex doctrinâ Hincmari Remenſis (*m*), ex Flodoardo (*n*), & prȩſertim ex S. Gregorio Magno (*o*), qui Viſitatores Eccleſiis vacantibus deſtinatos, de hoc individuè commonebat, ut caveret, quod *nihil de provectionibus Clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque, vel quidquid illud eſt in patrimonio ejuſdem à quoquam prȩſumatur Eccleſiæ* (*p*). Verùm citò incæperunt in aliquibus locis, manus *Clericorum* defuncti beneficiarii ædes pervadere,

dere, & ſibi fructus decurrentes præbendæ viduatæ uſurpare: quorum audaciam, ut jam diù introductam, & à Sacris Canonibus deteſtatam, damnavit Concilium Chalcedonenſe decernens: *non licet Clericis poſt mortem Epiſcopi ſui rapere res pertinentes ad eum, ſicuti præcedentibus regulis conſtitutum habetur. Si verò hæc fecerint, periclitari ſe noverint à proprio gradu* (*a*).

2. Alluſit fortè hoc Concilium canoni Ancyrano, vetanti ne Presbyteri, mortuo Antiſtite, res Eccleſię diſtraherent (*b*), vel canoni Antiocheno, caventi nè res decedentis Epiſcopi pervadantur (*c*). Conſonat his decretum Concilii Valentini in Hiſpaniâ, habiti anno 524. ſub his terminis: *Epiſcopo ab hoc Sæculo, jubente Domino, accerſito, Clerici ab omni omninò ſuppellectili, vel quęcumque ſunt in domo Eccleſiæ, vel Epiſcopi, in libris, ſpeciebus, utenſilibus, vaſculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omninò rè rapaces manus abſtineant, & nihil latronum more diripiant &c.* (*d*). Nec diſſimilia continet Sanctio Concilii Ilerdenſis, ſub eodem tempore celebrati: *Defuncto Antiſtite, vel etiam adhùc in ſupremis agente, nullus Clericorum cujuslibet ordinis, officii, graduſve ſit, quidpiam de domo præſumat, vel quod de utilitate inſtrumenti domus eſſe agnoſcitur, ideſt mobilis, & immobilis rei Eccleſiaſticæ conetur invadere, nihil furto, nihil domo ſupprimens, auferens, atque abſcondens &c. quod ſi quiſquam &c. quippiam probatus fuerit abſtuliſſe &c. reus ſacrilegii prolixiori anathemate condemnetur* (*e*). Quâ & anathematis pœnâ, etiam Concilium Claromontanum Clericos, rerum talium ſurreptores, affecit: *Ne quis Clericus res Epiſcoporum, vel Clericorum, vel in vitâ, vel poſt mortem eorum, diripiat, vel in eorum uſus proprios conferat. Quod ſi quis fecerit, anathema ſit* (*f*). Hoc modo Sacri Canones Clericorum manus avidas coercuerunt, ne Spolia beneficiariorum invaderent; quos & Bonifacius Papa VIII. ſpeciali conſtitutione percuſſit, inhibens ne morientibus Rectoribus Eccleſiarum, *bona in ipſis iuventa, ſivè vacationis ipſorum tempore obvenientia, quę in utilitatem eorundem expendi, vel futuris debent Succeſſoribus fidelitèr reſervari, occupare, aut in uſus ſuos convertere quoquomodo præſumant. Niſi de ſpeciali privilegio, vel conſuetudine jàm præſcriptâ legitimè, ſeù aliâ causâ rationabili, hoc eiſdem competere dignoſcatur* (*g*). Quam conſtitutionem laudavit, & obſervari mandavit Concilium Conſtantienſe (*h*), & Concilium quoque Andegavenſe Clericis permiſit Spolia decedentium beneficiariorum accipere, ubi antiqua Conſuetudo illis eadem vendicabat (*i*).

3. Alicubi autem *Laici* in vacantium Eccleſiarum bona irrumpebant, & earum ſibi audactèr reditus arrogabant, quos uſque ab antiquis ſęculis repreſſit Concilium Pariſienſe, decernens: *Defuncto Epiſcopo, non per præceptum, neque per judicem, nec per qualemcumque perſonam res Eccleſię, vel Epiſcopi propriæ, à nullo penitùs contingantur, ſed ab Archidiacono, vel Clero in omnibus defendantur &c. Quod ſi quis temerè aliquid exindè auferre præſumpſerit &c. uti necatur pauperum, communione privetur* (*l*). Illùc etiam collimavit Concilium Pontigonenſe, definiens: *quoties divinum judicium Eccleſiæ Præſulem à ſęculo vocaverit, nullus ad ſuimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad ſuos uſus transferat* (*m*). Concilium quoque Triburienſe, appoſitè ad hæc, decrevit: *perlatum eſt ad Sanctam Synodum, quod quidam laici improbè agant contrà Presbyteros ſuos, itàut de morientium Presbyterorum ſubſtantiâ partes ſibi vendicent, ſicuti de propriis ſervis. Interdicimus itàque ne hoc ulteriùs fiat* (*n*). Concilium demùm Toloſanum, ità ſancivit: *primitiæ, & decimę, & oblationes, & bona cętera decedentis Epiſcopi, & Clericorum, à Principibus, vel quibuslibet Laicis diripi, & teneri penitùs interdicimus: qui verò pertinacitèr iſta præſumpſerint, ab Eccleſiæ liminibus, tamquàm ſacrilegi arceantur* (*o*). Alluſivè ad hęc memorat Flodoardus Comitem quendam Theodulphum, qui *defuncto Presbytero, abſtulerat, quę idem Præsbyter in eleemoſynâ prò ſe dari præceperat, & inſuper uſurpaverat, quæ ad ipſam Eccleſiam ritè relicta fuerant*, tùm addit, quod Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis,

(a) Concil. Chalced. cap. 21.
(b) Conc. Ancyran. cap. 15.
(c) Conc. Antioch. cap. 24.
(d) Conc. Valentin. cap. 2.
(e) Conc. Ilerdenſ. cap. 16.
(f) Conc. Claromont. an. 1095. c. 11.
(g) Cap. 9. de offic. Ordinar. in 6
(h) Conc. Conſtantienſ. ſeſſ. 19.
(i) Conc. Andegav. an. 1365. n. 11.
(l) Concil. Pariſienſ. an. 615. can. 7.
(m) Conc. Pontigon. an. 876. c. 14.
(n) Conc. Triburienſ. apud Reginonem c. 31.
(o) Conc. Toloſanum an. 1119. c. 4.

ſis, mandavit ei, *ut juxtà ſacras auctoritates, & Regum præcepta quidquid de facultatibus ipſius Eccleſiæ acceperat, præſentialitèr Eccleſię reddat* (a).

(a) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. l.3.c.26.*

4. Attonis tandem Vercellenſis notiſſima eſt exclamatio, de laicis bona decedentium Clericorum invadentibus, ità perſonans: *præterire non poſſumus, quod res Eccleſiaſticę poſt mortem, vel expulſionem Epiſcopi, in direptionem, & rapinam ſęcularibus tradantur, cum dignum ſit, quod ea in Epiſcopio remaneant per Oeconomum, & cæteros diſpenſatores Eccleſiæ, uſque ad ordinationem futuri Epiſcopi intemeratè ſerventur* (b). Nullibi tamen de hac re clariùs actum eſt, & effuſius, quàm in Concilio Arvernenſi ſub Urbano Papâ II. ſub his terminis: *De laicis quęſtio facta eſt, qui morientibus Epiſcopis, ſivè aliis Clericis, res defunctorum invaſas, Eccleſię pauperibuſque ſubripiunt. Contrà quos commune totius Concilii anathema prolatum eſt ipſo Papâ hujuſmodi ſententiam promulgante. Si quis poſt interdicti præſentis cognitionem, Epiſcoporum, ſeù Presbyterorum, aut aliorum Clericorum res invaſerit, uſque ad ſatisfactionem excommunicetur. Epiſcoporum verò decedentium res per Archipresbyterorum, ſeù Archidiaconorum manus, aut ſecundùm mortuorum judicium, prò ipſorum ſalute in eleemoſynas diſpenſentur, aut ſucceſſori, qui futurus eſt, reſerventur. Idipſum de Presbyterorum, ſeù Clericorum aliorum rebus per Epiſcopum, vel ſupradictas perſonas, aut cui deficientes commiſerint, fiat. Si quis autem adversùs iſta prę ſumpſerit, anathema ſit* (c).

(b) *Spicileg. tom. 11. fol. 247.*

(c) *Cap. de Laicis 46 cauſ. 12 qu. 2.*

5. In aliis locis *Clerici, und è cum Laicis* inſimul mixti, vacantium Eccleſiarum, & earum Rectorum, fato decedentium, bona temerè ſubripiebant: cujus rei antiquum exemplum refert S. Gregorius Turonenſis, loquens de Epiſcopo Maſſilię, in quem Pręfectus Urbis, & Clerici junctâ conjuratione impetum fecerant: eoque capto *domos Eccleſię apprehendunt, miniſteria deſcribunt, regeſtoria reſervant, promptuaria expo[...]unt, omneſque res Eccleſiæ, tamquàm ſi mortuus eſſet Epiſcopus, pervadunt* (d): Utroſque autem Clericos, & Laicos junctis manibus in has rapinas impudentiſſimè procurrentes, Concilium Ticinenſe hac ſanctione cenſuit percellendos: *Tollenda eſt prava omninò conſuetudo, quæ in quibuſdam locis oriri cœpit: quia nonnulli Archipresbyteri, vel aliorum titulorum Cuſtodes, fruges, vel aliarum Eccleſiarum reditus ad proprias domos adducunt. Nonnulli autem laicorum, in tantum eorum nequitię ſe complices faciunt, ut quę hujuſmodi tranſgreſſores ab Eccleſiâ ſurripuerunt, ipſi in ſuis domibus abſcondant* (e). Legitur quoque hac de rè Conſtitutio Joannis Comneni Imperatoris ità proloquens: *Relatum eſt nobis, quoſdam Provinciarum Pręſides, ſimul atque Pontifices rebus humanis exceſſerint, auferre omnia, quę in Epiſcopio reperiantur &c. & à Clericis non pauca talia deſignari* (f).

(d) *S. Gregor. Turonenſ. lib. 6. c. 11.*

(e) *Concil. Ticinenſ. ann. 855.*

(f) *Jur. Orient. tom. 1. f. 147 & 176 vid. et. Spondan. an. 1124. n. 5.*

6. In aliquibus aliis locis *Epiſcopi* ſpolia ſibi morientium Beneficiariorum, & Eccleſiarum vacantium arrogabant; quos compeſcuit Concilium Pariſienſe, diſponens: *Comperimus cupiditatis inſtinctu, deficiente Abbate, vel Presbytero, vel his, qui per titulos deſerviunt, pręſidium quodcumque in mortis tempore dereliquerint, ab Epiſcopo, vel Archidiacono diripi, & quaſi ſubaugmentum Eccleſiæ, vel Epiſcopi, in uſum Eccleſiæ revocari, & Eccleſiam Dei per pravas cupiditates expoliatam relinqui. Statuimus obſervandum, ut neque Epiſcopus, aut Archidiaconus exindè aliquid auferre præſumat* (g). Et Concilium Cabilonenſe paulò poſt indictum, ſeptimum ſuum canonem ſic concepit: *Defuncto Presbytero, vel Abbate, nihil ab Epiſcopo auferatur, vel Archidiacono, vel à quocumque de rebus Parochię, vel Xenodochii, vel Monaſterii aliquid debeat minuere* (h). Hùcque ſuo intuitu perſpexit Concilium Oxfordienſe, ubi decrevit: *Nè Prælatus aliquis cum Eccleſiam contulerit, aut præbendam fructus ejuſdem Eccleſię, ſivè prębendæ, nondùm collectos, ſibi præſumat aliquatenùs uſurpare.* Ubi tamèn mos invaluerat, vel acceſſerat privilegium, dans Epiſcopis jus ipſamet ſpolia colligendi, illud habere locum decrevit Sanctio Bonifacii VIII. (i): quam, ut innuimus, Decretum Conſtantienſis Synodi confirmavit (l). Nèc alitèr ſentire viſum eſt Concilium Derthuſenſe, dùm inhibuit Epiſcopis bona Clericorum, teſtamento edito, decedentium, ſibi

(g) *Concil. Pariſ. an. 615. c. 8.*

(h) *Concil. Cabilon. ann. 650. c. 7.*

(i) *Cap. præſenti de offic. ordin. in 6.*

(l) *Concil. Conſtantienſ. ſeſſ. 39.*

Digitized by Google

ſibi addicere (*a*), quaſi morientium ab inteſtato ſibi debita eſſent, & ità mos erat in Diœceſi Agrigentinâ, ut ſpolia Clericorum ad Epiſcopum pertinerent (*b*). Quod & in Milevitano Epiſcopatu paritèr in uſu fuit reſpectu ad Canonicos decedentes (*c*). Demùm alicubi *Archiepiſcopi* ſpolia ſibi Defunctorum Antiſtitum vendicabant, quorum compreſſit conatum Synodus VI. Generalis hoc canone: *Nulli omnium Metropolitanorum liceat mortuo Epiſcopo, qui ejus throno ſubeſt, res ejus, vel ipſius Eccleſiæ ſibi vendicare, ſed ſint ſub cuſtodiâ Cleri Eccleſiæ, cui defunctus præfuit, uſque ad alterius Epiſcopi promotionem* (*d*).

7. Ità diverſis in locis, diverſimodè de Clericorum ſpoliis agebatur: & prò varietate locorum variis legibus, opportuna malis antidota, parabantur, ſed ad repellendas quorumcumque manus à ſpoliis ipſis pervadendis, viſum eſt Eccleſię bonum eſſe, & vacantium præbendarum fructus, & res apud Oeconomum, aut Archidiaconum, ſivè alium virum idoneum ponerentur, vel ſucceſſori tradendæ, vel Eccleſiæ viduatæ utilitatibus impediendę; quarè Concilium Chalcedonenſe, generale IV. edixit: *Viduæ Eccleſiæ reditus apud Eccleſiæ Oeconomum cuſtodiatur* (*e*). Et quod lege decreverunt magnę illius Synodi Patres, opere quoque uniformitèr compleverunt. Nàm depoſitio per eos impio Dioſcoro Alexandrino, Synodalibus literis monuere Presbyterum Oeconomum illius Eccleſiæ, ut cuſtodiendis promoventibus illius Sedis intenderet, eorum rationem futuro Epiſcopo redditurus (*f*). Quod paritèr fecerant Patres Concilii Epheſini, cum emiſſâ depoſitionis ſententiâ in ſacrilegum Neſtorium, Oeconomo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſcripſerunt, de rebus illius Sedis ſollicitè conſervandis (*g*). Propè quoque antiqua illa ſæcula, Concilium Aurelianenſe ſancivit: *Epiſcopus, qui ad ſepeliendum Epiſcopum venerit, evocatis Presbyteris in unum, domum Eccleſię adeat, deſcriptamque idoneis perſonis cuſtodiendam ſub integrâ diligentiâ derelinquat, ut res Eccleſiæ ullorum improbitate non pereant* (*h*). Et paulo poſt, Concilium Pariſienſe mandavir, ut res pręfatę vel ab *Archidiacono, vel Clero in omnibus conſerventur, vel defenſentur* (*i*). Concilium Pontigonenſe præcepit; ut *ipſius Eccleſiæ conſtituto Oeconomo, liberum ſit canonico more, juſtè, rationabilitèrque deputata ſucceſſori ſervare* (*l*). Concilium paritèr Valentinum in Hiſpaniâ valdè anteà celebratum, pręſcripſit, ut à Metropolitano vacanti Eccleſiæ præficeretur Oeconomus, ad quem præmemorarę res, & reditus pervenirent, & *Cleri ſuis ſtipendiis contenti, labores non diripiant Epiſcopi decedentis, & in vacuam Eccleſiæ domum futurus Pontifex non ſinè dolore ſuccedat, ſed magis de Prædeceſſoris ſui dimiſſo, poſſit & ipſe gaudere, & aliis miniſtrare* (*m*). Omiſſiſque aliis ſanctionibus eccleſiaſticis (*n*), Concilium Lateranenſe II. generale X. prout ſequitur, definivit: *ut decedentium bona Epiſcoporum à nullo omninò hominum diripiantur, ſed ad opus Eccleſiæ, & ſucceſſoris ſui, in liberâ Oeconomi, & Clericorum permaneant poteſtate*: Contrafacientibus intorquet pœnam anathematis, quam & ad uſurpatores bonorum inferiorum Clericorum extendit (*o*).

8. Et nè quidquam pręſidii hujuſmodi almę legi deeſſet, Reges quoque, & Imperatores, ſuâ auctoritate vim ſacrorum Canonum conſtiparunt adverſus deprædatores Eccleſiarum vacantium, earumque redituum, & ſpoliorum. Et ità in Oriente Emanuel Comnenus Conſtantinopolitanus Imperator edixit, *de adminiſtratione bonorum immobilium vacantis Eccleſiæ, in qua nè pedem quidem immittet aliquis ex Ducibus, ſed nec quælibet illinc pars auferetur, ſed omnia à partibus* (ideſt Clericis) *ejuſmodi Eccleſiarum in ipſis adminiſtrabuntur, quemadmodum legitimè, & canonicè edictum eſt, donèc Succeſſores renuntiati ſint* (*p*). Carolus quoque Calvus in Occidente Imperator, & Rex Francorum hæc, quæ ſequuntur, pręcepit: *ſi aliquis Epiſcopus interim obierit, Metropolitanus ipſi Sedi, Viſitatorem ſecundum ſacros Canones deputet, qui unà cum Comite ipſam Eccleſiam nè prædetur, cuſtodiat, uſque dùm ipſius Epiſcopi obitus ad veſtram notitiam perveniat* (*q*). Proderantque hujuſmodi, ac ſimiles laicę poteſtatis ſanctiones, ut terrorem &

(a) *Concil. Dertuſen. ann. 1429 c. 18.*
(b) *Rocch. Pirrus Sicil ſacr. tom. 2. in Epiſc. Agrigentin. f. 18.*
(c) *Idem Pirrus in Epiſc. Meliten∫. nu. 32. fol. 602.*
(d) *Concil. Conſpolitan. III. c. 15.*
(e) *Concil. Chalcedonen. cap. 22.*
(f) *Concil Chalcedonen. Action. 3.*
(g) *Concil. Epheſin. Act. 2.*
(h) *Concil. Aurelianen II an 533 c. 6.*
(i) *Concil. Pariſienſ. 5 ann. 615 c 7.*
(l) *Concil. Pontigon. ann. 876 c. 14.*
(m) *Concil. Valentin. cap. 2.*
(n) *Concil. Aquiſgr. ann. 818. Conc. Papien. cap. 14.*
(o) *Concil. Lateran. II c. 5.*
(p) *Conſtit. Emanuel. Comnen. ann. 1150.*
(q) *Capitular. Caroli Calvi cap. 8.*

Clericis, & Sæçularibus, & Nobilibus, & Plebeis incuterent, qui ſic metu perculſi, à rebus, & proventibus Eccleſiæ ſibi arrogandis conſultiſſimè temperarent. Quorum Principum adjutorium probabile valde cenſemus, quod & Epiſcopi, & ipſi Romani Pontifices imploraverint, id erventes ex illis, quæ Joannes Papa IX. in Concilio Romano de rerum hujuſmodi invaſoribus definivit: *quod qui facere præſumpſerit, non ſolùm eccleſiaſticâ cenſurâ, ſed etiam Imperiali indignatione feriatur* (a).

(a) *Concil. Roman. ann. 904.*

9. Verùm licèt prò coercendis Clericis, atque Laicis minoris conditionis optimè profecerint juſſa Canonum, & Conciliorum, Principum quoque auctoritas, atque Oeconomorum congrua deputatio; attamèn hęc non pręvaluere pro manibus cunctorum Principum, à Clericorum Spoliis, continendis. Rex Vvandalorum Spolia decedentium Epiſcoporum fiſco Regio voluit applicari, addito pedagio novitèr electis Epiſcopis, ut & ipſo fiſco Regio quingentos aureos erogarent. Sed rès infecta remanſit, quippè *ſuggeſſerunt ei domeſtici ſui, dicentes, ſi iſtud firmaverit præceptio tua, noſtri Epiſcopi in partibus Thraciæ, & aliis regionibus conſtituti, pejora incipient pati* (b). Primus omnium ex Principibus fuiſſe videtur Heraclius Imperator, qui operâ Iſaacii Exarchi, ad Spolia manus extendit, dùm Honorio Papâ I. defuncto, milites Cæſarei Lateranenſe Epiſcopium, atque Baſilicam deprędarunt, & ſacros reditus expilarunt (c): Sed Heraclio aliquantò antè prævivit Childebertus Gallorum Rex, qui poſt depoſitum in Concilio Metenſi, & in exilium actum apud Argentoratum Ægidium Remorum Epiſcopum, ejus opes, tamquàm per fas, & nefas accumulatas, invaſit, atque diripuit (d). Verùm hi videntur latrocinalitèr potiùs, quàm alio honeſto titulo, bona, quæ memoravimus, invaſiſſe. Alibi tamen Reges, & Imperatores *Cuſtodiam* ſibi vacantium Eccleſiarum aſſumpſerunt, undè paulatìm jura *Deportus*, & *Regaliæ* ſucceſſu temporum profluxerunt. Eandem cuſtodiam velut licitam comprobaſſe Pontifices patet, cum Hadrianus Papa II. ità Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi, de Laudunenſi Epiſcopò ſcripſit: *Epiſcopatum ejus ſanctitati tuæ ſpecialitèr poſt Regem ſervandum committimus* (e). Et ipſe Hincmarus in epiſtolâ ad Ludovicum III. Balbi filium, Galliæ Regem hanc defenſionem, ſive cuſtodiam, Regale miniſterium nuncupavit, *ſecundum miniſterium veſtrum res, & facultates Eccleſiæ, quas ad defendendum, & tuendum vobis Dominus commendavit &c.* (f). Sed Regium hujuſmodi miniſterium nihil, niſi tuitionem, defenſionem, & cuſtodiam bonorum Eccleſię complectebatur, non verò jus eadem diſpenſandi; *quoniam res, & facultates eccleſiaſticæ non in Imperatorum, atque Regum poteſtate ſunt ad diſpenſandum, vel invadendum, ſive diripiendum, ſed ad defenſandum, atque tuendum: Sunt enim ſanctuaria, & hęreditas Domini* (g).

(b) *Victor. Uticenſ. de perſec. Vandal. l. 2.*

(c) *Anaſtaſ. Biblioth. in Severin. PP. Foreſt. Mappam. hiſtor. in Honor. I.*

(d) *S. Greg. Turonenſ. hiſt. l. 10. c. 19. 20.*

(e) *Conc. Gall. tom. 3. f. 122 & 375.*

(f) *Hincm. Remenſ. in epiſt. ad Ludov. III.*

(g) *Idem to. 2 f. 178.*

10. Ex Jure hujuſmodi cuſtodiæ, ac tuitionis, Principibus commiſſæ id effluxiſſe videtur, ut aliqui eorum phylacteria dilatare, manuſque ad ipſa bona protendere incęperint, & res, & fructus eccleſiaſticos vel ſibi applicare, vel cœteris impertiri: quod nonniſi ex aliquâ neceſſitate factum eſſe coniicimus ex verbis Caroli II. Imperatoris, ità loquentis favore Hincmari Remenſis, novitèr ad illam Sedem provecti; *Si illa, quæ quâcumque neceſſitate corrupta ſunt, Regiâ noſtrâ auctoritate corrigimus, ſaluti noſtræ conſulimus, & Regium miniſterium à Domino ſuſceptum exercemus. Proindè noverit fidelium ſolertia, quià Res ex Epiſcopatu Remenſi, quas magnâ neceſſitate, ac per omnia inviti, dùm à Paſtore Sedes ſancta illa vacaret, fidelibus noſtris ad tempus commendavimus, electo, & ordinato Hincmaro cum integritate reſtituimus* (h). Sed in hoc Reges peccaſſe, & contrà ſalutem propriam egiſſe, ſatis indicat Ludovicus Pius Imperator, dùm quædam bona Eccleſiarum à ſuis prædeceſſoribus uſurpata, religioſiſſimè relaxavit; *prò remedio animæ Domini, ac Genitoris noſtri, atque cæterorum prædeceſſorum noſtrorum, qui eundem Epiſcopatum contrà ſalutem ſuam aliquandiù tenuerant, & in uſus ſuos contrà eccleſiaſticas regulas, res, & facultates ipſius Eccleſiæ expenderant* (i). Pariter Fri-

(h) *Flodoard. hiſtor. Remenſ. l. 3. c. 4.*

(i) *Idem Flodoard. l. 2. c. 19.*

Digitized by Google

Fridericus II. Imperator hujuſmodi appropriationem redituum Eccleſiarum vacantium nuncupat *pravum abuſum à ſuis majoribus introductum &c. abuſum motu propriæ voluntatis à ſuis Anteceſſoribus inductum* (a). Othonem IV. Imperatorem *pravæ illi conſuetudini, & indebitæ vexationi renuntiaſſe, occupandi bona, tàm mobilia, quàm manentia vacantium Eccleſiarum &c. & Succeſſoribus ſervanda ſtatuiſſe*, ſcribunt Innocentio Papę III. Principes, ac Barones Germaniæ (b).

11. Non ſolùm autem Reges, & Imperatores, ſed etiam Proceres minoris qualitatis, qui tunc nomine Comitum, vel Ducum appellabantur, & à Regibus in adjutorium Oeconomis Eccleſiaſticis jungebantur, ad res vacantium Eccleſiarum cuſtodiendas, paulatìm ſuis eas proventibus applicarunt, & poſtquàm Comites ipſi, qui priùs erant temporanei (c), ſucceſſivè hæreditarii, & perpetui facti ſunt; velut ex jure dudùm acquiſito, Spolia Eccleſiaſtica ſibi aſſumere perrexerunt. Comites Barcinonenſes in Hiſpaniâ hæc Spolia ſibi applicabant, quibus Raymundus Comes ceſſit, his verbis: *Votum vovi Domino Deo, quod quandam nefariam conſuetudinem, quæ quondàm extiterat in Eccleſiis Cathedralibus noſtri regiminis abolerem, & extinguerem, erat enim quædam conſuetudo, ut decedentibus Epiſcopis &c. Quod quià cognovi alienum eſſe à Divinis legibus, & humanis &c.* (d). Ejuſdem Hiſpanicæ Regionis Comites Urgellitani tantundèm fecerunt, ex quibus Ermengardus Comes ità profeſſus eſt: *prò remedio animæ meæ, dimitto, atque evacuo horribilem illam, & malè conſuetam rapinam, quam poſt deceſſum Epiſcopi Sedis Urgelli exercere conſueverant Prædeceſſores mei* (e).

12. In Galliâ Comites Narbonenſes idipſum exercuerunt, donèc Ermengardis Comitiſſa hanc à ſe talitèr abuſionem abſcidit: *Notum ſit omnibus, quod ego Ermengardis, recognoſcens injuriam, quam parentes mei, & ego in poſſidendis honoribus, & bonis diripiendis decedentium Archiepiſcoporum Narbonenſis Eccleſiæ hucuſque perperàm fecimus &c. ſivè ſint fructus percepti, ſivè percipiendi* (f). Similitèr Comites Toloſani ad eadem Spolia colligenda manus laicas extendebant, ex quibus Alphonſus, eam à sè pravitatem expedivit, diplomate ſic ſonante: *Ego Alphonſus derelinquo, & abſolvo coràm populo Chriſtiano illam peſſimam conſuetudinem, quam Anteceſſores mei in rebus Toloſani Epiſcopi, defuncto eodem Epiſcopo, per violentiam exigebant &c. Nèc ego, nec ullus ex hæredibus meis, habeat poteſtatem rapiendi, vel capiendi res Epiſcopi poſt mortem ejus* (g). Et latiùs Raymundus ejuſdem, ac aliorum locorum Comes: *Ego Raymundus Dei gratiâ Dux Narbonæ, Comes Toloſæ, Marchio Provinciæ, prò remedio animę meę, omnibus Eccleſiis, & domibus Religioſis, Provinciarum Viennenſis, Arelatenſis, Narbonenſis, Auxitanę, Burdigalenſis, & Bituricenſis, immunitatem ſecundùm ſtatuta Canonum, defunctis earum Epiſcopis, vel Rectoribus concedo, ipſas domos nullo modo ſpoliabo, nec adminiſtrationi earum, ſeù cuſtodiæ, occaſione alicujus conſuetudinis &c. ullatenùs immiſcebo* (h).

13. Quià autem hujuſmodi Spolia viris laicis, tametsì magnis Principibus, nullatenùs, niſi uſurpationis titulo competebant; ideò Summi Pontifices, & Patres Eccleſiæ, prætèr memorata Concilia, eorum acceptionem & damnarunt, & acerbiſſimis titulis transfixerunt, & clamoribus, & Cenſuris Eccleſiaſticis percuſſerunt. Hadrianus Papa IV. eam vocat, *Conſuetudinem contrà Deum, & Eccleſiam inolitam* (i). Gregorius Papa IX. eam nuncupat, *uſurpationem contrà debitum Juris*. Alexander Papa III. eandem nominat, *Tyrannicam uſurpationem, legis Divinę ſubverſionem abominabilem* (l). S. Bernardus de illâ ad Stephanum Præneſtinum ſic ſcribit: *Non ſufficit ſpoliari bonis præſentibus Domus Epiſcopales, etiam in terras, & in homines, manus ſacrilega circumquàque deſævit, totius inſupèr anni ex eis ſibi reditus vendicando* (m). S. Thomas Cantuarienſis prò illius execratione, aliarumque pravarum conſuetudinum Regis Anglicani abſciſſione, uſque ad ſanguinis effuſionem intrepidiſſimè decertavit (n). Nèc ſemel etiam antiquis temporibus, adversùs eos, qui ſub titulo Advocatiæ, & cuſtodiæ, Spolia

hæc

(a) *Petr. de Marca l. 8. c. 23. Iſtoria della Monarchia di Sicilia cap. 27 f. 310.*

(b) *Card Baron. an. 996 Gall. Vindic. f. 19. & 22.*

(c) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. par. 3. l. 1 c. 26. n. 1. & cap. 30 et 17.*

(d) *Petr. de Marca lib. 8. c. 18.*

(e) *Sfondrat. Gall. Vindicat f. 14.*

(f) *Petr. de Marca l. 8. c. 38.*

(g) *Catel. in hiſtor. Des Comt. De Toulouſ.*

(h) *Cæleſtin. Sfondrat. Gall. Vindic. f. 14.*

(i) *Hadrian. IV confirmans ceſſionem Ermengardis Narbonen.*

(l) *Gregor IX. ap. Steph. Baluz. tom.*

(m) *Baron. an. 1164. num 36.*

(n) *S. Bernard. epiſt. 224.*

hæc ſibi, laicâ auctoritate, uſurpabant, Cenſuræ Eccleſiaſticæ vibratæ ſunt, quâ de rè in quodam Chronico apud Thomaſſinum hoc innuitur: *Qui ſibi vult cavere, caveat, quià multos poſteà habuit Advocatos Eccleſia excommunicatos* (*a*).

(a) *Sfondrat. Gall. Vindic. diſſert. 2. §. 3. fol. 45. 48. 59.*

14. Alicubi tamèn, ut in Galliâ, & in Angliâ, jus hujuſmodi Spolia vacantium Eccleſiarum percipiendi, talitèr ad Fiſcum Regium pertranſivit, ut jus legitimum evaſerit, quod *Regaliæ* vocant, illudque prò locis, in quibus ex antiquâ conſuetudine jam inoleverat, Concilium Lugdunenſe II. ſivè Gregorius PP. X. ei præſidens, ratum habuit, hoc decreto, ad Epiſcoporum Galliæ, atque Angliæ, nec non Oratorum Philippi III. Audacis Regis Galliæ, interventionem ſancito: *Generali conſtitutione ſancimus, omnes, & ſingulos, qui Regaliam, Cuſtodiam, ſivè Guardiam Advocationis, ſeù defenſionis titulum in Eccleſiis de novo uſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt &c. eo ipsò excommunicationis ſententię decernimus ſubjacere &c. Qui autèm ab ipſarum Eccleſiarum fundatione, vel ex antiquâ conſuetudine, jura hujuſmodi ſibi vendicant, ab illorum abuſu ſic prudentèr abſtineant &c. quod ea, quæ non pertinent ad fructus, ſivè reditus provenientes vacationis tempore, non uſurpent &c.* (*b*). Ad quod appoſitè Petrus de Marca ſic ait: *Cum uſusfructus redituum Epiſcopatus (ſi reditus feudorum exelpias) & collatio præbendarum, ex conſuetudine adversùs Canones proficiſcerentur, optimum factu exiſtimarunt Principes, ut hujus conſuetudinis confirmationem peterent decerni in Concilio Generali Lugdunenſi* (*c*). Quod jus Spoliorum percipiendorum videtur etiam Bonifacius Papa VIII. (*d*), & Clemens Papa V. ſuis Conſtitutionibus approbaſſe (*e*), prò locis, & perſonis, ad quas vel ex privilegio, vel ex antiquâ conſuetudine pertineret.

(b) *Conc. Lugdun. II. cap. 12.*

(c) *Gallia Vindicat. diſſert. 1 f. 33*

(d) *Cap. placuit. 9. de Offic Ordinar.*

(e) *Clementin frequenſ. unic. de exceſ. Prælator.*

15. Succeſſu poſtmodùm temporum Spolia Clericorum decedentium, & fructus vacantium Eccleſiarum ſunt ad Sedem Apoſtolicam devoluta (*f*). Jàmque in Italiâ Fiſcus Apoſtolicus omnium beneficiorum, & in Regno Hiſpaniæ Spolia Epiſcopatuum adipiſcitur (*g*). In Germaniâ verò, Galliâ, Luſitaniâ, & Poloniâ, ut audivimus, non ea percipit. An res ità sè habeat reſpectu ad cuncta præfata Regna, vel ad aliqua tantum eorum, veritati locum relinquimus, quippè hujus rei notitiam integram non habemus. Paulus tamèn Papa III. in ſuâ Conſtitutione, ſuper hoc editâ, dicit, deberi Cameræ Apoſtolicæ Spolia *in quibuſcumque Regnis, & Dominiis tàm citrà, quàm ultrà montes, & maria* (*h*). Quod ſi alicubi non ea percipit, hoc fortè proveniet, vel ex pactis intèr Pontifices, & Reges, eorumque Nationes conventis, vel alitèr: nam ut ait Azorius: *Pontifex circà omnem bonorum Eccleſiaſticorum plenam adminiſtrationem, & ſalutem omnium Eccleſiarum, curam habet. Quarè ſi in Galliâ, Germaniâ, Poloniâ, Luſitaniâ, nulla Clericorum Spolia, & in Caſtellæ Regno tantum Epiſcoporum Spolia Pontifici ſolvuntur, id non eſt, quia Reges, & Principes ità decreverunt, ſed quià cum Romanis Pontificibus ità convenerunt, ut enim Paulus, quamvìs meritò poſſet ſibi victum debitum exigere ob laborem prædicationis, juri tamèn ſuo ſpontè ceſſit: Sic Romani Pontifices ſuo juri cedere voluerunt* (*i*). Profectò Fridericus II. Imperator in dimiſſione, quam ſuperiùs memoravimus, ait: *illum quoquè dimittimus, & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium noſtri conſueverunt Prædeceſſores admittere prò motu propriæ voluntatis, Vobis* (Innocentio Papâ III.) *& aliis Eccleſiarum Prælatis relinquimus liberè diſponenda* (*l*). Per quæ verba ſatis innuere videtur hæc Spolia primariò debere ad Romanum Pontificem pertinere. Paritèr Pius Papæ IV. ceſſit Emanueli Philiberto Duci Sabaudiæ omnia Spolia Clericorum ad Sedem Apoſtolicam pertinentia, in ejus ditione temporali poſita, donatione ad Romani Pontificis beneplacitum duraturâ (*m*). Præthereà Martinus Papa V. indulſit, ut Spolia Regni Inſulę Siciliæ, ad Regem Alphonſum I. pertinerent (*n*). Hæc autèm conſiſtere non poſſunt, niſi ſuper ſuppoſito, quod Spolia iſta ſpectent ad Papam.

(f) *Vid. Redoan de Spoliis, & Filliuc. eodem titulo.*

(g) *Azorius inſtit. mor. p. 2. l. 8. c. 4. qu. 3.*

(h) *Paul. Pap. III. conſtit. 29.*

(i) *Azorius loc. cit. qu. 2.*

(l) *Frider. II. Imper. ann. 1213. Hiſtor. della Monarchia di Sicilia cap. 27 f. 330.*

(m) *Pius Pap. IV. die 13. Octob. an. 1560.*

(n) *Rocc. Pirrus. Sicil Sacr. tom 1 fol. 43. & 473. & to. 2. f. 612. & 617.*

16. Por-

16. Porrò origo Spoliorum ad Cameram Apoſtolicam pertinentium, ſeù originis ejus veſtigium retrotrahi poſſet ad juſſionem S. Gregorii Papæ I. qui Conſtantio Epiſcopo Panormitano præcepit, ut Eccleſiam Terracinenſem, Paſtore viduatam, viſitaret, boniſque ipſius Eccleſiæ deſcriptis, eorum catalogum ad sè mitteret, *ut ex hoc*, inquit, *quod fieri debeat, auctore Domino, diſponamus* (a). Vel ſi placet, ad Innocentium Papam IV. adinventio hujuſmodi referatur, qui anno 1246. audito, quod in Angliâ duo Archidiaconi ab inteſtato obeuntes, immenſam auri copiam reliquerant, à laicis occupatam, decrevit, *ut ſi Clericus ex tùnc decederet inteſtatus, ejuſdem bona in uſus Domini Papæ converterentur* (b). Obſtitit ad hæc audita Henricus III. Angliæ Rex, parum in Innocentium propenſus, citrà tamèn omnem juſtitiam, quippè, uti doctè loquitur Azorius, non ſubſiſtit, quod *Reges, & Principes poſſint ſtatuere, ne Spolia Clericorum Romano Pontifici dentur: non enim id eſt laicorum. Et quamvis beneficia in eorum Ditione, Imperio, & Provinciis, conſtituta ſint, nihilominùs ſunt Eccleſiarum bona, ac proindè liberæ Romani Pontificis adminiſtrationi ſubjecta, & in communem Romanæ Eccleſiæ utilitatem, & neceſſitatem impendi, jure & poſſunt, & debent. Jus quidem habent Reges, & Principes imperandi, ne pecuniæ ex eorum Provinciis extrahantur, ſed quis dicat eâ lege Romanorum Pontificem teneri, aut beneficiorum fructus, aut Eccleſiarum bona hiſce laicorum legibus ſubiici* (c).

17. Verior autèm Spoliorum origo videtur ad tempus Avenionenſis Schiſmatis referenda, cum Robertus Gebennenſis, qui sè prò Clemente Papâ VII. venditabat, & modum quærebat, quo 36. Pſeudocardinales, à ſe purpura ſuffarcinatos alimentis congruis provideret, hoc Spoliorum remedium adinvenit, ſeù aliàs excogitatum, ad effectum perduxit, quâ de rè in Chronico S. Dionyſii aſſeritur: *Quod exarſit, Urbanum intèr, & Clementem ſchiſma, graviſſima Eccleſiæ, & Galliæ Regnò diſpendia importavit; Erant Clementi Cardinales triginta ſex &c. Exactiones fiebant cùm vacantium Eccleſiarum, tùm decimarum; hæredes Clericorum vehementèr infeſtabantur, eorumque bona ad Pontificem ſpectare debere jactabatur, connivente ad hæc omnia Audium Duce, Regni rectore, quem & prędæ conſortem ſuſpicabantur* (d). A Roberto ad Petrum de Lunâ ſucceſſorem ſuum in Cathedrâ peſtilentiæ, Spoliorum exactio commigravit: A quo poſteà, pacatis quandoque rebus, & Schiſmate totalitèr extincto, ad Pontifices legitimos tranſmeavit. Nàm eſto Alexander Papa V. in Concilio Piſano Spoliorum reſervationi renuntiaverit (e): Et Concilium Conſtantienſe prò eorundem abolitione clamaverit (f); Attamèn Pontifex, qui primò poſt ſchiſma legitimè delectus eſt, Otho inclytæ familiæ de Columnâ Romanæ, ſub nomine Martini V. Spolia ipſa non ſuſtulit. In Conclavibus quoque, in quibus electi fuerunt Pontifices Eugenius Papa IV. anno 1431. Pius Papa II. anno 1458. Paulus itèm Papa II. anno 1464. & Innocentius Papa VIII. annò 1484. Cardinales sè jure jurando adſtrinxiſſe dicitur intèr alia etiam ad Spolia prò viribus abolenda; ſed electi in Papam, ea nullatenùs abſtulerunt, quià magnæ Sanctæ Sedis indigentiæ non patiebantur, ut ſibi tales, ac tantos reditus detruncarent (g). Quinimò Pius II. eadem Spolia in Galliâ ſtuduit excitare, tametſi infectis rebus: Quippè Ludovicus XI. Rex his obſtitit, renovato edicto Caroli VI. quo Spolia Clericorum ex Galliâ, dùm adhùc vigeret Schiſma fuerant protelata (h).

18. Jàm ergò ſaltèm à 336. circitèr annis mos incunctantèr invaluit, ut Spolia Clericorum, & Eccleſiarum vacantium ad Cameram Apoſtolicam perducantur, & de illo tamquàm de antiquiſſimo jure Fiſci Pontificii, licèt nondùm aliquâ Conſtitutione firmato, Bullam edidit Paulus Papa III. jàm 176. ab hinc annis, declarans ipſa Spolia ſibi deberi undecùmque, tàm citrà, quàm ultrà montes, & maria (i): De quibus etiam Spoliis alias Conſtitutiones ediderunt Pius Papa IV. (l), Sanctus Pius V. (m), Sixtus V. (n), Gregorius XIII. (o), Paulus V. (p), & Urbanus VIII. (q). Juſtam autem, & pluſquàm juſtam fuiſſe, & eſſe hujuſmodi Spolio-

(a) *S. Gregorius l.1. epiſt.74.*

(b) *Matth. Pariſius ann.1246.*

(c) *Azorius Inſtit. Moral p.2.l 8.c.4 qu.2*

(d) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. par.3.l.2.c.57.n.5.*

(e) *Concil. Piſan. ſub Alex.V.ſeſ.2.Spicileg.to.6 f.337.*

(f) *Conc. Conſtantienſ.ſeſ.39.*

(g) *Thomaſſin. loco cit.n.11.*

(h) *Hiſt. Univerſ. Pariſ.tom.5. f.659.*

(i) *Paulus Pap. III. Conſtit.29.§.2.*

(l) *Pius IV. Conſtit. 8.19.31.91.*

(m) *S.Pius V. Conſtit.42.*

(n) *Sixtus V. Conſtit.100.*

(o) *Gregor. XIII. Conſtit.43.*

(p) *Paulus V.Conſtit.18.*

(q) *Urban.VIII. Conſtit.1 9.28.*

rum Collectionem, quam Sedes Apoſtolica ſibi vendicat, certiſſimum eſt, ex multis rationibus, quarum unaquæque ſeorſim ſumpta ſufficeret ad ipſorum juſtificationem, multò magis autem conjunctìm conſideratæ. *Et prima ratio* eſt proptèr ſupremam poteſtatem, quâ pollet Summus Pontifex in bonorum Eccleſiaſticorum totius Eccleſiæ adminiſtratione, de quâ S. Thomas: *res Eccleſiæ ſunt ejus*, ideſt Papæ, *uti principalis diſpenſatoris, quamvis non ſint ejus ut domini, & poſſeſſoris* (*a*). Quarè ſicuti Pontifex, tamquàm ſupremus adminiſtrator bonorum Eccleſiæ poteſt vacantium beneficiorum reditus aliis piis uſibus applicare, ità etiam eoſdem poteſt in ſublevandis neceſſitatibus Apoſtolicæ Sedis impendere (*b*).

(a) *S. Thomaſ. 2.2. qu.100.art.1.ad 7.*

(b) *Azorius part. 2. lib.8.c.1.qu.4.*

19. *Licèt Papa*, inquit Navarrus, *non ſit Dominus bonorum Eccleſię, eſt tamèn ſummus eorum adminiſtrator, ut ait Bernardus in fin. lib.4. de Conſider. quæ refert Archid. in cap. non decet 12. diſt. quem rursùs refert, & ſequitur Panorm. in cap. Conſtitutus col.3. de relig. Domibus, communitèr in hoc receptus. Imò & Concil. Later. ſub Leon. X. habitum ſeſ.9. §. Et cum fructuum de reform. habet. fructuum beneficiorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem plenariam pertinere ad Romanum Pontificem* cum aliis, quæ ſubjungit ad probandum, Spolia præfata ad Sedem Apoſtolicam pertinere (*c*). *Secunda ratio* eſt, quod ſi res à ſuâ origiue repetatur, Beneficiarii non ſunt niſi merè depoſitarii, & adminiſtratores rerum Eccleſiæ: Domini quidèm fructuum, quos percipiunt durante illorum vitâ, ſed talitèr ut idem dominium cum eorum morte diſpereat: niſi alitèr ex conſuetudine, vel privilegio diſponatur. Nullatenùs autem ſunt domini prædiorum beneficii, quę ſicut ab Epiſcopo habuerunt ad fruendum, ità poſt eorum mortem ab Epiſcopo repetuntur, qui olim ſibi fructus interìm decurrentes applicabat (*d*). Et ſi hoc poterant facere Epiſcopi in ſuâ Diœceſi; eccur etiam non id facere poteſt Summus Pontifex in totâ Eccleſiâ? Certè ut egregiè ratiocinatur Thomaſſinus: *cum Epiſcopi, & Abbates Spolia colligerent inferiorum, videri poterant & ipſi, eodem jure, à Superiore ſuo poſſe conſtringi* (*e*).

(c) *Navar. de Spol. Cleric.*

(d) *Vid ſupr. in hoc cap.n.6.*

(e) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p.3.l.2.c.57.n.10. § antequam.*

20. *Tertia ratio* indè ſumitur, quod juxtà opportunam Cardinalis Baronii interpretationem, quam dat Canoni 39. Concilii III. Carthaginenſis; Summus Pontifex Spolia colligens, ſe vindicem Sacrorum Canonum facit. Nàm cum alicubi avaritia Clericorum in theſauris congregandis incubet, pauperes, & Eccleſias debitis eleemoſynis defraudando, *ad hujuſmodi negotiatorum potius, quàm Clericorum avaritiam compeſcendam, cum ſegniores eſſent Epiſcopi legis vindices, & ipſi interdùm eodem morbo languerent; jure meritoque Romanus Antiſtes ad vindicandas hujuſmodi ex bonis Eccleſiæ partas, ac malè congeſtas opes, per Provincias conſuevit mittere exactores, quos vocant Collectores* (*f*). Si dicatur, quarè Pontifex ſibi applicet id, quod, ulciſcendo aliorum avaritiam, condemnat? In promptu eſt reſponſio; mulctæ, & exactiones è maleficiis corrogatæ, ad Principem, præſertìm ſupremum pertinent, quas ille facit proprio Fiſco proficere. *Quarta ratio* defluit ex jure, quo præditus eſt, & præditus ſemper fuit Romanus Pontifex, Spolia, & fructus Eccleſiarum vacantium in uſus pios prò ſuo libito deſtinandi. Nàm uſque à temporibus S. Gregorii legitur Sanctum illum, & æquè doctum Pontificem id feciſſe, uti cum Leoni Epiſcopo in Corſicâ Viſitationem Alerienſis Eccleſiæ injunxit, præſcribens: *Cunctis igitùr rebus ſuperſcriptæ Eccleſiæ ut proprium te volumus uti Pontificem, uſquè ad ſecundam noſtram epiſtolam* (g). Aliquandò non integros fructus, ſed ſolam quartam partem eorum Viſitatori Eccleſiæ vacantis applicuit, uti cum Petro Tricallitano Viſitationem Eccleſiæ Agrigentinæ commendavit, & adjecit: *Maximiano fratri, & Coepiſcopo noſtro ſcripſimus, ut quartam, quam ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum oportet accipere à die viſitationis tuæ, vel quouſque illic eam ſollicitudinem geſſeris, tibi debeat applicare* (*h*). Aliquandò, minorem aliam partem de fructibus viduatæ Eccleſiæ conceſſit, uti cum prò Paulo Viſitatore Eccleſiæ Neapolitanæ, Petro Subdiacono Companiæ commiſit: *Prędicto Paulo fratri, & Coepiſcopo noſtro centum ſolidos, & unum puerulum orphanum*

(f) *Card. Baron. ann. 397. n.54.*

(g) *S. Gregor. lib. 1. epiſt.76.*

(h) *S. Gregor. lib.4. epiſt.12.*

rum, quem ipſe elegerit, prò labore ſuo de eadem Eccleſiâ facias dari (*a*). Si Subdiaconus Campaniæ, qui erat miniſter Pontificius, in illâ Regione reſidens, ut curam haberet jurium Sedis Apoſtolicæ, mandata recipiebat, quibus faceret reditus Eccleſiarum vacantium, huic, vel illi, prout jubebat Summus Pontifex, erogari; liquet quod iſte miniſter habebat regimen Oeconomicum ipſorum bonorum ſive directionem eorum, illaque faciebat auctoritate Sedis Apoſtolicæ miniſtrare, vel ad ejuſmet nutum, & arbitrium diſpenſare.

21. Similitèr Innocentius Papa IV. Archiepiſcopo Cantuarienſi conceſſit, ut fructus beneficiorum vacantium ſuæ Provinciæ per unum annum ſibi poſſet aſſumere (*b*). Honorius Papa III. idem indultum Epiſcopo Tolonenſi largitus eſt, ad fructus beneficiorum ſuæ Diœceſis vacantium, per biennium ſuſcipiendos (*c*): memorant Bonifacius VIII. (*d*), Clemens V. (*e*), & Joannes XXII. (*f*), eſſe quaſdam Eccleſias, in quibus Epiſcopi, & Abbates fructus beneficiorum vacantium, per unum, vel plures annos accipiunt, ex privilegio, quod non niſi Apoſtolicum eſſe poteſt, quale eſt neceſſarium ad ſtatuta Canonum relaxanda: Hoſque fructus aliquandò Summi Pontifices indulſerunt non tantùm percipi ab Eccleſiaſticis viris, verùm etiam à laicis; & hujuſmodi fuiſſe videtur Indultum, quod Arnulpho Marchioni Flandriæ conceſſerunt de quibuſdam decimis, ad Eccleſias pertinentibus, prò adjutorio expenſarum adversùs Vvandalos percipiendis (*g*). Pius Papa IV. Emanueli Philiberto Sabaudiæ Duci, & Martinus V. Alphonſo Inſulæ Siciliæ Regi conceſſit Spolia Eccleſiaſtica, prout ſuperiùs memoravimus (*h*). Hanc ipſam originem habuiſſe videtur jus *Deportuum*, juſque *Regaliæ*, quo nùnc Reges Galliæ potiuntur (*i*): & quo Reges Angliæ, quandò Sanctam Religionem Catholicam profitebantur, paritèr uſi ſunt, tali anxietate retentum, ut Henricus II. in diſſidio notiſſimo, quod habuit cum S. Thomâ Archiepiſcopo Cantuarienſi, illud nuncupaverit *dignitatem Coronæ Suæ* (*l*): Hoc enim vel Apoſtolico privilegio, à ſuis initiis ſuffultum fuit, vel à Gregorio Papâ X. authorizatum in Concilio II. Lugdunenſi, Regaliam, ubi jam uſu invaluerat permittente: ſinè quo fatetur Petrus de Marca, non ſubſtitiſſe *uſum fructum* redituum Epiſcopalium &c. ex conſuetudine contrà Canones profectum: Et ideò Concilii Lugdunenſis auctoritatem quæſitam eſſe, Principibus haud ſatis conſuetudine tutis (*m*). Si ergò Papa fructus, ſivè Spolia Eccleſiarum vacantium tùm Clericis, tùm laicis, vel in totum, vel in partem potuit Apoſtolico Privilegio indulgere; eccur quæsò non & illos potuit, & poteſt ſuæ Cameræ uſibus applicare?

22. *Quinta ratio* profluit ex Conſuetudine, jàm, uti diximus, per 336. ſaltèm annos conſiſtente, ut Spolia præfata ad Fiſcum Pontificium perveniant. Nàm conſuetudo immemorabilis in cunctis aliis rebus ſummi eſt momenti: ad quam in dubiis rebus ſemper eſt recurrendum (*n*), quæ legi æquipollet (*o*), & omnem legem poſitivam abſcindit, ac facit, ut qui illam prò ſe habet, poſſit privilegium, & alium quemvis meliorem titulum allegare (*p*), etiam ſi ſit conſuetudo contrà jus, quando eſt immemorabilis, & præſcripta (*q*): & etiam ſi contrà illam fuiſſet aliquandò reclamatum, ſi reclamans ſuccubuit (*r*). Certè in materiâ Spoliorum conſuetudo immemorabilis maximum robur habet, eique innitebatur Henricus II. Rex Angliæ præfatus, quandò adversùs S. Thomam Cantuarienſem urgebat, ut poſſet Conſuetudines ſuæ Coronæ ſolitas retinere, quarum *duodecima* erat de Spoliis Eccleſiaſticis in Regaliâ percipiendis (*s*). Conſuetudini pariter deferendum eſſe cenſuit Concilium II. Lugdunenſe memoratum, ubi dè Spoliis in Regaliâ ſuſcipiendis ageretur (*t*). Conſuetudini tandèm adſcribitur, quòd Epiſcopi in perpluribus Hiſpaniæ, & Luſitaniæ locis *Luctuoſam* accipiant, & in Belgio *Mortuam*, cujus vi rem aliquam mobilem, vel ſemoventem exigunt, ex bonis, quæ Beneficiario vitâ pridèm functo ſuperſunt (*u*). Nèc niſi Conſuetudini inhæret, quod in Hiſpaniâ,& in Galliâ,aliiſque in locis,beneficiarii mox morituri de bonis ſui beneficii teſtentur (*x*).

(a) *S. Gregor. l. 2. epiſt. 35.*
(b) *Matth. Pariſ. an. 1246.*
(c) *Cap. tua nobis de verbor. ſignif.*
(d) *Cap. ſi propter de reſcript. cap. præſenti de Offic. Ordin. in 6.*
(e) *Clementin. frequens de exceſ. prælat.*
(f) *Cap. ſuſcepti extr. de elect.*
(g) *Miræus cap. 34.*
(h) *Vid. ſupr. in hoc cap. n. 15.*
(i) *Gallia Vindicat. Caleſt. Sfondrat. diſſert. 2.*
(l) *Idem Sfondrat. Gall. Vind. diſſert. 2. §. 2. n. 5.*
(m) *Petr. de Marca lib. 8. c. 24. n. 4.*
(n) *Cap. cum dilectus & ibi DD. de Conſuet.*
(o) *Borel. Summ. Deciſ. to. 1 tit. 24. n. 17.*
(p) *Idem Borell. loc. cit. n. 49. 50.*
(q) *Rota part. 4. rec. to. 2. dec. 7. num. 3. & 17. & deciſ. 323. n. 27.*
(r) *Rota eod. lib. o deciſ. 274. n. 5.*
(s) *Card. Baron. an. 1164. n. 37.*
(t) *Conc. Lugdun. II. cap. 12.*
(u) *Navarr. tom. 2. de Spol. Cler. §. 3. n. 6. & §. 16. n. 2.*
(x) *Azorius inſt. mor. p. 2. l. 8. c. 4. q. 4.*

23. Si ergò Conſuetudo jus porrigit laicis Spolia eccleſiaſtica colligendi, ſi Clericis indulget, ut de Spoliis partem accipiant, vel de illis prò arbitrio teſtamentariè diſponant; neſcimus videre cur non poſſit ipſamet Spolia Pontificiis uſibus applicare. Jus commune, ſi quid affinit non minùs obſtat Epiſcopis, & Principibus laicis, nè Spolia colligant, quam Pontifici; & tamen ſi conſuetudo licitam facit Principibus, & Epiſcopis, qui juri communi ſubſunt, Spoliorum adeptionem, vel totalitèr, vel in partem, quantò magis eam licere faciet Summo Pontifici, qui communi juri non ſubeſt, ſed pręeſt, & illud modificare, interpretari, & renovare poteſt, atque in illo prò opportunitate locorum, perſonarum, ac temporum, diſpenſare (a)! Quod ſi Pontifex facere valet ad commodum aliorum; nunquid non id facere poterit favore ſuæ Cameræ, & ad proprias, atque Romanæ Eccleſiæ indigentias ſublevandas? Igitur vertant ſe quocumque volunt Contradictores, atque quicumque adversùs Spolia, quæ percipit Romana Sedes, oblatrant, excurrant quò voluerint, ut inquiebat S. Auguſtinus, remorentur quantum voluerint, multiplicent gyros ſuos quaqua verſum voluerint, quod nunquàm poterunt definire, illa injuſtè percipe à Camerâ Pontificiâ, niſi priùs eodem jure nudatos faciant & Principes, & Epiſcopos, qui de Spoliis ipſis qualitercumque participant: cum iſtorum Jus non niſi Pontifice, vel concedente, vel alitèr illud approbante, ſubſiſtat.

(a) Cap. ſunt enim § ex bis 11. qu. 1. cap. ſunt qui 25 qu. 1.

24. Varias alias rationes juſtitiam comprobantes, qua Fiſcus Apoſtolicus Spolia Beneficiariorum ad ſe pertrahit, doctè coacervat Azorius Luſitanus in reſponſione ad quæſitum, quod ſibi proponit, quo jure Papa potuerit reſervare ſibi Spolia Clericorum? Reſpondet enim: *Non eſt dubitandum optimo de jure Pontificem facere potuiſſe: Nàm negare quidèm non poſſumus, penès eum eſſe plenam, & liberam beneficiorum adminiſtrationem, ut habetur in c. licet de præb. in 6. & Clement. I. ut lite pendente, ad finem. Sed Adminiſtratoris eſt bona in Domini ſui utilitatem diſpenſare: ergò poteſt Papa ex beneficiorum fructibus aliqua ſibi reſervare, undè Curiæ, & Eccleſiæ Romanæ neceſſitatibus ſubvenire commodè poſſit. Deindè quis neget Clericorum Spolia, ſi futuro ſucceſſori, & Eccleſiæ debeantur, jure tamèn Canonico, Romani Pontificis auctoritate firmato, deberi, non jure Divino, aut naturali? Sed Romanus Pontifex juſtis de cauſis poteſt eos Canones, & jura mutare, & quæ futuro ſucceſſori, vel Eccleſiæ ex beneficio Clericorum debebantur, ſibi reſervare. Ut enim vel ſucceſſori, vel Eccleſię ea debebantur ad neceſſitates eorum ſublevandas: ità juſtè Romano Pontifici reſervantur, ut habeat undè ſibi in difficultatibus, & neceſſitatibus ſubveniat; quæ quidem neque pauciores, neque minores ſolent eſſe, quàm Eccleſię, vel ſucceſſoris. Romanus itèm Pontifex poteſt fructus beneficiorum ad certum tempus vacantium quibuſdam Epiſcopis jure conferre, ad eos commodo vitæ ſubſidio ſuſtentandos: Cur igitur non ſibi poterit ex beneficiis? Poſtremò Eccleſiæ bona, pretèr neceſſariam portionem ad Clericos honeſtè alendos, ſecundùm Canones, & Jura, in pios uſus impendi debent: ergò minimè mirandum, ſi uſibus Eccleſiæ Romanæ reſerventur. Nèc enim Romanus Pontifex, aut ejus Fiſcus, qui Camera Apoſtolica vocatur, & ſacra Curia pejoris eſt conditionis. Nèc privatorum eſt hominum judicare, indigeat necne Curia Romana, & Camera Apoſtolica his Spoliis: Principis enim eſt Reipublicę benè conſulentis, non alterius, id judicare. Ex his licet intelligere, in hiſce Spoliis Clericorum pleno jure Romanum ſucceſſiſſe Pontificem, ejuſve Fiſcum, loco Eccleſię, vel futuri ſucceſſoris, ideſt dicere: Quemadmodùm olim hæc bona Clericorum poſt obitum relicta debebantur Eccleſię, vel ſucceſſori; illa modò tamquàm debita, ad Fiſcum Pontificium ſpectant: quià quemadmodùm olim Canones, & Jura voluerunt, ut ea bona Eccleſiæ, vel ſucceſſori reſervarentur; ità Conſtitutiones etiam Apoſtolicæ ſanxerunt, ut Fiſco Pontificio illa reſerventur, debeanturque. Redoan. q. 1. de Spol. Eccleſ. Dubitare igitur nemo jure poteſt, jàm olim Romanum Pontificem hæc Spolia tamquàm ſibi debita collegiſſe. Et quamquàm antè Paulum III. nullæ Conſtitutiones Pontificiæ extent de Spoliis Clericorum Papę reſervatis, meritò tamen credimus,*

multò

multò antè Pauli III. ætatem, iſtiuſmodi Spolia ab Romanis Pontificibus per Collectores ſuos percipi conſueviſſe (*a*).

(a) *Azorius inſtit. moral p.2 l.8. qu.4.* & *paulò antè.*

25. Octo paritèr rationes conglomerat Navarrus pro jure Summi Pontificis in Spoliis Clericorum ſibi vendicandis, intèr quas ità loquitur (*b*). Pontifex *frequentèr fructus beneficiorum vacantium unius, vel alterius anni, concedit aliquibus Epiſcopis, debitis oneratis, c. tua, de verb. ſignif. cap. ſi prop. tua debita de reſcrip. lib.6. Atque paſſim Papa ſoles concedere Clericis majoribus, & minoribus, teſtandi facultatem de ſuperfluis redituum ſuorum beneficiorum, quæ, morientibus ijs ab inteſtato, manerent Spolia, & legibus de illis loquentibus ſubjecta; id quod ab antiquiſſimo tempore facere conſuevit, ut conſtat ex licentiâ teſtandi conceſsâ Epiſcopo Portuenſi ab Innoc. II. qui fuit electus anno Domini 1198. quod ex ejus regeſtis conſtat: At id non videtur poſſe facere, niſi Spolia eorum eſſent futura ſua. Facit etiam, quod ejuſmodi Spolia morientibus Beneficiariis, teſtandi ad aliquem pertinent de jure, & non videtur deſignari poſſe aliquis alius, quàm Papa, ad quem pertineant. Non enim pertinent ad hæredes, quos ipſi ordinant, quoniàm deeſt eis jus de illis teſtandi, cap. ad hæc, & cap. relatum 2. de teſtam. Non intereà ad cognatos ab inteſtato, quià illi non ſuccedunt in eis. cap. fixum, 12. q. 5. Neque ad Eccleſiam, vel beneficium, de cujus fructibus illa quæſita ſunt: quia poſſunt ſervari futuro ſucceſſori, c. cum nos, de offic. ord. & cap. præſenti, eo tit. lib. 6. & cap. generali, eo lib. de elect. Neque etiam videntur deberi futuro ſucceſsori: quia poſſunt impendi in Eccleſię utilitatem, per eadem Jura; ergò pertinent ad Papam, tamquàm ad Summum Adminiſtratorem, & Diſpenſatorem.*

(b) *Navar tom. 1. de Spol. Cleric. § 9. n. 2. verſ. quinto.*

26. Proſequitur in ſuo ſermone Navarrus, & ait: *Facit etiam quod in dicto tract. de redit. q. 1. mon. 40. & in apol. præfatâ q. 1. moni. 24. concluſum fuit efficacitèr, eſſe certum, imò & de fide, dominium bonorum eccleſiaſticorum eſſe D. Noſtri Jeſu Chriſti, non ſolum eâ ratione generali, quâ Domini eſt terra, & plenitudo ejus, ſed etiam ſpeciali cenſurâ, & diſpoſitione hominis, vel hominum, ut ſup. eo c. eſt repetitum; & adminiſtrationem eorum omnium conceſſam eſſe ab eo immediatè Vicario ejus ſummo, qui eſt Papa, & ejus Eccleſiæ, ut ibi ſuprà probatum eſt, & conſequentèr neminem habere ullam præfatorum bonorum adminiſtrationem, niſi eam immediatè, vel mediatè acceperit à Papâ, vel Eccleſiâ univerſali, quibus eſt immediatè conceſſa. At conſtas Spolia prædicta eſſe bona eccleſiaſtica, & non conſtat eorum adminiſtrationem eſſe ulli alii per S. Sedem Apoſtolicam conceſſam; ergò penès eam illa manet, & ſubindè poterit de illis Papa diſponere, ſicut de aliis bonis eccleſiaſticis, quorum adminiſtratio nemini alii eſt applicata. Facit etiam, quod Epiſcoporum Hiſpaniæ Spolia ſolvuntur Sedi Apoſtolicæ, jam indè ab antiquiſſimo tempore, quamvis nullâ Conſtitutione antiquorum Canonum id caveatur. Facit item quod ipſa Sedes Apoſtolica in dies mandat capi poſſeſſionem beneficiorum, vacantium in Curiâ, & ſuis menſis, velut ſibi reſervatorum, nomine Cameræ ejus, & adminiſtrare fructus tempore vacationis obvenientes, & non videtur habere majorem poteſtatem in illis, quàm in præfatis Spoliis.* Quibus ità prolatis ſeptem argumenta in adverſum ſibi proponit, quæ peregregiè diſcutit, nec minùs excellentèr diſſoluit (*c*).

(c) *Navar. loc cit. § 10. n. 1. verb. non obſtant.*

27. Hæ rationes, quas hucuſque à num. 18. uſque ad præſentem numerum allegavimus, pluſquàm lautè authorizant jus Summi Pontificis prò Spoliis Clericorum ſibi undelibèt attrahendis. Undelibèt, inquam, quia non eſt major ratio de uno loco, quàm de alio: de unâ regione, quàm de alterâ: cum totus Orbis ſit æquè Pontificia Diœceſis, & territorium: hocque ipſe faciat non uti Epiſcopus, ſed uti Pontifex, cujus auctoritas in univerſum quaquà patet Orbis ſe extendit (*d*). Sed illud maximè verum eſt, primò de locis, in quibus jam conſuetudine terque, quaterque centenariâ preſcripſit jus ipſa Spolia colligendi: Secundò in locis, quæ ſibi nedùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus ſunt mediatè, vel immediatè ſubjecta, propter unionem Regiæ dignitatis, quam inibi tenet cum Pontificiâ

(d) *Bellarm de Pontif. l. 5. cap 6. Molin de juſt. & jur tom 1. diſp. 29. Monet. de commut. ult. volc. 5. n. 15 & 142*

pote-

poteſtate. Sanè cum Innocentius Papa IV. Spolia trium Archidiaconorum, in Angliâ defunctorum Fiſco Pontificio addixiſſet; res infecta remanſit, uti oggannit Matthæus Pariſius (a), quià Henricus III. Rex Pontifici reſtitavit, tamquàm, quod Papa peculiaria quidem poteſtatis inſignia in Angliâ retineret, ob Regnum ei à Joanne Rege ſubmiſſum (b), ſed non plenâ feudalitate, & clientelâ, ac tali, ut Reges inveſtituram, & Regnum ipſum de manu Pontificis reciperent. *Erant Pontifici*, inquit Thomaſſinus, *peculiaria quædam poteſtatis inſignia in Angliam: non ità dudùm Angliæ Rex Vaſſallum ſe & Clientem profeſſus erat Sedis Apoſtolicæ. Atquè vulgatiſſimum id erat, ut Vaſſallorum Spolia à Dominis feudi occuparentur. At quandò ſenſit Pontifex reſtitari ſibi ſemetipſe cohibuit* (c). Igitùr arguendo à contrario ſenſu, à quo optimum deſumitur argumentum (d), ſi Regnum Angliæ tale fuiſſet feudum Sedis Apoſtolicę, ut ab ipsâ precariò, & per inveſtituram fuiſſet Anglis Regibus conceſſum; hac etiam ratione peculiari feudalitatis corroboratum fuiſſet jus colligendorum inibi Spoliorum, ut hęc illi non potuiſſent legitimè denegari. Similitèr poſcente Julio Papâ II. trecente nummerorum millia, quæ Cardinalis de Amboiſa, nupèr vitâ functus, reliquerat; Ludovicus XII. Rex Galliarum, teſte Spondano, *negavit Pontificias leges de privatorum bonis extrà Pontificis ditiones valere* (e). Igitùr etiam illius Regis conſenſu, aliàs parùm propenſi in Sedem Apoſtolicam; in terris, Papæ dominio temporali ſubjectis, ab eo Spolia Clericorum juſtè, & licitè colliguntur.

28. Plenæ autèm feudalitatis eſt Regnum Neapolitanum, in quo degunt Contradictores reſpectu Sedis Apoſtolicę, illius territorium, illius patrimonium eſt, uti omnibus innoteſcit, & nos ſuperiùs lautiſſimè demonſtravimus (f). Ergò in eo inconcuſsâ juſtitiâ, & auctoritate competunt Romano Pontifici Spolia Clericorum, de quibus jam 157. ab hinc annis Pius Papa IV. binis conſtitutionibus ità edixit: *Cum quamplures Prælati, Presbyteri, & aliæ eccleſiaſticæ perſonæ diverſarum Provinciarum, locorum, & dominiorum, & præſertim Regni Neapolis, nullâ à nobis, ſeu Sede Apoſtolicâ, facultate teſtandi ſuffulti, vel muniti, ſed temeritate propriâ, & forſan ad ſuorum importunam ſuggeſtionem, impulſi, in eorum ultimis voluntatibus teſtamenta ſua condendo, ac donationes, ſeu legata, aut codicillos faciendo, de bonis ſuis diverſimodè, licet id facere nullo modo poſſint, neque debeant, diſponere audeant, ipſaque bona ſub diverſis conſictis prætextibus, & coloribus, hoſpitalibus, ac piis locis, & forſan cum promiſſionibus clandeſtinis, quo eorum ſanguineis, vel affinibus, aut aliis perſonis ab eiſdem Teſtatoribus nominatis, poſt illorum obitum ub ipſis Hoſpitalibus, & locis de certâ, ſeu quotâ portione bonorum hujuſmodi ſubveniatur, teſtari, relinquere, legare, codicillare non erubeſcant, in dictæ Cameræ noſtræ grave damnum, & præjudicium maximum; dictæ Cameræ indemnitati opportunè conſulere, & inconvenientibus hujuſmodi pro officii noſtri debito, congruum remedium adhibere volentes, motu proprio &c.* (g).

29. Et in aliâ, eodem anno promulgatâ, decrevit: *Motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, omnes, & ſingulos fructus, reditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quęcumque quomodolibet, & qualitercumque nuncupata, omnium, & ſingulorum beneficiorum eccleſiaſticorum cum curâ, & ſinè curâ, Sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, & Monaſteriorum, & Conciſtorialium, Sedi Apoſtolicæ, tàm per Conſtitutiones Apoſtolicas, quàm Cancellariæ Apoſtolicæ Regulas editas, & edendas, ſeu aliàs quomodolibet ex quavis causâ, generalitèr, vel ſpecialitèr reſervatorum, ſeu effectorum in Regno Neapolis, & quibuſvis Provinciis, Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis conſiſtentium, per obitum, & aliàs quovis modo, pręterquàm per ceſſum illa obtinentium pro tempore vacantium, à die ipſorum beneficiorum, & Monaſteriorum vacationis, pro ratâ temporis, uſque ad diem, quo proviſi per nos de eiſdem beneficiis, & Monaſteriis, vigore literarum noſtrarum ſub plumbo, illorum poſſeſſionèm de manu dilecti filii Magiſtri Pauli Odeſcalchi Notarii, & in dicto Regno Nuncii, & Collectoris noſtri, vel per alias noſtras literas ad*

Com-

(a) *Matthæus Pariſius an. 1246.*

(b) *Odoric. Raynald. an. 1213. n. 78. 79.*

(c) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 3. l. 2. c. 57. n. 3.*

(d) *Barboſ. tract. var. loc. 27.*

(e) *Spondan. an. 1513*

(f) *Vide ſuprà to. 2. à cap. 25.*

(g) *Pius IV. die 26. Maii an. 1560 Navar. tom. 1 de Spol. Cleric. 66 n. 5.*

Commiſſarium, quem ad capiendam poſſeſſionem beneficiorum, & Monaſteriorum hujuſmodi deputavimus, habuerint, & acceperint, & alitèr apprehenſa poſſeſſio, nullius ſit roboris, vel momenti; ac proviſis ipſis nullum jus per eum acquiri: neque eis ullatenùs ſuffragari poſſe, Cameræ Apoſtolicæ, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, applicamus, incorporamus, & appropriamus, & ad prædictam Cameram ſpectare ſtatuimus, & ordinamus (a). Ubi Azorius ait: notandum eſt, *hoc mandatum in hoc à ſuperiore mandato differre, quod illud ſolùm ſtatuit, fructus, & emolumenta vacantium Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium Eccleſiarum, & Monaſteriorum ubique conſiſtentium, Pontificis Fiſco deberi: hoc autèm mandatum declarat, fructus omnium beneficiorum quomodocùmque Sedi Apoſtolicæ reſervatorum, affectorum alitèr quàm per reſignationem vacantium in toto Regno Neapolitano, ad Fiſcum Pontificis pertinere. Aliorum igitùr beneficiorum vacantium, non reſervatorum fructus, in Regno Neapolitano, Papæ minimè debentur &c.* (b).

(a) *Pius IV. die 7. Decembris an 1560.*

(b) *Azorius inſtit. mor. p. 2. l. 8. c. 3 qu. 14. § quid.*

30. Regnum, inquam, Neapolitanum territorium eſt Sedis Apoſtolicæ, illius patrimonium eſt, & cum hoc onere à Summis Pontificibus eſt in feudum Regibus hucùſque collatum, ideòque juſtè, & pluſquàm juſtè in eo Papa Spolia Clericorum colligit, illiſque utitur pro ſuis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ neceſſitatibus ſublevandis, quæ, quales, & quantæ ſint, nec hujus loci eſt diſputare, neque Contradictorum diſcutere: *Nèc noſtrum eſt judicare*, inquit Azorius, *egeat necnè Camera Apoſtolica: Nàm hujuſmodi bona, quæ ad Spolia pertinent, jure communi, & antiquo, Eccleſiis, & Succeſſoribus reſervabantur, at in eorum locum jure optimo Fiſcus Pontificius ſuppoſitus eſt: nec enim minus indiget, quàm olim Eccleſia, & Succeſſores* (c). Nihil relevante garritus eorum, qui exaggerant lautos Sedis Apoſtolicæ proventus, quippè ſi & expenſæ ejuſdem ſeriò trutinentur; facilè invenietur exitum eſſe majorem introitu, poſſeque Romanum Pontificem cum D. Joanne Chryſoſtomo adversùs talia blaterantes opponere: *quandò Eccleſiæ facultatum videris magnitudinem, cogita etiam pauperum greges, ægrotantium multitudinem, & expenſarum &c. Sumus etiam parati vobis reddere rationem. Sumptus non ſunt minores proventibus, ſed aliquandò majores* (d).

(c) *Azor. loc. cit. p. 2 l. 8. c. 4. qu. 2.*

(d) *S. Joan. Chryſoſt. homil. 21. in epiſtol. ad Corinth.*

31. Si dicatur, quod in damnum Regni redundat extractio pecuniæ ex Spoliis Neapolitanis, ad Cameram Apoſtolicam profluentis; vide nè centuplum exaggeretur ſumma exactionis, longèque major prædicetur eſſe, quam ſit, & id ſuccedat, quod olim in Galliâ evenit, dùm Henricus III. Rex ſubſidia, quæ *Campanilis* dicebantur à Clero Gallico, poſtulabat, ſuper hoc altè clamantibus Clericis, quod ſumma hinc congeſta ad quatuor aureorum milliones aſcenderet; dum facto calculo, nec etiam partem quintamdecimam attingebat (e). Buccis ampliſſimè dilatatis, magnificant reditus Pontificios; qui eiſdem invident, atque detrahunt, & non ſecùs ac laterum, atque imbricum Mercatores, non de centenis, ſed de millenis numeris verba faciunt, cum tamèn in facto, proventus ſint longiſſimè reſtrictiores, & uno verbo vix reditus neceſſariis ſumptibus ſatis ſint: quodque notabile eſt, major pars horum proventuum ſolvendis interuſuriis annualitèr applicantur æris alieni, cujus oneri Sedes Apoſtolica ſe ſubmiſit, ut pecunias mitteret Principibus, & Regionibus per Turcas, & Hæreticos bello afflictis: nè tamquàm benigna Mater filiis vexatis opportuna in tempore tribulationis, etiam ultrà vires, ſubſidia denegaret. Exaggerant poſteà Contradictores ingentem ſummam, quæ ex Spoliis provenit è Regno Neapolitàno, Romam delatam; ſed ſi deducant ſumptus, qui in eis colligendis, in Collectoribus, & Miniſtris, & in cambiis intrà Regnum Neapolis erogantur, videbunt ſummam decantatam adeò minorari, ut tantis dicteriis non ſit digna, quantis ab eis petitur. Et quatenùs etiàm ſumma eſſet adeò effuſa, ut exaggerationi reſponderet, quidindè? Nonnè eſt jus Regis, & cujuſcumque privati: nonnè Mercatorum, nonnè Campſorum, nonnè demùm omnium, qui reditus habent in aliquâ Regione, ad ſe legitimè pertinentes, illos ad ſe trahendi,

(e) *Steph. Coſmi memor. del Cardinal. Gio. Franc. Moroſin. lib. 2. c. 16 in fin.*

atque

atque ad propriam domum, & patriam transferendi? Quod Magnates Romani, Teutonici, Hiſpani, Ligures, & aliarum Nationum habent multos reditus in Regno Neapolitano? Quot ibi numularii ſunt, & negotiatores extranei, qui divitiis corrogandis incumbunt; nunquid hi non poterunt pecunias ad ſe pertinentes, vel cedulas, & ſyngraphas permutationis, ad ſuam patriam, ad ſuam domum referre? Spectat ad jus gentium, ut cuilibet libera ſit propriorum redituum, vel æris indè ſuſcepti ad domum propriam aſportatio. Et quoàd Principes; jus Regium eſt, ut ex omnibus Provinciis, & Regionibus ſuę ditionis, reditus Fiſci Regalis ad ejus ærarium decurrant. Si autèm ſubditis, ſi Principi hæc libertas debetur: cur non erit debita Papæ; & quidèm Papæ reſpectu ad Regnum ui juris, cujus ipſe tenet altum dominium?

32. Quod ſi demùm huic exactioni eſſet per hypotheſim, reſiſtendum; quęſò prius benè perpendatur, an modò ſit tempus illam impugnandi? Ad quem pertineat eandem impugnare? Et quo remedio adverſus illam ſit utendum? Sanè tempus nùnc non eſt pro Regno quęſtionem hanc in diſceptatione ponendi, cum adhùc recens eſt memoria gratioſiſſimi indulti, quo ſanctæ memoriæ Innocentius Papa XII. cunctiş Eccleſiis Cathedralibus Regni Neapolitani, Spolia, de quibus agimus, relaxavit. Vix adhùc deſiccatum eſt tanti diplomatis atramentum, & prò Spoliis univerſalitèr abrogandis, tùm ſcriptionibus aculeatis, tùm armorum Principis utilis contrà directum invocatione tractatur? Ecquis juſtitię amator, ecquis politicę rationis providus pertractator, hoc laudabit? verè poſſet ad hæc audita Sedes Apoſtolica lamentari, *qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem* (a). Et ſi aliud non eſſet, nunquid parum eſt, Regem, pietatis amatorem, hæreditarium obſequium in Sedem Apoſtolicam profitentem, hujuſque tàm ex officio, quàm ex genio defenſorem, primis penè ſui Regni diebus eò attrahere voluiſſe, ut videatur velle jura Sanctę Romanæ Eccleſiæ abrogare? Regem, quem cum primò Regale nomen induit, & Imperialem ſucceſſivè Clamydem eſt adeptus, jurares id Romano Pontifici ſpopondiſſe, quod Juſtinianus Imperator Pontifici ſui temporis eſt profeſſus: *Semper nobis fuit magnum ſtudium ſublimitatem veſtræ Apoſtolicæ Sedis cuſtodire &c. & per omnia properamus honorem, & auctoritatem creſcere veſtræ Sedis* (b).

(a) Pſalm. 37. nu. 21.

(b) Bzov. de Roman. Pont. c. 38.

33. Quod ſi adhùc impugnanda eſſent Spolia, vide an pertineret ad Regem, an ad Clerum id facere, utpotè quorum primarium intereſſe concernit, vel pecunias è Regno abſtrahere, vel proventus Eccleſiis, & ſucceſſoribus denegare. At Auguſtiſſimus Imperator Carolus VI. Auſtriacus, cui Regnum Neapolitanum nùnc paret, impugnari Spolia non mandavit, nec unquàm id præcepturum eſſe cenſemus, quippè qui conſcius eſt, quod *jus quidem habent Reges, & Principes imperandi, nè pecuniæ ex eorum Provinciis extrahantur; ſed quis dicat eâ lege Romanum Pontificem teneri* (c)? Præſertìm pro rebus merè Eccleſiaſticis, & pro Regno patrimoniali Romanæ Eccleſię. Clerus quoque Regni Neapolitani nullibi adhùc coaluit, ut de impugnandis Spoliis, communi conſilio deliberaret. Si ergò neque Rex, neque Clerus impetunt Spolia; ecquis adversùs illa legitimùs impugnator exurgit? Quâ auctoritate Contradictores illis obſtrepunt? Cujus legitimo mandato calamum agitarunt? Cur privilegia Sedis Apoſtolicæ minorare contendunt? (d) Exaggerabunt fortè exceſſus in modo colligendi Spolia, de quo uſque ab horum initiis fuit, qui ſcripſit. *Si quis fato ſuo fungebatur, volitabant ubique Collectores, & Subcollectores Apoſtolicæ Cameræ; ut aſportarent quidquid ab illis acquiſitum eſſet mobilium, quamvis ea ſatis probabilitèr hæredibus permittenda fuiſſent: vel certè executoribus teſtamentariis; ac ne ſinebant quidèm ea in reparationes maximè neceſſarias expendi &c.* (e).

(c) Azor. inſt. mor. p. 2. l. 2. c. 4. qu. 2.

(d) S. Bernard. epiſt. 242.

(e) Chronic. S. Dionyſ. ap. Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 3. l. 2. c. 57. n. 5.

34. At hæc in primis Deo dante, noſtrâ ætate non ſuccedunt, quidquid fortè aliquâ vice antiquis illis temporibus eveniret. Ac quatenùs etiam, quod non conceditur, eveniret, hoc vel nihil, vel vix quidquam pertinet ad Laicos. Secundariò

riò quoàd Spolia Epiſcoporum jam ſatis proviſum eſt per Indultum Innocentii Papæ XII. Et ſi quoàd minores Eccleſias exceſſus iſti ſuccedunt, duplex remedium adeſt: alterum ſuggerit Cardinalis Baronius, ex Neapolitano Regno progenitus, hoc modo: *De horum importunâ exactione cum multi querantur, hos facilè vitabunt, & prudentèr arte deludent, qui bona Eccleſię, quæ ſuperſunt, non congregarint, ſed in pauperes erogarint. Habitantes enim in terrâ ſalſuginis, pauperes ſcilicèt, clamorem non audient exactoris* (a). Si hoc remedium non placet, adhibeatur aliud, ab Azorio propoſitum, ſub his terminis: *Quod ſi Pontificii Collectores, in exigendis, & colligendis Spoliis eccleſiaſticis forſan plùs æquo vexant, eorum eſt culpa, non Romanorum Pontificum: Et abuſus ſi qui irrepſerint, præcidendi ſunt; ſervato juris ordine, non Canones, & jura damnanda* (b). Plectantur Exactores, ſi in officio delinquunt: cohibeantur eorum violentiæ, ſi quæ fortaſſis emergunt: At non idcircò Sedes Apoſtolica ſuis juribus denudetur. Nàm ut benè ajebat D. Auguſtinus: *Cathedra quid tibi fecit* (c)? Si delinquunt Exactores Pontificii, *quid delinquit Sancta Romanorum Eccleſia* (d)? Si delinquunt Exactores Regii, numquid delinquit Regni Corona? Numquid propterea Regi ſunt ſui reditus denegandi? Abſit, Idipſum fiat cum Apoſtolicâ Sede. Tandèm undecùmque veniat gravamen, ad ipſam D. Petri Cathedram recurratur pro opportuno remedio prudentiſſimâ illâ methodo, qua Eccleſiaſtici Gallicani, ne cuidam exactioni ſubjacerent, ità Clementi IV. Pontifici ſupplicarunt: *Ad pedes veſtræ præcelſę Sanctitatis, flexis genibus cordis, & complosis manibus cum filiis Iſrael, &c. cum deploratione provoluti humilitèr, & ferventèr ſupplicamus, quatenùs taliter ſe habeat veſtra Sanctitas, quod ſancta Mater Eccleſia temporibus noſtris de variis oppreſſionibus reſpiret ad pacem, & de tantis tempeſtatibus ad tranquillitatem reſurgat* (e).

(a) Card. Baron. an. 397. n. 54.

(b) Azorius inſt. mor. p. 2. l. 8. c. 4. qu.

(c) S. Auguſt. l. 2. c. 51. contr. lit. Petiliani.

(d) Steph. Pap. VI. ep. 1. ad Baſil. Imper.

(e) Chron. Normau. poſt ann. 1254. ap. Duchesne bibl. Norman. f. 1013.

CAPUT XXIV.

In quo diſſeritur dè Fabrica Baſilicæ S. Petri *in Vaticano, ipſiuſque Tribunali: ac dè proventibus, qui ex Legatis Piis, vagis, & incertis &c. atquè ex Compoſitionibus ſupèr eiſdem, exiguntur, ad ipſiuſmet Baſilicæ magnificentiam, & ornatum conſervandum, atquè augendum.*

SUMMARIUM.

1 *Baſilica D. Petri à Conſtantino excitata, & injuria temporum quaſſata fuit à Julio Papâ II. novitèr ſtructa: ad quam olim fideles mittebant munera.*

2 *Intrantes auguſtum hoc Templum pii homines, ad pietatem excitantur mali homines de eo obloquuntur, abutentes verbis D. Bernardi.*

3 *Verba D. Bernardi, quibus abutuntur Contradictores, & qui cum illis adversùs Fabricam D. Petri crocitant, nobis favent.*

4 *Omnis vanitas eſt ab Eccleſiis protelanda: & egeſtatis tempore, melius eſt pauperibus ſubvenire, quàm Eccleſias ornare.*

5 *Ad virtutes religionis, & liberalitatis pertinet ornatus Templorum, exemplis Moyſi, Davidis, & Salomonis. Quot milliones auri impenſi fuerint in Templo.*

6 *Minori diſpendia erecta eſt, & ornata Baſilica Vaticana, quàm Templum Hieruſalem. D. Hieronymus in oppoſitum allegatus non improbat ornatum Eccleſiarum.*

7 *In epiſtolâ ad Demetriadem laudat ornare Eccleſias, etſi laudabilius cenſeat in Moniali opes ſubventioni pauperum applicare.*

8 *Oportet ornare Eccleſias, ſed & ſimul pauperes fovere: non expedit autem omnes opes pauperibus dare. B. Virgo voluit Baſilicam Liberianam conſtrui.*

9 *Etiàm antiquis ſeculis, & adhùc recente fide, Chriſtiani habebant Eccleſias magnificè ornatas. Multas extruxit Conſtantinus.*

10 *Enuntiantur plures Eccleſiæ, quæ proptèr eorum magnificentiam ſunt celebres, & individuè Templum S. Sophiæ Conſtantinopolis.*

11 *Non poteſt carpi Pontifex, quod eleemoſynas, & dona à fidelibus poſtulaverit ad conſtruendam, & ornandam Baſilicam Vaticanam.*

12 *Tanta non fuit Chriſtianorum devotio in conferendo oblationes prò iſtâ Fabricâ, quanta fuit Hebræorum prò Tabernaculo, & Templo.*

13 *Oſtenditur juſtitia, quâ Fabricæ Baſilicæ S. Petri fuerunt applicata legata pia, indeterminata, & vaga, malèque acquiſita.*

14 *Per Fabricam non tolluntur, ſed commutantur legata de uno in alium pium uſum. Non ſolæ Miſſæ, & eleemoſinæ ſunt Deo gratæ, ſed etiam alia opera pia.*

15 *Papa commutare poteſt legata pia in aliud pium opus. Obſervantia ultimarum voluntatum non eſt de jure naturali, nequè divino.*

16 *Commutare ultimas voluntates poteſt Papa, cumque pium opus mutatur in aliud, ſervatur ſubſtantia piæ diſpoſitionis, & variatur modus.*

17 *Ex*

17 *Ex Conſtitutione Julii Papę II. probatur, quod Fabrica S. Petri componere poteſt ſuper Legatis piis in genere, & incertis.*

18 19 20 *Refert Joannes Paulus Monetas privilegia, conceſſa Collegio Fabricæ S. Petri per plures Papas. Hæeque ad qualia bona ſe extendant?*

21 22 23 *Pius IV. & S. Pius V. dant Collegio Fabricæ exigendi quaſdam ſpecies legatorum piorum, & ſuper aliis rebus tranſigendi.*

24 25 *Probat, & declarat idem Auctor juſtitiam poteſtatis Fabricæ D. Petri auctoritate Aloyſii Riccii celebris Scriptoris Neapolitani.*

26 *Concilium Generale, & Nationale, imò & Provinciale, & demùm quilibet Epiſcopus, in aliquibus caſibus, commutare valent pias hominum voluntates.*

27 *In Regno Neapolitano Papa eſt ſimul Summus Pontifex, & Summus Princeps, ibique poteſt utrâque poteſtate, ſpirituali, ac temporali uti.*

28 *Nihil proficit ſupplicatio porrecta Toleto Proregi contrà Tribunal Fabricæ, cum ille eſſet Judex incompetens, & ſupervenerint nova pacta.*

29 *Contradictores non conſulerent ſuo Principi, ut cederet ſuis juribus. Opus fuiſſet Comitiis Regni ad impugnandum Tribunal Fabricæ.*

30 *Non debet ab* Annatis Spoliis, *& exactionibus* Fabricæ D. Petri *ceſſari: neque collatio beneficiorum ad ſolos indigenas coarctari.*

1. *TU autem fili hominis oſtende Domui Iſrael Templum, & metiantur Fabricam: figuram domus, & fabricæ ejus, exitus, & introitus, & omnem deſcriptionem ejus, & univerſa præcepta ejus, & ordinem ejus, & omnes leges ejus oſtendes eis (a).* Hujuſmodi verbis Ezechiel Propheta Domini allexit Iſraelitas, ad meditandam gloriam, & magnificentiam Templi, à Salomone conditi in Hieruſalem, ut illius decore attentè conſiderato, libentiùs ipſam ædem ſacram venerarentur, & in eâ Deum. Iſrael cultu integro proſequerentur. Totidem vocibus nos quoque cunctos Chriſtifideles ad ſubeundum Templum D. Petri, in Vaticano poſiti, accimus, ut ejus ſplendore, ac operoſitate perſpectâ, ad illud venerandum ſe incitent, ſimulque ad colendum Deum, qui ibidem humilitèr adoratur, animo aſſurgant: Deum cujus *non eſt ſimilis in cœlo deſuper, & ſuper terram deorſum (b).* Quo facto eoſdem interpellamus, ut judicent, quam injuſto titulo Contradictores adverſus elegantiam, & ſumptuoſitatem glorioſæ hujus Baſilicæ, illiuſque Tribunalis juſtitiam, linguam exacuant, & detractionis vibrent aculeos. In ſacrâ ipsâ æde glorioſiſſimum ejuſdem D. Petri Corpus requieſcit, ad eamque ſemper magnificentius decorandam colliguntur hìnc indè pecuniæ, Romam tranſmittendæ, atque in ornamentum, & ſtructuram excelſiſſimæ illius Baſilicæ corrogantur. Hanc primus à fundamentis erexit magnus Imperator Conſtantinus poſt Chriſtianam fidem amplexam, ſed temporis injuriâ quaſſatam, & magnis reparationibus indigentem, nedùm reſtaurare, verùm etiam in ſumptuoſiorem adhùc formam redigere cogitavit Julius Papa II. iis fortè ſtimulis agitatus, quibus David, & Salomon filius ejus in libris Paralipomenon afferebant: *Domus, quam ædificare volo Domino, talis eſſe debet, ut in cunctis Regionibus nominetur (c). Domus, quam ædificare cupio, magna eſt, magnus eſt enim Deus noſter ſuper omnes Deos: quis ergò poterit prævalere, ut ædificet ei dignam Domum? Si Cœlum, & Cœli Cœlorum capere eum nequeunt, quantus ego ſum, ut poſſim ædificare ei domum (d)?* Sanè ſi ſemper in Eccleſiâ Dei exuberans illa pietas floruiſſet, qua olim fideles, ex ipſis longè poſitis Regionibus, ad ædem D. Petri donaria multa pecuniæ argenti, & auri devotionis titulo tranſmittebant, cujus mentio fit in actis S. Audoeni Rotomagenſis (e), nil ultrà opus fuiſſet exquirere prò ſtructurâ tàm ſublimis, & auguſti Templi complendâ. Verùm quià vena tantæ liberalitatis jamdiù aruerat ſere penitùs exſiccata; ad imploranda à cunctis fidelibus eleemeſynarum ſub-

(a) *Ezechielis cap. 43. n. 10.*

(b) *3. Regum cap. 8. num. 23.*

(c) *1. Paralip. c. 22. num. 5.*

(d) *2. Paralip. cap. 2. num. 5.*

(e) *Surius tom. 4. die 24. Auguſt. c. 23.*

ſubſidia, prò Templo Apoſtolorum Principi, omniumque Chriſtianorum Patri, & Pontifici, decorando, Julius sè convertit, propoſito largitoribus eleemoſynarum præmio Indulgentiarum. Sed quoniam minores indè colligebantur ſuppetię, quàm tanto operi ſatis eſſent, Pontifex in id animo tandèm perlatus eſt, ut legata pia, incerta, vaga, & incapacibus relicta, ſtructurę, & ornamento ipſius Baſilicæ deſtinaret (*a*). Tùmque erectum fuit Collegium, & Tribunal, quod *Fabricę* D. Petri nuncupatur, ſollicitudinem gerens, tàm ædificationis, & ornatus præfatæ Eccleſiæ Principis Apoſtolorum, quàm eleemoſynarum, & pecuniarum, ex dictis legatis, per Commiſſarios exigendarum, & quidquid aliud eſt emolumenti operi hujus fabricæ deſtinati. Simile Collegio huic, ſivè Tribunali, cenſemus eſſe Officium illud, quod Venetiis reperitur, *Operis Eccleſię Sancti Marci*, de quo Joannes Papa XXII. in epiſtolâ ad Aymericum Archiepiſcopum Ravennatem: *Procuratores operis Eccleſię S. Marci, dictique Communis Officiales, executores, seù fornitores teſtamentorum, ut patrię verbis utamur, qui per dictum Commune ad id videlicèt ſunt ſpecialitèr deputati, ut pecuniam Venetorum ipſorum in reparatione, & aliis operibus, & ędificiis, seù neceſſitatibus Eccleſię prędictę convertant* (*b*).

(a) Julius Pap. II. Conſtit. 23.

(b) Riſpoſta all'Iſtoria della Sac. Inquiſit. di Fr. Paolo fol. 196.

2. Vides hìc, novam non fuiſſe adinventionem Julii Papæ II. nec ſine exemplo conſimili proceſſiſſe, quando præfata legata pia, incerta, vaga, & incapacibus directa, uſibus, & Fabricæ præfatæ Divi Petri Baſilicæ deſtinavit. Alii quoque Pontifices auguſtæ huic ſtructuræ alios reditus aſſignarunt, quorum ſubſidio, conſtructio ipſa, & ornatus mirificè concrevere, jàmque Baſilica hujuſmodi, prę vaſtitate, & ſumptuoſitate, in ſingulare orbis, & artis quodammodò miraculum excrevit, *magnaque eſt gloria domus iſtius noviſſimæ, pluſquàm primę* (*c*). Tantam Sacræ hujuſce Baſilicæ magnitudinem, almitatem, gloriam, & ornatum, mirantur Catholici, ac pii homines, qui ex toto orbe ad illam confluentes, vix primum limen ingrediuntur, cùm, D. Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis, teneritudine affecti, clamant, vel ſaltem piè clamare poſſunt: *O quàm ſpecioſa erit Hieruſalem Cæleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris* (*d*). Nèc ullum remur ſanę fidei, & mentis hominem ſplendidiſſimum illud ingredi Templum, qui non in corde ſuo ſincerum excitet ſenſum: *verè Dominus eſt in loco iſto. Quàm terribilis eſt locus iſte; verè non eſt hìc aliud, niſi domus Dei, & porta Cæli* (*e*). Ipſam autem Baſilicam ſubeuntes, ejus ſumptuoſitatem interdùm improbant aliqui Hæretici, & mali homines, invidiâ in illam, & maligno animo concitati, qui cuncta in ſenſum reprobum detorquentes, & verbis D. Bernardi abutentes crocitant, & ogganniunt: *O vanitas vanitatum: ſed non vanior, quàm inſanior. Fulget Eccleſia in parietibus, & in pauperibus eget. Suos lapides induit auro, & ſuos filios nudos deſerit. Dè ſumptibus egenorum ſervitur oculis divitum. Inveniunt curioſi, quo delectentur, & non inveniunt miſeri, quo ſuſtententur* (*f*). At hi non attendunt, quod D. Bernardus non improbat religioſa, & pia ornamenta Templorum, ſed indevota, & profana, prout ſunt ſculpturæ, & picturę, repreſentantes Simias, Tigrides, & Centauros, aut alia etiam ornamenta pia, ſed vel in pavimento alioque minùs venerato loco repoſita, & contemptui potiùs, quàm venerationi Eccleſiam ingredientium expoſita, vel ideò intuentium devotioni exhibita, ut ab eis nummi, ab eis extorqueantur oblata. Legatur tota ſeries eloquii D. Bernardi, & invenietur ab ipſo Eccleſiarum ornatus non improbari, ſed collaudari.

(c) Aggæi cap. 2. num. 10.

(d) Vit. S. Fulgent. apud Surium die 1. Januar. Baron. ann. 500. num. 9.

(e) Geneſis cap. 28. num. 16.

(f) S. Bernard. in Apolog. ad Guillelm. Abbat. cap. 12.

3. *Expenditur*, inquit, ut augeatur, *& effuſio copiam parit. Ipſo quippè viſu ſumptuoſarum, ſed mirandarum vanitatum accenduntur homines magis ad offendendum, quàm ad adorandum. Sic opes opibus hauriuntur, ſic pecunia pecuniam trahit, quià neſcio quo pacto ubi ampliùs divitiarum cernitur, ibi offertur libentiùs. Auro tectis reliquiis ſignantur oculi, & loculi aperiuntur. Oſtenditur pulcherrima forma Sancti, vel Sanctæ alicujus, & eo creditur Sanctior, quo coloratior. Currunt homines ad oſculandum, invitantur ad donandum, & magis mirantur pulchra, quàm venerantur Sacra. Ponuntur de hinc in Eccleſiâ gemmatæ non coronæ, ſed rotæ cir-*

cum-

cumſeptæ lampadibus: ſed non minùs fulgentes inſertis lampidibus. Cernimus, & pro Candelabris arbores quaſdam erectas, multo ęris pondere, miro artificis opere fabricatas, nec magis coruſcantes ſuperpoſitis lucernis, quàm ſuis gemmis. Quid putas in his omnibus quæritur? pœnitentium compunctio, an intuentium admiratio. O vanitas vanitatum, ſed non vanior, quàm inſanior. Fulget Eccleſia in parieti bus, & in pauperibus eget. Snos lapides induit auro, & ſuos filios nudos deſeris. De ſumptibus egenorum ſervitur oculis divitum. Inveniunt curioſi, quo delectentur, & non inveniunt miſeri, quo ſuſtentent ur. Ut quid ſaltèm Sanctorum imagines non reveremur, quibus utique ipſum, quod pedibus conculcatur, ſcatet pavimentum? Sæpè ſpuitur in ore Angeli, ſæpè alicujus Sanctorum facies calcibus tunditur tranſeuntium: & ſi non Sacris his imaginibus, cur vel non parcitur pulchris coloribus? Cur decoras, quod mox fœdandum eſt? Cur depingis, quod neceſſe eſt conculcari? Quid ibi valent venuſtæ formæ, ubi pulvere maculantur aſſiduo? Deniquè quid hæc ad pauperes, ad Monachos, ad ſpirituales viros? Niſi fortè, & hic adverſus memoratum poetæ verſiculum, propheticus ille reſpondeatur: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Aſſentio. Patiamus, & hæc fieri in Eccleſiâ, quià etſi noxia ſunt vanis, & avaris, non tamen ſimplicibus, & devotis. Cæterùm in Clauſtris coram legentibus Fratribus, quid facit illa ridicula monſtruoſitas, mira quædam deformis formoſitas, ac formoſa deformitas? Quid ibi immundę Simię, quid feri Leones, quid monſtruoſi Centauri, quid ſemihomines, quid maculoſæ Tigrides, quid milites pugnantęs, quid venatores tubicinantes? Videas ſub uno capite multa corpora, & rursùs in uno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda Serpentis, illinc in piſce caput quadrupedis. Ibi beſtia præfers equum, capram trahens retro dimidiam, hìc cornutum animal equum geſtat poſterius. Tàm multa denique, tamque mira diverſarum formarum, ubique varietas apparet, ut magis legere liceat in marmoribus, quàm in Codicibus, totumque diem occupare, ſingula iſta mirando, quàm in lege Dei meditando. Prò Deo ſi non pudet ineptiarum, cur vel non piget expenſarum (a)?

(a) *S. Bernard. in d. Apolog. ad Guillelm. Abbatem c. 12.*

4. Proculdubiò omnis vanitas, & quidquid non excitat ad pietatem, eſt ab Eccleſiâ Dei longiùs protelandum, quam *decet Sanctitudo in longitudinem dierum* (b). Cęteriſque paribus, quandò urget annonæ inopia, & penuria miſerorum, meliùs eſt pecunias in pauperum levamen impendere, quàm in Baſilicarum fabricas erogare (c). Ecquod enim pretioſius templum Dei eſt, quàm Chriſtifideles, præſertim pauperie laborantes (d)? In iſtis rerum circumſtantiis, prævalet monitum S. Joannis Chryſoſtomi: *Vis domum Dei edificare? Da fidelibus pauperibus undè vivant, & ædificaſti rationabilem Domum Dei &c. Non gaudent martyres, quandò ex illis pecuniis honorantur, prò quibus plorant pauperes* (e). Et ſi qui neceſſaria pauperum ſubſidia, in parietibus Eccleſiarum auro incruſtandis profundunt, vanitati, & injuſtitiæ ſerviunt potiùs, quàm Dei cultui, & religioni templorum: adversùs hos eſt cum D. Ambroſio clamandum, *meliùs fuerat, ut vaſa viventium ſervares, quam vaſa metallorum: his non poteſt reſponſum referri, quid enim diceres? timui nè templo Domini ornatus deeſſet: reſponderes; aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quę auro non emuntur: ornatus Sacramentorum, redemptio Captivorum eſt* (f). Sed extrà hujuſmodi circumſtantias, & præſcindendo à pauperum indigentiâ; non magis Eccleſiarum ſumptuoſitatem impetit inopia egenorum, quàm tunc impeteret, cum *Maria accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Jeſu, & extersit pedes ejus capillis ſuis, & domus impleta eſt ex odore unguenti. Dixit ergò unus ex Diſcipulis, Judas Iſcariotes, qui erat eum traditurus, quarè hoc unguentum non væniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat &c.* (g). Cæterùm licitè, ac ſanctè ornari ſacras ædes, multiformitèr oſtendunt Theologi, ad quos Lectorem remittimus (h).

(b) *Pſalm. 92. n. 5.*

(c) *S. Jo. Chryſ. homil. 51. & 81. in Matthæi.*

(d) *1. Corinth. cap. 3. n. 17. & cap. 6. n. 19.*

(e) *S. Joan. Chryſoſt. loco cit.*

(f) *S. Ambroſ. de officiis l. 2. c. 28.*

(g) *Joannis c. 12. n. 3.*

(h) *Bellarm. l. 3. c. 6. de cult. Sanct. Franc. Arias tom. 2. de Imit. Chriſti, & de virt. relig. c. 13 Steph. Durāt. de rit. Eccl. l. 1. c. 4.*

5. Eccleſias ſumptuoſius ornare, binæ virtutis eſt actus, nimirùm religionis, & liberalitatis, quibus & fervor fidei oſtenditur, & gratitudo, atque honor Deo

pro

prò acceptis beneficiis exhibetur (*a*): hocque eſſe Deo gratum, ex eo apertiſſimè apparet, quod ipſe Deus, Moyſi præcipiens ſtructuram Tabernaculi, decorem, & pulchritudinem ejus præſcripſit, quæ talis fuit, ut ornatum valdè emicaret: cortinis purpureis rutilaret, ac omnia vaſa uſui Sanctuarii deputata, eſſent ex auro puro conflata (*b*). David quoque prò Fabricâ Templi, quod Deo erigere cogitavit, *preparavit impenſas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, æris verò, & ferri non eſt pondus, vincitur enim numerus magnitudine* (*c*). Quorum talentorum valorem calculans Cornelius à Lapide, hanc ſummam educit: *Univerſim ergò reliquit David Salomoni prò fabricâ Templi bis mille, & quadringentos milliones aureorum, quantum auri vix eſt in totâ Europâ* (*d*). Tantam Summam, & adhùc majorem impendit Salomon, qui Templum ipſum defuncto Davide ædificavit, in quo Altare aureum erat: Oraculum aureum: Candelabrum aureum: Seraphim auro tecti: pavimentum elegantèr conſtratum: parietes laminis aureis incruſtati: *nihil tandèm erat in Templo, quod non auro tegeretur* (*e*). Aderant poſtmodùm Templo ipſi ſupellectilia pretioſiſſima, & numeroſiſſima, nimirùm decem millia candelabrorum; viginti millia thuribulorum: quadraginta millia inſtrumentorum muſicorum: ducenta millia tubarum: ducenta quinquaginta millia vaſorum aureorum: nongentaquinquaginta millia vaſorum argenteorum: & ſummatìm in ſtructurâ Templi conſumpta fuerunt 2920. milliones, & 950. millia aureorum (*f*).

(a) *Vid. Menoch tracten. Erud. tom. 2. Centur. 6. c. 14.*

(b) *Exodi c. 26. cum ſequ.*

(c) 1. *Paralipom. c. 22. n. 14.*

(d) *Cornel. à Lapid. in Aggæi c. 2. nu. 10. ſ. poſterior.*

(e) 3. *Regum. cap. 6.*

(f) *Joſeph. in Antiq. Judaic.*

6. Quæ dicta ſint, ut appareat, quam prolixo, & immenſo auri, & argenti diſpendio conſtructum fuerit magnificum Hieroſolymitanæ Urbis Templum, Deo in lege Moſaicâ dedicatum, utque ſileant, qui de nimiâ profuſione, Fabricam D. Petri in Vaticano, redarguunt, in quâ vix forte fuit uſque nùnc erogata exigua pars tot millionum, quot præfatum Salomonis Templum totalitèr compleverunt. Allegatur, ad hæc retundenda, D. Hieronymus, in epiſtolâ ad Nepotianum ità declamans: *neque verò mihi aliquis opponat dives in Judæa Templum, menſam, lucernas, thuribula, patellas, ſcyphos, mortariola, & cætera ex auro fabricata. Tùnc hæc probabantur à Domino, quandò Sacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecudum erat remiſſio peccatorum, quamquàm hæc omnia præceſſerint in figurâ. Scriptum eſt autèm propter nos in quos fines ſeculorum devenerunt. Nùnc verò cum paupertatem domus ſuę pauper Dominus dedicavit, portemus Crucem, & delitias lutum putemus* (*g*). Perperàm autem hęc ex D. Hierouymo depromuntur; quippè Sanctus non ſumptuoſitatem Eccleſiarum improbat, ſed ſolùm Eccleſiæ Miniſtris religioſam paupertatem commendat, quam eſſe à Clericis obſervandam inculcat, nec deſerendam, neque aurum congregandum, neque divitiis adunandis eſſe incumbendum, etiam ſub motivo, ut ex opibus ſolertèr coacervatis, Eccleſiæ ſplendentiſſimæ conſtruantur: quod totum nihil facit ad rem, quià nihil omninò habet cum noſtro caſu commune. Loquitur D. Hieronymus Nepotiano, Heliodori ex Sorore Nepoti, datque illi normam, quâ Clericus, & Monachus debet vivere (*h*). Certè minùs laudabile eſt, nec à vitio immune, quod Monachus, & etiam Clericus, pecuniis coacervandis totus inſiſtat, quamvis poſteà illas pro Eccleſiis ornandis, ſeù ditandis inſumat; ſed non hìnc ſequitur, quod aliis modis, & ab aliis perſonis, & ſub aliis rerum circumſtantiis, non ſit omni præconio dignum, Eccleſias conſtruere, ditare, ac magnificentiſſimè perornare.

(g) *S. Hieron. ep. 2. ad Nepotian.*

(h) *S. Hieron. in ead. epiſt. 2 in princ.*

7. Et quod hæc ſit mens D. Hieronymi, ervitur apertiſſimè ex ejus epiſtolâ ad Demetriadem, quâ illam inſtruit, quomodò poſt virginitatem jam profeſſam, debeat de hæreditate illi obventurâ, diſponere; *facies*, inquit, *quod tibi viſum fuerit, imò quod Dòminus imperat, ſcitura, nihil tè habituram, niſi quod in bonis operibus erogaveris. Alii ædificent Eccleſias, veſtiant parietes marmorum cruſtis: columnarum moles advehant, earumque deaurent capita, pretioſum ornatum non ſententia: ebore argentoque valvas, & gemmis aurata diſtinguant altaria; non reprehendo, non abnuo; unuſquiſque in ſenſu ſuo abundet, meliùs eſt hoc facere, quàm repoſi-*

poſi-

poſitis opibus incubare. Sed tibi aliud propoſitum eſt, Chriſtum veſtire in pauperibus, viſitare in languentibus, paſcere in eſurientibus, ſuſcipere in his, qui tecto indigent &c. Virginum alere Monaſteria: Servorum Dei, & pauperum ſpiritu habere curam, qui diebus, & noctibus ſerviunt Domino tuo &c. (*a*). Ubi cubitalibus literis D. Hieronymus non improbat ornari Templa, & ditari, ſed illud approbat, & commendat; relinquens, ut omnes in proprio, & ſibi magis grato ſenſu abundent. Quamquàm in Moniali laudabilius cenſeat opes in pauperum ſubventione erogare, quàm Templis perornandis impendere: quemadmodùm, ſi ſermo id poſtulaſſet, ſuaſiſſet Demetriadem, ut quotidie jejunaret, vinum nunquàm deguſtaret, ſomnum humi, vel ſuper aſſeribus carptitaret, & alia faceret, quæ Monialem decent, non tamquàm ex debito, ſed tamquàm ex ſtudio perfectionis, itaut ſi Monialis vinum bibat, quotidiè non jejunet, ſuper anaclinterio recumbat, culpæ vitium non incurrat. Si requiſitus etiam fuiſſet D. Hieronymus, an melius ſit, ut Reges, Imperatores, & Principes palatia exornent, villas, & viridaria conſtruant, greges Aulicorum, famulorum, militum, equorum, & aliarum beſtiarum enutriant; an ut pretium erogent pauperibus; profectò votum favore pauperum contuliſſet; nunquid autem proptèr hoc non licet Magnatibus palatia erigere, atque ornare, & alia ut ſuprà facere? Itàque tàm D. Hieronymus, quàm D. Bernardus, quibus addi poteſt Vualfridus Abbas (*b*), & ſi qui alii ſunt Patres, Theologi, Juriſconſulti, & cujuſvis profeſſionis Scriptores, ſanæ tamèn fidei, & mentis, qui de Templorum ornatu, & ædificatione loquantur, nunquam eam improbare inveniuntur, ſed ad ſummum, cæteris paribus, & attentâ perſonarum, locorum & temporum varietate, laudabunt potiùs, quod eiſdem pauperes ſubleventur, quàm quod Sacri parietes perornentur, ſed hoc nihil officit Fabricæ D. Petri, nec cujuſquam Eccleſiæ ornatum ſumptuoſiorem invertit.

(a) *S. Hieron. epiſt. 8. ad Demetriad.*

(b) *Walfrid. Abb. de rebus eccleſ. l. 14.*

8. Temporibus D. Hieronymi, ac Bernardi, & Vualfridi Abbatis, vel in locis, de quibus ipſi loquebantur, fortè aliquis exceſſus in Eccleſiarum ornatu irrepſerat, ac parcior erat hominum liberalitas in egenos. Rerum ſtatu ſic sè habente, benè improbarunt exceſſum ipſum non in sè ſumptum, ſed ut collatum cum præfato defectu: oportet enim unum facere, & aliud non omittere; ornare Eccleſias, ſed & etiam pauperes adjuvare. In reliquis illorum ſanctorum virorum ſenſus non tàm contrà Eccleſiarum ſumptuoſitatem, quàm etiam adverſus conſtructionem ædium ſæcularium apti ſunt inclamare: non tamen idcircò damnandi ſunt laici conſtruentes palatia, caſtra, turres, ædificia, ingentibus ſumptibus, qui potuiſſent in eleemoſynas pauperum erogari, niſi fortè ſit exceſſus in his expenſis, & defectus in eleemoſynarum congruâ exhibitione. Porrò in eleemoſynis dandis largi, ac prompti debent eſſe omnes Chriſtiani, & præſertim Eccleſiaſtici, non tamen expedit, ut omnes opes ex beneficiis profluentes pauperibus conferantur (*c*): Nèc illas eis conferre eſt illud unicum, & ſolum, quod placet Deo, Beatiſſima Virgo, apparens Joanni Romano Patritio, non juſſit, ut totam ſuam hæreditatem pauperibus erogaret, ſed ut eam in conſtruendâ nobiliſſimâ Baſilicâ Liberianâ promptus impenderet (*d*): S. Ambroſius, varia opera pietatis inſinuans, quibus adimplendis Chriſtiani laudabilitèr incumbunt, erectionem quoque ſacratum ædium accumulat, aſſeritque, quod *nemo poteſt accuſare, quia Templum Dei ædificatum eſt* (*e*): S. Joannes Chryſoſtomus, commovens populum ad Eccleſias conſtruendas, dicit: *ſi quid habes inſumendum in pauperes, illùc inſume* (*f*). Cenſuerunt ergò ſanctiſſimi, ac doctiſſimi hi Patres dignum Chriſtiano viro eſſe opus, ſacris ædibus ædificandis animum applicare, in eiſque opes etiam illas, & pecunias impendere, quæ alioquin poſſent in eleemoſynam pauperibus erogari. Accedit quod interdùm eleemoſynarum largitas ipſis pauperibus eſt damnoſa, quippè quorum vitiis alimenta miniſtrat, & qui aliquandò, ut inquiebat D. Joannes Chryſoſtomus, faciunt de eleemoſynâ mercaturam. Aliundè autem cum homo ſemper utatur ſenſibus, & iſtis moveatur, ac dirigatur in iis, quę pietatem concernunt; expedit

(c) *Pallavicin. hiſt. Conc. Trid. l. 9. c. 9. n. 3. & ſequ.*

(d) *Breviar. Rom. die 5. Auguſt. Card. Baron. in Martyrol. eod. die.*

(e) *S. Ambroſ. de offic. l. 2. c. 28. poſt mediũ.*

(f) *S. Jo. Chryſ. homil. 18. in Act. Apoſtol.*

ad

ad excitandam, & fovendam ejus fidem, ac devotionem, ut Templa magnifica conſtruantur, & exornentur, *ut ex his, quæ animus novit, quatenùs exemplo viſibilium ſe ad inviſibilia rapiat, & per ea, quæ uſu didicit, quaſi confricatas incaleſcat: ut per hoc, quod ſcit notum diligere, diſcat, & incognita amare* (a). Audiatur D. Bruno de Salomonis Templo celeberrimo ſic perorans. *Nùnc Templum ingrediamur, & quid illa tanta auri compoſitio ibi faciat, inquiramus. Nihil ibi videtur, niſi aurum: aurum in trabibus, aurum in parietibus: ipſa quoque pavimenta auro puriſſimo refulgent. Non eſt hoc ſine causâ, myſterium eſt, ſignificatio eſt, non ad viſum inanem paſcendum, ſed ad intellectum ſpiritalitèr reficiendum* (b).

9. Profectò nova non eſt in Eccleſiâ Dei hæc exornatio Templorum, nàm cum Lucianus Epicuræus, qui tempore Trajani Cæſaris vixit, referat, tùnc Eccleſias Chriſtianorùm, fuiſſe, *aurato faſtigio inſignes* (c); patet quòd uſque ab initio fidei, & Eccleſiæ magnificè extructæ ſunt, & ſumptuoſiùs ornatus eſt illis, religionis titulo, ingeſtus, qui nunquàm exuberans eſſe poteſt, quià nunquàm nimis excedens honor Deo, qui in Eccleſiis colitur, exhibetur: *neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo* (d). Templum ſumptuoſiſſimum Zorobabel poſt captivitatem Judaicam reconſtruxit (e). Templum Herodes Aſcalonita adeò præclarum conſtruxit, ut illud interiùs, & exteriùs laminis aureis incruſtaverit (f). De pluribus, & magnificentiſſimis Eccleſiis ſilemus, quas Conſtantinus Imperator, uſque ad numerum trigintaduarum extruxit (g), quarum una Antiochiæ à fundamentis excitata, ornatu tali eminebat, ut veluti auri maſſa, *Aureum Dominicum* communitèr vocaretur, quæ non niſi Conſtantii tempore totalitèr completa; fuit poſtmodùm ejus juſſu à pluribus Epiſcopis conſecrata (h). Etiàm ergò remotiori tempore hęc ſumptuoſitas emicabat. Et de magnificantiâ Eccleſiarum apud Chriſtianos veteres, in libello Marcellini, & Fauſtini dicitur: *habeant illi Baſilicas auro coruſcantes, pretioſorumque marmorum ambitione veſtitas, vel erectas magnificentiâ columnarum* (l).

10. Silemus de multis eximiis, & ornatiſſimis Baſilicis, quas varii Imperatores Occidentales, & Orientales, aliique Reges, & Principes conſtruxerunt. Auguſtum Templum S. Dionyſii Pariſienſis in Galliâ, & S. Petri Vveſtmonaſterienſis in Angliâ reticemus. Eſcuriale Hiſpaniæ non memoramus. Cappellam Divionenſem in Burgundiâ, & Aquiſgranenſem, in Germaniâ omiſſam facimus, ac de aliis ſumptuoſiſſimis, atque magnificentiſſimis Eccleſiis alibi extructis non loquimur, quippè omnibus notæ ſunt. Ædem S. Sophię Conſtantinopolitanę individualitèr nominabimus, *opus ut ferunt omnibus per orbem ædificiis magnificentius, quodque, certâ rerum facie inſpectum, vincat ampullata verba referentium*, inquit Vvillelmus Malmeſburienſis (l). Conſtruxit hoc Templum Juſtinianus Auguſtus, & pro illo erigendo, ac ornando Pagnei Scopuli, & Sunium promontorium omnes ſuas venas argenteas aperuerunt, & Imperator divitias Barbarorum, ac Latinorum congeſſit (m). Codinus refert Juſtinianum poſt completa omnia lætabundum dixiſſe, *Vici tè Salomon* (n). Paulus Diaconus de hac ęde aſſerit, *adeò cuncta ædificia excellit, ut in totis terrarum ſpatiis huic ſimile non poſſit inveniri* (o). Porrò cum de juſtitiâ hujuſmodi magnificentiæ Chriſtianorum in ſumptuoſis Eccleſiis Deo, & Sanctis ejus erigendis, dotandis, atque adornandis, abundè perorent adverſus Hæreticos, alioſque hujuſmodi pietatis Impugnatores, & Detractores, Franciſcus Arias (p), Robertus Bellarminus (q), Stephanus Durantes (r), & alii, tùm Theologi, tùm Scripturales; ad eos benignum Anagnoſten remittimus, unumque hìc concludimus, quod Baſilicam D. Petri in Vaticano decet eſſe cunctis aliis Orbis Eccleſiis ſumptuoſiorem, & auguſtiorem, quià, ut inquit Julius Papa II. *Sicut ipſe B. Petrus ab ipſo Salvatore noſtro Princeps Apoſtolorum eſt conſtitutus, ità & ipſius Baſilica intèr cæteras Urbis, & Orbis debet ſtructurâ, ornatu, & ſumptuoſitate eminere* (s): ideòque ſinè causâ, & injuſtè Contradictores adverſus ejuſdem magnificentiam, ac Tribunal illius Fabricæ ſuis dicteriis invehuntur.

(a) *S. Greg. homil. 12 in Evangel.*
(b) *S. Bruno to. 3. de Templ. Salom. c. 4 f. 8.*
(c) *Cardin. Baron. an. 58. n. 100.*
(d) *1. Paralipom. c. 29. num. 1.*
(e) *Ribera in Aggæi 2.*
(f) *Joſeph. antiqu. Judai. l. 15. c. 14.*
(g) *Nicephor. hiſtor. l. 8. c. 30.*
(h) *Baron. an. 341. n. 1. & 2.*
(i) *Carol Freſne Ducange in Conſtantinop. Chriſtiana lib. 3. f. 1.*
(l) *Willel. Malmesb. lib. 4.*
(m) *Carol de Freſne Ducange Conſtantinopol Chriſtian. l. 3. f. 21 num. 7.*
(n) *Codinus ap. Cangium loc. cit. l. 3. f. 7. 8.*
(o) *Paul. Diacon. de geſt. Longob. l. 1. c. 25.*
(p) *Franc. Arias. de imit. Chriſti tom. 2. & de virtut. relig. c. 13.*
(q) *Bellarm. de Cult. Sanct. l. 3 c. 6.*
(r) *Steph. Durant. de ritibus Eccl. l. 1. c. 4.*
(s) *Jul. Pap. II. Conſt. 23. § 1.*

11 Sa-

11\. Sanè ad hujus magni Templi decorem componendum, non cenſemus legitimè poſſe carpi Pontifices, ex eo quod eleemoſynas à Fidelibus Chriſtianis poſtulaverint; cum nulli ex indigentibus alienis ſubſidiis negandum ſit jus eleemoſynas implorandi *(a)*. Neque exindè poſſunt licitè vellicari, quod pios, ac religioſos homines ad donaria in opus Fabricę, conferenda invitaverint, quippè deterioris non debet eſſe Conditionis Romanus Pontifex, Eccleſię Caput, ac olim fuerit Moyſes, vertex Judaicæ Synagogę, qui hanc eandem methodum tenuit, Tabernaculum conſtructurus: Ad vocem enim illius, *egreſſa omnis multitudo filiorum Iſrael &c. obtulerunt mente promptiſſimâ, atque devotâ, ad faciendum opus Tabernaculi teſtimonii &c. Omnes viri, & mulieres mente devotâ obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ juſſerat Dominus per manum Moyſi* *(b)*. Eodem modo David opes præparans pro magno Templo Hieroſolymis ædificando, Fideles Iſrael ad dandam ſpontè donaria pientiſſime concitavit, ſtatìmque *polliciti ſunt Principes familiarum, & Proceres Tribuum Iſrael, Tribuni quoque, & Centuriones, & Principes poſſeſſionum Regis: dederuntque in operâ Domus Dei auri talenta quinque millia, & ſolidos decem mille: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem, & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum &c. lætatuſque eſt Iſrael, cum vota ſpontè promitterent, quià corde toto offerebant ea Domino* *(c)*. Tantaque fuit filiorum Iſrael in his largitas, & profuſio, ut, collatis ad exuberantiam donariis, Artifices, qui Tabernaculum componebant, *dixerint Moyſi: plus offert populus, quàm neceſſarium eſt. Juſſit ergò Moyſes præconis voce cantari, nèc vir, nèc mulier quidquam offerat ultrà in opere Sanctuarii. Sicque ceſſatum eſt à muneribus offerendis, eo quod oblata ſufficerent, & ſuperabundarent* *(d)*.

(a) *Vid. Domin. Soto in deliberat. in cauſ. pauperum.*

(b) *Exod. c. 35. num. 20. 29.*

(c) 1. *Paralipom. c. 29 n. 6.*

(d) *Exod. c. 36. nu. 5.*

12\. Si tanta fuiſſet Chriſtianorum pietas, & tàm profuſa largitio, in donariis, oblationibus, & eleemoſynis ad opus Fabricę conferendis, & ad honorem Principis Apoſtolorum, omnium Patris, Pontificis, & Paſtoris, cujus Sacroſancta Baſilica in Vaticano erecta, *per Sacram B. Petri Sedem, caput orbis effecta, latiùs præſidet religione divinâ, quàm dominatione terrenâ* *(e)*; non opus fuiſſet aliis remediis manum extendere, ad ſuppetias colligendas. Sed quià ſpontaneę oblationes longè minores erant, & adhùc ſunt, ad tàm ſuperexcellens ædificium perficiendum; meritò ad alia media intuitum direxere Pontifices, ut Sacri ipſius Templi & conſtructio, & ornatus proficeret; illique, ut innuimus, applicaverunt legata vaga, indefinita, incertis, & incapacibus perſonis, Eccleſiis, & locis piis deſtinata, aliaſque conſimiles exactiones, de quibus in Bullis Julii Papæ II. Leonis X. Clementis VII. Pauli III. S. Pii V. & Clementis VIII. *(f)*, quod ſanè commendabile opus eſt, inquit Cardinalis de Luca, *ut ſcilicet ità ingrati hęredes ſuorum Auctorum, ac Benefactorum obliti, eorum pia vota exequantur, ac impleant. Quemadmodùm enim ex juris communis diſpoſitione hoc munus demandatum eſt Epiſcopis, qui piarum diſpoſitionum legales dicuntur exequutores, & curatores; ità nihil prohibet, ut eorum facultate firmâ manente; hic alter fortè majoris auctoritatis, & vigilantiæ detur exequutor* *(g)*.

(e) S. *Leo ſermon. de SS. Petr. & Paul.*

(f) *Julius II. Conſtit. 23. Clem. VII. Conſtit. 3 Paul. III. Conſtitut. 31. Julius III. Conſtitut. 15. S. Pius V. Conſtit. 95. 96 97. 98. Sixt. V. Conſtit. 102. Vid. Libell. privil. Fabric. S. Petr. f. 9 & 11. Card de Luca Relat. Rom. Cur. diſc. 20.*

(g) *Cardin. de Luca Relat Cur. Rom. diſc. 20. n. 7. 8.*

13\. Porrò in his aſſignationibus, & applicationibus ipſi Pontifices nedùm rectè, ſed etiam rectiſſimè proceſſerunt. Nàm ſi res conſideretur prout ab initio, quandò præfati Papæ Bullas ediderunt prò ipſis legatorum applicationibus, certè nulli fecerunt injuriam: quippè cum legata eſſent edita vagè, indefinitè, perſonis, & locis piis, legatorum ipſorum incapacibus (idemque dicendum eſt de malè ablatis, quæ non conſtaret quibus deberentur, de acquiſitis per uſuram, & ſimilibus) nulli determinatę perſonæ inerat jus acquiſitum ſuper eis, ergò juſtè, & juſtiſſimè uti potuerunt Papę propriis facultatibus, & eadem legata Fabricæ S. Petri applicare, ſi verò res conſideretur, prout refertur ad tempora noſtra; multò major eſt juſtitia pręfatæ applicationis: Quandoquidèm jam à ducentis annis vigent in Eccleſiâ Conſtitutiones Pontificię, applicantes, uti ſuprà, Fabricæ D. Petri memorata legata, & alia incertis reſtituenda, hocque jam in legem tranſivit, cunctis fi-

delibus manifeſtam. Si ergò Teſtatores legata hujuſce ſpeciei edunt, cenſentur ſe illis legibus, ſive Conſtitutionibus uniformare, & ſic, vel expreſsè, vel interpretativè velle, ut legata ab illis hoc modo edita, vel alia incertis reſtituenda ad ipſam Fabricam devoluantur. Hæcque eſt ratio tanti ponderis, ut nulla poſſit eâ eſſe efficacior, ad juſtificandam juſtitiam exactionis legatorum, & malè ablatorum incertis debitorum, de quibus eſt ſermo, favore Fabricæ D. Petri: *quoniàm ſi de jure in caſu incertitudinis, vel inſufficientiæ, aut incapacitatis, ſeu alterius impedimenti, ob quod pium opus à Diſponente volitum, præcisè impleri non poſſit, etiam Epiſcopo, vel alteri Ordinario ſuperiori eccleſiaſtico datur iſta facultas applicandi illam diſpoſitionem aliis operibus piis, vel eccleſiaſticis uſibus pro ejus benè regulato arbitrio: multò magis id eſt concedendum Papæ* (a).

(a) *Card. de Luca Relat. Rom. Cur. diſc. 30. n. 15.*

14. Nèc dicatur, quod per ipſas exactiones à Tribunali Fabricæ D. Petri ſuſceptas, impeditur adimplementum legatorum piorum, ſatisfactio Miſſarum, & hęc ſortiuntur quandòque effectum à mente Teſtatoris contrarium; Nàm hæc in facto non ſubſiſtuut, Etenim ſuper Miſſis certis, & malitioſè ſub ſpe compoſitionis obtinendæ intermiſſis, nunquam fit compoſitio. Legatorum quoque adimplementum non tollitur, ſed mutatur, Et Teſtatores, qui jam ſciunt leges Fabricæ D. Petri, cum Conſtitutionibus ejus, & Privilegiis, quæ typis impreſſa ſunt, atque cunctis populis benè nota; & tamen legata pia vaga, incerta, & perſonis incapacibus relinquunt, vel de aliis teſtamentariè diſponunt, quæ ſub poteſtate Tribunalis Fabricæ D. Petri pertranſeunt, aſſenſum ſuum præſtare clariſſimè dignoſcuntur, ut ad Fabricam præfatam perveniant. Et ſive ſint Miſſæ celebrandę, ſive ſint pecuniæ perſolvendæ, ſive alia emolumenta aliter eroganda; jam ad Fabricam D. Petri commigrant, cum conſenſu ſaltem interpretativo Teſtatoris; ad Præſideſque dictæ Fabricæ ſpectat de hiſcę rebus rationem reddere coram Deo, cui non gratæ ſunt ſolæ Miſſę, ac ſolæ eleemoſinæ, ſed etiam alia opera pia, inter quæ unum ex præcipuis eſt ædificatio, & ornatus Eccleſiarum. Ideòque ſi legata, & alia emolumenta præfata, in unum Fabricæ D. Petri applicentur, cum ſic ipſa legata non in profanum, ſed in religioſiſſimum uſum impendantur, jàm legata non tolluntur, ſed commutantur (b), eorumque mutatione patet rem fieri Deo gratam, ac toti cœlitum Collegio ſatis acceptam, non ſecùs ac ſit Deo placitum, & Miſſas celebrari, & eleemoſynas diſpenſari: Quidquid ſit an idiotæ, & imbecillis judicii homines de hujuſmodi tranſvectione legatorum ad uſum Fabricę D. Petri obloquantur: non enim cunctis de minuto populo reddenda eſt ratio eorum, quæ Sacrę leges præſcribunt: Neque cunctorum otioſorum, & inſipientium voces ſunt attendendę, qui etiam de executionibus militaribus, de miniſteriis civilibus, de cauſis criminalibus, & de aliis, dietìm occurrentibus diverſimodè effutiunt, ac ea, licèt optima, & juſtiſſima, pro modulo exiguæ ſuæ capacitatis, & quandòque etiam prò ratione incompoſiti ſui animi, vel mordent, vel in malum ſenſum detorquent. Et nunquid non erunt Venetiis, qui de *Opere Eccleſię S. Marci* fortè latrabunt, & de portionibus Teſtamentariis, quas Procuratores ejuſdem Operis Fabricæ illius ędis addicunt, interdùm obloquantur? Erunt, ut putamus; ſed horum ejulatus contemnuntur: ſufficitque Procuratoribus ipſis ſcire, quod eorum officium juſtum eſt, & applicatio rerum præfatarum modis legitimis perducitur ad effectum. Sed de hac rè noſtrum non eſt ulteriùs effari, qui ejuſdem notitiam integram non habemus.

(b) *Card. de Luca ubi ſuprà n. 16.*

15. Ad præmiſſa redeundo, occurrit alia inſpectio; An Summus Pontifex ritè valeat legata pia, incerta, & incertis locis, aut perſonis debita, vel relicta, & alia pia opera, ut ſuprà deſignata, mutare, atque alteri pio uſui applicare? Certè nullus ſanæ mentis, & fidei hanc poteſtatem Summo Eccleſiæ Pontifici denegabit, quam omnibus, vel mediocriter in jure peritis perſuaſum eſt ineſſe Chriſti Vicario (c); præſertim cum obſervantia ultimarum voluntatum non ſit de jure divino, neque naturali, ſed de jure poſitivo (d). Ideòque ſicuti ſuper illis quoad res merè

(c) *Gloſ. in Clementin. quia contingit. V. Sedis Apoſtolicę 2. de relig. Domibus Jo. Paul. Monetæ de commutat. ult. vol. c. 5. n. 144. 148. 149.*

(d) *De Luca de teſtam. diſc. 72. de fidei commiſ. diſc. 24 Relat. Roman. Cur. diſc. 20. n. 14. de Regalibus diſc. 148. n. 59.*

merè profanas, etiam Princeps temporalis manum apponere poteſt, eaſque mutare (*a*), ità multò magis id facere poteſt Papa quoàd res ſpirituales (*b*). Qui nedùm legata vaga, atque incerta, & incapacibus viris facta, ſed etiam certa, & determinata, atque capacibus viris, & locis eccleſiaſticis facta, in alios uſus poteſt convertere, uti jam quadringentis ab hìnc annis diſpoſuit Concilium Generale Viennenſe, ſivè in eo Clemens Papa V. ità decernens: *Ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debent, non ad alium (ſalvâ quidèm Sedis Apoſtolicæ auctoritate) converti* (*c*). Quod adeò verum eſſe cenſet Covarruvias Hiſpanus, ut de hâc rè non dubitet affirmare: *Sic Juriſconſultus in leg. legatum ff. de adminiſtr. rer. ad Civit. pertin. ſcribit, legatum Civitati ad certum publicum opus relictum auctoritate Principis, in aliud opus poſſe expendi, quià opera publica Civitatum, & ipſius Reipublicę, & legata ei relicta, adminiſtrationi Principis commiſſa cenſentur, cum & is Reipublicæ adminiſtrator ſit. Eodem pacto Romanus Pontifex, ut probatur in dictâ Clementinâ, quia contingit, pecuniam legatam in uſus pios ad beneficia, & ſacerdotia inſtituenda, ad pauperum alimenta, poteſt in alia opera itidem pia commutare, cum ipſe Summus Pontifex horum omnium ſit legitimus, ex Canonicis ſanctionibus adminiſtrator, & rector: Undè in omni, & qualibet donatione, quæ Eccleſiæ fiat ad certum, & deſtinatum opus miniſterii eccleſiaſtici, excepta intelligitur auctoritas Romani Pontificis, cui ut Præſidi Reipublicæ Chriſtianę, licet ex juſtâ causâ diſpenſare unicuique Eccleſiæ, & membro id, quod alterius membri proprium ſit, juxtà uniuſcujuſque membri neceſſitatem, opulentiam, & inopiam; nec per hoc offenditur donatoris, aut teſtatoris voluntas, quod obiter explicat Driedonius de libertate Chriſti lib. 1. pag. 206. & 209.* (*d*).

(a) *Idem de Luca de Regal. diſc. 148. nu. 19. & Rel. Rom. Cur. diſc. 20 n. 14.*

(b) *Barboſ. de eff. & poteſt. Epiſc par. 3. alleg 83 n. 1. & in Clementin. quià 2. de religioſ. dom. n. 12.*

(c) *Clementin. quià contingit 2. de religioſ. domibus.*

16. Herclè conſonis vocibus tàm Theologi (*e*), quàm Canoniſtæ (*f*), hanc poteſtatem in Summo Pontifice confitentur; intèr quos excellit Joannes Paulus Moneta Mediolanenſis, qui amplum tractatum de commutationibus ultimarum voluntatum edidit, in eoque dicit, quod *poteſt Papa ultimas voluntates pias commutare non modò in Terris Eccleſiæ, verùm etiam in Terris Imperii, & Univerſo Chriſtiano Orbe, in quibus etiam ſervanda ſunt omnia jura Canonica, quæ de cauſis piis loquuntur, ac diſponunt, ut tradunt Doctores communitèr cap. 1. cap. quæ Eccleſiarum, & cap. Eccleſia S. Mariæ, ubi intèr cæteros Felyn. num. 94. de conſtit. cap. cum eſſes, & cap. relatum il. 1. de teſtam. latè Tiraquel. in tract. de privil. piæ cauſæ poſt præfac. ſtatim ante 1. privil. atque id paſſim in praxi receptum videmus. Cum undique ad Romanum Pontificem prò piorum legatorum, & aliarum ultimarum voluntatum ad pias cauſas conditarum, ſeù emanatarum commutatione ex omnibus Chriſtiani Orbis partibus confugiatur. Hinc etiam eſt, quod plurique Romani Pontifices Fabricæ S. Petri de Urbe, ſeù illius Collegio per Privilegium conceſſerunt, ut datâ negligentiâ, vel renitentiâ hæredum in earundem piarum voluntatum executione certâ, pars eorum, quæ Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, & aliis locis piis relinquuntur, eidem Fabricæ applicata cenſeantur* (*g*). Quando etenim Opera pia per Teſtatorem deſignata vere ſunt incerta, vel ad praxim non reducibilia, ſive neſcitur cui res malè acquiſita, vel aliàs reſtituenda, debeatur; nil refert, an uni, aut alteri operi prò applicetur, & an uni ſpeciei, vel alteri piorum operum deputetur; cum ſufficiat adimplere debitum, ſive votum piæ voluntatis in genere ergà Deum, tametſi ſpecies non ſervetur. Sic etenim non mutatur ſubſtantia pii operis, ſed tantummodò modus (*h*).

(d) *Covar. Var. reſ. lib 3 c. 6. n. 7. § Sic.*

(e) *Henriqu. ſum. lib 7. c. 37 § 2 & lib. 9. cap. 22 § 6. Beja reſp. caſ. Conſc p. 4 caſ. 22. Molin. de juſt. & jur. tr. 2. diſp. 249. n. 5.*

(f) *Rucc. deciſ. 271. p. 4. Barboſ. loc. cit. Perez de Lara de Capellan. lib. 1 cap. 14. n 18. Card. de Luca loc. cit.*

(g) *Monet. de commut. ult. vol. c. 5. n. 150.*

17. Proſequitur deindè idem Auctor, & probat ſuam concluſionem variis motivis, & *primùm quidem ex Julii II. Conſtit. 23. in novo Bullar. quæ incipit, liquet omnibus: in quâ, quod ad hanc rem attinet, conſtitutâ, ſeù deputatâ certâ perſonâ in Nuntium, & Commiſſarium, ſub §. 12. ſeù verſ. & ſimilitèr, ſtatuitur, quod de his, quæ pauperibus, & aliis piis locis in genere, & abſque ullâ ſpeciali determinatione, & propriis nominibus perſonarum non expreſſis relicta forent, tàm prò præterito, quàm prò futuro temporibus componere poſſit: itaùt, ſolutâ aliquâ* quan-

(h) *Card. de Luca Relat. Rom. Cur. diſc. 20. n. 16. & 20.*

quantitate prò dictâ Fabricâ eidem Nuntio, aut deputando, ſeù ſubdelegando ab eo, ac in capſis ponendâ, à reliquorum ſic relictorum reſtitutione ii, qui ad ea tenerentur, abſoluti exiſtant, & §. 16. ac 17, juncto §. 18. relicta durante prædictâ deputatione Eccleſiis, vel perſonis incertis, aut abſentibus, quarum meritò notitia haberi non poſſit, nec non quæcumque in teſtamentis, donationibus causâ mortis, codicillis, aut aliis ultimis voluntatibus prò redemptione captivorum, eâdem deputatione durante, relicta, Fabricæ hujuſmodi applicantur.

18. *Secundò ex Conſtit. 3. Clem. VII. in eod. Bullar. quæ incipit: Dudùm, ubi §. 4. juncto §. 5. & 12. conceditur, ut Fabrica prædicta ad biennium à die publicationis illius Conſtitutionis, & deindè ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ cum quibuſcumque utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, tàm Eccleſiaſticis etiam Religioſis, quàm Secularibus per totum Orbem conſtitutis; ſuper quibuſcumque malè ablatis, & incertis, & de eis, quæ Deo, ejus Sanctis, & eorum intuitu pauperibus, & aliis piis locis in genere, & abſque ullâ ſpeciali determinatione, & propriis nominibus perſonarum non expreſſis, purè in diem, vel ſub conditione etiam per viam ſubſtitutionis, vel translationis, aut aliàs quomodolibet relicta fuerunt, ac biennio, & beneplacito hujuſmodi durantibus relinquantur, tàm prò præterito, quàm futuro temporibus, etiam antè illorum purificationem, vel diei adventum, aut ceſſionem componere; ità ut aliàs obligati, ſolutâ aliquâ quantitate prò dictâ Fabricâ eidem Collegio, à reliquorum ſic relictorum, malè ablatorum, & incertorum reſtitutione abſoluti exiſtant, & ultrà reſtituere minimè teneantur.*

19. *Tertiò ex Conſtit. 31. Pauli III. in eodem Bullar. incip. Dum ad univerſas, ubi §. 14. ac 15. juncto §. 35. 37. ac 45. cum ſeq. factâ mentione, quod Leo X. intèr cætera, hoc idem privilegium ad triennium confirmaverat, eandemque facultatem certis ſuis Commiſſariis prò eo tempore deputatis conceſſerat, quibus etiam mandaverat, ut requiſiti ab executoribus teſtamentorum, vel certis locis, ac perſonis piis, quibus aliqua eſſent relicta, vel eorum nomine factâ aliquâ compoſitione cum eis ſuper certâ parte, in quam convenirent, Fabricæ prædictæ applicandâ, in quam quantùm ad id, ipſorum Teſtantium, & relinquentium in favorem dictæ Fabricæ voluntatem commutaverat, & ipſe eam facultatem Commiſſariis ab ipſo Collegio deputandis concedens confirmaverat, iterùm confirmat, ac de novo ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ concedit, cum derogationibus ampliſſimis, quod idem Privilegium, ſeù Indultum, ſimul cum aliis per sè, ac prædeceſſores ſuos conceſſis, & confirmatis, iterùm confirmat, & quatenùs opus ſit, de novo iterùm concedit idem Pontifex in Conſtit. 69. juxtà antiq. Bullar. incip. Cum diebus.* Vide quot rationibus conſtipatur facultas, quâ præditum eſt Tribunal Fabricæ S. Petri, trahendi ad sè legata pia, incerta, vaga, favore incapacium facta, & compoſitiones ſuper malè ablatis, aliiſque prænotatis rebus agendi! Profectò niſi velimus delirando effutire, quod omnes præfati Pontifices neſcierint sè talem facultatem eidem Tribunali non poſſe concedere: vel ſcientes, adhùc eam voluerint impertiri, cunctoſque Chriſtianos deludere, ac univerſam Eccleſiam in errorem ſecum trahere; neceſſariò fatendum eſt, idem Tribunal ritè, ac rectè in memoratis rebus sè gerere.

20. Sed audiamus alias rationes, alioſque Pontifices in idem ſuis Conſtitutionibus collimantes. Proſequitur enim ipſemet Auctor, & ait: *Quarto ex Conſtit. 15. Julii III. Accepimus, in quâ, præmiſſo, quod Præfecti Fabricæ prædictæ in proſecutione exactionis relictorum ad pias cauſas factorum, & aliorum, eidem per Julium II. Leonem X. Hadrianum VI. Clementem VII. & Paulum III. Romanos Pontifices Prædeceſſores ſuos applicatorum, & à sè confirmatorum, multas invenerant donationes intèr vivos factas, in quibus reditus, bona, ac res diverſis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, locis, ac perſonis piis, & prò donatorum, ſeù aliorum animabus elargita reperiebantur, quæ inexacta, & non ſatisfacta remanebant, ſub prætextu, quod commiſſio exigendi ad donationes intèr vivos non exten-*

Digitized by Google

tenderetur; Declarat, & vult illam ad eas extendi, itaut quinta pars bonorum, & rerum in eis donatorum ad opus dictæ Fabricæ convertatur, donatorumque hujuſmodi voluntates quoàd quintam partem præfatam commutat (a). Quoàd legata vero, & alia incertis perſonis debita, quamdam notabilem reſtrictionem decrevit Alexander Papæ VII. quæ facultates Fabricæ non parum attenuavit. Sequitur præfatus Auctor.

(a) *Joan. Paul. Moneta de Commut. ultim. volunt. cap. 5. à num. 150.*

21. *Quintò quià ubi etiam dici poſſit, hoc indultum, ſeù privilegium Fabricæ S. Petri, ut habere poſſit, certam partem relictorum ad pias cauſas, datâ negligentiâ hæredum, vel executorum in eorum ſolutione, revocatum fuiſſe per Pium IV. in ſuâ Conſtit. quæ incipit: In Principis Apoſtolorum Sede, eſtque in Bullar. antiq. 119. in novo 94. dùm in eâ revocantur omnia indulta, & privilegia per sè, ac Romanos Pontifices anteceſſores conceſſa, etiam ad favorem Fabricæ Principis Apoſtolorum de Urbe, quatenùs adverſantur decretis Concil. Trid. intèr hæc verò illud reperitur Seſs. 22. cap. 8. de reformat. ut Epiſcopi, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati omnium piarum diſpoſitionum ſint executores, & pia loca, etiam exempta, ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum ſalutem, ſeù pauperes ſuſtendandos pertinent, cognoſcant, & exequantur, non obſtantibus quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, privilegio, aut ſtatuto: adhùc Pius V. in ſuâ Conſtit. 55. juxtà antiqu. Bullar. & 56. in nov. quæ incipit: Ad Romani Pontificis, & confirmata poſtmodùm fuit à Clemente VIII. die 16. Martii 1599. mentionem faciens de privilegio eidem Fabricæ à diverſis Pontificibus conceſſo, retinendi quintam partem legatorum Eccleſiæ quoque S. Mariæ Lauretanæ, illud ſic moderatur, ut locum habeat, ubi conſtiterit de Miniſtrorum illius Eccleſiæ negligentiâ per annum quoàd legata Italiæ, biennium verò reſpectu legatorum extrà Italiam, factâ eorum notificatione, eâ verò non factâ, per biennium in Italiâ, & extrà per quinquennium.*

22. *Ac prætereà idem Pontifex in ſuâ Conſtit. 95. in antiq. Bullar. & 96. in nov. & incipit. Decet nos: apertè iterùm approbat hujuſmodi privilegia prædictæ Fabricæ per Romanos Pontifices conceſſa, non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus; facultatem concedens Collegio, & deputatis Fabricæ prædictæ exequendi quæcumque legata pia, executioni non demandata; retentâ ſibi quintâ parte prò illorum executione, idque etiam in almâ Urbe, niſi ejus Vicarius prævenerit intrà quindecim menſes à die obitus Teſtatorum, & in Conſtit. ſtatim ſeq. 96. aliàs 97. incipiente: Exigit incumbentis, la 1. applicatur eidem Fabricæ medietas legatorum à piis Teſtatoribus factorum ad effectum celebrationis Miſſarum, & recitationis divinorum officiorum, nec non erogationis eleemoſynarum Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, & aliis piis locis, quæ legata per triennium à die mortis Teſtatorum executa non fuerunt, ac prætereà Conſtit. 98. in utràque Bullar. incip. Etſi de ſingulis; concedit facultatem Collegio, ac deputatis ejuſdem Fabricæ revidendi, & reſcindendi alienationes, & conceſſiones bonorum malè alienatorum, & fructuum indebitè perceptorum.*

23. *Quæ Conſtitutio in aliâ ejuſdem Pontificis Conſtit. nimirùm 113. in antiq. Bullar. quæ paritèr incipit: Exigit incumbentis, ità declaratur, & ampliatur, ut prædicti deputati poſſint ſuper duabus tertiis bonorum recuperatorum debitis Eccleſiis, & locis piis contrahere ad eorundem utilitatem, & ſuper fructibus componere, de conſenſu intereſſe habentium; ſinè eorum verò etiam conſenſu tàm ſuper fructibus componere, quàm de bonis prò ſuo arbitrio diſponere quoàd tertiam horum partem, Fabricæ prædictæ applicatam; cujus tamèn tertiæ partis bonorum loco, idem Pontifex in Conſtit. 121. juxtà Bullar. antiq. incipiente: Ex debito paſtoralis; ſubrogantur, & applicantur eidem Fabricæ fructus omnes bonorum alienatorum malè percepti, ubi in notabili quantitate ſint, & exigibiles, aliàs fructus omnes unius anni bonorum recuperatorum, & ubi jus non ità clarum eſt, & datur ejuſdem Fabricæ Collegio, ac prò tempore exiſtentibus deputatis, tranſigendi, & componendi, tàm ſuper fructibus, quàm ſuper proprietate arbitrio ſuo, de conſenſu*

tamèn

Digitized by Google

tamèn rectorum eorumdem locorum, & Ecclesiarum; ſuper nonnullis autem ex prædictis Conſtitutionibus, præſertìm verò d. Conſtitutione Pii V. 96. aliàs 97. incip. Exigit incumbentis, la 1. edita XI. Cal. Januarii 1569. à Congregatione deputatorum ejuſdem Fabricæ ex facultate ſuper hoc ipſis conceſſâ, quędam declarationes emanarunt ſub die 27. Martii 1598. quas ad verbum retulit Steph. Quarant. in Sum. Bullarii; verbo Fabrica S. Petri de Urbe, & Aloyſ. Ricc. in lucu lentiſſimâ ſuâ Praxi var. reſolution. reſolut. 377. in quibus etiam mentio fit, & innovatio aliarum declarationum ab eâdem declaratione factarum, ſub die 18. Martii 1589. & quià illas hìc etiam ſummatìm referre nimìs longum eſſet, ad hos Auctores candidum Lectorem remiſiſſe ſat eſt.

24. Hùcuſque probavit Moneta ſuam intentionem, & juſtitiam poteſtatis Fabricæ S. Petri Bullis Pontificum. Nùnc eas probat, & declarat auctoritate Aloyſii Riccii celebris Scriptoris Neapolitani, quèm non eſt dubium ſincerè, ac prò juſtitiâ, & veritate ſcripſiſſe. Ait ergò, *ſicut etiam ad eundem Ricc. prò nonnullis difficultatibus, quę circà ſæpiùs memoratum prædictæ Fabricę indultum de percipiendâ certâ parte piorum relictorum, quæ executioni, ob negligentiam eorum, ad quos ea pertinet, demandata non ſunt; nimiràm prò illâ: an legata facta Confraternitatibus dicantur pia, ad effectum, ut præfata Fabrica poſſit de iis sè intromittere, ſufficit remiſiſſe ad ea, quæ idemmet eruditiſſimè ſcripſit in eâdem Praxi reſolut. 353. per tot. concludens affirmativè, quià quicquid ſit, an hę Confraternitates ſint loca pia, certò iis relicta, ſunt relicta ad pios uſus, & in piam cauſam: prò illo verò articulo, an idem Tribunal Fabricæ sè ingerere poſſit circà legatum ad pias cauſas captatorium; ad eundem reſolut. 361. ubi latè paritèr concludit affirmativè: ſicut reſol. 370. optimè reſolvit, hoc ipſum Tribunal jure sè intromittere vigore prædictorum privilegiorum in legato prò puellis pauperibus maritandis, & reſol. 375. eandem Fabricam avocare poſſe pecuniam ſolutam creditori poſteriori etiam bonâ fide conſumptam: reſol. verò 378. poſt Zerol. in Prax. Epiſc. verbo Fabrica, tradit, Commiſſarios prædictæ Fabricæ non poſſe sè intromittere in legatis perpetuis, ſed temporaneis: veràm ſi à principio hæres fuit negligens ad exequendum, & ſolvendum, tùnc benè sè intromittere etiam in perpetuis, compellendo ad ſolvendum, quod omiſſum eſt, & de eo ſumendo medietatem, relicto quod inpoſteràm ſolvendum eſt, prò Sacerdote, qui celebrare, aliudvè annuum onus ſubire debet.*

25. Non vocavit in dubium Aloyſius Riccius facultates Tribunalis Fabricæ D. Petri, ejuſque juſtitiam, & æquitatem, ſed hoc habuit prò juſtiſſimo, & illas ratus eſt eſſe inconcuſſas. Quare Contradictores multum deviant à doctrinâ ſuorum Majorum, nùnc idem Tribunal, ejuſque facultates, & juſtitiam vellicando. Proſequitur præfatus Joannes Paulus Moneta, inhærens Doctrinæ Riccii, & ait, hunc aſſerere *reſol. 379. non poſſe Tribunal ſæpiùs memoratę Fabricæ procedere in legatis relictis ad pias cauſas in Teſtamento nullo. Reſol. autem 380. diſputat, quid dicendum de relictis in Teſtamento revocato; concludens, quod ſi revocatum fuerit per aliud Teſtamentum imperfectum, licèt perfectum ſit intèr liberos in eo inſtitutos, poterit procedere: aliàs non poterit, & reſol. 381. docet non poſſe paritèr dictum Tribunal procedere in legatis relictis conjunctę Perſonę, etiam amore Dei, niſi aliàs probatâ paupertate: reſol. autem 416. non poſſe ſe intromittere, ut impleantur legata pia, pendente confectione inventarii: reſol. verò 420. procedere poſſe ad executionem legatorum piorum relictorum in ſchedulâ privatâ, ſubſcriptâ manu Teſtatoris, ac deniquè reſol. 421. idem probat de relictis in teſtamento ad pias cauſas, quod ſolo nutu conditum ſit, ubi etiam eidem ſentit de teſtamento Cæci ad pias cauſas, quod ex communi Doctorum ſententiâ valet, quamvis adhibita non fuerit ſolemnitas, quæ aliàs in Teſtamento Cæci requiritur ex diſpoſitione l. hac conſultiſſimâ C. qui teſtam. fac. poſſ. Et hæc quoàd ampliationem præſentis ſecundę Concluſionis* (a).

(a) *Joan. Paul. Moneta loc. cit.*

26. Quid plura: nedùm Romanus Pontifex, Eccleſiæ Caput, & Paſtor, ſed etiam

etiam Concilium Generale, ab eo legitimè convocatum, & confirmatum, valet ultimas voluntates commutare, uti docent Doctores (*a*): & patet ex decretis Concilii Lateranenſis V. (*b*), atque Concilii Tridentini, quæ aliquandò pias defunctorum voluntates commutari poſſe diſponunt (*c*). Idem poteſt etiam Concilium Nationale (*d*). Imò etiam Concilium Provinciale in aliquibus caſibus idipſum facere poteſt, uti latè docet Joannes Paulus Moneta, nupèr citatus cum aliis (*e*). Et demùm quilibet quoque Epiſcopus in ſuâ Diœceſi in quibuſdam caſuum circumſtantiis ultimas defunctorum voluntates mutare valent, & de legatis vagis, incertis, vel alitèr minùs adaptatis diſponere (*f*). Quibus ità ſe habentibus, certè deneganda non eſt Papæ facultas reſpectu totius Orbis, cujus omnes Eccleſiarum particularium Epiſcopi, reſpectu propriæ Diœceſis ſunt compotes (*g*). Et ſi Pontifex poteſt ultimas voluntates in toto Orbe mutare (*h*), multò magìs id facere valet in terris patrimonialibus Romanæ Eccleſiæ, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ mediatè, vel immediatè ſubjectis, quippè in quibus accumulatâ utitur auctoritate, & Supremi Eccleſiæ Pontificis, & Supremi Principis Provinciarum illarum, Apoſtolicâ ſimul, & Regali; Spirituali unitìm, ac temporali utens inibi poteſtate.

(a) *Moneta loco cit. cap. 5. n. 169 cum aliis ab eo allegat.*
(b) *Conc. Later. V ſeſ. 9. in Bull. reform. V. Uniones.*
(c) *Conc. Trid ſeſ. 7. c. 6. ſeſ. 21. c. 5 ſeſ. 22. c. 18 ſeſ. 24. c. 8. 13. 15. ſeſ. 25 c. 9.*
(d) *Jo. Paul. Monet. loco cit n. 277.*
(e) *Quaranta de Conc. Provinc. qu. 32. Moneta ubi ſupr. n. 272.*
(f) *Barboſ de off. & poteſt. Episc p 3. alleg. 83. per tot.*
(g) *Card de Luc. Rel. Rom Cur. diſc. 20. n. 15*
(h) *Clementia. quia contingit, & ibi Barboſ. nu. 13. de relig. Domibus Concil. Trid ſeſ. 22. cap. 6.*

27. Per quæ proſtrata remanent ea, quæ pro Regno Neapolitano adverſus Fabricam S. Petri Contradictores allegant. Nàm cum inibi Summus Pontifex, nedùm ut Eccleſiæ Caput, ſed etiam uti ſupremus Princeps, & Monarcha, Superiorem in terris non cognoſcens, procedat, & ſpirituali, & temporali auctoritate inſimul conglobatis, poſſit quoàd ea, quæ Principis Supremi ſunt, in illo Regno diſponere; quis ſanè mentis audeat affirmare, quod non potuerit, & non poſſit ultimas voluntates immutare, & legata vaga, incerta, indeterminatis locis, viriſque incapacibus relicta mutare, malèque ablata, vel acquiſita incertis debita ad uſum Fabricæ D. Petri applicare? Abſquè eo quod quidquam relevet exaggeratum damnum, reſultans Regno Neapolis ex pecuniæ Fabricæ D. Petri extractione, quià in primis amplificatum hoc damnum in actu practico non ſubſiſtit: Et quatenùs etiam ſubſiſteret, recurrit ratio, ſuperiùs in Spoliorum propoſito memorata (*i*), quàm dignetur benigniſſimus lector excurrere, & victos prorſus inveniet adverſarios. Minùs relevante, quod pro parte ipſius Regni, uſque ab anno 1540. fuerit ſupplicatum D. Petro de Toledo Proregi, ut exactiones Tribunalis Fabricæ D. Petri abolerentur. Quippè Tribunal ipſum, ut mox videbimus, fuit in Regno Neapolis acceptatum, & pactis quibuſdam, atque conventionibus ſtabilitum; ideòque inſipientèr, & injuſtè fuit pro illo eliminando tractatum. Præthereà quis, & quâ auctoritate ſupplicationem hanc interpoſuit? Quandonàm congregati ſunt Ordines Regni; quandonàm duodecim ejus Provinciæ, ac prolixa illa ſeries Urbium, quæ Regnum ipſum componunt, ut deliberarent, mandatumque darent ad agendum pro ejuſdem Tribunalis abolitione? Supplicatio ergò præfata fortè fuit acta privatâ auctoritate, & idcircò nullatenùs fuit attenta. Præterquàmquod ſupplicationes nihil ponunt in eſſe, & ſi quid proficerent, jàm in Regno Neapolis nulla pedagia, nulla vectigalia, nullæ collectæ publicæ Regi proprio ſolverentur, cum prò illis tollendis, vel moderandis ſit pluriès ſupplicatum. Imò undenàm originem habuit recens Neapolitana Seditio Thomæ Anielli, niſi ob vectigalia ſuper fructibus non ſolvenda (*l*)?

(i) *Vid. ſupr. c. præc. num. 31.*

28. Prætereà ſupplicatio porrecta Proregi Toleto, utpotè Judici incompetenti exhibita, nullius eſt ponderis, & momenti; nec magis hæc proficit Regno Neapolitano, ad abrogandas exactiones Fabricæ S. Petri; quàm illi præſidium largiretur, ſi Nuntio Pontificio ſupplicatio porrecta fuiſſet, ut exactiones Collectarum, & vectigalium ſæcularium, quæ Rex percipit, abolerentur. Oportebat, ut ſupplicatio dirigeretur Papæ, non Proregi, ſi debebant exactiones Tribunalis Fabricæ S. Petri aboleri. Soliusnàmque Papæ erat, eritque ſemper illas expungere, qui eas præcepit. Cœterùm ex iſto ipſo facto, quod prò ſè allegant Contradictores, nimiùm confodiuntur: Nàm cum poſt dictam ſupplicationem uſque ad noſtra

(l) *Alphonſ. Loſchi Memor. hiſtor. in Caſa d'Auſtria f. 120.*

ſtra tempora, per 177. annos fuerit continnata exactio, de quâ eſt ſermo; hoc ipſum probat ejus juſtitiam. Et cum Regni inveſtitura fuerit ex tùnc pluribus Regibus renovata, abſque eo quod de hac exactione, de modo tollendâ ſit cautum, hìnc quoque ipſa exactio remanet roborata. Quarè ſi nulla humana poteſtas imminuere valet ullibi jura Papæ, quà Papę, multò minùs id facere poteſt in Regno, ubi cum dignitate Pontificali dominium directum retinet, ac ſupremum. Demùm Regnicolarum recurſus factus Proregi Toleto, clandeſtinè, vel ſaltem talitèr, quod inſcio Pontifice, nullatenùſque conſcio Collegio Fabricæ S. Petri, factus eſt, & antiquatus per 177. annos, quid, quęsò, ad cauſam poteſt conferre? Prę ſertìm attentis pactis ex poſt initis, de quibus ità loquitur Cardinalis de Luca: *In Regno Neapolitano &c. Fabricæ Tribunal quoque receptum eſt, ac viget. Congregatio Fabricæ directè ſe non ingerit in cognitione cauſarum contentioſarum, ſed ſolum ibì deputat Judices, alioſque Officiales inferiores. Verùm Judices, ità Deputati in cauſarum cognitione, ac deciſione, juxtà concordata in ejuſdem Tribunalis receptione, ſeu admiſſione, non cognoſcunt cauſas, niſi de voto aliquorum Aſſenſorum Secularium, qui deputantur per Regem, vel per ejus Vicarium in omnibus tribus inſtantiis* (*a*). Pacta ſunt ab omnibus obſervanda, & præcipuè à Principibus, ac quoàd ea, quæ ſpectant ad Principes (*b*), nèc ulla major juſtitia dari poteſt, quàm pacta ſervare, ut inquiunt Doctores (*c*). Quid blaterant ergò Contradictores adverſus Tribunal Fabricæ: ſi introductum, acceptatum, & ſtabilitum eſt in Regno pactis expreſſis, quæ ſunt lex data negotiis (*d*).

(a) *Cardin. de Luca Rel. Rom. Cur. diſc. 20. num. 36.*
(b) *De Luca de Regalibus diſc. 33 n. 2.*
(c) *Barboſ. tract. var. Axiom. 173. n. 2.*
(d) *Barboſ. eod. loco Appellat. 139. n. 5.*

29. Hæc aliquantò diffusè, naturâ rei ſic depoſcentę, congeſſimus, ad reſpondendum Sextæ Objectioni Politicę nobis oppoſitæ. Tàm ergò *Annatarum* exactio, quàm *Spolia Clericorum*, & pecuniæ collectio prò *Fabricâ D. Petri*, quæ ad Romanam Curiam diffluunt ex Regno Neapolitano, juſtæ, & pluſquàm juſtæ ſunt. Nèc aliud ſuper hoc nobis reſtat, niſi à Contradictoribus, qui hanc Objectionem Sextam politicè propoſuerunt, politicè paritèr ſciſcitari. An ſi ipſi ſcirent, quod vel proprius, vel alius terrenus Princeps, haberet jus exigendi ex diverſis titulis, & locis pecunias; jus, inquam, jam à binis, & ternis, & quaternis annorum centenis ſolidatum, & ad praxim quotidianam perductum; an illum Principem, tamquàm ſinceri, prudentes, & politici conſiliarii ſuaderent, ut ipſi juri oſcitantèr cederet, & ad paucos ejulatus auditos, jus ipſum à sè funditùs abdicaret? Profectò nedùm non hæc dicerent, nè prò delirantibus magis, quàm prò politicis conſulentibus haberentur, ſed potiùs Principem concitarent, ut omni conatu jura propria ſuſtineret, ac potiùs Caput cum Coronâ deponeret, quàm pateretur proprium Diademá gemmis pretioſioribus denudari: Nedùmque talibus rebus non annuendum eſſe dicerent; ſèd imo illis nèc etiàm eſſe porrigendum auditum; præſertim cum à pruritu particularium hominum emittuntur. In rebus etenim tanti momenti, non eſt hujus, vel illius hominis, aut Civitatis, inſtantiam promovere, ſed totius Regni, ſinè cujus generalibus Comitiis, nec debet, nec poteſt tanta novitas excitari.

30. Politicè ergò jura Eccleſiæ Romanæ, adeò antiqua non ſunt parvipendenda, ſed ſuſtinenda, & quidquid adversùs *Annatas*, *Spolia*, exactiones *Fabricæ S. Petri &c.* ab aliquibus ejuletur, hoc jus omninò eſt defendendum, & ità facturam eſſe Sedem Apoſtolicam cogitamus, nec unquàm paſſuram, ſe tali jure privari, illud omni conatu, omnibus officiis, omnibus extremis remediis tuituram, undè intelligant, politicæ rationis profeſſores, invanum hæc expungenda proponi, cum certum ſit, quod prò eis continuandis, tametſi multis, ac validis conatibus contendatur, & quamquàm diù decertetur, numquàm tamèn id obtinebitur, ut deleantur. Ad argumentum randèm redeundo, concludimus, quod ſicut ex dictis, depauperatio, quæ ſupponitur accidere ſtatui, ob præfatas Annatas, Spolia, & exactiones Fabricæ S. Petri, vel in facto non ſubſiſtit, vel tanta non eſt, quæ mereatur, ut inpoſterùm ab ipſis colligendis deſiſtatur: ità depauperatio, quæ exag-

gera-

geratur ſtatui inferri ob largitionem beneficiorum eccleſiaſticorum viris extraneis, vel in rei veritate non eſt, vel non eſt talis, ob quam politicè beneficia ipſa ſint ad ſolos Clericos Regnicolas coarctanda. Sicque de laqueis hujus implicatæ Objectionis emergit, atquè in ſuâ efficaciâ ſubſiſtit libertas Eccleſiæ in collatione beneficiorum, ſemperque magis fortitèr invaleſcit, quod liberum, & licitum eſt Eccleſiæ, illiuſque Miniſtris, atque in primis Romano Pontifici, ejuſdem Eccleſiæ Capiti, necnon Epiſcopis, aliiſque omnibus, tàm Ordinariis, quàm Delegatis beneficiorum Collatoribus, atque ad ea Nominatoribus, ipſa beneficia non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis impertiri.

C A P U T XXV.

In quo ultimæ Objectioni Politicæ *reſpondetur, quâ libertas Eccleſiæ impetitur, promovendi, non modò Clericos indigenas, verùm etiàm extraneos, ad Eccleſiaſtica Beneficia. Iterùmque opportunè ſit ſermo de* Aſſenſu Regio. *An, & ubi à Beneficiorum conſecutionibus ſit poſtulandus.*

S U M M A R I U M.

1 *Politia Eccleſiaſtica præeſſe debet, non ſubeſſe Sæculari. Sexta* Objectio *Politica, quod non poſſit Rex jura ſuæ Coronæ minuere.*

2 *Sinè* Aſſenſu Regis *nullus eligendus ad beneficia: ſubtractione autèm hujus Aſſenſus extranei Clerici à beneficiis repelluntur.*

3 *Excluſio extraneorum carentium Aſſenſu Regio, extrà locum privilegiatum non eſt jus Regium: imò eſt res injuſta; Et lex laica id præcipiens eſt irrita.*

4 *Poteſtas conferendi beneficia non eſt jus Regium, ſed Eccleſiaſticum, & ut abſurdum eſt Præſules militaria ordinare; ſic & milites ſacra.*

5 *Poteſtas nominandi Præſules ad Epiſcopatus, non eſt jus Regium, ſed merum privilegium Eccleſiæ, cametſi hæc poteſtas ſit ſecundum Canones.*

6 *Regalia aliqua ſunt inabdicabilia, multa verò abdicabilia præſertìm favore Eccleſiæ. Tale eſſet jus præſtandi Aſſenſum Regium, ſi eſſet jus Regium.*

7 *Reges jurant ſartatecta ſervare privilegia Eccleſiæ, quorum unum eſt ipſius Eccleſiæ libertas in diſpenſatione beneficiorum.*

8 *Sicut Principes non ſibi tolli permittunt libertatem dandi beneficia ſui patronatus, ſic tollere non debent libertatem, quam circa beneficia habet Eccleſia.*

9 *Primis Eccleſiæ Sæculis, Adipiſcentibus eccleſiaſtica beneficia, nullus fuit neceſſarius* Aſſenſus Regius: *& ſine illo Præſules promovebantur.*

10 *Primus, qui ſe Præſulum electionibus immiſcuit, fuiſſe videtur Conſtantius Imperator, cum Gregorium Cappadocem præfecit Alexandrinæ Sedi.*

11 *Theodoricus, & Theodatus Gothorum Reges, Juſtinianus Imperator, & Theodora ejus uxor in provectione Papæ ſe ingeſſerunt.*

12 *Imperatores Conſtantinopolis aſſenſum provectioni Papæ adhibebant, quem negari ſibi optavit S. Gregorius. Suſtulit verò illum Conſtantinus Pogonatus.*

13 Tempore Valentiniani Imperatoris non erat ſervitus Aſſenſus Regii, ut patet ex electione S. Ambroſii in Epiſcopum Mediolani.

14 Initium Regii Aſſenſus, vel fluxit à præpotentiâ Principum, vel à conniventiâ Eccleſiæ, vel à neceſſitate reprimendi tumultus.

15 Quid olim ſignificaretur per Regium Aſſenſum, ambiguum eſt: alicubi enim dicitur teſtimonium, alibi nutus, alibi bona gratia Principis.

16 Præſules, modò annuente, modò ſuffragante, modò favente, modò conſentiente, modò opitulante, modò ordinante, &c. Principe ſæculari, electi.

17 Tempore Ivonis Carnotenſis, & Concilii Conſtantinopolitani IV. Reges non apponebant Aſſenſum Regium. Preces Principum ſunt idem, ac minæ.

18 Nedùm aſſenſum, ſed & ipſas preces ab eis interponi vetuit Concilium Bituricenſe; Preces enim Principum ſunt tacitæ juſſiones.

19 In electionibus interdùm tumultus, & cædes oriebantur, ideò admiſſum eſt, ut electioni intereſſent Miſſi Regii, qui confuſiones arcerent.

20 Miſſi Imperiales, etiam electioni Pontificis intererant. At quià Cæſares abutebantur ſuâ poteſtate; ideò illâ deſtituti ſunt.

21 Temporanea, & interpolata fuit præſentia Miſſorum Imperialium electioni Papę. Deſiit autèm tandèm ipſorum Cæſarum ceſſione.

22 De Miſſis Regiis, & Imperialibus electionibus Prælatorum intereſſentibus, in Italiâ, Germaniâ, & Galliâ memoriæ habentur.

23 Ab initio nullus fuit Aſſenſus Regius adhibendus. Qui poſteà alicubi incæpit, vel ex prępotentiâ Principum, vel ex indulgentiâ Eccleſiæ.

24 Intereſt Principis, ne viri ſuſpecti beneficia Epiſcopalia in ejus ditione ſuſcipiant, à quibus pax publica turbetur.

25 Uſum apponendi Aſſenſum Regium electionibus Antiſtitum, vocat Petrus Rex Aragoniæ peſſimam conſuetudinem, cui formitèr renuntiavit.

26 Privilegium interponendi Aſſenſum Regium fuiſſet id, quod Papas conceſſiſſe Carolo Magno, & Othoni I. Imperatoribus: dicitur ſi illi Canones eſſent veri.

27 Victor Papa III. ait, Sedem Apoſtolicam eſſe liberam non ancillam, nec ei obſtare decretum Nicolai Papę de expectando arbitrio Imperatoris.

28 Innuitur privilegium de Aſſenſu Regio datum Conſtantiæ, ac filio ejus Regi Siciliæ, & ſimilia, ſinè tamen præjudicio libertatis electionis.

29 In Aragoniâ erat mos interponendi Aſſenſum Regium, etiàmque in Caſtellâ fuiſſe innuitur in Concilio Toletano XII.

30 In Germaniâ ſolitum erat dare Aſſenſum Regium provectionibus Prælatorum, & quorum? Quid fieret in Boemiâ?

31 In Angliâ Aſſenſus Regius interdùm præſentia, interdùm conniventia Regis dictus eſt. Exigebant Reges pro ipſo quamdam pecuniam.

32 In Italiâ quandòque licentia, vel conſilium Principis adhibitum eſt in faciendis electionibus, tamèn Aſſenſui Regio locum non fuiſſe videtur.

33 In Italiâ quoàd partes Venetas, Picenum, & alibi, non adhibebatur Aſſenſus Regius, ſed alicubi ſolum conſilium, vel licentia.

34 In Inſubriâ, & Lombardiâ, nullum Principi adſuiſſe jus Aſſenſum Regium pręſtandi colligitur ex multis documentis, quę innuuntur.

35 Mediolanenſes recuſarunt Archiepiſcopum, non quià ſine Principis Aſſenſu electum à Papâ, ſed quià ſuſpectum nè excidium patriæ moliretur.

36 In Scotiâ nullum fuiſſe locum videtur Aſſenſui Regio. In Hiberniâ quoquè Eccleſia fuit ab hoc onere exempta.

37 In Poloniâ ſine Regio Aſſenſu patebat aditus ad Prælaturas. Procul erat etiam à Sveviâ, itidemque à Norvegiâ interpoſitio Aſſenſus Regii.

38 In Galliâ etſi non in totâ locum habuit Aſſenſus Regius, confuſus cum favore, & conniventiâ Regiâ.

39 Ubi

39 *Ubi prævalebat, interponendus erat poſt electionem liberè factam, non verò arctanda electio ad quem Princeps vellet.*

40 *Ab initio Aſſenſus Regius procul fuit ab Eccleſiâ. Succeſſivè in paucis locis prævaluit, ad ſolos rationabilitèr ſuſpectos excludendos.*

41 *Ubi fides Catholica defecit, inutile eſt agere de Aſsenſu Regio. Hiſpania, Gallia, Germania habent ſua concordata, vel privilegia.*

42 *Ubi deeſt privilegium interponendi Aſsenſum Regium, hìc non debet admitti: Ubi verò adeſt, non debet de loco ad locum extendi.*

43 *Arceri à beneficio ille non poteſt, qui non eſt Principi probabili ratione ſuſpectus: coramque Deo, illum arcens, non eſt immunis à peccato.*

44 *Si deſit privilegium repellens extraneos à beneficiis, miniſtri Regii hos excludentes, ſine probabili ratione ſuſpicionis, gravitèr peccant.*

45 *Nèc ſatis eſt, quod ab extraneo poſſit eſſe periculum: nàm poſſibilitas idealis, carens probabilitate, non ſufficit ad eum excludendum.*

46 *Licètque non poteſt Aſsenſus Regius, & poſseſſio beneficii ei negari, etſi coràm hominibus fucari res poſſint; at non coràm Deo, qui decipi non poteſt.*

47 *Itàque Aſsenſus Regius non habet locum ubique: debet Apoſtolico indulto inniti, nèc eſt negandus, ubi deeſt probabilis ratio ſuſpicionis.*

48 *Et ubi ſuſpicio eſt rationabilis, excluſio viri ſuſpecti debet collatori beneficii exponi, ut ipſe illum à beneficio diſtincat.*

1. VErbo Domini, ejuſque illuminatione, ac directione, totus ille ordo diſpoſitus eſt, quo Eccleſia Dei regitur, & regulatur, veluti myſticum in Terris Cœlum (a). Nèc ſinè Divinæ ordinationis confuſione alterabilis eſt ipſa laudabilis politia, qua regimen eccleſiaſticum, utilitèr, & elegantèr conſiſtit: quià quidquid prò illius turbatione profertur, Dei, & Chriſti ejus majeſtatem offendit, qui & Eccleſiam condidit, & tradidit ſemetipſum prò eâ, *ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam* (b). Perperàm proinde humanæ politiæ technis, politia eccleſiaſtica vellicatur, quæ præeſſe illi debet, non ſubeſſè (c). Jàmque prò eo, quod ordinem concernit, in beneficiorum diſtributione ſervaudum, humànas rationes politicè propoſitas, vidimus adversùs libertatem eccleſiaſticam nullatenùs prevalere. Attamèn quià ſupereſt adhùc ſexta ratio, nobis in hac doctrinæ ſpecie objecta, nec juſtum eſt, ut eandem exitu aliis compari defraudemus; jam illam audiamus, & audiſſe ſit unum, & idem, ac eam affatim diluiſſe. *Arguunt igitur Sexto loco* Contradictores, & dicunt: Reges non poſſunt ſalvâ conſcientiâ cedere Regalibus, juribuſque propriæ Coronæ, quippè dum Regnum auſpicantur, jurejurando promittunt illa ſervare, ac tueri. Hincque eſt, quod Honorius Papa III. ſcripſit Archiepiſcopo Colocenſi, ejuſque Suffraganeis, quod cum Rex Hungariæ, qui aliorum Regum more, quando promotus fuerat, juraverat ſe non paſſurum, ut jura, & honos ſuæ Coronę minueretur; non poterat quidquam de iiſdem juribus alienare: nec proderat quod ſponderet, ac jurejurando polliceretur, sè ſemper ratam habiturum alienationem, quandòquidem priùs juramentum legitimum poſteriori illegitimo prævalebat (d).

(a) *Carol. Labia* *in* *praeſ. Paſtor.* 34 *&* *altro*

(b) *Ad Epheſ.* 5. *c.* 5. *n.* 27.

(c) *Thom. del Bene de Immunit. c.* 1. *dub.* 24 *ſect.* 2. *n.* 9.

(d) *Cap. intellecto* 33 *de jurejur.*

2. Quæ lex licèt ſolum Regem Hungariæ reſpiciat, nihilominùs omnibus Regibus eſt communis, in ſententiâ plurium Doctorum (e), & præſertim Cujacii, aſſerentis: *hanc eſſe legem generalem omnium Regnorum, cum ipſis Regnis natam, & quaſi jus gentium, jus quod & initio Regni Rex quiſque jurare, & ferre quodammodò ſolitus eſſet, ut in Inſtitutionibus de lege Regiâ dicitur, ſivè de Auguſtâ, cum ipſo Imperio natam eam eſſe* (f). Intèr jura autèm Regalia, hoc eſt, quod Rex *aſſenſum* in electionibus Clericorum ad beneficia Epiſcopalia largiatur (g): & conſequentèr etiam, ut in Collationibus aliorum beneficiorum, ejuſdem conſenſio re-

(e) *Arumaus de jur. publ.* 10. 1. *diſcept.* 13. *Althuſius Politices c.* 24. *n.* 35. *&* *c.* 37. *n.* 47.

(f) *Jacobus Cujacius.*

(g) *Arniſaeus de jur. majeſt.* 1. *c.* 3. *n.* 13.

quiratur, ſicque beneficia viris extraneis ſinè auctoritate, & conſenſu Regio non tradantur. Ergò ſi nulla adeſt ratio, quæ extraneos à beneficiorum conſecutione repellat, ſaltem adeſt hæc, quod Rex poteſt aſſenſum ſuum denegare provectioni cunctorum extraneorum, & ità ex hoc motivo Clericis extraneis interceptus remanet acceſſus ad eccleſiaſtica beneficia.

3. Reſpondetur *Primò*, negando ſuppoſitum, nempè quod ſit jus Coronæ Regię, ſivè quod intèr Jura Regalia Principis locum habeat interceptio collationis beneficiorum, vel earum reſtrictio ad aliquod genus perſonarum ab aſſenſu Principis dependentium. Nàm hoc tantum abeſt à veritate, ut potiùs irrita, & nulla ſit lex laicalis prohibens, nè beneficia conferantur extraneis (a): omninòque injuſtum ſit quodlibet ſæculare decretum pro executione Bullarum beneficialium aſſenſum Regium prærequirens (b). Etenim cum beneficia, & res eccleſiaſticæ non ſint ſub proprietate alicujus terreni Dynaſtę, ſed Dei, & Chriſti ejus, uti ſentiunt Doctores (c), & quoàd eorum adminiſtrationem ſubſint primariò auctoritati Summi Pontificis, uti generalis, & ſupremi earum diſpenſatoris, quemadmodùm illum vocat D. Thomas (d). Secundariò verò pertineant ad Epiſcopos, uti particulares diſpenſatores rerum ſuæ Eccleſiæ (e); nihil habent Principes terreni, quo in eorum diſpenſatione ſe immiſceant: niſi quatenùs eorum intereſt, nè ad ſuſpectas ſibi perſonas perveniant, ad hoc, ut ſub obtentu Religionis, nec quies communis Civium, neque publica terreni Status pax perturbetur (f). Quod quià tàm de Indigenis, quàm de Extraneis verificari poteſt, in quibus cadat ſuſpicio; hoc nihil facit ad excludendos ab Eccleſiaſticis beneficiis Extraneos. Mirum eſt, inquit Cardinalis Sfondratus, quamquàm ad aliam cauſam (g); mirum eſt, politicos, Regioſque Aſſentatores *rebus tàm à vero alienis, fidemque ſuperantibus, ac vanè conſictis, Regem ludiſicari. Si per jus Regium intelligunt facultatem aliquam, & privilegium Regibus ab Eccleſiâ conceſſum*; verum eſt, quòd aſſenſus provectionibus Antiſtitum adhibendus, & excluſio extraneorum à beneficiis proprii Status, vel à locis, & Regionibus, quas Romani Pontificis hiſce privilegiis communierunt, dici poteſt jus Regium, & in hoc ſenſu admittitur à Doctoribus (h). At non ſequitur, hoc jus illimitatum eſſe, & ad omnia Orbis Regna protenſum; ſed potiùs ad illa ſolùm reſtrictum eſſe, quibus utrumque privilegium eſt conceſſum.

(a) *Azorius inſt. mor. p. 1. l. 5. c. 14. qu. 3. Diana p. 3. tr. 2. reſol. 17. Del Bene de immun. c. 8. dub 10. Barboſa c. 5. de Inſtit.*
(b) *Diana p. 1. tr. 2. reſ. 13. Azorius, & del Bene loc. cit.*
(c) *S. Auguſt. de oper. Monach. c. 25. Toſtat. in Paral. tom. 26. qu 36. Navar. de Spol. Cleric. § 9 n 2. tom. 1.*
(d) *S. Thom. 2 2. qu. 100 art. 1. ad 7.*
(e) *Thomaſſ. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 1. c. 45. n 14.*
(f) *Cap. bene § quamquam diſt. 96.*
(g) *Card. Sfondr. Gall. Vindic. differt. 1. § 5. reſp. ad 1. Object.*
(h) *Bannez. 2. 2. qu. 63. ar. 2. dub 1 concl. 6 Suar. de leg. l. 8. cap. 5. Caſtropal. tom. 2. diſp. un p 9. n. 10. Dian p. 4. tr. 2. reſ. 9.*

4. *Si verò per jus Regium poteſtatem aliquam intelligas ab Eccleſiâ independentem: non privilegio, non indulgentiâ datam, ſed Coronæ, & Imperio ingenitam, aliiſque Regiis juribus ſimilem, qualia ſunt belli, pacis, militię, vectigalium jura; negandum omninò eſt*: Aſſenſum provectionibus Antiſtitum adhibendum, & excluſionem Extraneorum ab eccleſiaſticis beneficiis eſſe jus Regium, & de Regalibus Principis. Nàm jus beneficia conferendi, *non ad Regiam, ſed ad Eccleſiaſticam dignitatem pertinet, & ideò ſuprà Canones, & conceſſionem Eccleſię extendi haùd poteſt: quid enim magìs ad Eccleſiam pertinet, quàm Eccleſiæ Miniſtros deligere? Ex iſtorum enim virtute, & præſtantiâ non minùs Eccleſię diſciplina, quam ex militum delectu victoria pendet: nec minùs abſurdum eſt dicere, Regię poteſtatis officium eſſe Sacerdotes, & Miniſtros Eccleſię dare, quàm ad Eccleſiaſticos pertinere, ut militem conſcribant, Duces præficiant, tentoria metantur, aciemque inſtituant; quod ſi hoc abſurdum, illud multò magis* (i). Gratioſa eſt petitio, quam Comes Damartini, Capitaneus Generalis Armorum Regis Galliæ Ludovico XI. aculeatè propoſuit. Videns enim quod Joannes de Balve Cardinalis Epiſcopus Andegavenſis, omnia apud Regem tunc potens, quadam die militibus coràm ſe ordinatis, eorum munera diſponebat, agenda regulabat, omittenda ſuggerebat, omnia tandèm, quæ ad Generalem militiæ pertinentia peragebat; videns, inquam, hæc Comes, ità eſt Ludovicum XI. allocutus: Domine ſit per vos mihi permiſſum, ut ego Canonicos, & Clerum Andegavenſem ordinare poſſim, & reformare. Quod cum non poſſe à laico fieri Rex reſponderet; Comes adjunxit: Si Epiſcopus Andegavenſis, interverſis officiis ſuæ perſonæ, meis reformandis, & regu-

(i) *Gall. Vindicat. loc. cit.*

regulandis militibus eſt idoneus, eccur & ego non reformando Clero Andegavenſi ero ſufficiens? (*a*) Adeò cenſuit acutus ille Dux, ab omni æquitate, & honeſtate deſcire, quod jura, & officia eccleſiaſtica Princeps laicus, & laicalia vir eccleſiaſticus ſibi approprieт: Adeò ab omni rectitudine aberrat, quod jura eccleſiaſtica prò Regalibus, & Regalia prò Eccleſiaſticis uſurpentur.

(a) *Ant. Foreſt. Mapp. Hiſt. tom. 4. p. 1. l. 6. in Ludovic. XI.*

5. Quod ſi doctrina Sfondrati Contradictoribus eſt ſuſpecta; audiatur celebris Thomaſſinus, de Regum negotio in materiâ beneficiorum ſic ſcribens: *Nec pluribus opus eſt, ut confutetur Salgadus, aliique Hiſpanorum Juriſconſulti, qui non his Pontificum innituntur conceſſionibus ad Regias Epiſcoporum nominationes ſtabiliendas. Altiori ab origine rem repetunt, quaſi hoc agnatum, inſitumque ſit jus Coronę Regiæ, uni Deo obnoxiæ: aut, certò profectum à victoriis in Saracenos reportatis, atque ità quaſi conditis de novo, fundatiſque à ſe, & mox magnificè dotatis Eccleſiis. Familiare illud cum primis eſt Canoniſtis, & Juriſconſultis poſterioris ævi, uni ſuorum temporum diſciplinæ oculos, animoſque advertere, ſuperiora ſæcula fingendo, ad illam accommodare, & arbitratu ſuo comminiſci, vel prò affectuum privatorum ingenio fabricare eas rerum occaſiones, & cauſas, quæ nec veſtigare, nec invenire, jus, faſque eſt, niſi in hiſtoricis, Synodalibus, aliiſque id genus antiquis literarum monumentis. Sapientiùs, feliciùſque Mariana priores revolvit, retexuitque ætates, de quibus hiſtoriâ fide eu poſteris tradidit, ex quibus certiſſimè includatur, non tantoperè laboraturos fuiſſe Catholicos Hiſpaniæ Reges, ut à Sede Apoſtolicâ ea impetrarent privilegia, & concordata Regiarum ad Pręlaturas nominationum, ſi illis præjudicatum fuiſſet, Regię ſuę Coronę, primævâ ab origine jus illud inſertum, concretumque fuiſſe* (*b*). Loquitur Auctor de poteſtate Regum nominandi Pręlatos ad beneficia Epiſcopalia, quæ nominatio, tametſi aliquam gravitatem libertati Eccleſiæ inferat; tamen quià jus patronatus eſt à Sacris Canonibus approbatum, ipſa jàm non eſt contrà jus, ſed ſecundùm jus Eccleſiaſticum. Hoc tamèn non obſtante, demonſtrat, hujuſmodi Patronatum non eſſe jus Regium, vel Coronæ, ſed jus à mero indulto Pontificio procedens. Si ergò Patronatus, qui in ſubſtantiâ eſt jus Sacris Canonibus, & juri communi conſentaneum, non poteſt eſſe in Regibus jus Coronæ; Quomodò poterit eſſe tale, jus præſtandi aſſenſum Regium provectionibus Antiſtitum, & Extraneos à beneficiis eccleſiaſticis repellendi, cum hoc ſit jus contrà Canones, & legem communem, ac non niſi in locis ſubſiſtens, ubi ſpeciali diplomate Pontificio ſuffulcitur?

(b) *Thomaſſ. Vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 1. c. 35. n. 9.*

6. Et quatenùs etiam jus præſtandi dictum aſſenſum, & extraneos à beneficiis repellendi, eſſet, prout non eſt, jus Regium, ac Regiæ Coronæ connexum; attende, quod non omnia Regalia, non omnia Coronæ jura ſunt inabdicabilia, & inalienabilia, aliàs nullus Rex poterit donare, cedere, vel in alium transferre Principatus, Marchionatus, & Comitatus, Præfecturas Urbium perpetuas, remiſſionem, vel exactionem vectigalium, jus cudendæ pecuniæ, ſalinas, venationes, piſcationes, metallorum venas, bona condemnatorum, poteſtatem concedendi veniam ætatis, nundinas indicendi, doctorandi, tabelliones creandi, nobiles faciendi, ſpurios legitimandi, & alia faciendi, quæ de Regalibus ſunt (*c*), ac de quibus fuſiori ſtylo ſuprà locuti ſumus (*d*). Et tamèn videmus ea dietìm concedi, abſque eo quòd quis illa prò inabdicabilibus reputet, atque impugnet: Imò ſi per Principem laicum Eccleſiæ concedantur; eccleſiaſtica evadunt (*e*). Cæterùm ſi Monarchæ cedere, vel donare poſſunt etiàm Ducatus, & Provincias, proùt Juſtinianus Imperator ceſſit Clotario Regi Francorum jus, quod Imperium habere poſſet in Galliâ. Albertus ceſſit jus ſibi competens in Burgundiâ. Carolus IV. ceſſit illud, quod ei inerat in Delphinatu (*f*), prętèr infiniras donationes ditionum à Regibus, & Imperatoribus factas, quarum ſuperiùs memoriam poſuimus (*g*); quomodò abdicare à ſe non poſſunt Regalia? *Sunt aliqua jura*, inquit prælaudatus Sfondratus: *Regiæ dignitati adeò intima, & innexa, ut deponi non poſſint, niſi abdi-*

(c) *Barboſ. tract. var. Appel. 232. de Luca de Regalibus à Diſcurſ. 127.*

(d) *Vide ſuprà to. 2. c. 36. n. 17. 18. 21. 22. 24.*

(e) *De Luca de Regalib. diſc. 131. n. 13.*

(f) *Limneus ad aur. Bul. Carol. IV. c. 1. § 12 obſer. 5. n. 13. & obſer. 6. num. 4.*

(g) *Vide ſuprà to. 2. Sæcul. 18. c. 26. num. 17. & 18. 23. 24.*

abdicata Majeſtate: qui enim jure belli, & pacis; indicendi, remittendique tributi; gratias, & ſupplicia ſtatuendi cederet, non Rex, ſed ſubditus eſſet, nec ſuo, ſed alieno imperio viveret, & hujuſmodi jura non poſſe alienari ultrò concedimus (a), ſed negamus aſſenſum Regium, & excluſionem extraneorum, de quibus ſuprà eſſe jus talis ordinis, & conditionis. Ecquot enim Reges, & Regiones hùcuſque fuerunt his juribus vacuatæ, integrâ, Florenteque in eis Regiâ Majeſtate? *Sunt alia, quę ad jus Regium pertinent, quæque in cauſas profanas alienari non poſſunt: ſed in Sacras, & præſertim Eccleſias,* optimè poſſunt: *quæ enim in Deum transferuntur, ejuſque Divinæ glorię propagandæ adhibentur, non alienari, ſed ei, cujus altàs ſunt, reddi cenſentur &c. Tuum, Domine, Regnum, tua victoria, & tu es ſuper omnes Principes, tuæ divitię, & tua eſt gloria, & tua ſunt omnia, & quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi* (b). Hæc Sfondratus. Talis conditionis eſſet jus, aſſenſum Regium præſtandi, & extraneos excludendi, ſi rè verâ jus Regium eſſet, ſivè Coronę connexum. Favore nimirum Eccleſiæ, & prò illius libertatę farciendâ, abdicabile eſſet, alienabile eſſet, proùt dę facto abdicatum fuiſſe novimus ab antiquis Imperatoribus prætenſum illud jus, niſi majus uſurpationem dicere, adhibendi aſſenſum provectioni Pontificis Romanorum: cui Conſtantinus Pogonatus ex Conſtantinopolitanis Imperatoribus (c), & Ludovicus Pius, ac Otho Magnus ex Imperatoribus Occidentis (d), ampliſſimè renuntiarunt. Falsò ergò ſupponitur inabdicabilitas pręfata, & probanda eſt, non ſupponenda; nec technis tàm inſubſiſtentis ſuppoſiti illaqueanda eſt conſcientia Principum, alliciendo eos ad reſiſtendum promotioni Extraneorum; neque calamo tàm quaſſato innitendum eſt, ad ipſos Extraneos à beneficiis eccleſiaſticis repellendos.

(a) Gall. Vindic. diſſer. 1. §. 5. n. 2.

(b) 1. Paralipom. cap. ult. 11.

(c) Card. Baron. ann. 684. n. 2.

(d) S. Antonin. hiſt. p. 2. tit. 16. cap. 1. §. 2. Azor. inſt. mor. p. 2. l. 4. c. 2. qu. 2. & 3. Barboſ. in c. Hadrianus 22. n. 2. diſt. 63.

7. Reſpondetur *Secundò*, retorquendo argumentum. Nàm ſi Regalia ſunt, & Regum eſt ea tueri, quæ jurarunt in illorum provectione ſervare, & ideò non poſſunt jura Coronæ propriæ diminuere; æquali, & imò potiori ratione jura Eccleſiæ de Regalibus ſunt, nec ea valent per Reges, aut Principes immutari, quià hi in actu Coronationis, expreſſâ promiſſione jurarunt ea ſartatecta, & integra cuſtodire, ſub hâc formulâ: *Ego N. futurus Rex &c. profiteor, & promitto coram Deo, & Angelis ejus &c. juſtitiam, & pacem Eccleſiæ Dei &c. facere, ac ſervare &c. Pontificibus quoquè Eccleſiarum Dei condignum, & canonicum honorem exhibere, atque ea, quę ab Imperatoribus, & Regibus Eccleſiis collata, & reddita ſunt, inviolabilitèr obſervare &c.* (e). Tria ergò promittunt: juſtitiam, & pacem Eccleſię Dei facere, ac ſervare: Pontificibus Eccleſiæ canonicum honorem exhibere: & ea, quæ collata, vel reddita ſunt Eccleſiæ ab Imperatoribus, & Regibus obſervare. Sed reſtringendo largitionem beneficiorum ad ſolos Indigenas, juſtitiam Eccleſię Dei non faciunt, nec pacem ejus obſervant, ſed potiùs utramque perturbant: Pontificibus canonicum honorem non exhibent, quià eos libertate privant ſibi à Sacris Canonibus impertitâ: Collata tandèm, & reddita ab Imperatoribus, & Regibus Eccleſiis non ſervant: quià eas præfatâ libertate ſpoliant, quam etiam Imperatores, & Reges illis contulerunt, ſivè reſtituerunt, & actualitèr tenent, atque retinent. Ergò Reges, & Principes excludere non valent extraneos à beneficiis, ſinè prevaricatione ſponſionis in eorum auſpicatione juratæ. Et ſic ſi de Regalibus eſt eâ ſervare, quæ Reges in eorum inauguratione jurarunt; intèr Regalia pręcipuè computanda erunt jura Eccleſiarum, & Pontificum Dei Eccleſiæ ſervare, eiſque nativam libertatem in beneficiorum diſtributione permittere; ſeù quod idem eſt; intèr Regalia numerandum eſt non extraneos à beneficiis arcere, ſed eos ad ipſa liberè admittere in locis, in quibus uſque nùnc fuerunt admiſſi, & à Pontificio privilegio non ſunt excluſi.

(e) Pontifical. Rom. p. 1. de bened. Regis.

8. Reſpondetur *Tertiò*, iterùm retorquendo argumentum ex alio capite: quià ſi Regum eſt jura ſuæ Coronæ tueri, unum ex præcipuis juribus ſuæ Coronæ eſt poſſe beneficia ad ſuam largitionem, vel præſentationem pertinentia, prò libito ſuæ voluntatis, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis impertiri: ergò ipſi non poſ-

Digitized by Google

poſſunt ſinè incurſu perjurii huic juri cedere, vel à ſe illud abdicare, quippè hoc etiam eſt intèr jura Coronæ, quæ polliciti ſunt cuſtodire. Si autèm hoc jus à sè non valent abſcindere, multò minùs illud detrahere poſſunt Summo Pontifici, atque Epiſcopis beneficiorum collatoribus: tùm quià hoc jus, ut in ipſis Pontifice, & Epiſcopis conſideratum, non dependet à poteſtate Regum: tùm quià etiam Pontifex, & Epiſcopi in eorum auſpicatione jurarunt Jura propriarum Eccleſiarum omni conatu defendere (*a*). Cumque juramentum Regium non poſſit eſſe deſtructivum juramenti Pontificalis; ſequitur quod Reges, proprii juramenti intuitu, non poſſunt jura Antiſtitum imminuere, & nèc viceversâ Eccleſiæ Antiſtites poſſunt quieto animo ſubreptionem jurium Eccleſiæ propriæ ſuſtinere. Undè quià jus liberè conferendi eccleſiaſtica beneficia tùm Clericis extraneis, tùm indigenis, prò libito Collatoris, vel ad ea Nominatoris, eſt jus Romani Pontificis, & omnium Eccleſiæ Antiſtitum, nec non reſpectivè Regum, qui omnes ſolemni jurejurando ſpoponderunt jura ſuæ dignitatis tueri; ſequitur, quod ubi deeſt Apoſtolicum diploma extraneos arcens à beneficiis; neque à Regibus, neque ab Epiſcopis coarctari poteſt præfata libertas ad ſolos indigenas, & ſi qui politicè ſuadent Reges ad hanc libertatem Eccleſiæ ſupprimendam, injuſtè, improvidè, inſipientèr illos perſuadent, quià præterquàmquod ipſos inducunt ad lethale vulnus Eccleſiaſticæ libertati inferendum, illos quoque ſollicitant ad ſaucianda jura propriæ dignitatis, & ad prævaricationem juramenti, quod in eorum auſpicatione emiſerunt. Et en diſſolutas, ad nihilumque redactas Objectiones politicas à Contradictoribus commentatas, ad repellendos viros extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis: Objectiones, inquam, politicè propoſitas, & tamquàm politicas, verè tamèn non politicas, ſed pſeudopoliticas, quià non à rectis, & ſinceris momentis laudabilis politiæ deſumptæ ſunt, ſed ab adulatoriis, ſabulatoriis, deceptoriis principiis falſę rationis Status abſtractę, quibus non tàm in diſcrimen adducuntur jura Eccleſiaſtica, quàm ipſa etiam jura Regalia.

(a) *Cap. tua nos, & ibi gloſ. V. non alienandis de Eccl. ædif. Gloſ. in c. intellecto V. Regni 33. de jurejur.*

DE ASSENSU REGIO.

9. Et quià ſermo defluxit ad *Aſſenſum Regium* beneficiorum conſecutioni adjungendum, tametſi de illo alibi ſimus amplè locuti (*b*), tamèn præſtat iterùm hìc aliqua de illo nùnc opportunè profari, quamquàm malè à Contradictoribus ſuis ſcriptionibus fuerit interſertum, quippè hoc non percutit ex propoſito Extraneos, ſaltèm ſolos, ſed ad Indigenas æquè ac ad Extraneos ſe diffundit. Primis Eccleſiæ Sæculis certum eſt, quòd Sacri Miniſtri fuerunt tùm ad Eccleſiaſtica munia, tùm ad ſtipendia, & beneficia Eccleſiæ promoti, abſque ullâ dependentiâ à terrenorum Principum poteſtate. Quarè Florus Magiſter plenâ ſiducialitate aſſeverat, *præſuiſſe Antiſtites abſque ullo conſultu mundanę poteſtatis à temporibus Apoſtolorum, & poſteà per annos ferè quadringentos* (*c*). Nèc alitèr, nèc alio modo res eſſe potuit, quià cum unicus tùnc præeſſet toti penè Orbi Imperator, fieri moralitèr non potuit, ut ex cunctis mundi Provinciis, per Aſiam, Africam, & Europam diffuſis, admoneretur Cęſar de obitu Epiſcoporum, & ejuſdem aſſenſus poſtularetur prò novo Antiſtite ſubrogando. Negari tamèn non poteſt hìc Socratis aphoriſmus, quod, *ex quo Chriſtiani eſſe cœperunt Imperatores, Eccleſię negotia ex illis pendere cœperunt* (*d*). Sed non per hoc libertas Eccleſiæ in promovendis Clericis ad ordines, & beneficia, ſeù Eccleſię munia, ac ſtipendia, quidquam diſpendii paſſa eſt, Imperatoribus de hiſce non sè immeſcentibus. Undè idem Florus: *Ex quo Chriſtiani Principes eſſe cœperunt, eandem in Epiſcoporum ordinationibus Eccleſiaſticam libertatem ex parte maximâ permanſiſſe, manifeſta ratio declarat. Neque enim fieri potuit, cum unus Imperator, Orbis terræ Monarchiam obtineret, ut ex omnibus latiſſimis mundi partibus, Aſiæ videlicèt, Europæ, & Africę, omnes, qui ordinandi erant Epiſcopi, ad ejus cognitionem deducerentur* (*e*).

(b) *Vide ſuprà to. 2. cap. 37. 38. & 39.*

(c) *Florus Opuſc. poſt Oper. Agobardi.*

(d) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. par. 2. l. 2. c. 6. n. 1.*

(e) *Florus loc. cit.*

Sub-

Subdit hic Auctor de S. Martino Turonenſi, S. Eucherio Lugdunenſi, & aliis, qui ſinè ullo Principum aſſenſu Epiſcopales Cathedras acceperunt: additque: *Sed & in Romanâ Eccleſiâ, uſque in præſentem diem cernimus abſque interrogatione Principis, ſolo diſpoſitionis judicio, & fidelium ſuffragio legitimè Præſules conſecrari: qui etiam omnium Regionum, & Civitatum, quę illis ſubjectę ſunt juxtà antiquum morem, eâdem libertate ordinant, atque conſtituunt Sacerdotes* (a).

(a) *Idem Fleurus ubi ſuprà.*

10. Porrò uſque ad tempora Magni Conſtantini Imperatoris, Cæſares non sè electionibus Antiſtitum ingeſſerunt, & beneficia Epiſcopalia, liberè, & independentèr ab aſſenſu Principis, ſunt collata. Primus, qui sè hiſce immiſcuit (non tamèn velut ex inſtituto in legem, vel conſuetudinem tranſituro, ſed velut occaſionalitèr, & perfunctoriè) videtur fuiſſe Conſtantius præfati Conſtantini filius, Arriano delirio concitatus, cum è Palatio ſuo Gregorium Cappadocem Alexandrinæ Eccleſię præfecit, poſt depoſitum in Pſeudoſynodis Tyrienſi, & Antiochenâ D. Athanaſium (b), adversùs hanc novitatem ità clamantem: *Ubi enim ille canon, ut è Palatio mittatur is, qui Epiſcopus futurus eſt* (c). Qui Conſtantius alibi quoquè alios Epiſcopos ſubintruſit, nèc Romanę Eccleſię omnium ſupremę pepercit, exturbato ab eâ Liberio, & ſubintruſo Felice: *Incredibile facinus*, ait idem Athanaſius, *Conſtantius deſignavit, & quod ferè referat imaginem Antichriſti, ut qui in locum Eccleſię Palatium ſuum ſuccedere voluerit, & prò conventu populi, & jure Comitiorum tres Eunuchos præſentes eſſe juſſerit, tres itèm Cataſcopos, hoc eſt exploratores, non enim Epiſcopos dixeris; ut ipſi Felicem quendam Epiſcopum in Palatio crearent, dignum proſectò talibus ſuffragatoribus. Cæterùm populi omnes, cognitâ hæreticorum pravitate, non permiſere eos in Eccleſiam intrare, procùlque ab eis receſſerunt* (d). Sub Odoacre Rege Herulorum, qui Italiam invaſit; ſervitus Regii aſſenſus Eccleſię præpotentèr ſe ingeſſit, nàm Baſilius Præfectus Prætorio, ejuſdem Regis nomine decrevit, ne Romanus Pontifex ſinè illius conſultatione deligeretur: quamquàm Romana Synodus hujuſmodi conatui prò viribus eſt reluctata (e).

(b) *Cardin. Baron. ann. 355. n. 37. 341. n. 1. & 342. n. 2.*

(c) *Thomaſſin. p. 2. lib. 2. c. 6. n. 11.*

(d) *S. Athanaſ. epiſt. ad Solitarios.*

(e) *Concil. Rom. ſub Symmacho Cap. bene 1. diſt. 96.*

11. Theodoricus Gothorum Rex, qui Odoacre cæſo, illius Diadema Regium arripuit, in electione Symmachi Papæ valdè sè immiſcuit, ob Cleri, & Senatus diſcordias, dùm *alii cum Symmacho erant, alii cùm Laurentio. Et factâ contentione; hoc conſtruxerunt partes, ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici; qui dùm ambo introiſſent Ravennam, hoc judicium æquitatis invenerunt, ut qui primò ordinatus fuiſſet, vel ubi pars maxima cognoſceretur, ipſe ſederet in Sede Apoſtolicâ* (f). Qui pariter Theodoricus Clero, Populoque Romano inſimul decertantibus in electione ſucceſſoris Joannis Papę I. eis dedit Pontificem Felicem III. prętermiſſo eo, qui majoribus ſuffragiis ad Pontificatus apicem vocabatur (g). Mortuo quoquè Agapeto, Silverius Papa à Theodato, Theodorici ſucceſſore, Sedi Romanæ eſt immiſſus, de quo Anaſtaſius: *Hic levatus eſt à Tyranno Theodato, ſinè deliberatione decreti, qui Theodatus corruptus pecuniæ dato, talem timorem indixit Clero, ut qui non conſentirent in ejus ordinatione, gladio punirentur* (h). Tempore Juſtiniani Imperatoris, Theodora ejus uxor, operâ Beliſarii Ducis, qui in Italiam, Gothos domiturus, advenerat, totam vim ſuam adhibuit, ut Silverio dejecto, Vigilius ei in Pontificatu ſubrogaretur (i). Quo paritèr Vigilio paulò poſt in exilium acto, Juſtinianus ad Pelagium Archidiaconum provehendum Clericos Romanæ Urbis allexit, dicens: *habetis Archidiaconum veſtrum Pelagium, & manus mea erit vobiſcum* (l).

(f) *Anaſtaſ. Bibliothec. in Symmach.*

(g) *Baron. an. 526. num 22. 24.*

(h) *Anaſtaſius in Silverio.*

(i) *Baron. ann 536. num. 123. & 538. n. 5.*

(l) *Anaſtaſ. in Vigilio.*

12. Exindè Romani Imperatores, Conſtantinopoli reſidentes, aſſenſum electioni Papæ ingerere conſueverunt, niſi quatenùs aliquandò, prævalentibus viribus Longobardorum, ità auctoritas Cæſarum langueſcebat, ut ſinè illorum aſſenſu Pontifex eligeretur, proùt in auſpicatione Pelagii Papę II. factum eſt: de quo Anaſtaſius: *Hic ordinatur abſquè juſſione Principis, eò quod Longobardi obſiderent Civitatem Romanam, & multa vaſtatio ab eis in Italiâ fieret* (m). Aſſenſum hujuſ-

(m) *Idem Anaſtaſ. in Pelagio II.*

hujuſmodi nè ſibi præſtaret Imperator Mauricius, S. Gregorius Magnus inſtantiſſimè ſupplicavit, ſed non obſtinuit (*a*). Alii Cæſares proſecuti ſunt ſè tueri in jure aſſenſum ipſum promovendis Pontificibus conferendi, donèc Conſtantinus IV, Cognomine Pogonatus, primò exactionem pecuniæ, quæ prò ipſo aſſenſu obtinendo pendebatur, remiſit in ordinatione Agathonis (*b*). Ac demùm ipſi aſſenſui porrigendo, à Benedicto Papâ II. interpellatus, totalitèr renuntiavit, primuſque hujus libertatis beneficio uſus eſt Joannes V. (*c*). Ex injectâ autèm Romanæ Eccleſiæ hujuſmodi ſervitute Aſſenſus Regii, diſce quid fieret de aliis inferioribus. Et ut ſcripſit Amator Auguſtodunenſis Papæ Silverio: *quid putas de nobis fieri Pater ſumme, cum de Summo Paſtore, & Vicario S. Petri talia fiunt* (*d*). Sic ex ſervitute Regii conſenſus injectâ Eccleſiæ Romanæ, argui poteſt, quid fieret de aliis inferioribus, quas ab eodem onere non fuiſſe immunes patet ex variis antiquę hiſtoriæ documentis, & præſertìm ex epiſtolis Pelagii Papæ I. ad Valerianum Patricium, & ad Narſetem paritèr Patricium, dè Eccleſiis Aquilejenſi, & Mediolanenſi loquentibus (*e*): ex quibus apparet, quod aſſenſus Principum tùnc electionibus Antiſtitum addebatur; dè facto tamen: at non de jure, cum Eccleſia libera ſit.

13. Hàc certè ſervitute caruit Eccleſia tempore Magni, & religioſiſſimi Imperatoris Valentiniani I. de quo in Hiſtoriâ Tripartitâ: *Valentinianus Imperator veniens ab Oriente ad Heſperias partes, mortuo Auxentio, Arrianæ perfidiæ magiſtro, qui Mediolanenſem Eccleſiam ut lupus dilaniaverat; cum vellet Catholicum, Deo ordinante, ibi conſecrare Epiſcopum, evocans Epiſcopos, hæc eis locutus eſt. Noſtis apertè &c. qualem oporteat eſſe Pontificem, & quod non deceat eum verbo ſolo, ſed etiam converſatione gubernare ſubjectos, & totius ſemetipſum imitatorem virtutis oſtendere, teſtemque doctrinæ converſationem bonam habere. Talem itàque in Pontificali conſtituite Sede, cui & nos, qui gubernamus Imperium, ſincerè noſtra capita ſubmittamus, & ejus monita, dùm tamquàm homines deliquerimus, neceſſariò, velut curantis medicamenta ſuſcipiamus. Hæc cum dixiſſet Imperator, petiit Synodus, ut magis ipſe decerneret, ſapiens, & pius exiſtens. At ille: ſuper vos* (vel ut habet alia lectio) *ſuper nos eſt, inquit, talis electio: Vos enim gratiâ Divinâ poſiti, & illo ſplendore fulgentes meliùs poteritis eligere* (*f*). Theodoretus ait Cæſarem ſic eſſe Præſules allocutum: *major eſt hæc provincia, quam quæ viribus noſtris ſuſtineri poſſit: proindè vos Divinâ repleti gratiâ, & illius ſplendore illuminati, multò meliùs hoc Epiſcopi deligendi negotium tranſigetis* (*g*). Patet hic, quod Imperator jure præditus non erat Præſules eligendi, vel nominandi, neque aſſenſum eorum provectioni adhibendi; ſed quod Eccleſia in ſuâ libertate ſiſtebat, Antiſtites in Sedibus Epiſcopalibus abſquè dependentiâ à laico Principe collocandi. Nihilominùs, quià Apoſtolus docet Chriſtianos ut ſint ſè *honore invicèm prævenientes* (*h*). Et D. Petrus eos monet *Omnes honorate &c. Deum timete, Regem honorificate* (*i*). Ideò Epiſcopi honore Theodoſium proſequentes, illi electionem Præſulis detulerunt, urbanitatis in hoc, non ſervitutis debitum exercentes. Cumque modeſtè Princeps, ſe ab oblato munere cohiberet Antiſtites ad electionem proceſſerunt, & dùm unà cum Clero, & Populo de viro promovendo differerent, vox infantis ex improviſo Ambroſium, Urbis Præfectum, Epiſcopum conclamans, erupit, ſtatimque omnium armonico fragore, atque concentu, eloquium hoç melliflue perſonavit: *Ambroſius, Ambroſius ſit Epiſcopus* (*l*). Res confeſtìm eſt Cæſari denuntiata, qui *exultans ait: gratias ago tibi Domine Deus omnipotens, & Salvator noſter, quoniam huic viro ego quidèm commiſeram corpora, tu autèm animas. Cumque S. Ambroſius contriſtaretur &c. confortavit eum Imperator, & ait: Noli timere, quià Deus, qui te elegit, ſemper tè adjuvabit: & ego adjutor, & defenſor tuus* (*ut meum ordinem decet*) *ſemper exiſtam* (*m*).

14. Ità Valentiniani tempore res ſe habebant. Imperator nedùm non ſibi jus arrogabat, conſenſum electionibus Antiſtitum ingerendi, ſed & nec etiam roga-

(a) *Joannes Diac. Vit. S. Gregor. lib. 1. cap. 39. 40.*

(b) *Anastaſ. in Vit. Agathonis Baron. an. 681. n. 55.*

(c) *Cardin. Baron. ann 684. n. 2.*

(d) *Inter epiſt. Silverii ap. Binium tom. 4. Concil.*

(e) *Pelag. Pap. I. epiſt. 1. & 2. ap. Holſtenium Collec. Rom. fol. 227. 231.*

(f) *Hiſtor. Tripartit. l. 7. c. 8. cap Valentinianus 3. diſt. 63.*

(g) *Theodoret. Hiſt. Eccleſ. cap. 5. & 6.*

(h) *Romanor. cap. 12. num. 10.*

(i) *1. Petri cap. 2. num. 17.*

(l) *Paulinus in Vita S. Ambroſii.*

(m) *Hiſtor. Tripartit. eod. loco.*

tus, ut beneficiis Epiſcopalibus viros idoneos deſtinaret, volebat negotiis hujuſcemodi ſe immiſcere. Senſim poſteà ſinè ſenſu incæpit, auctoritas Principum ſè dè facto alicubi electionibus Antiſtitum implicare, cujus rei verum initium difficile eſt invenire. Quippè vel profluxit ex præpotentiâ Principum, rebus eccleſiaſticis manum tyrannicam apponentium, & hæc non fuit, niſi mera injuſtitia, illo digna lemmate S. Juſtini: *tantùm valent Principes, opinionem veritati præferentes, quantùm prædones in ſolitudine (a)*. Vel evenit ex tolerantiâ Eccleſiæ, amore pacis ſuper tali rè conniventis, quam vocat Florus, *cumulum fraternitatis proptèr pacem, & concordiam mundanæ poteſtatis (b)*. Vel demùm ſumpſit exordium à privatis diſſenſionibus, cum ad faciendas electiones Sacerdotum, convenientibus Clero, & Populo, hi ſè in partes diſcindebant, & aliquandò talitèr diſſidii flamma invaleſcebat, ut electio Sacerdotis in ſeditionem degeneraret, vel rixas tales pareret, quæ non ſinè cædibus complerentur: & ad has contentiones reprimendas, neceſſe habuit Eccleſia terrenorum Principum poteſtatem electionibus Antiſtitum immiſcere (c). Sicque Baſilius Præfectus Prætorio, & locum tenens Odoacris Regis Herulorum profeſſus eſt in Concilio Romano fuiſſe Regiam præcellentiam exoratam à Simplicio Papâ, ut ejus morte adveniente, electioni Succeſſoris adeſſet ad comprimendos tumultus, qui fortè emergere potuiſſent: *Quamquàm*, ait ad Patres Concilii, *ſtudii veſtri, & religionis interſit, ut in Epiſcopatus electione, concordia principalitèr ſervetur Eccleſiæ, nè tamèn per occaſionem ſeditionis, ſtatus Civitatis vocetur in dubium, admonitione beatiſſimi viri Papæ noſtri Simplicii, quam ante oculos ſemper habere debemus, hoc nobis meminiſtis ſub obteſtatione fuiſſe mandatum, ut proptèr illum ſtrepitum, & venerabilis Eccleſiæ detrimentum, ſi eum de hac luce tranſire contigerit, non ſinè noſtrâ conſultatione cujuslibet celebretur electio (d)*.

15. Ex aliquo ex his tribus titulis originem duxit mos Regii Aſſenſus alicubi adhibendi provectionibus Clericorum ad Epiſcopalia beneficia; nec diſtinguendo hìc an in unâ Regione incæperit ſub uno titulo, in aliâ verò ſub alio; hoc unum eſt, quod uſquè ab antiquis temporibus Aſſenſus præfatus Regius alicubi locum habuit. Quid autem verè ſignificaretur per ipſum Aſſenſum, non eſt facile definire, propter differentiam, & vim dictionum, ſub quibus apud hiſtoricos, & in aliis monumentis ſacræ antiquitatis, notatur. Electioni Sancti Joannis Chryſoſtomi Arcadius Imperator *adſtipulatus eſt*, narrante Sozomeno, *Poſtquàm Populus, & Clerus ſuffragium ſuum contuliſſent, Imperator adſtipulatus fuit, & qui Chryſoſtomum adducerent, emiſit (e)*. Pauli provectioni ad Epiſcopatum Antiochenum Juſtinus Imperator *teſtimonium* adhibuit, uti ex relatione Dioſcori Apocriſarii ad Hormiſdam Pontificem: *huic honori aptiſſimum Imperatoris teſtimonio comprobatum voluerunt (f)*, Succeſſor Neſtorij in Concilio Epheſino, Imperatoris *nutu* dicitur ordinandus (g). Colonus Reatinus eſt infulis illius Eccleſiæ deſtinatus, *licentiâ acceptâ* Imperatoris: *ut veſtrâ licentiâ*, ſcripſit Imperatori Lothario Leo Papa IV. *acceptâ, ibidem eum, Deo adjuvante, conſecrare valeamus Epiſcopum (h)*. Joannes ad primæ Juſtinianæ Sedem pervenit, *voluntate* Imperatoris, quâ de rè D. Gregorius: *quià in perſonâ Joannis fratris, & Coepiſcopi conſenſum omnium veſtrum, & Sereniſſimi Principis conveniſſe cognovimus voluntatem &c. (i)*. Epiſcopi Hiſpaniæ *cum conniventiâ Principum*, erant beneficiis Epiſcopalibus decorandi: Etità in Edicto Eurigii Regis fit ſermo, *de conceſſiâ Toletano Pontifici, Generalis Synodi poteſtate, ut Epiſcopus alterius Provinciæ cum conniventiâ Principum in Urbe Regiâ ordinetur (l)*. Quæ conniventia alibi dicitur *definitio*: Nàm Epiſcopo Nemauſenſe per Comitem illius Urbis de throno ejecto, ſubintruſus ei eſt illicitè Ranimirus tempore Vambæ Regis, *in cujus electione nullus ordo attenditur, nulla Principis, vel Metropolitani definitio preſtolatur (m)*. Epiſcopi Scotiæ, *concedente Rege*, vel *conſilio ejus*, fiebant, & ità apud Eadmerum fit mentio cujuſdam Monachi Cantuarienſis, qui *eligente eum Clero, & Populo Terræ, & concedente Rege*,

(a) *S. Juſtinus Apolog. 2. ad Antonin. Pium.*
(b) *Florus opuſc. poſt Oper. Agobardi.*
(c) *Thomaſſ. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 2. c. 6. n. 14.*
(d) *Cap bene quidem 1. d. ſt 96.*
(e) *Sozomen. hiſt. l. 8. cap. 2.*
(f) *Dioſcor. ap Card. Baron. ann. 519. n. 79.*
(g) *Conc. Epheſini Act. 1.*
(h) *Cap. Reatin. 16. diſt. 63.*
(i) *S. Greg. l. 4. epiſt. 8*
(l) *Thomaſſin. p. 2. l. 2. c. 15. num. 5.*
(m) *Idem p. 2. l. 2. c. 14. n. 6. in fin.*

Rege, creatus eſt Epiſcopus Santandreenſis (*a*), Et de Henrico II. Rege Angliæ, qui ſibi Scotiam ſubjugaverat, narrat Robertus de Monte, hoc intèr cætera cautum eſſe: *Rex Angliæ dabit honores, Epiſcopatus, Abbatias, vel ut minùs conſilio ejus dabuntur* (*b*). In Germaniâ *bona gratia* Principum deſiderabatur ad beneficia eccleſiaſtica conſequenda: Undè Æneas Sylvius ſcribit: *ſolùm id recipiemus, quod cum bonâ gratiâ Principum, in quorum territorio eſſet, habere poſſemus* (*c*).

16. In Galliâ Regius Aſſenſus antiquis temporibus fuit diverſimodè expreſſus. S. Nicetius beneficium Epiſcopale Lugdunenſe ſuſcepit Childeberto I. Rege *ſuffragante*, cum populo: *pleno Regis*, inquit S. Gregorius Turonenſis, *& populi ſuffragio Epiſcopus Lugdunenſis ordinatus fuit* (*d*). Anſegiſus Senonenſem ſedem accepit, *annuente* Carolo Galliarum Rege, & ità in decreto illius electionis dictum eſt: *Anſegiſum &c. quem per licentiam veſtram PP. venerandi, D. etiam Chriſtianiſſimo Rege Carolo annuente &c. pari conſenſu &c. eligimus &c.* (*e*). Hincmarus Remenſis dicto Carolo *favente*, dicitur à Flodoardo, promotus: *A Clero, & Plebe ipſius Metropolis, nec non ab Epiſcopis ejuſdem Provinciæ &c. favente quoque Carolo Rege, Hincmarus electus eſt* (*f*). Adalbero paritèr Remenſis, *de benignitate Regiâ* provectus eſt, qui aliquandò id ſibi laudi dabat, de ſibi *Epiſcopio gratiâ Dei, & benignitate Regiâ contradito* (*g*). S. Projectus Arvernenſis tempore Clotarii II. infulas eſt conſecutus *favore populi concordante, decreto etiam Regis, petitionibus populi annuente* (*h*). S. Ansbertus, Rotomagenſis regnante Theodorico, thronum Epiſcopalem conſcendit *eligentibus civibus cum unanimi voto Sanctorum Sacerdotum, Regis, & Principum* (*i*). S. Audoenus illius Anteceſſor Regiâ, & aliorum *teſtificatione*, quod dignus eſſet, electus eſt: *illum ſolùm eâ Sede dignum, tàm Rex, quàm Proceres, itemque Clerus, & Populus unâ voce teſtabantur* (*l*). In provectione S. Medardi *populus acclamabat: in hoc Rex ipſe, Proceres que Palatii, præcipuèque Comprovinciales Epiſcopi conſentiebant* (*m*). Ommatius in Turonenſem Antiſtitem *juſſu Clodomiri Regis ordinatus eſt* (*n*). Gallus Arvernenſis in S. Quintiani *Cathedram, Rege opitulante ſubſtitutus eſt* (*o*). Euphronius Turonenſis, à Rege *datâ præceptione, ordinatus eſt* Epiſcopus (*p*). Deſignationi Theodulphi in Epiſcopum Cenomanenſem Clotarius *Rex præbuit voluntatem* (*q*). Felici Nannetenſi *Nonnichius conſubrinus, Rege ordinante ſucceſſit* (*r*). Innocentius Ruthenenſis *eligitur ad Epiſcopatum, opitulante Brunechilde Reginâ* (*s*). Sulpitius Severus ad Bituricenſis Eccleſiæ *Sacerdotiam Guntramno Rege favente præeligitur* (*t*). Ità Principes temporales in Occidente, & Oriente, in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Angliâ, Scotiâ, &c. diverſimodè ſe gerebant, & modò *adſtipulando*, modò *connivendo*, modò *annuendo*, modò *ſuffragando*, modò *teſtificando*, modò *ordinando*, modò *licentiam* dando, modò *voluntatem*, modò *conſilium*, modò *nutum*, modò *bonam gratiam*, modò *benignitatem Regiam*, modò *votum*, modò *decretum*, modò *teſtificationem*, modò *conſenſum*, modò *juſſionem*, modò *opitulationem*, modò *favorem* interponendo, ſe largitioni beneficiorum immiſcebant, tàm variâ vocum ſignificatione, ut ſit difficile definire, quid verè agerent. Nèc à vero fortè aberrabit, qui cenſeat, Principes ipſos (illos nempe, qui non per abuſum laicæ poteſtatis, ſed qui rationabilitèr partem in hiſce habebant), non niſi præfatis provectionibus annuiſſe: Eccleſiâ approbante, quod in electionibus Sacerdotum ad officia, & beneficia Eccleſiaſtica, etiam Regum ſatisfactio, complacentia, & bona gratia intercederet.

17. Certè Ivonis Carnotenſis tempore, nedùm juſſioni Regię locum non fuiſſe videtur, ſed nec etiam Regalibus precibus, quippè *quæ idem valent ſecundum vulgare proverbium quod minæ* (*u*). Et quià ſæcularium Principum poteſtas, à complacentiâ ad aſſenſum, & ab aſſenſu ad arbitrium, & præceptum, prò eorum libito electionibus ingerendum, non ſinè ingenti Eccleſię gravamine dif-

(a) *Eadmer. hiſt. nov. lib. 5.*
(b) *Robert. de Monte ann. 1175.*
(c) *Æneas Sylvius epiſt. 356.*
(d) *S. Greg. Turonen. hiſt. vitæ Patr. c. 6.*
(e) *Formul. 9. apud Sirmond. in to. 2. Conc. Gall. f. 649.*
(f) *Flodoard. l. 3. c. 5.*
(g) *Thomaſſ. p. 2. lib. 5 cap. 23. n. 11.*
(h) *Duchesne tom. 1. f. 672.*
(i) *Idem eod. loco fol. 682.*
(l) *Vit. S. Audoeni ap. Surium tom. 4. die 24. Auguſt.*
(m) *Vit. S Medardi ap. Surium die 8. Junii*
(n) *S. Gregor. Turon. hiſt. Franc. l. 3. c. 17.*
(o) *Idem l. 4. cap. 5.*
(p) *Ipſe S. Greg. Turon. hiſt. Frãc. l. 4. c. 15.*
(q) *Idem lib. 6. cap. 9. loc. cit.*
(r) *Idem lib. 6. c. 15. ubi ſupr.*
(s) *S. Greg. Turon. hiſt. Franc. l. 6. cap. 18.*
(t) *Idem l. 6. cap. 29.*
(u) *Ivo Carnot. epiſt. 67. 68. 126.*

fluebat, & quidam Principes interdùm aſſenſum petitum nundinabantur majorem pecuniam offerentibus, adeout de Juſtino II. Imperatore tradat Evagrius, quod *ipſa Sacerdotia plebeis hominibus venalia palàm exponeret* (a). Ac S. Gregorius Turonenſis affirmet, quòd jàm *tùnc germen iniquum illud cœperat pullulare, ut Sacerdotium, aùt venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis* (b). Concilium Conſtantinopolitanum IV. Generale VIII. huic Eccleſiæ oppreſſioni, tale cenſuit adhibendum eſſe remedium; *Sancta, & univerſalis Synodus definivit, neminem laicorum Principum, vel Potentum ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi &c. cum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtativorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat: ſed potiùs ſilere, ac attendere ſibi uſquequò regularitèr à Collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis. Quiſquis autèm ſecularium Principum, & Potentum, vel alterius dignitatis laicæ adversùs communem, ac conſentaneam, atque Canonicam electionem Eccleſiaſtici Ordinis agere tentaverit, anathema ſit* (c). Hoc clypeo tuebatur Ivo præfatus electionem Galonis in Epiſcopum Bellovacenſem, inſcio Rege factam (d): & ideò Archiepiſcopo Remenſi ſcribebat: *non licet Regi, ſicut ſanxit octava* Synodus, quam Romana Eccleſia commendat, & veneratur, electionibus Epiſcoporum sè immiſcere, vel aliquâ eas ratione impedire (e).

18. Paulò antè iſtud Concilium, Nicolaus Papa I. cum Lothario Rege Franciæ conqueſtus eſt; *relatum eſt nobis, quod quicumque ad Epiſcopatum in Regno tuo provehendus eſt, non niſi faventem tibi permittas eligi* (f). Aliquantò poſt Paſchalis Papa II. S. Anſelmo Cantuarienſi ſcripſit: *alienum eſt ab Eccleſiâ, & à Sacris Canonibus inhibitum, nè Princeps, & Sæculares viri inveſtituras non ſolùm dare, ſed nec electioni Epiſcoporum valeant sè violentèr inſerere* (g). Ex quibus patet, quod illâ ætate jàm Eccleſia jugum excuſſerat Aſſenſus Regii præſtolandi, ſi quod alicubi, per vim, ſive alitèr de facto fuerat introductum, & non ab eâ ex privilegio conceſſum: jamque nullum jus inerat Principibus Aſſenſum Regium electionibus Antiſtitum adhibendi, ſolaque illis facultas permittebatur ipſis electionibus intereſſendi, eo modo, quo alii fideles laici; *in quantum ſunt caput populi*, inquit Ivo præfatus, & ut poſſent *tantùm, aut votis petentium annuere, aut villas eccleſiaſticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentiâ Regum obtinent Eccleſiæ, ipſis electis concedere* (h). Ubi enim Reges, jure Deportus, ſivè Regaliæ, cuſtodiam, vel fructus bonorum beneficialium ſibi aſſerebant, rite electo beneficiario bona eadem relaxabant, abſque eo quòd indè quidquam Aſſenſus Regii electionibus adhiberent; nàm, ut ait Goffridus Vindocienſis, *alia eſt inveſtitura, quæ Epiſcopum perficit, alia verò, quæ Epiſcopum paſcit: illa ex Divino jure habetur, iſta ex jure humano* (i). Cæterùm eouſque progreſſa eſt Eccleſia ad redimendam de poteſtate Principum libertatem deligendi beneficiarios, præſertìm Epiſcopalibus beneficiis munerandos, ut in Concilio Bituricenſi cautum fuerit, nè Principes poſſent, nec etiam preces tales electionibus interponere, proptèr quas electio meticuloſa fieret, vel alitèr minùs libera (l). Sciebat enim Patres illius Synodi, officia Principum in sè præcepti ſpecimen continere, ut inquit Landericus Epiſcopus Pariſienſis in privilegio favore cœnobii S. Dionyſii à ſe dato (m). Et cum electio beneficiarii ſit de illis actibus, qui majorem libertatem, ac perfectè liberum conſenſum exquirunt (n), *ceſſas* enim *electio, dum libertas amittitur eligendi* (o); Ideò preces Principum non admittendas eſſe ſanxerunt, ne illorum officia, qui imperare poſſunt, pro juſſionibus, & ſuffragiis præpotentiſſimis in electionibus eſſent (p).

19. Sed quia, dum fiebant electiones, ut innuimus, ſæpè factiones in Clero, & Populo ſuſcitabantur, quæ diſſidia magna, & ſcandala producebant, undè in vitâ S. Leodegarii legitur: *nupèr intèr duos contentio de eodem Epiſcopo exorta fuerat, & uſque ad ſanguinis effuſionem certatum; Cumque unus ibidem occubuiſſet*

iis

(a) *Evagr. hiſt. l. 5. c. 1*

(b) *S. Greg Turonenſ. Vit. Patrum c. 6.*

(c) *Conc. Conſtantinopol. IV. c. 22.*

(d) *Ivo Carnot. ep. 49*

(e) *Idem epiſtol. 47.*

(f) *Cap. porrò 4 diſtinct. 63.*

(g) *Paſchal. II. ep. 3.*

(h) *Ivo Carnot. ep. 65*

(i) *Goffrid. Vindoc. opuſc. 4.*

(l) *Conc. Bituric. an. 1438 ap. Bail. tom. 2. fol. 638.*

(m) *Privil Lander. Pariſ. ap. Sirmon. to. 1. Conc Gall. f 496.*

(n) *Barboſ. vot. decis. 33. n. 22.*

(o) *Cap ubi periculū § cæterùm de elect. in 6*

(p) *Sfondrat. Gall. Vindic. diſſert. 1. § 5. n. 3. an. med.*

in morte, & alter prò perpetrato ſcelere datus fuiſſet in exilii truſione &c. (*a*); quià, inquam, hæc, & ſimilia in electionibus ſuccedebant; proficuum quidem cenſitum eſt indè Regiæ conſenſionis, vel præceptionis abuſionem expungere, ſed & laudabile eſt reputatum ſtatuere, ut ipſis electionibus, vel Principes, vel Legati, ſivè Miſſi Principum intereſſent, qui nec poteſtatem, nec arbitrium ſibi electionis vendicarent, ſed ſolâ auctoritate, diſſidia, ſi quę orirentur, comprimerent. Hoc intuitu Faventinis, Epiſcopi ſolatio deſtitutis, ſcripſit D. Petrus Damiani, nè feſtinanti nimiùm prurigine ad electionem Antiſtitis devenirent, ſed Regis præſtolarentur adventum, qui jurgia quęque, fortaſſis oritura, diſpergeret: *non eligatis Epiſcopum uſque ad Regis adventum, qui ſcilicèt & errorem tollat, & vos, & Eccleſiam veſtram, ſedatis undique jurgiis, in pacis tranquillitate diſponat* (*b*). Et dudùm antè Joannes Papa VIII. Hincmaro Remenſi reſcripſit, ut eum ad Epiſcopatum Laudunenſem promoveri ſatageret, *in quem omnium vota conſentirent*: addens: *Cui electioni volumus etiam Miſſum piiſſimi Imperatoris intereſſe, ut ſinè ſæcularium ſtrepitu omni latere talis eligatur, qui aptus ſacris Canonibus, modis omnibus approbetur* (*c*). Quæ quidèm Regalis aſſiſtentia nihil Canonicæ electionis libertati detrahebat, ſed illam potiùs tuebatur, jurgia, & tumultus, libertati electionis noxios, compeſcendo. Eo modo, quo etiam intereſſentia Viſitatorum per Summos Pontifices deputatorum, nihil de libertate electionis Canonicæ minuebat: adeò ut D. Gregorius, qui creberrimè Viſitatores ipſos mittebat (*d*), proteſtatus ſit, ſe prò nullius unquàm perſonâ voluiſſe electionibus immiſcere (*e*).

20. Principis, inquam, vel ejus Miſſi, aut Legati aſſiſtentia in electionibus locum habebat: nèc quoàd inferiores tantùm Eccleſias, ſed etiam quoàd ſupremam omnium, Romanam, ut violentias, diſſenſiones, & ſcandala cohiberent. Et ità Stephanus Papa decrevit: *Quià Sancta Romana Eccleſia, cui auctore Deo pręſidemus, à pluribus patitur violentias, Pontifice obeunte, quæ ob hoc inferuntur, quià abſque Imperiali notitiâ, Pontificis fit conſecratio; nec Canonico ritu, & conſuetudine ab Imperatore directi interſunt Nuntij, qui ſcandala fieri vetent; volumus ut cum inſtituendus eſt Pontifex, convenientibus Epiſcopis, & univerſo Clero, eligatur præſente Senatu, & Populo, qui ordinandus eſt; & ſic ab omnibus electus, præſentibus Legatis Imperialibus, conſecretur: nulluſque ſinè periculo ſui, juramenta, vel promiſſiones aliquas novâ adinventione audeat extorquere, niſi quæ antiqua exigit conſuetudo, nè vel Eccleſia ſcandalizetur, & Imperialis honorificentia minuatur* (*f*). Hoc Stephani decretum ſuę Canonum Collectioni Gratianus interſeruit; tùm ſubjunxit; Verùm quià *Imperatores quandòque modum ſuum ignorantes, non in numero conſentientium, ſed primi diſtribuentium, imò exterminantium eſſe voluerunt. Frequentèr etiàm in Hæreticorum perfidiam prolapſi Catholicæ matris Eccleſiæ unitatem impugnare conati ſunt: ideò Sanctorum Patrum ſtatuta adverſus eos prodierunt, ut ſemet electioni non insererent, & quiſquis eorum ſuffragio Eccleſiam obtineret, anathematis vinculo innodarętur &c. Ac per hoc magna auctoritas iſta eſt habenda in Eccleſiâ, ut ſi nonnulli ex majoribus, & prædeceſſoribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerant eſſe ſine culpâ, & poſteà vertuntur in errorem, & ſuperſtitionem, ſine tarditate aliquâ, & cum magnâ auctoritate à poſteris deſtruatur. Poſtremò præſentibus Legatis Imperatorum, & inconſultis, electiones Romanorum Pontificum leguntur celebratæ, & tandèm iidem Imperatores, religioſo mentis affectu præfatis privilegiis renunciarunt* (*g*).

21. Temporanea ergò, & variè interpolata fuit hujuſmodi Legatorum Imperialium præſentia electioni Summi Pontificis, ideòque tandèm expuncta, quia à ſuo inſtituto degeneri abuſione deſcivit. *Poterat tùnc rationabilitèr concedi, quod nùnc laudabilitèr debet auferri* (*h*). Ipſique Religioſiores Imperatores, ſi quidquam juris in his habebant, id ſpontè propriâ dimiſerunt, præſertim S. Henricus I.

&

(a) Duchesne tom. 1. f. 597. & 601.

(b) S. Petr. Damian. l. 5 ep. 10.

(c) Colvener. Scholia in Flodoard. l. 3. c. 22.

(d) S Greg l. 2. ep. 19 25. 26. 27. 89. 90 l. 3 ep. 39 l. 4. ep 23 l. 6. ep. 16. l. 7. epiſt 51.

(e) S. Greg. l. 2. ep. 19

(f) Cap. quià ſancta 28. diſt. 63.

(g) §. Verum poſt c. quià Sancta 28. diſt. 63

(h) Greg. Pap. VI ap. Willelm. Malmesburg. fol. 84.

& Otho Magnus hâc pollicitatione ſolemni, de quâ Gratianus, *Conſtitutio primi Henrici, & primi Othonis cum Romanis Pontificibus. Ut nullus Miſſorum noſtrorum cujuſcumque impeditionis argumentum, in electione Romani Pontificis componere audeat* (*a*). Quod & dudùm anteà ſanciverat Ludovicus Pius Imperator, decernens, *liceat Romanis eum omni veneratione, & ſinè qualibet perturbatione honorificam ſuo* Pontifici exhibere ſepulturam, & *eum, quem Divinâ inſpiratione, & B. Petri interceſſione, omnes Romani, uno conſilio, atque concordiâ ſine quâlibet permiſſione ad Pontificatus Ordinem elegerint, ſine aliquâ ambiguitate, vel contradictione, more canonico conſecrare, & dùm conſecratus fuerit, Legati ad nos, vel ad noſtros Succeſſores Reges Francorum dirigantur, qui intèr nos, & illum amicitiam, & charitatem, ac pacem ſocient* (*b*). Ex quibus poſtremis verbis eniteſcit, quod tùnc nullus Aſſenſus Regius electionem Romani Pontificis aſſociabat, etſi mittebantur Nuntii Pontificii, qui de novâ Papæ provectione Cæſarem commonefacerent, non id factum eſt ad aſſenſum Cæſareum impetrandum, ſed ad mutuam charitatem, & amicitiam intèr Pontificem, & Imperatorem verbis pacificis conſociandam.

(a) Cap. Conſtitutio 32. diſt. 63.

(b) Cap. ego Ludovicus 30. diſt. 63.

22. Ipſi autèm Miſſi Imperiales, ſive Regales electionibus quoque inferiorum Prælatorum tùm antè, tùm poſt hæc tempora interfuerunt. Electioni S. Quintiani Arvernenſis adfuerunt Nuntii Theodorici Regis Francorum, de quibus S. Gregorius Turonenſis; *Theodoricus juſſit, Quintianum inibi conſtitui, & ſtatim directi Nuntii, convocatis Pontificibus, & Populo, eum in Cathedram Avernæ Eccleſiæ levaverunt* (*c*). Caroli Calvi Miſſos electionibus Antiſtitum adeſſe conſueviſſe, jam paulò antè tetigimus fragmine epiſtolæ Joannis Papæ VIII. ad Hincmarum (*d*). Legati Othonis II. Imperatoris electioni S. Volfangi Ratiſponenſis adfueruut; ſic enim Auctor illius vitæ commemorat: *Cum Legatis Imperatoris profecti ſunt Ratiſponam, ubi Clerus, & Populus, ut Imperator petebat, more eccleſiaſtico S. Volfangum unanimitèr elegerunt* (*e*). Electioni Guidonis dè Blandratâ in Archiepiſcopum Ravennatem adſtiterunt Legati, tùm Cæſarei, tùm Pontificii; de hac rè nàmque Fridericus I. Imperator Hadriano Papæ IV. ſcripſit: *In electione illius concorditèr, & voluntariè univerſa Ravennas convenit Eccleſia, præſentibus Legato noſtro, & veſtro* (*f*). Qui Miſſi, ſeù Legati, uti mox dicebamus, nonniſi meram aſſiſtentiam electioni Antiſtitis adhibebant, ad protelanda diſſidia, nè fortaſſis emergerent; vel ſi fortè emergerent, ad ea protinùs compeſcenda, abſque eo quod aſſenſum, vel approbationem, vel aliud auctoritatis munimen, electioni ipſi præberent.

(c) S. Greg. Turon. Vit. Patrum c. 3.

(d) Jo. Pap. VIII. ap. Colvenerium in Scholiis ad Flodoard. l. 3. c. 22.

(e) Vit. S. Volfang. ap. Surium to. 5. die 31 Octob. c. 11.

(f) Card. Baron. an. 1159. n. 2. Rubeus hiſt. Raven. an. 1158.

23. Itàque ab initio, & ex naturâ rei, nullus fuit aſſenſus Principum terrenorum in Antiſtitum provectionibus interpoſitus. Et ſi qui ſucceſſu temporum inceperunt illum præbere; vel id ex præpotentiâ fecerunt, libertatem Eccleſiæ ſibi tyrannicè captivantes, quià non erat, qui poſſet eis reſiſtere, nec vires inerant Eccleſiæ, quibus tàm grave jugum poſſet excutere, & hoc nihil detrahit Eccleſiæ ipſius libertati, ob rationem, quam hìc ſuprà tetigimus (*g*). Vel id aggreſſi ſunt exercere, auctoritate Eccleſiæ, illorum præſidium interpellantis ad factiones, & diſſidia compeſcenda (*h*), atque ad Schiſmata, ac Shiſmaticos cohibendos: Quâ de rè Gratianus: *Principibus, atquè Imperatoribus electiones Romanorum Pontificum, atque aliorum Epiſcoporum referendas uſus, & conſtitutio tradidit prò Schiſmaticorum, atque Hæreticorum diſſenſionibus, quibus nonnunquàm Eccleſia Dei concuſſa periclitabatur &c. repreſentabatur ergò electio Pontificum Catholicorum Principibus, ut eorum auctoritate roborata, nullus Hæreticorum, vel Schiſmaticorum auderet contraire: & ut ipſi Principes tamquàm devotiſſimi filii in eum conſentirent, quem ſibi in Patrem eligi viderent, & ut ei in omnibus ſuffragatores exiſterent* (*i*). Hìnc paritèr vides, quod Eccleſia adſciſcens in electionum præſidium auctoritatem Principum, non eò proſpexit, ut ipſi Principes Juriſdictionalem aliquem præberent aſſenſum, Clerico ad beneficium Epiſcopale delecto, ſed ut Chriſtianâ humilitate ejuſdem electioni adhærerent, & in eâ ſibi humilitèr compla-

(g) Vide ſuprà in hoc cap. n. 14.

(h) Thomaſſ. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 2. c. 15. n. 2. & in, & c. 20 n. 6 & c. 22. n. 9. & 10.

(i) Cap. Vota §. Principes diſt. 63.

ꝑlacerent, electionis libertatem, & rectitudinem adverſus viros factioſos, Shiſmaticos, & Hæreticos protegentes.

24. Veruntamèn quià negari non poteſt, uberrimè Principum intereſſe, ne beneficiarii, præſertim Epiſcopales, eis ſuſpecti in eorum ditione Sacerdotium accipiant (*a*); Ideò factum eſt, ut vel ex privilegio Apoſtolico, vel ex conſuetudine immemorabili, cum famâ privilegii, ejuſque vim habente, aliquibus Principibus datum ſit poſſe Antiſtitum electionibus aſſenſum præſtare. Conſuetudini referebatur aſſenſus, quem electi in Romanos Pontifices à Conſtantinopolitanis Imperatoribus depoſcebant, à Juſtiniano I. Cæſare, utiprobabilitèr creditur, introductus (*b*): Et ità quandò Conſtantinus Pogonatus remiſit, in gratiam Agathonis Papę, ſummam pecuniæ, quæ ſolita erat Cæſari pendi, ad obtinendum ipſum aſſenſum, cavit ut in futurum Pontifex *non debeat ordinari, niſi priùs detretum generale introducatur in Regiam Urbem, ſecundùm antiquam conſuetudinem, ut cum ejus ſcientiâ, & juſſione debeat ordinatio provenire* (*c*). Conſuetudini retulit Stephanus Papa aſſiſtentiam Miſſorum Imperialium electioni Romani Antiſtitis, inquiens: *Romana Eccleſia &c. patitur violentias &c. quià abſque Imperiali notitiâ Pontificis fit conſecratio, nec canonico ritu, & conſuetudine ab Imperatore directi interſunt Nuntii, qui ſcandala fieri vetent* (*d*). Ad conſuetudinem paritèr pertinebat, quod ſine literis Imperialibus non poſſent Præſules aliarum quoque Urbium ordinari, & has ſibi mitti Pontifex poſtulavit antequàm electum Reatinum Præſulem conſecraret, *Imperiali, ut priſca conſuetudo dictat, perceptâ licentiâ, & nobis Imperatoriâ directâ epiſtolâ, tùnc voluntati veſtræ parebimus* (*e*). A conſuetudine habuiſſe quoſdam Galliæ Reges Dynaſtiæ Carolinę, ut ipſi Epiſcopos deſignarent, ſignificat Joannes Papa X. cum Hermannum Colonienſem Archiepiſcopum objurgat, quod Hilduinum Tungrenſibus, inſcio Rege Carolo Simplice, conſecraſſet, *cum priſca conſuetudo vigeat, qualitèr nullus alicui Clerico Epiſcopatum conſerre debeat, niſi Rex, cui divinitùs ſceptra collata ſunt* (*f*).

25. Nihilominùs hujuſmodi conſuetudinem, quantùm eſt in sè, niſi privilegio Apoſtolico nixa ſit, vel non, vel vix potuiſſe juſtificare jus interponendi provectionibus Antiſtitum Aſſenſum Regium, eliquari poteſt ex verbis, quibus ipſam conſuetudinem deteſtatus eſt Petrus Rex Aragoniæ, vocans illam, *peſſimam conſuetudinem*. Ait enim in quodam Programmate, favore Eccleſiæ, tempore Innocentii Papę III. qui illud auctoritate Apoſtolicâ confirmavit (*g*), ait inquam: *Sanctæ Eccleſiæ integram libertatem conſervare volentes, peſſimam conſuetudinem à nobis hactenùs obſervatam, quâ electionem Prælatorum ſine noſtro aſſenſu, & conſilio procedere non permittebamus, amore Dei, & Eccleſiæ relaxamus &c. liberam eligendi facultatem, Aſſenſu Regio minimè requiſito in perpetuum indulgemus &c. Hoc ſolùm reſervantes, ut liberè electus in ſignum Regiæ fidelitatis nobis debeat præſentari* (*h*). Quę preſentatio nonniſi actum humanitatis, & reverentis officii continet, ſeù honoris Regi exhibiti: quemadmodùm & Epiſcopus poſt acceptam Conſecrationem, debet venerationis, & honoris titulo ſe Metropolitano ſuæ Provinciæ præſentare (*i*). Nèc dicatur, quod præfatę Petri Sanctioni Comitia Regni Aragoniæ reſtitere. Nàm pręterquamquòd, ut ait Tacitus: *Principibus ſummum rerum judicium Dii dederunt, ſubditis obſequii gloria relicta eſt* (*l*); reclamatio Aragonenſium, non adverſus relaxationem Aſſenſus Regii, quæ ex radice infectâ uſurpationis proceſſerat, ſed adverſus ceſſionem Juris patronatus directa eſt, quod Reges Aragoniæ ex indulto Pontificio, & Eccleſiæ, legitimè obtento, ſupèr quibuſdam beneficiis, eis fuerat reſervatum: ità enim rem recenſet Lucius Marinæus; *Renuntiavit Romæ Rex etiàm jura patronatus omnium Eccleſiarum ſui principatus &c. Verùm Nobiles Aragonum, Barcinonæque Principatus, omnes de renuntiatione juris patronatus, quod eis, & omnibus populis principatus nocitura videbatur, uno ore reclamarunt, ſeque voluntati, & renuntiationi Regis de jure patronatus non aſſentiri publicis inſtructionibus teſtati fuere* (*m*). Et utcumque res ſè

(a) *Anaſtaſ. Germonius de Sacror. Imm. l. 3 c. 11. n. 21. & c. 12. num. 43.*

(b) *Anaſtaſ. Germonius loc. cit. lib. 3. c. 12. num. 49.*

(c) *Cap. Agatho 21. diſt. 63.*

(d) *Cap. quia ſancta 28. diſt. 63.*

(e) *Capit. lectis 18. diſt. 63.*

(f) *Jo. Pap. X epiſt. 1 ad Herimann. apud Sirmond in Conc. Gall. to. 3 fol. 175.*

(g) *Innoc. III. Regeſt. 10 epiſt. 144.*

(h) *Thomaſſ. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 2. c. 35. n. 5.*

(i) *Conc. Taracon. c. 9 Conc. Tolet. 12. c. 6.*

(l) *Cornel. Tacit. Annal. l. 4.*

(m) *Marinæus hiſt. Hiſp. lib. 10. Zurit. Annal. Arag. l. 2. c. 51.*

Digitized by Google

ſè habeat, iſta cõnſuetudo, proùt conſuetudo, indulto Pontificio, vel tacito, vel expreſſo denudata, nonniſi ex tolerantiâ Eccleſiæ potuit conſiſtere, amore pacis, atque ad pejora mala vitanda. Et ità de illâ ſic determinat Florus: *Quod verò in quibuſdam Regnis poſteà conſuetudo obtinuit, ut conſultu Principis fieret ordinatio Epiſcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, proptèr pacem, & concordiam mundanæ poteſtatis, non tamèn ad complendam veritatem, vel auctoritatem Sacræ Ordinationis* (a).

(a) *Florus Opuſc. poſt oper. Agobardi.*

26. Ad privilegium autem expreſſum præbendi Aſſenſus Regii, referri poſſet illud, quod dicitur ab Hadriano Papâ fuiſſe Carolo Magno collatum (*b*), & aliud, quo ſupponitur à Leone Papâ VIII. fuiſſe munitum Othonem I. Imperatores (*c*), ut nullus, abſque eorum aſſenſu, poſſet Romanum Pontificem, aliòſque Antiſtites ordinare. Sed quià uterque Canon eſt commentitius (*d*), à Sigeberto confictus, in Romanos Pontifices parum æquo; nihil momenti in iis fieri debet: hos Canones, inquit Bellarminus, *confictos fuiſſe à Sigeberto Schiſmatico hiſtorico, probat multis argumentis Cardinalis Baronius tom. 9. Annalium ad annum 3. Hadriani Pontificis* (*e*). Sed quatenùs etiam hujuſmodi privilegia ſubſiſterent, attendatur Gratianus, qui utrumque Canonem ſuæ rhapſodiæ interſeruit, ſic dè illis poſtmodùm verba faciens: *Ex conſtitutionibus his, & pacto Ludovici Imperatoris deprehenditur, Imperatores illis renunciaſſe privilegiis, quæ de electione Summi Pontificis Hadrianus Papa Carolo Imperatori; & ad imitationem ejus Leo Papa Othoni primo Teutonicorum fecerat* (*f*). Meliùs adhùc hujuſmodi de rè Gregorius Papa VI. apud Guillelmum Malmesburienſem effatus eſt: *Laudatus eſt prædeceſſor noſter Hadrianus I. quod inveſtituras Eccleſiarum Carolo Magno conceſſerit &c. Contrà laudatur in noſtri ſæculi Pontificibus, quod has donationes tulerunt Principibus. Poterat tùnc rationabilitèr concedi, quod nùnc laudabilitèr debet auferri. Cur ità? quod erat animus Caroli Magni adversùs avaritiam invictus: nec facilè inveniſſet aditum aliquis, niſi intraſſet per oſtium. Præterea per tot terrarum interſtitia, nequibat requiri Sedes Apoſtolica, ut unicuique electo accommodaret aſſenſum ſuum, dùm eſſet propè Rex, qui nihil per avaritiam diſponeret, ſed juxtà ſacra Canonum ſcita religioſas perſonas Eccleſiis introduceret. Nùnc omnia Palatia Regum luxus, & ambitus occupavit. Quarè meritò libertatem ſuam Sponſa Chriſti aſſeverat, nè illam Tyrannus ambitioſo uſurpatori proſtituat* (*g*).

(b) *Cap. Hadrianus* 22 *diſt.* 63.
(c) Cap. *In Synodo* 23. *diſt.* 63.
(d) *Azorius inſt. mor. par.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *qu.* 3. *Suar. defenſ. fidei lib.* 3. *cap.* 29. *n.* 7. *Barboſ. in cap.* Hadrianus 22. *& in cap. in Synodo* 23. *diſt.* 63.
(e) *Bellarm. de Scripi. Eccleſ. in Gratiano & de Pontif. l.* 2. *c.* 29. *ing. Gretſer.*
(f) *Cap. Sacrorum § Ex* 34. *diſt.* 63.
(g) *Gregor. Pap. VI. apud Guillel. Malmesburg. f.* 84.

27. Privilegium paritèr fuit illud, quo donatum fuiſſe Henricum III. Imperatorem à Nicolao Papâ II. teſtatur S. Petrus Damiani, dicens: *Henricus Imperator factus eſt Patricius Romanorum, à quibus etiàm accepit in electione ſemper ordinandi Pontificis Principatum. Hùc accedit, quod præſtantiùs eſt, quià Nicolaus Papa hoc Domino meo Regi privilegium, quod ex paterno jàm jure ſuſceperat, præbuit, & per ſynodalis inſuper decreti paginam roboravit* (*h*). Et alibi, *ut videlicèt ad ejus nutum Sancta Romana Eccleſia nùnc ordinetur, ac prætèr ejus auctoritatem, Apoſtolicæ Sedi nemo prorsùs eligat Sacerdotem* (*i*). Nicolaus etenim Papa præfatus in Concilio Romano ſtatuit eligendum Summum Pontificem à Cardinalibus, *ſalvo debito honore, & reverentiâ dilecti filii noſtri Henrici &c.* (*l*). Quod rè verâ qualecumque privilegium, vel uti perſonale, Henrici perſonam non tranſcendit, neque ad Succeſſores effluxit; vel uti exorbitans ab omni æquitate, non diù meruit obſervari, nè ſub ejus jugo Eccleſiæ libertas duceretur captiva. Et quidèm de illo hanc cenſuram protulit Victor Papa III. *Sedes Apoſtolica Domina eſt, non Ancilla, nec alicui ſubdita, ſed omnibus prælata: & ideò nullâ omninò ratione ſub jugum à quoquam mitti poteſt. Quod ſi à Nicolao Papâ factum eſt, ſcilicèt, ut arbitrium expectetur Imperatoris in electione Romani Pontificis, quod falsò prætendebatur, & juſtè profectò, & temerè præſumptum eſt; non tamèn cujuſque ſtultitiâ, vel temeritate amittit Eccleſia dignitatem ſuam* (*m*). Vide quomodo, & qualitèr impugnatur Aſſenſus Regius, Romani Pontificatus conſecutioni ſuperintroductus, undè dicas quid de eo ſentiendum ſit quoàd alia Eccleſiaſtica beneficia.

(h) *S. Petr. Damian. Opuſc.* 4.
(i) *S. Petr. Damian. Opuſc.* 6. *c.* 38.
(l) *Concil. Roman. ann.* 1059.
(m) *Victor. Pap. III.*

Nimi-

Nimirùm quod nec illum juſtificet indultum Pontificium, niſi talitèr expeditum, & applicatum, ut libertatem Eccleſiæ non infringat: ideſt ut proveſtio Beneficiarii ad Principem referatur, non priùs tamen, quàm perfecta ſit electio, itaùt aſſenſum ei præbeat, nec electionem valeat infirmare (*a*).

28. Tale eſt privilegium, quod Innocentius Papa III. Conſtantiæ Auguſtæ, illiuſque filio Friderico II. poſteà Imperatori contulit prò Regno utriuſque Siciliç: *Electiones autèm ſecundùm Deum per totum Regnum canonicè fiant. De talibus quidèm perſonis, de quibus vos, ac hæredes veſtri, requiſitum à nobis præbere debeatis aſſenſum* (*b*). Tale videretur eſſe, ſi ſubſiſtit privilegium, quo refert Germonius potiri Duces Sabaudiæ: *ut nemo ad Cathedrales, Abbatialeſque Eccleſias, quæ in ipſorum ampliſſimo dominio, tàm citrà, quàm ultrà montes exiſtunt, eligatur, qui eis ſubditus non ſit, vel cujus fides illis cognita, & perſpecta non exiſtat* (*c*). Néc prò diſſimili habendum eſt Privilegium, quo præditos eſſe Galliarum Reges, memorat idem Auctor, *ut nemo eligatur Epiſcopus, qui ſibi non præſtet fidelitatis juramentum* (*d*): Cum aliàs Clerici Principi laico fidelitatis jusjurandum non debeant exhibere (*e*). Hæc, & ſi quæ alia ſunt hujuſmodi generis privilegia, jus continent Aſſenſus Regii præſtandi, ſed talitèr, ut non niſi electioni jàm factæ accedat, & per illum promotio Beneficiarii impedimentum non accipiat, niſi quatenùs Princeps ſupplicando Sedi Apoſtolicæ intercedere poteſt, ne Electus præſit. Et ità hæc exponit idem Germonius Archiepiſcopus Tarantaſienſis: *Quamquàm eligendi Antiſtites Principibus laicis facultatem nequaquàm eſſe diximus, conſentimus tamèn dè electione ad eos, ut aſſentiantur referri poſſe* (*f*): *non priùs tamèn quam perfecta ſit electio* (*g*). *Intereſt enim Principis infenſum non habere Antiſtitem, qui pars civilis quietis eſt. Non tamèn electionem minùs valere dicimus, ſi diſſentiat Princeps, qui ſibi conſulere poterit, intercedendo ne Electus præſit*. Et paulò antè: *Electioni de idoneo viro factæ aſſenſus Principum laicorum non negatur, ità tamèn, ut electionem jàm factam non impediat* (*h*). Hùcuſque dę Aſſenſu Regio in abſtracto, & in communi.

29. Nùnc aliqua de ipſo *Aſſenſu Regio* topographicè proloquamur, relativè ad præcipuas Orbis Regiones, nihil tamen de Regno utriuſque Siciliæ referentes, utpotè dé quo ſuperiùs ex propoſito factus eſt ſermo (*i*). In *Regno Aragoniæ*, uti paulò antè meminimus, erat Jus Aſſenſus Regii præbendi, cui tamen tamquàm ex peſſimâ conſuetudine prodeunti, renuntiavit Petrus Rex tempore Innocentii Papæ III. (*l*). Alludit illi aſſenſui canon Concilii Barcinonenſis, ità ſe habens: *Nulli laicorum liceat ad Eccleſiaſticos Ordines, prætermiſſo Canonum præfixo tempore, aut per Sacra Regalia, aut per conſenſionem Cleri, vel Plebis, aut per conſenſionem, aſſenſionemque Pontificum ad Summum Sacerdotium aſpirare, ac provehi* (*m*): intelligendo per *Sacra Regalia*, Regium Aſſenſum, eo modo, quo per *Sacram Principis* hoc idem alibi deſignatur (*n*). In Regno Caſtellæ, quandò celebratum fuit Concilium Toletanum IV. ſub Siſenando Rege anno 671. nulla eſt ibi facta mentio Regalis Aſſenſus, ſed ſolum Cleri, Populi, Metropolitani, & Comprovincialium deſiderata eſt conſenſio (*o*). Et quamvis Concilium Toletanum XII. anno 681. Eurigio Regi indulſerit poteſtatem Epiſcopos deligendi, & minores etiam Beneficiarios nominandi (*p*); tamèn vel illud privilegium fuerit perſonale, vel illi Reges ſucceſſivè ceſſerint; Aſſenſus Regius poſterioribus ſæculis locum non habuit, donèc per Petrum Regem, cognomento Crudelem, qui regnare cœpit anno 1335. *Epiſcopos, Militares Magiſtros, Priorem Hoſpitalarium inſtituendi, aliave majora Sacerdotia donandi, niſi Regum accedente conſenſu, Pontificibus Romanis poteſtas ſublata eſt*, inquit Mariana, & proſequitur: *id ſtudio datum publicæ tranquillitatis, quamvìs contrà quam moribus erat ſuſceptum, & contrà omnia vetuſtatis exempla. Et miror Pontificem ad cujuſquam gratiam paſſum eſſe tantum de ſuâ auctoritate, in Hiſpaniâ diminui* (*q*). Fortè aliquis Pontifex languidus in D. Petri Cathedrâ tùnc ſedebat. Cœterùm nil mirum, talia eſſe acta

(a) *Anaſt. Germon. de Sacror. Immunit. lib. 3. c. 11. n. 20. & 21. & c. 12. n. 42.*

(b) *Raynald. an. 1198. num. 68.*

(c) *Germonius loc. cit. c. 11. n. 24.*

(d) *Idem Germonius loc. citat.*

(e) *Gloſ. in cap. porrò 4. V. favente diſt. 63*

(f) *Cap. 14 de Elect. cap. 25. de Jurejur. c. 9. cum aliis diſt. 63.*

(g) *Cap. 14. & 28. de elect.*

(h) *Germon. de Sacror. Immun. l. 3. c. 11. num. 21. & c. 12. n. 42.*

(i) *Vid. ſupr. to. 2. cap. 37. 38. 39.*

(l) *Vid. ſupr. in hoc cap. n. 25.*

(m) *Conc. Barcinon. ann. 599. c. 3.*

(n) *Cap. principali 15 diſt. 63.*

(o) *Conc. Toletan. IV. cap. 18.*

(p) *Conc. Toletan. XII. cap. 6.*

(q) *Marian. rer. Hiſpan. l. 17. c. 11.*

Digitized by Google

ſub Rege, cui Crudelitas agnomen diſtinctionis infudit.

30. In *Germaniâ* Imperialem Aſſenſum dediſſe reperimus Othonem II. Volfango Ratisbonenſi (*a*): Othonem III. Hereberto Colonienſi (*b*): Henricum I. Meinverco Paterbonenſi (*c*): Quo etiam imperante, Capitulum Magdeburgenſe ſuum Epiſcopum elegit ſub hâc cautione: *ſi Dominus conſentit, & vult Rex* (*d*): Alii Imperatores idipſum facere. Sed de quodam Epiſcopo narrat Arnoldus Lubecenſis, quod ſè à ſolo Papâ Epiſcopatum accepiſſe profeſſus eſt, independentèr à Friderici I. Cæſaris aſſenſu, dicebat enim: *nihil de Regalibus poſſideo, nec miniſteriales, nec Curtes Regias habeo, idcircò de manibus Domini Papæ Parochiam, cui præſum, teneo* (*e*). Unde ritè deducas Imperialem Aſſenſum non niſi provectionibus illis adhibitum, in quibus, Epiſcopo temporalis ſimùl ditio præbebatur. Et ſanè in provectione ſuâ Otho IV. ceſſit juri, Cæſarei Aſſenſus præbendi, ſeù alitèr electionibus ſe immiſcendi, tamquàm abuſui, electionis libertati contrario, declarans: *illum volentes abolere abuſum, quem quidam prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus, & ſancimus, ut electiones Prælatorum liberè, & canonicè fiant, quatenùs ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major, & ſanior pars ipſius duxerit eligendum, dummodò nihil ei obſtet de Canonicis inſtitutis* (*f*). In *Boemiâ* Regium Aſſenſum poſtulandum olim non fuiſſe, ſed potius merum conſilium, colligi poteſt ex iis, quæ de quodam ad Epiſcopatum Pragenſem deſtinato ſcripſit Æneas Sylvius in epiſtolâ ad Nicolaum Liſcum: *ille quidem vir bonus, & doctus, & quem dignum hoc honore putamus; nobis tamèn non eſt viſum ad talem Eccleſiam quemquam promoveri, niſi conſulto Rege* (*g*). In *Luſitaniâ* quoquè idem de jure Aſſenſus Regii ſentiendum eſſe, deducitur ex iis, quæ Ramos in ſupplici libello ad Alexandrum Papam VII. porrecto prò Epiſcopatibus Luſitaniæ denotavit (*h*).

31. In *Angliâ* paritèr modò ſola præſentia, & conniventia, modò Aſſenſus Regius fuit promotionibus Antiſtitum interpoſitus. Nàm S. Cudbertus, teſte Bedâ, *ſub præſentiâ Regis Egfridi, cui Theodorus Archiepiſcopus præſidebat, uno animo, omniumque conſenſu, ad Epiſcopatum Eccleſiæ Lindisfarnenſis electus eſt* (*i*). S. Dunſtanus Cantuarienſis, Regis Etgari precibus ſollicitatus eſt, ut Sedem acciperet: *Sed ipſe non ſemèl ſurdis auribus rogantem differens, tandèm concordi omnium Epiſcoporum aſſenſu preſſus, manus dedit* (*l*). S. Odo paritèr Cantuarienſis, humeros oneri Epiſcopali ſubmiſit, cum Regię voluntati, Epiſcoporum omnium conſenſus accederet, recogitans illud proverbium, vox populi, vox Dei (*m*). Innocentius III. Legato ſuo in Angliâ commendavit, ut ad Epiſcopalia, & Abbatialia beneficia viros Regi fideles ſatageret promoveri, *Regio Aſſenſu requiſito* (*n*). Sed quià aliquandò Reges prò Regio Aſſenſu præbendo quamdam pecuniæ ſummam exigebant, opus fuit remedio. Et quidèm S. Anſelmus ipſam pecuniam Guillelmo I. Regi ſolvere recuſavit, etiàm poſt jàm ſuſceptam ordinationem: *nihil intereſſe ducens antè promotionem, vel poſt talem ob cauſam numerare pecuniam &c. elegitque potiùs Regis indignationem, quàm diſpendium famæ, & periculum animę in pręſens incurrere, & inpoſterùm confuſionem, & ſcandalum in Dei Eccleſiâ ſeminare* (*o*). Nèc multò poſt etiam cum Henrico I. Rege, ob Aſſenſum Regium, quem perſpiciebat pecuniâ venundari, contendit, hæc ejus intonans ad auditum; *In Synodo nupèr apud Lateranum &c. Sanctorum Conciliorum reverenda majeſtas, ſæcularium Principum poteſtatem ab eccleſiaſticis electionibus decrevit arcendam* (*p*). Cum Henricus III. Angliæ Rex Aſſenſum electioni Dunelmenſis Epiſcopi denegaret; Capitulum illius Eccleſiæ Romani Pontificis pręſidium imploravit, ut ipſe auctoritate Apoſtolicâ ſuppleret aſſenſum, *& electionem factam auctoritate Apoſtolicâ confirmaret* (*q*). Antè hæc tempora quoque Innocentius Papa IV. cernens Joannem Regem Stephano, Cantuarienſi Sedi Præfecto, aſſenſum petitum denegare, eique toto conatu reſiſtere, ſententiam excommunicationis adversùs Regem ſolemnitèr pronuntiavit (*r*). Demùm ſub Eduardo III. Re-

(a) *Vit. S. Volfang. ap. Surium 1. Octobr. cap. 1.*
(b) *Vit. S. Herebert. ap. Surium tom. 2. die 19. Martii.*
(c) *Vit. S. Meinverc. cap 7. ap. Surium to. 3. die 5. Junii.*
(d) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 38. n. 16. Tegmone.*
(e) *Idem loc. citat. num. 7 & vigebat*
(f) *Odoric. Raynald. ann. 1209. n. 10.*
(g) *Æneas Sylvius epiſt. 159.*
(h) *Ramos prop. 2. num. 11. in fine.*
(i) *Beda l. 3. c. 23. 28*
(l) *Vuillelm. Malmesbur. de geſt. Pont. Angl l. 1. f 200.*
(m) *Idem loco citat.*
(n) *Innocent. III. l. 4. reg. 16. ep. 138.*
(o) *Matthæus Pariſius ann. 1094.*
(p) *S. Anſelm. Cantuar. l. 3. epiſt. 44. 74. 88.*
(q) *Math. Pariſius ann. 1226.*
(r) *Raynald. an. 1213. num. 73.*

ge

ge Parlamentum Angliæ, decretum prò Eccleſiarum libertate ſancivit, *& quod Rex de cęterò contrà electos non ſcriberet, ſed per literas ſuas ad eorum confirmationem juvaret (a)*.

32. In *Italiâ* tametſi aliquandò licentia, aliquandò conſilium Principis diſpenſationi beneficiorum Epiſcopalium fuerit præponendum, Regium tamèn Aſſenſum, ejuſve æquivalentiam, nullibi legimus memoratam, itaùt ſi Princeps electo non conſentiret; electio nulla foret. Olìm Æmilia à Duce proprio regebatur, tuncque non aſſenſus præfatus deſiderari videbatur, ſed coelectio, ità ulteriùs, ut etiam Sedis Apoſtolicæ auctoritas intercederet: Sic enim Nicolaus Papa I. Archiepiſcopo Ravennati mandavit: *Epiſcopos per Æmiliam non conſecres, niſi poſt electionem Ducis, Cleri, & Populi per epiſtolam Apoſtolicæ Sedis Præſulis, acceperis, eos conſecrandi poteſtatem (b)*. Ubi vides, quod Dux non dabat Aſſenſum poteſtativum, ſed eligebat uti caput populi, eo modo, quo populus ipſe in hiſce partem habebat. Electioni Guidonis de Blandratâ in Epiſcopum Ravennatem ſcripſit Fridericus I. Imperator Hadriano Papæ IV. *univerſa Ravennas convenit Eccleſia, prǫſentibus Legato veſtro, & noſtro (c)*: Quæ tamèn electio non habuit effectum *(d)*. In Subalpinis partibus cum tempore Joannis Papæ VIII. præficiendus eſſet Epiſcopus Eccleſiæ Aſtenſi, quæ tunc Caroli Calvi obtemperabat imperio, Pontifex ità ſcripſit Archiepiſcopo Mediolanenſi: *Accidit ut Aſtenſis Eccleſia, Paſtore proprio obeunte, permiſſu Caroli glorioſi Regis, idem Joſeph poſt electionem Cleri, & Populi expetitionem, in eâdem Eccleſiâ deberet ordinari Epiſcopus. Tua fraternitas tàm noſtrâ abſolutione, quàm etiam ipſius Regis exhortatu monitionibus hoc libentèr admiſit, & canonicè jura complere conata eſt (e)*. Ubi notetur, quod permiſſio illa non fuit Regius Aſſenſus, electo traditus, ſed libertas Eccleſiæ conceſſa, ut per viam electionis Canonicæ ſibi de Antiſtite provideret; quod attentè notandum eſt in perveſtigandis Sacrę Antiquitatis monumentis, ſæpè enim occurret aliquid, quod Aſſenſum Regium Electo præſtitum concernere cogitabitur, ſed ſi ritè perpendatur, invenietur eſſe aſſenſum non Electo prǫſtitum, ſed electioni, ut electio poſſet ab iis, ad quos ſpectabat, liberè celebrari *(f)*. Qui paritèr Pontifex ob deſperata diſſidia Vercellenſium, eis ex sè Antiſtitem delegavit, Carolomannum Regem interpellans, ut illum in dictæ Sedis poſſeſſionem immitteret: *Rogamus*, inquit, *Epiſcopatum huic Diacono communi fideli noſtro, ac veſtro tribuatis (g)*.

33. In *partibus Venetis* unicum nobis hùcuſque occurrit exemplum, Raterii Monachi Lobienſis in agro Leodienſi, qui præfati Joannis Papæ VIII. auſpiciis ad Epiſcopatum Veronenſem aſſumptus eſt. Rege Carolo, cui Verona ſuberat, prò alterius Clerici provectione, laborante, Pontificiſque voluntas Regiæ prævaluit *(h)*. Ex quo benè infertur ibi nullatenùs fuiſſe opus Aſſenſu Regio. Poſteriùs quoque temporibus, dum tempore Julii Papæ II. res Venetorum in grave diſcrimen poſitæ ſunt, Julius, inquit Onuphrius Panuinus Veronenſis, eos *ſublevandos cenſuit &c. Ictoque ſubindè fædere, quo illi maris imperium ejurabant, & ſacerdotia Pontificis arbitrio conferenda relinquebant, in amicitiam, fidemque recepit (i)*, ſi arbitrio Pontificis beneficia conferenda eſſe, in pactum deductum fuit, Aſſenſus Regius excluditur manifeſtè *(l)*. In *Piceno*, vacante Eccleſiâ Firmanâ, Gregorius Papa VII. hæc illius Eccleſiæ Clero perſcripſit: *Totius Epiſcopatus procurationem Archidiacono commiſimus, donèc cum noſtrâ ſollicitudine, tàm Regis conſilio, & diſpenſatione, idonea ad Epiſcopalem dignitatem perſona reperiatur (m)*. In *Sabinis* Leo Papa IV. petiit ab Imperatoribus Lothario, & Ludovico licentiam conſecrandi Colonum Diaconum in Epiſcopum Reatinum, & quatenùs Auguſti abnuerent, optavit, ut idem Tuſculanis poſſet infulis exornari *(n)*, Prò ordinando Epiſcopo Centumcellenſi Sacram Imperialem impetratam fuiſſe Pelagii Papæ tempore reperitur *(o)*. Sed viceverſâ in pluribus D. Gregorii Epiſtolis agitur de provectione Clericorum ad Epiſcopalia beneficia Italiæ, & de conſenſu Cleri, & Po-

(a) *Thomaſſ. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 2. c. 43. n. 11. & Per.*

(b) *Idem loc. cit. p. 2. l. 2. c. 24. n. 3 & In.*

(c) *Card. Baron. an. 1159. n. 2.*

(d) *Hieronym. Fabri Mem. Hiſt. di Raven p. 2 f. 491.*

(e) *Jo. VIII. ep. 260.*

(f) *Vid. S. Bernard. ep. 170. & 282.*

(g) *Joan. Pap. VIII. epiſt. 121.*

(h) *Spicileg. tom. 2. fol. 274.*

(i) *Onuphr. Panuin. in Vit. Julii Pap. II. poſt Platinam.*

(l) *Vid. infr. in numer mox ſequent.*

(m) *Gregor. VII. ep. 18 & 41. l. 2.*

(n) *Cap. Reatina 16. diſt. 63.*

(o) *Capit. principali 15. diſt. 63.*

puli in promovendum; nullibi autem recordamur fieri mentionem Aſſenſus Imperialis, vel Regii. Undè colligimus, quod per illa tempora talis Aſſenſus locum neutiquàm obtinebat, tùm præſidentibus Italiæ Imperatoribus Orientalibus, tùm Regibus Gothis, ac Longobardis, niſi fortè in aliquibus locis majoris zeli, & conſequentię, à quibus ſæcularis tùnc auctoritatis conſervatio dependeret: auctamque, vel diminutam fuiſſe libertatem Eccleſiæ prò æquitate, vel acerbitate regnantium. Vel etiàm Regiam intermixtionem electionibus Italiæ, tùnc remur fuiſſe introductam, cum victis Longobardis, Italiæ pars Gallis Principibus eſt ſubacta, quorum Reges aliquot, & Imperatores lineæ Carolinæ jus hoc interponendi aſſenſum provectionibus Antiſtitum ſuæ ditionis acceperunt ſibi, vel tenuerunt, uti ſuperiùs obſervavimus (*a*). Quâ lineâ extinctâ, jamque dudùm anteà Italiâ Imperatorum Orientalium dominationi ſubtractâ, & ceſſione accedente Imperatorum Occidentalium, prę̨ſertim eâ Othonis IV. de quâ mox mentio facta eſt (*b*), jus ipſum, aſſenſus, licentiæ, conſilii Regii, vel ſi quid aliud ſimile unquàm fuit, prorsùs evanuit, & Eccleſia Italica proprium recuperaverit libertatem, ac ſi quid contrarium poſteà evenit, non jure, ſed facto, attentatè, & ex præpotentiâ ſucceſſerit.

34. In *Inſubriâ* nullum aſſenſum præbendi, jus poſſederunt Principes inibì dominantes. Nàm ſi de Imperatoribus eloquamur, Valentinianus I. nedùm illum non interpoſuit in electione S. Ambroſii, à Mediolanenſibus factâ, ſed imò, & ab Epiſcopis, ad illum effectum congregatis, oratus, ut ipſe Epiſcopum deſignaret, abnuit id obire, faſſus hoc eſſe negotium ſuis viribus majus (*c*). Si de Regibus Longobardis ſit ſermo, hoc ſatis ſit ſcire, quod D. Gregorius Clericum ab Agilulfo Rege peroptatum, noluit beneficio Epiſcopatus Mediolanenſis potiri, confortans Mediolanenſes, ne territi deſiſterent à promotione: Deus dedit Diaconi, quem concorditèr elegerant perficienda (*d*), ſi ad Duces Mediolanenſes convertatur oratio, hæc ſummatìm ex Thomaſſino carpta proponimus: *Cum anno 1460. Pius II. Epiſcopatum Papienſem contuliſſet Amanuenſi ſuo Jacobo Lucenſi (is fuit ſapientiæ laude celebratiſſimus Cardinalis Papienſis &c.): Franciſcus Sfortia Mediolanenſis Dux vehementiſſimè reniſus eſt, nec minis abſtinuit. Fregit tamèn ejus contumaciam conſtantia Pontificis. Comentarios hujus Pontificis, qui Gobelino tribuuntur, ſi conſulas, perſpicies, ut dati ſint ab eo Epiſcopatus, Patavinus, Feltrenſis, Ferrarienſis, Anconitanus, Venetus. Obſervatum ibidem eſt à Senatu Veneto expetitum fuiſſe, quem ei Civitati Pontifex præfecit &c. Tradit verò Cardinalis Papienſis non minùs infracto fuiſſe animo eundem Pontificem in Mutinenſem Ducem, atque in Mediolanenſem fuerat, ut Epiſcopum Mutinenſem ſuâ excuti Sede nè pateretur. Agit & alibi de Abbatiis, quibus eum Papa donaverat. Unam popoſcit ab eo Dux Mediolanenſis, quæ in Civitate Papienſi ſita erat. Sed à Pio jam conceſſa fuerat eidem Cardinali* (*e*). Nedùmque tempore Pii II. verùm etiàm in Pontificatu Pauli II. habita eſt de his rebus contentio, prout vidimus ſuo loco (*f*).

35. Quod ſi Mediolanenſes recuſarunt Archiepiſcopum Vicecomitem admittere, à Clemente Pontifice deſignatum; id non ex defectu aſſenſus Principis fuit, aut Civium, ſed ob juſtam ſuſpicionem, ne excidium patriæ moliretur: *Contradiximus*, inquit eorum Orator apud Pontificem, *deſignatumque Epiſcopum recuſavimus, non ut majeſtati veſtræ derogaremus, ſed ne hic ſub nomine, & poteſtate Sacerdotii excidium patriæ moliretur* (*g*). Si paritèr inſtantiſſimè peroravit Iſidorus Roſatenſis, ne Archiepiſcopus Mediolanenſis Præpoſituram quandam Æneæ Sylvio largiretur, declamans: *Quid agitis patres? Electivam Præpoſituram Æneę homini extero committitis? &c. Beneficia in terrâ Mediolanenſi, abſque ſcitu, & voluntate Principis de vobis optimè meriti, confertis? Cives, & Doctores ſpernitis? alienos eligitis* (*h*)? Ad hęc Æneas reſpondit: *admiror patres optimi Iſidorum adverſus mè verba facere, qui nupèr ex Mediolano reverſus literas Philippi Ducis ad mè detulit, quibus ille Princeps &c. gratum ſibi eſſe affirmat, in ejus territo-*

(a) *Vid. ſuprà in hoc cap. n. 24.*

(b) *Vid. ſupr. in hoc cap. n. 30.*

(c) *Cap Valentinianus 3. diſt. 63.*

(d) *S. Greg. l. 2. ep. 65.*

(e) *Thomaſſ. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 2. c. 36. n. 9. 6 quin.*

(f) *Vid. ſupr. tom. 2. Sæcul. 15. c. 3. n. 26. & cap. 4. n. 10.*

(g) *Triſtan. Calchuſ. hiſt. Mediol. l. 16.*

(h) *Ap. Gobelin. Comment. Pii II. l. 2.*

ritorio quodcumque beneficium acceptare, cujus libenti animo poſſeſſionem ſit mihi daturus (*a*). Ità Æneas mendacii, ſive malitiæ redarguit Roſatenſem: qui aliàs, juxtà illorum temporum contingentias, & turbolentias, benè ſuaſiſſet, non expedire beneficium viro extraneo, Principe inſcio, dilargiri. Benè quoque Æneas patefecit, Ducem ſe ſuſpectum non habere, ſed non ideò probatur debitum aſſenſum Principis poſtulandi, cum potiùs ex eo, quod Archiepiſcopus, & Electores diſpoſiti erant Æneam eligere, inſcio Philippo Duce, pateat quod hujus aſſenſus non erat ex debito poſtulandus. Hæc adhùc ulteriùs comprobantur ex factis ipſius Æneæ, poſtquàm ad Pontificatum evectus eſt, ſub nomine Pii II. de quibus numero præcedenti. Undè nulli dubium eſſe poteſt, quin ſub illâ ætate in Inſubriâ ad beneficia Epiſcopalia, & Abbatialia, nullum oporteret aſſenſum Principis prçſtolari. An poſt ea tempora ſupervenerit privilegium depoſcens ibi Regium Aſſenſum; nobis eſt omninò incompertum.

36. In *Scotiâ* anceps judicium eſt, an rè verâ olim ad beneficia eccleſiaſtica conſequenda, Aſſenſus Regius aliquandò fuerit requiſitus. Et negativa potiùs, quàm affirmativa verior videtur eſſe ſententia. Nàm licèt Alexandri Regis tempore promotus fuerit ad Archiepiſcopatum Monachus quidam Cantuarienſis extraneus: *eligente eum Clero, & Populo terræ, & concedente Rege*, uti notat Eadmerus (*b*); tamèn id nonniſi illùc tendiſſe videtur, ut Rex ritè Electo adhçreret, ſive in eo complaceret; non verò ut poſſet conſenſum negare, & electionem irritam facere. Nàmque regnante Guillelmo, Canonici Sanctandreenſes elegerunt ſibi in Epiſcopum Joannem ſine Regis Aſſenſu, & ad Papam provocaverunt: quià Rex Hugonem in Antiſtitem nominaverat, undè lis acerba ſuborta eſt, quç Scotiam interdicto, Regem anathemate, & Romanam Aulam magnis contentionibus fatigavit (*c*). In *Hiberniâ* nullus videtur unquàm interpoſitus fuiſſe Regius Aſſenſus, de quo impræſentiarum eſt ſermo, tametſi Rex, Epiſcopi, Cleruſque, ac Populus à S. Anſelmo Cantuarienſi, tamquàm à ſuo Primate, poſtulaverint, ut Vaterfordienſi Eccleſiæ illum præficeret, quem ipſi delegiſſent (*d*): Nàm hoc nonniſi docet, Regem, uti populi caput, eum electioni adhibuiſſe conſenſum, quem ipſe populus inferebat. Et de facto cum paulò poſt Innocentius Papa III. præfiniret quid in Archiepiſcopi Caſſalenſis eſſet ordinatione ſervandum, dicit eum eligendum eſſe à ſuffraganeis Epiſcòpis, & Canonicis Caſſalenſibus, ſicut uſquè tùnc fuerat obſervatum, nullâ Regii Aſſenſus, vel opitulationis factâ mentione, quæ non fuiſſet omiſſa, ſi aſſenſus idem ad debitum pertinuiſſet.

37. In *Sveciâ*, Regem electionibus Antiſtitum Aſſenſum præbuiſſe reperimus, ſed non talem, qualis eſt iſte, de quo nùnc agimus. Etenim ſub Alexandro PP. III. electus fuit Epiſcopus Lincopienſis, quem Pontifex confirmavit, aitque id factum à Clero, & Populo *de aſſenſu Archiepiſcopi, Regis, atque Ducis terræ* (*e*): ubi vides aſſenſum ſignificare meram ſatisfactionem, non Regis propriam, ſed etiam Archiepiſcopo, & Duci ſubalterno communem. Et quià ſucceſſivè Reges ſe talitèr inceperunt Antiſtitum electionibus immiſcere, ut hæ fierent per *potentias Regis, & Baronum, & ad clamorem tumultuantis populi* (*f*); Innocentius Papa IV. hujuſmodi pravam methodum condemnavit, & ut electiones inpoſterùm à Canonicis Cathedralium fierent imperavit. In *Norvegiâ* nullum fuit jus Aſſenſus Regii electionibus Antiſtitum adhibendi: quià cum Rex prætenderet Coronam eſſe hæreditariam, Archiepiſcopus verò Nidroſienſis, eam electivam eſſe contenderet, & ad sè jus Regem eligendi ſpectare; tranſacta ſic res eſt, ut nec Archiepiſcopo ineſſet ampliùs jus electivum Regis, nec ulla Regis auctoritas, vel potentia ſe electionibus Præſulum immiſceret (*g*). In *Poloniâ* paritèr nullum jus videtur antiquitùs adfuiſſe Regii Aſſenſus electionibus Antiſtitum adhibendi: quippè Martinus Papa V. Ladislaum Regem redarguit, impedientem, ne electi à Pontifice Epiſcopi, ſuas Eccleſias obtinerent (*h*). Pium II. cum Cardinalatus honore fulgeret, legimus fuiſſe à Canonicis Vvarmienſibus in eorum Epiſcopum canonicè electum,

Rege

(a) *Gobelin. loco cit.*

(b) *Eadmerus hiſtor. novæ lib. 5.*

(c) *Robert. de Monte an. 1175.*

(d) *Thomaſſ. ubi ſupr. num. 10. & 51.*

(e) *Idem p. 2. lib. 2. c. 38. n. 13.*

(f) *Odoric. Raynald. an. 1250 n. 40.*

(g) *Raynald an. 1275 num. 20.*

(h) *Raynald an. 1419 num. 14.*

Rege renuente, qui Lucium quendam eligi peroptaverat, & ideò Pio, quantùm potuit, obſtitit (*a*). Qui pariter Pius, Pontifex factus, Epiſcopatum Cracovienſem pleno jure ex sè contulit, Capitulum verò, alium per viam electionis ſibi præfecit: cùmque Caſimirus Rex electo per Capitulum faveret, & nominato à Pontifice repugnaret; res tandèm pacto intèr partes inito eſt ad finem perducta (*b*). Sed patet, quod Regius Aſſenſus tùnc in illo Regno locum nullatenùs obtinebat. An obtineat nùnc vi alicujus novi diplomatis, res nobis ignota eſt.

38. In *Galliâ* Concilium V. Aurelianenſe Aſſenſum Regium approbavit, dùm ſynodalitèr definivit: *Nulli Epiſcopatum per præmia, aut comparatione liceat adipiſci, ſed voluntate Regis juxtà electionem Cleri, & Plebis &c.* (*c*). Et licèt aliquandò Antiſtites fuerint immediatè à Pipino Rege delecti, ex privilegio perſonali, ei per Zachariam Pontificem collato, ſic exigente calamitoſiſſimo illo tempore, ad factiones, & turbulentias compeſcendas, quâ de rè apud Lupum Ferrarienſem (*d*); tamèn ſucceſſivis temporibus libertas electionum in Galliâ viguit, & tùnc Regius Aſſenſus locum habuit: ob quem non petitum excommunicatione fuit in Synodo Remenſi mulctatus Theobaldus Ambianenſis (*e*). S. Goffridus in eâdem Sede ſucceſſor unanimitèr à Clero, & Populo electus fuit, *Rege quoquè aſſentiente* (*f*). Joannes Papa VIII. gravitèr objurgavit Archiepiſcopum Ebredunenſem, eo quod in Vencienſem Epiſcopum non conſecraſſet eum, *quem Clerus, & Populus Civitatis elegerant, piæque memoriæ Carolus Imperator ſuo conſenſu firmaverat* (*g*). Electio Arnulphi Remenſis fuit facta ab Epiſcopis ſuffraganeis, cum omni Clero, diverſi ordinis Populo acclamante, *Orthodoxis Regibus conſentientibus* (*h*). Gerbertus, Arnulphi Succeſſor, electus eſt *favore, & conniventiâ Hugonis Auguſti, & Regis Roberti, aſſenſu quoque eorum, qui Dei ſunt in Clero, & Populo* (*i*). Vide quomodo confunduntur dictiones *favoris, conniventiæ, aſſenſus, electionis*, ut ſit difficile definire uniuſcujuſque vocis veram ſignificationem, & alterius ab alterâ diſtinctionem. Aſſenſus Regii Francorum Regum mentionem facit D. Bernardus de electo Altiſiodorenſi, Ludovico Regi perſcribens; *neminem prorsùs arbitror affuiſſe illi celebritati, qui de aſſenſu veſtro dubitaret, cum jam idem aſſenſus veſtris literis teneretur* (*l*). Negari tamèn non poteſt, quin S. Doctor hujuſmodi aſſenſum, vel injuſtum cenſeat, vel injuſto modo interpoſitum, querulis enim vocibus de hoc dans literas ad Stephanum Præneſtinum Epiſcopum, ingemiſcit: *Conculcantur apud nos Sancta; Eccleſia turpitèr ancillatur. Nàm & electiones Epiſcoporum prohibentur fieri, & ſicubi id præſumptum à Clericis fuerit, electus Epiſcopari non ſinitur* (*m*). Veruntamèn in eâ parte Galliæ, quę ſtrictioris dicitur obſervantię, in comitatu Aquitanico, & Toloſano, nullus fuit adhibitus Aſſenſus Regius. Raymundus enim Toloſanus Comes in Concilio Montilienſi eſt profeſſus: *Electioni Epiſcopi, vel alterius Rectoris Eccleſiæ faciendæ &c. mè nullatenùs immiſcebo* (*n*). Arnulphus Lexovienſis ſine aſſenſu Comitis Andegavenſis electus eſt (*o*).

39. Porrò ubicùmque, ſive ex privilegio manifeſto, ſive ex antiquâ conſuetudine cum famâ privilegii Apoſtolici, præſtandus reperitur fuiſſe Regius Aſſenſus; Principis pars nunquàm fuit, ut ſe Antiſtitum, Abbatum, & Beneficiariorum electionibus immiſceret, nec beneficium aſſequeretur, niſi ille, quem ipſius Principis arbitrium deſignaret; ſed tantum, ut Beneficiariis jam ritè electis, niſi rationabilis cauſa ſuſpicionis obſtaret, conſenſionem propriam adhiberet (*p*). Electio enim liberè fiebat ab iis, ad quos ſpectabat eligere, & eâ ritè peractâ Princeps calculum ſuæ conſenſionis addebat. Idipſum, & nùnc dicendum erit de locis, in quibus vigeat jus hujuſmodi Aſſenſus Regii porrigendi. Denuntianda erit Principi promotio Clerici ad beneficium, non tamen priuſquàm electio perfecta ſit (*q*). Et tùnc, niſi manifeſta ſit ratio ſuſpicionis in Electo, ei debet Princeps ſuo aſſenſu favere, nec electionem infirmare; neque impedire debet Electum, nec electio minus valida eſt, ſi Princeps ipſe diſſentiat (*r*). Quod ſi qui Regum aſſentatores

id eis

(a) *Æneas Sylv. ep. 134. ad Procop. in antiq. impreſ.*
(b) *Raynald. an. 1460 num. 45.*
(c) *Concil. Aurel. V. an 549. n. 10.*
(d) *Lupus Ferrar. epiſt. 81.*
(e) *Concil. Remenſ. ann. 975.*
(f) *Concil. Trecenſ. ann. 1104.*
(g) *Joan. Pap. VIII. epiſt. 70.*
(h) *Concil. Remenſ. ann. 989.*
(i) *Vid tom 9. Conc. General f. 734. 739.*
(l) *S. Bernard. epiſt. 283.*
(m) *S. Bernard. ep. 234*
(n) *Conc. Montilienſe an. 1209.*
(o) *Dacherius in Spicileg. to. 2. f. 484. et 508*
(p) *Gloſ. in c. Reatina 16 Ꝟ. licentia diſt. 63.*
(q) *Cap. 14. & 18. de election. German. de Sacror. Immunit lib. 3. c. 12 n. 42.*
(r) *Anaſt. German. loc. cit. l. 3 c. 13. nu. 23. & c. 12. n. 4.*

id eis ſuggerant, ut in Regio ſit arbitrio quemcumque repellere, & cuicumque, etiam ſinè causâ, vel prò levi titulo, vel ex fucato prętextu, Aſſenſum Regium denegare; adaptantur illis verba flammantia, quæ Hincmarus Remenſis auribus Regis ſui temporis intimavit: *ſi quod à quibuſdam dicitur, ut audivi, quandò petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Epiſcopi, & Clerus, ac Plebs eligere, quem vos vultis, & quem jubetis (quod non eſt divinæ legis electio, ſed humanæ poteſtatis extorſio) ſi ità eſt, ut dici à quibuſdam audivi; ille malignus ſpiritus, qui per ſerpentem primos parentes noſtros in Paradiſo decepit, & indè illos ejecit, per tales adulatores in aures veſtras hæc ſibilat &c. Nec in ſcripturis, neque in Catholicorum dictis, vel in ſacris Canonibus, vel etiam in legibus à Chriſtianis Imperatoribus, vel Regibus promulgatis, hoc ſcriptum, vel decretum invenitur, ſed talia dicta infernus evomuit* (*a*).

40. Hæc ad notitiam *Regii Aſſenſus*, beneficiorum conſecutionibus adjungendi, abundè ſint dicta docto à lectore copulanda cum iis, quæ ſuperiùs locuti ſumus de ipſomet Aſſenſu Regio (*b*); Cujus ſi totum negotium à ſuâ origine repetatur, invenietur, quod primis Eccleſię ſæculis nullibi legitimè locum habuit. Subſequentibus verò temporibus in paucis locis prævaluit, & adeò paucis, quod, ſi Galliam excipias, vix eſt, ubi fixerit pedes, ſaltèm conſtantèr, & legitimè, quamquàm perfunctoriè etiam alibi aliqnandò inſiluerit, proùt temporum ratio, & perſonarum qualitas, necnon Principum major, vel minor probitas cauſam dedit. Ubi autèm sè inſinuavit; adeò diſcors eſt elocutio, quâ de illo fit ſermo in remotioribus monumentis, ut difficile ſit definire, in quo conſiſteret, an in ſimplici *conniventiâ*, vel *adſtipulatione*, vel *ſuffragatione*, vel *conſilio*, vel *nutu*, vel *favore*, aut *voto*, aut *bonâ gratiâ*, aut *teſtificatione*, vel aliâ rè, aptâ quidem ad excludendum diſſenſum Principis, ſed non ad includendum ejus aſſenſum neceſſariò adhibendum in terminis, ad quos nùnc Aſſenſus Regius extenditur. Prætereà non complectabatur omnia cujuſcumque ſpeciei beneficia, ſed ſolummodò Prælaticia, propter rationes mox ſubjungendas, adeòque ab illo immunia fuerunt beneficia minoris ordinis. Pluriesque, atque in pluribus, ortum habuit à præpotentiâ, quam à privilegio per Eccleſiam conceſſo. Hocque unum eſt, quod ubi locum habuit iſte Regius Aſsenſus, non niſi illò tetendit, ut excluderet ab Epiſcopatibus, & Prælaturis Clericos Principi locali ſuſpectos, ſeù tales, de quibus veroſimilitèr timeri poſset, nè aliquid adversùs quietem, & bonum publicum molirentur. Antiſtes namque eſt pars civilis quietis, inquit Germonius (*c*); Et de eo benè quondàm Nuntij Mediolanenſium ad Clementem Pontificem perorarunt: *Intereſt nimiùm Pater Beatiſſimè, non tàm ſacrorum, & religionis, quàm publicæ quietis, qualem Præſulem ſortiamur: quò enim tè Paſtor noſter inclinaverit, eò imperia, & opes flectere* (*d*). Intereſt Reipublicę, & Principis, qui ei præeſt, nè Epiſcopatus perſonis ſuſpectis, & publicæ pacis inſidiatoribus conferantur, ut innuunt plures Doctores (*e*). Quod ſi de facto tales eligi contingat, ait Abbas, *Principem poſſe contrà Electum obiicere, quod ſit ſibi ſuſpectus in regimine* (*f*): & in hanc ſententiam conſentiunt Azorius Luſitanus (*g*), Germonius Sabaudus (*b*), Vivianus Etruſcus (*i*), Bellettus Neapolitanus (*l*), & alii, quos longum eſſet ſingularitèr recenſere: interque illos Lavorius, de electione Cauonicâ ſtrenuè tuetur, poſse Principes obſiſtere electioni perſonę ſibi ſuſpectæ, *& poſſe opponere contrà Electum, ne confirmetur, eo quòd ſit ipſi ſuſpectus de proditione &c.* (*m*). Quæ tamèn obſiſtentia vix locum habet in beneficiis minoris ordinis, quià vix contingere poteſt, ut Parochus, Capellanus, Canonicus &c. valeat quietem publicam perturbare, proditiones moliri, & alia contrà Statum, vel Principem aggredi, & quatenùs etiàm ea tentaret, adeſt remedium Antiſtitis, qui ad nutum Principis, ſtatim in Clericum illum animadvertet. Rursùs pręfata obſiſtentia, quoàd Epiſcopos talitèr intelligenda eſt, ut Princeps non propriâ auctoritate promotum, & promotionem impediat, ſed tantùm, ut apud Sedem Apoſtolicam ſupplicet, *intercedendo nè Electus præſit* (*n*).

(a) *Hincm. Remenſ. ep. ad Ludovic. III. & Caroloman. c. 3. f. 605.*

(b) *Vid ſupr. tom. 2 c. 37. 38 & 39.*

(c) *Germon. de Sacror. Immun. lib. 3. c. 22 num. 43.*

(d) *Triſtan. Calchuſ. Hiſt Mediol. l. 16.*

(e) *Boſquet. in epiſt. 554 lib. 3. regeſt Innocentii III. Menoch. de Juriſd Eccl. & Sęcul. tom. 2. l. 3. c. 29. Cabed. de patronat. Reg. Coron. c. 7. n. 5.*

(f) *Abb in c. 2. & cap. cum in jure col. 3. de election.*

(g) *Joan. Azor. inſt. mor. p. 2. l. 6. c. 14.*

(h) *Germon de Sacror. Imm. l. 3 c. 12. n 22.*

(i) *Julian Vivian. de jurepatr. l. 2. c 9. n. 21.*

(l) *Belles. diſquiſ. Cler. de fav. Clericor. perſon § 5. num. 4.*

(m) *Julius Lavorius de elect. canon. tit. 4. num 56.*

(n) *Germon. loc. cit. c. 12. n. 45.*

41 Rem

41. Rem tamèn totam Aſſenſus Regii, prout hùcuſque theoricè expoſita eſt, ad praxim reducendo; memorandum eſt, quod ab antiquis Sæculis ad uſque noſtra tempora, modus diſtribuendi eccleſiaſtica beneficia, præſertìm Prælaticia, multotiès, & multiformitèr eſt mutatus (*a*). Anglia quoque, & Svecia, Dania, Scotia, Norvegia, Græcia, Africa, Ægyptus, & aliæ Provinciæ à fide defecerunt, religione Catholicâ ibi, vel prorſus extinctâ, vel notabilitèr diminutâ: penitùſque obliterata eſt Sacra illa politia, quam Sancta Romana Eccleſia ſervandam eſſe in rebus eccleſiaſticis definierat, legibus vel à ſe factis, vel ſuâ auctoritate approbatis. Et propterea reſpectu ad has regiones inutile eſt de Aſſenſu Regio beneficiis eccleſiaſticis adjungendo, diſcurrere; cum ibi vel non adſint beneficia, vel ſint ſecularizata, vel ad talem ſtatum redacta, ut non Aſſenſum Regium admittant, ſed deſpotico ſæcularis Principis arbitrio famulentur. Paritèr Hiſpaniarum Reges Apoſtolicis muniti ſunt Indultis Hadriani VI. Clementis VII. Sixti V. & aliorum Pontificum eis concedentium facultatem præſentandi Clericos Epiſcopatibus, & quibuſdam Abbatiis, aut Beneficiis munerandos (*b*). Conventiones quoquè initæ ſunt intèr Leonem Papam X. & Franciſcum I. Regem Galliarum, quæ conſimile jus Gallorum Regi concedunt (*c*). Alia tandèm pacta intèr Nicolaum Papam V. & Fridericum IV. inita ſunt, modum definientia, in electionibus Epiſcoporum, & Abbatum, & in aliorum Beneficiorum diſtributione ſervandum (*d*). Sua tandèm adeſſe audivimus indulta Regibus Hungariæ, Poloniæ, Luſitaniæ, & Boemiæ, quæ tamèn nos non vidimus, ſed audivimus eorum vi Clericos ab ipſis Regibus ad quaſdam Eccleſias nominare, & forte etiam ad aliqua alia beneficia minoris ordinis, patronatus jure ad ſe pertinentia; jàm ergò in iſtis Regionibus nulla, vel vix ulla emergere poteſt difficultas circà Regium Aſſenſum, provectioni Præſulum adhibendum, cum Reges ipſi nominent eoſdem Præſules. Et in Germaniâ, ubi hi per viam electionis Canonicæ promoventur, obſervantia Concordatorum faciat, ut non opus ſit Regio Aſſenſu. Salvo nihilominus, quod valeat, ut putamus, Princeps excipere contrà aliquem Electum, qui eſſet ſibi probabili ratione ſuſpectus. Quoàd inferiora quoque beneficia in Germaniâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Portugalliâ, Poloniâ, Hungariâ, Boemiâ, audivimus hæc pleno jure juxtà Regulas Cancellariæ vel à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopis, vel ab aliis Ordinariis, vel Delegatis eorum Collatoribus liberè conferri non requiſito Regio Aſſenſu, niſi fortè quatenùs promovendus eſſet extraneus: tuncque non proptèr defectum libertatis in Collatore, ſed proptèr reſtrictionem ibi factam ab Apoſtolico privilegio, quod aſſerunt ibi eſſe, excludente cunctos extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis. Ubi enim tale Indultum eſt, profectò debet punctualitèr obſervari.

42. Tota ergò negotii ſumma in praxi reducitur ad illa loca, & Provincias, in quibus Summus Pontifex Eccleſias Cathedrales, & beneficia pleno jure confert, & Clericis idoneis prò ſuo arbitrio impertit: Quod & proportionalitèr dicitur de cœteris beneficiorum collatoribus, aut ad illa nominatoribus, ibidem beneficia eccleſiaſtica diſpenſantibus. Nàm ibi ſanè rationabile non eſt, nec juſtitiæ legibus cohærens, nec expedit politicè, ut Clerici, qui Principi temporali verè, ac rationabilitèr ſunt ſuſpecti, ad beneficia eccleſiaſtica provehantur, proptèr rationes paulò antè notatas (*e*): Sed in his oportet attendere, uſquequò Regius Aſſenſus ſe extendat, à Principe laico poſtulandus. Nàm ſi Princeps hoc ſibi jus uſurpavit, & contrà illud obſtitum eſt per Eccleſiam; quidquid ille talis uſurpati juris intuitu facit, attentatè facit, injuſtè facit, illegitimè facit. Si verò jus hujuſmodi habeat ex privilegio Apoſtolico, ſivè ex antiquâ conſuetudine legitimè conſiſtente cum famâ privilegii, & vim privilegii obtinente; uſus hujuſce facultatis nec debet de loco ad locum, neque de beneficio ad beneficium extendi: tàm ſiquidèm privilegia, ut alibi diximus, quàm conſuetudo, ſunt ſtricti juris, nec extenſionem admittunt (*f*). Sed probari, ſeù verificari debent individuè quoàd caſum, dè quo diſſeritur (*g*): præſertìm ubi agitur dè ſervitute injiciendâ Eccleſiis, & eccleſiaſti-

cis

(a) *Vid. ſupr. tom 1. cap. 19. 20. 21. 22. 23. 24.*

(b) *Vid. Rocc. Pirrum Sicil. Sacr. tom. 1. fol. mihi 470.*

(c) *Leo Pap. X. Conſtit. 20.*

(d) *Nicolaus Pap. V. Conſtit. 1.*

(e) *Vid. paulò ſupr. in hoc cap. n. 40.*

(f) *Seraphin. dec. 316 nu. 2. Natta Conſil. 46 num. 2.*

(g) *Curtius junior. Conſil. 26. nu. 10. Seraphin. loc. cit.*

cis beneficiis, quæ ex ſui origine libera ſunt. Et ità ſi Aſſenſus Regius vi indulti adhibendus eſt proviſionibus Epiſcopatuum, non debet ad beneficia minora extendi, nec aliàs extrà Provinciæ illius orbitam dilatari: alioquìn Princeps, hoc agendo, graviter peccat, Deumque lædit, & Eccleſiam, quià tranſilit fines, ſibi à privilegio conſtitutos, injuſtoque onere, ac ſervitute gravat Eccleſiam, quæ à Chriſto libera facta eſt.

43. Quà adhùc ſervitute probatâ, & verificato etiam, quod vi privilegii præfati habeat Princeps laicus jus Aſſenſum Regium interponendi, tùm quoàd beneficia Epiſcopalia, tùm quoàd alia minoris ordinis; licitè non poteſt Aſſenſus ipſe omnibus Clericis generalitèr denegari, & præſertìm illis, de quibus nulla veroſimilis, probabilis, & moralis viget ratio ſuſpicionis, tametſi politicè, & quoàd mundanum obtutum aliquam poſſit ratiunculam comminiſci, remotum aliquod periculum colorans, intrà latiſſimam poſſibilium ſpheram, ſive intrà Lunæ concavum deliteſcens. Et ratio eſt evidens, quià totum fundamentum, proptèr quod privilegium Aſſenſus Regii conceſſum eſt, in eo conſiſtit, ut eo caveatur, ne quies publica perturbetur, aliquidve contrà Principem, ac illius Statum aliquis moliatur; Ergò ubi deeſt hoc periculum, ſivè ubi non eſt probabilis, non eſt veroſimilis, non eſt rationabilis, nec niſi è profundo pelago poſſibilium eſt expiſcabilis ratio dubitandi; periculum moralitèr deeſt, cauſa ſubtrahendi Aſſenſus rationabilitèr deeſt, & ſic licitè non poteſt Aſſenſus Regius denegari. Hinc non videntur à peccato gravi excuſabiles, & à debito reſtituendi damnum immunes Miniſtri Principis, eorumque cooperatores, qui Epiſcopum, vel alium majori, vel minori beneficio donatum à legitimo Collatore, Aſſenſus Regii denegatione impediunt, ne ipſius Sacerdotii poſſeſſionem valeat adipiſci, quandò de illo nullam probabilem, & prudentèr judicando, veroſimilem habent ſuſpicionem metuendi, licèt politicè aliquam tendiculam valeant comminiſci, quâ ſuſpicionis periculum obumbretur. Quandòquidem cum talitèr proviſus per legitimum Collatorem, adeptus ſit jus ad fructus beneficii ex naturâ ſuâ liberi, & à ſè legitimè obtenti; à ſeque abſit rationabilis ſuſpicionis periculum; Regii Miniſtri, beneficii poſſeſſionem impedientes, implicant illud ſervitute, quam non habet, abutuntur facultate Aſſenſus Regii, extrà caſum ſibi à privilegio permiſſum; & non juſtitiâ mediante, ſed tyrannicè privant promotum fructibus ſui beneficii ſibi debitis, ſibi per Eccleſiam deſtinatis; & quidquid ſit an coràm hominibus colorare poſſint hunc actum; certè coràm Deo illum juſtificare non poſſunt, nec ſeſe eximere à gravis culpæ reatu, & ab onere damnum reſtituendi, juxtà Dei præcepta, qui omnium *ſcrutatur renes, & corda* (a), *qui aufert ſpiritum Principum, terribilis apud omnes Reges terræ* (b).

(a) *Pſalm.* 7. *num.* 10.
(b) *Pſalm.* 75. *n.* 13.

44. Sit exemplum de Clerico extraneo: exemplum obvium, ac familiare, & ut meliùs dicamus, prototypum quæſtionis, circà quam vertitur cardo denegationis Aſſenſus Regii. Clericus, inquam, extraneus beneficio Epiſcopali, vel alterius ordinis, inſignitus fuit à legitimo Collatore in loco, ubi deeſt verum, ac legitimum privilegium, arcens extraneos ab eccleſiaſticis beneficiis, nulla eſt in eo probabilis conjectura, ob quam metui poſſit, nè pacem publicam turbet; ne inſidias contrà Statum politicum, aut Principem exordiatur: Solus ei obeſt hic nævus, quod eſt extraneus, ideò Princeps, ejuſve Miniſtri ei denegant Aſſenſum Regium, & ne poſſeſſionem obtenti beneficii adipiſcatur, impediunt. Hi peccant nè? Certè illos non peccare, nec reſtitutionis onere adſtringi, fortè aſſerent qui delirant; At qui utuntur uſu rationis, & juxtà Divina dogmata, ac Sacræ Theologiæ principia loquuntur, id non effutient: ſed ſolidè affirmabunt, eos & gravitèr peccare, & reſtituendi damnum debito coarctari. Quare? Quià beneficium eſt liberum: Collator legitimus eſt: Suſceptor non habet canonicum impedimentum: Princeps caret rationabili titulo illius promotioni obſiſtendi: Regnum non eſt vero privilegio conſtipatum, vi cujus extranei debeant à beneficiis impediri: ergò omnia extrema favore Promoti clamant, nec prò Miniſtris Regiis ſtat niſi tyran-

nica præpotentia, & abuſus propriæ poteſtatis: quibus poſſeſſionem beneficii impedientes Deum lædunt, Promotum damnificant, conſcientiam ſuam peccato gravi onerant, & sè obligatione inextricabili reſtituendi damnum illaqueant.

45. Nec proficit, ſi dicatur cum Gloſſatore Pragmaticæ Sanctionis, quod *Regibus, Principibuſque ſuſpecta ſemper ſit peregrinorum fides, nè arcana Regni prodant, & foris evulgent &c.* (a); quià huic objecticulo jàm ſuprà ſatis reſponſum eſt, & ſi verè cum extraneitati accedunt aliæ probabiles conjecturæ, quibus perpenſis, prudentis viri judicio, veroſimiliter ſit credendum, quod Promotus ille Principi damnum, & publicæ tranquillitati ſit turbulentiam illaturus; optimè intercedi poteſt apud legitimum Collatorem, ne beneficium viro illo impertiatur. At ſi nulla effulgeat hujuſmodi probabilitas, & periculum ſiſtat intrà lineas merę poſſibilitatis; non poteſt ſalvâ conſcientiâ Regius Aſſenſus, & poſſeſſio beneficii, ex ſolâ ratione extraneitatis Beneficiario denegari. Aliàs cum idem periculum cum hoc poſſit nedùm à Clericis, ſed etiam a Mercatoribus, Artificibus, Monachis, & aliis extraneis provenire, & ſine dubio poſſit, non minùs profluere ab Indigenis, quàm ab Extraneis; & ſæpè ſæpiùs manibus contrectetur, quod *plus eſt periculi in inſidiatore occulto, quàm in hoſte manifeſto* (b); ſequeretur, quod non ſolùm Clerici, ſed etiàm Mercatores, Artifices, Monachi, & alii omnes extranei deberent à Statibus abigi, & non ſolùm Clerici extranei, ſed etiam indigenæ poſſent à beneficiis eccleſiaſticis per Principem laicum excludi, recurreretque ſermo Hincmari Remenſis, de quo ſuperiùs facta eſt mentio. Porrò ſi ſuper iis fieri debet negotium, quæ merè poſſibilia ſunt, ſpeculativè concepta; ecquid non erit poſſibile? Poterunt profunda æquoris denudari (c): Sol in ſuo curſu immobilis permanere (d): Horologia ambulare motu retrogrado (e): Flumina converti retrorſum (f): Montes loco cedere (g): viva è monumentis defunctorum corpora proſilire (h): & alia ſuccedere, quæ jàm de facto evenerunt. Sed quid hæc ad mundi regimen? Poterunt Chinenſes Mexicanis bellum inferre: Tartari Monomopotapenſibus: Taprobani Norvegis: & Cafris Africæ Samojedæ: Sed quid hæc, ſi à poſſibilitate abſtractivâ, & improbabili non recedunt; ac poſſibilitatem merè idealem, ſpeculativam, & metaphyſicam non excedant? Poterit Princeps manducando venenum ſumere: ambulando labi, & caput illidere: dormiendo, ex rheumatis redundantiâ præfocari. Sed quid hæc? Nunquid quià hæc pericula poſſibilia ſunt, poteſt, & debet Princeps non manducare, non ambulare, non dormire? Stultus eſſet, non providus; deliraret, non ſibi caveret, qui hæc faceret.

(a) *Coſmas Guymer. in Pragmat. Sanction. Carol. VII.*

(b) *S. Leo Serm. 9. de Quadrageſ.*

(c) *Exodi cap. 14. num. 22*

(d) *Joſue c. 10 n. 12.*

(e) *4. Regum cap. 20. num. 11.*

(f) *Pſalm. 113. n. 3.*

(g) *Vit. S. Gregorii Thaumaturg. die 17. Novemb.*

(h) *Matth. 1. c. 27. num. 52.*

46. Quod ergò extranei, reduplicativè ut extranei, aliquid præjudicii felici Statuum regimini poſſint inferre, niſi aliæ conjecturæ effulgeant, reddentes probabile, & veriſimile hoc ideale, & ſpeculativum poſſibile; non eſt ratio ſufficiens, ob quam eis Regius Aſſenſus prò adipiſcendis beneficiis poſſit licitè denegari. Et politicè quidem, ac quoàd forum fori, hæc ſufficient ad fucandam denegationem ipſius aſſenſus, & ad colorandum impedimentum poſſeſſioni beneficii interpoſitum; verùm Theologicè coràm Deo, & quoàd forum conſcientiæ, cui Principes etiam terreni, quantumviș magni, & ſupremi, eorumque miniſtri, non minus quàm ultimus quiſque hominum, ſubjugantur, hæc non ſufficiunt ad negandum Regium Aſſenſum, & ad abſtinendum Beneficiarium à percipiendis poſſeſſione, & fructibus ſui beneficii legitimè conſecuti. Hæcque eſt vera, & ſincera ſententia, quæ ſecundùm legem Dei, & principia Theologica in hujuſmodi quæſtione ſtatui poteſt, & debet. Quod ſi qui hanc *ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidèm auditum avertent, ad fabulas autèm convertentur* (i), ipſi viderint. Veritas una eſt: Lex Dei una eſt: homines dementari poſſunt ratiunculis: & res apud eos valent ingenio verſipelli fucari. At Deus decipi non poteſt: *Deus non irridetur* (l): nec apud eum locum habent politica figmenta, quæ in Aulis Principum prò oraculis ſuſcipiuntur.

(i) *Ad Timotheum 2. cap. 4. n. 3.*

(l) *Ad Galatas c. 6. num. 7.*

47. Sup-

47. Supputando itàque totam ſubſtantiam *Aſſenſus Regii*: Unum eſt, quod iſte aſſenſus nec habet, nec unquàm habuit locum ubilibet, ſed ſolùm alicubi, & ad aliquod tempus. Ut autem prævaleat, oportet quod privilegio Apoſtolico ſit ſuffultus; vel ſaltèm conſuetudini immemorabili, famam privilegii concomitantèr habenti, fortitèr inhæreat, hæcque conſuetudo prolixa ſit, & conſtans, ac talis, quæ non fuerit contrariis Eccleſiæ reclamationibus interciſa, & omninò excludat veroſimilitudinem uſurpationis,quæ facillimè præſumitur in Potentibus (*a*). Hoc verificato, ipſe aſſenſus non antè factam electionem Beneficiarii, ſed ipsâ jàm completâ, petendus eſt (*b*): nec poteſt licitè denegari, niſi accedat ratio probabilis ſuſpicionis Electi; ità ut veroſimilitèr, moralitèr, & juxtà prudentis viri judicium, Electus ipſe futurus ſit pernicioſus tranquillitati publicæ, ac Principi, qui proindè rationabilitèr debeat Promovendum habere ſuſpectum. Et in his terminis intelligendi ſunt quicumque Doctores, tùm Theologi, tùm Juriſconſulti, docent poſſe Principem excipere de ſuſpicione contrà Electum,ne beneficia eccleſiaſtica conſequatur. Et ità de facto cernimus fuiſſe rem ad praxim deductam, quotiès opus fuit ex titulo ſuſpicionis, Clericos à beneficiis arcere. Nàm Innocentius Papa III. in epiſtolâ ad Epiſcopum Pictavienſem, cavit, ne Promovendus ad Prælaturam, eſſet Regi ſuſpectus, ſed ex probabili, & certâ ratione: *ne ipſa perſona*, inquit, *in quam vota Electorum conveniſſent, Regi ex certâ ratione ſuſpecta exiſteret* (*c*). Quâ rationis certitudine, ſive probabilitate deficiente, nec exceptioni ſuſpicionis, nec denegationi Aſſenſus Regii patuit unquàm acceſſus. Et ità cum conquereretur Philippus Pulcher Rex Francorum de Bonifacio Papâ VIII. quod beneficia Gallica viris extraneis contuliſſet, ubi tùnc oportet nondùm adfuiſſe privilegium Apoſtolicum arcens à beneficiis extraneos; reſponderunt Cardinales, frivolam eſſe hanc querelam, quippè Papa contulerat Sacerdotia perſonis, *nec Regi, nec Regno prædictis probabili ratione ſuſpectis* (*d*). Undè patet, quod non quælibet ratiuncula, & ideale commentum, nec quælibet ſophiſtica ratiocinatio ſufficit ad denegandum Aſſenſum Regium, ſed debet adeſſe ratio probabilis, veroſimilis, & certa moralitèr.

48. Quâ adhuc exiſtente, nec electio, nec beneficii poſſeſſio poteſt licitè auctoritate laicâ impediri, ſed Principis eſt legitimo Collatori cauſas probabiles ſuæ ſuſpicionis exponere, & intercedere, ne Electus præſit (*e*). Tùncque à Collatore occurrendum eſt periculo: quod ſi ipſe non præcaveret, proculdubiò peccaret, & contrà praxim etiàm Eccleſiæ faceret, quæ quotiès agnovit Promotos eſſe poſſe Principi terreno, probabili ratione, ſuſpectos, vel beneficia eis non contulit, vel à collatis amovit. Et ità Stephano Cardinali S. Chryſogoni obſtitit Innocentius Papa III. ne Epiſcopatum Cantuarienſem nanciſceretur, quià compertum eſt ipſum ad concitandos in Angliâ tumultus conſpirare (*f*). Pius quoquè II. Epiſcopum Ferrarienſem, odia impacabilia cum Principe ſuo ſuſtinentem, ad Feltrenſem tranſtulit Sedem (*g*): Et alii alitèr hiſce periculis occurrerunt. Undè tùm rationibus, tùm exemplis, patet quod Aſſenſus Regius, ubi jus illius viget, poteſt quidèm licitè in medium produci ad arcendos Clericos ſuſpectos ab eccleſiaſticis beneficiis; ſed ſuſpicio debet eſſe rationabilis, & moralitèr certa; & repulſio Promovendi ſuſpecti, ſive ſit Extraneus, ſive ſit Indigena, debet fieri non auctoritate laicâ, ſed eccleſiaſticâ, intercedendo apud Collatorem, ne ſuſpectus ille, ut ſuprà Clericus, præſit. Et hæc dicta ſint ſatis de *Aſſenſu Regio*, de quo quantùm ſpectat ad Regnum Neapolitanum, ſuperiùs jàm ex propoſito fuit actum (*h*).

(a) *Butrius in cap. cum dilectus verſ.2. de offic. deleg. Vivian. de jurepatr. lib.11.c.5.n.72.*

(b) *Germon. de Sacror. immun. l.3. c.11. num.21. & c.32. n.42.*

(c) *Innocent. III. lib.1 epiſt. decret.*

(d) *Hiſtor. Univ. Pariſ. tom 4. ſæcul.6. fol.27.*

(e) *Germon. loc.cit. lib 3.c.12. num.23. & cap.32.n.43.*

(f) *Odoric. Raynal. ann.1215.n.32.*

(g) *Gobellin. Comment. lib.4.*

(h) *Vid. ſupr. to.2. cap.37.38. & 39.*

DE PROHIBITIONE
L I B R O R U M.

C A P U T XXVI.

In quo diruuntur dicteria quæcumque, pronuntiata adverſùs poteſtatem, & rectitudinem Sedis Apoſtolicæ, in cenſurandis, & inhibendis Libris, Prohibitione dignis.

S U M M A R I U M.

1 *Libri Contradictorum fuerunt à Sanctâ Sede proſcripti, quę nonniſi Libros prohibet cenſurâ dignos, in hocque juſtiſſimè procedit.*

2 *In veteri, & novo Teſtamento jubentur evitari pravæ doctrinę divulgatores. Si fugiendi ſunt prava loquentes; cur & non prava ſcribentes?*

3 *Nulla gens fuit, quæ ſicut homines corruptos de republicâ tollendos cenſuit, ſic & libros pernicioſos ſategerit extirpare.*

4 *Apud Hebręos, Syrios, Lacedemones, Athenienſes, Romanos &c. mos fuit libros noxios urendi, vel alitèr diſpergendi.*

5 *Auguſtus, Caligula, Domitianus, Stilico, quid egerint circà libros, quos improbos reputabant. Undè fuerint dicti Traditores Librorum ſacrorum?*

6 *Non debet eſſe deterioris conditionis Eccleſia nùnc, quàm fuerit ſub Ethnicis. Libros malos interdicere Epiſcopi officium eſt, & cur?*

7 *Prava ſcripta melius eſt ignorare, quàm ab illis infici. Apoſtoli prohibuerunt Gentilium libros. Scripta prava igni addicta.*

8 *Concilia Nicænum I. libros Arrii, Epheſinum Codices Neſtorii, Conſtantinopolitanum III. tria Capitula, Cyprium Opera Origenis: Alia aliorum ſcripta damnarunt.*

9 *Con-*

9 *Concilium Vercellenſe damnavit ſcripta Joannis Scoti. Pariſienſe libellum Almerici Conſtantienſe opera Vviclephi &c.*

10 *Damnationi Librorum per Eccleſiam factę, ſolebant Principes adiicere pœnas, ut terrerent homines ab eorum lectione.*

11 *Ad Eccleſiam ſpectat libros interdicere, de fide, & bonis moribus agentes, non ad Principes laicos, quorum eſt paſci, non paſcere.*

12 *Poteſtas damnandi libros eſt maximè apud Papam, cui Chriſtus commiſit Eccleſiam paſcendam cum indefectibilitate fidei.*

13 *Concilia Papæ auctoritate confirmantur, & ab illis ad Papam appellatur. Olim libri non in publicum ponebantur, niſi priùs à Papâ examinati.*

14 *Facultatem cenſurandi libros ſemper habuit Papa. Stat adhùc decretum Gelaſii Papę I. multos libros interdicens.*

15 *Anaſtaſius Papæ I. Periarchon Origenis damnavit. S. Leo I. Symmachus, Hormiſda libros Manichæorum aſſerunt. Hadrianus I. librum Photii &c.*

16 *S. Leo Papa I. vetat legi libros Dictieinii, hęreſi Priſcillianiſtarum infectos, ac declarat non haberi pro Catholicis eos legentes.*

17 *Non ſolùm libri fidem depravantes, ſed etiam qui contrà bonos mores ſunt, aboleri debent, quià & ex illis periculum eſt: id faciebant etiam Ethnici.*

18 *Defenſores librorum malorum improbantur: Eliminari merentur ſcripta perverſa, non ſecus ac libelli famoſi contrà privatos.*

19 *Concilium Tridentinum mandavit fieri Indicem Librorum prohibitorum: quos qui legunt, ſinè dubio peccant mortalitèr.*

20 *Sedes Apoſtolica non ſine magnâ maturitate libros prohibet. Editos ab Hęreticis plus quàm juſtè interdicit, ſive hæreſim contineant, ſive non.*

21 *Hæreticorum libri, etiam carentes hęreſi, prohibentur in execrationem memorię Auctoris, & quià poteſt ibi latere ſub melle venenum.*

22 *Alios libros, bonis moribus adverſantes, juſtè prohibet Eccleſia, & cur? Ex malorum librorum lectura etiam pii homines periculum incurrunt.*

23 *Aſſertur doctrina Auctoris libri de libertatibus Eccleſiæ Gallicanę favore poteſtatis, quâ præditus eſt Pontifex interdicendi libros.*

24 *Quomodò ſe gerat Pontifex in cenſurandis libris prohibitione dignis? Et quantâ maturitate in eâ rè procedatur.*

25 *Sixtus Papa V. Congregationem Indicis erexit, & quibus verbis in illius erectione uſus ſit; qualemque illi dederit facultatem.*

26 *Culpa prohibitionis librorum prava continentium, non in Pontificem referenda eſt, ſed in Auctores ipſorum librorum.*

27 *Majori diligentiâ, & cautelâ in hoc negotio procedi non poteſt. Refertur optimus modus, quem aſſignat Cardinalis de Lugo in cenſurandis libris.*

28 *Acrioribus remediis procedunt Principes adverſus ſuos impugnatores: mitiuſque in hac parte agit Eccleſia fundata ſuper petram immobilem.*

(a) *Proverbior. c. 9 num 9.*
(b) *Barboſ. tract. var. loc. 27. n. 1. & 43.*

1. DA *ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia*, inquit Salomon in Proverbiis (*a*). A lege igitur contrarii ſenſus ductо ſermone, à quâ optimum deſumitur argumentum(*b*), detur inſipienti occaſio, & addetur ei inſipientia. Libris Contradictorum, quibus Libertatem, & Immunitatem Eccleſiæ, ac S. Sedis Apoſtolicæ dignitatem verbis acerbiſſimis vellicarunt ipſamet Sancta Sedes Apoſtolica, previâ maturâ conſideratione, ac examine, cenſuram vetitæ lectionis appoſuit: ut ſciant omnes Chriſtiani, quod in codicibus illis prava doctrina, ſenſuſque noxii continentur, adeòque illos, tamquàm juſtiſſimè damnatos abominentur, & vel Superiori eccleſiaſtico deferant, vel abſumendos igni committant. His auditis relatum eſt, Contradictores ipſos ad iſtud miſerabile ſolatium recurriſſe, ſive inſulſum hoc obloquium protuliſſe: quod Romana Sedes libros omnes legi prohibet, quos ſibi non famulari comperit, ſed qualitercùmque auctoritatem eccleſiaſticam imminuere, tametſi rationabilitèr, ac ſolâ veritate Duce loquantur. Nos è contrà occaſione acceptâ, Libertatem, & Immunitatem ipſam Eccleſiæ, ac Sedis Apoſtolicæ dignitatem, hac qualicumque noſtrâ lucubratione tuendi, ſequentem Aphoriſmum, tamquàm certiſſimum pronuntiamus, atque tuemur, quod Sedes Apoſtolica nonniſi libros illos percutit, damnat, & cenſurâ vetitæ lectionis involuit, quos Hæretici compilarunt, vel quos pravam doctrinam invenit continere, vel rectæ fidei, & veritati, vel probis moribus adverſantem, aut honori Principum detrahentem, vel alitèr indignam, quæ liberè Chriſtianorum oculis ſubiiciatur, priùs tamen diſcuſſam, ventilatam, ac ſeveriſſimè examinatam, an aliquo modo, & in aliquo ſenſu ſano, bono, obvio, & naturali, valeat ſuſtineri. Quis ex nobis Sapientior erit, juxtà propoſitum Salomonis, Contradictores nempè, an Exiguitas noſtra opportunitatem hìc oblatam ſuſcipientes de librorum prohibitione loquendi; benignus, ac doctus Lector dijudicabit: ſimulque ſuam diffinitivè proferet deciſionem: An Sancta Romana Sedes juſtè, atque prudentèr in librorum condemnatione procedat.

(c) *Riſpoſta all'Hiſtoria dell'Inquiſitione di Fr. Paolo f. 226. Albitius de incanſt. in fid. c. 30. n. 186.*
(d) *Pſalm. 140. num. 4.*

2. Nullus unquam (vel ut ait ſermone Italico quidam doctus Auctor Anonymus) *Niun'Autore Catolico hà giamai poſto in dubio, ſe la Chieſa habbia autorità di prohibire i libri, non ſolamente di Religione, mà i profani ancora, s'eglino ſono perniciosi ai buoni coſtumi, & alla diſciplina Eccleſiaſtica* (*c*). Vel ergò delirant cum Kemnitio, aliiſque Hæreticis, impugnantibus Indicem Librorum damnatæ lectionis, à Patribus Concilii Tridentini confectum, vel *declinant cor ſuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis* (*d*), quicumque adversùs prohibitionem librorum damnatorum oblatrant. Siquidèm commercium cum falſis Dogmatiſtis, & cum inſana ſuggerentibus, devitandum, utriuſque Teſtamenti paginæ pleno eloquio proclamant. In Veteri, præcipit Dominus ne Pſeudoprophetæ, & Somniatores, nedùm non attendantur, ſed & nec etiàm audiantur (*e*). In Novo, diſertis verbis mandatur, nè venientibus in alienâ Doctrinâ, vel ſimplex *Ave* dicatur (*f*). Hinc Sanctum Apoſtolum Joannem legimus noluiſſe cum Viris hiſce maleloquacibus converſari, & ſignantèr cum Ebione, vel Cerintho intrà Thermas publicas converſari (*g*). S. Polycarpum, cunctis notum eſt, Marcionis Pontici colloquia devitaſſe (*h*). S. Antonium Ægyptium fama eſt odium adversùs blaterones hoſce uberius intendiſſe, ac ſuis diſcipulis hæreditarium reliquiſſe (*i*). S. Leo ſermones malorum hominum ſolertèr evitari commendat (*l*): Et S. Cyprianus de iiſdem, inſana Dogmata diffundentibus, hæc, quæ ſequuntur, pronuntiat: *declinent fortitèr, & evitent dilectiſſimi fratres noſtri verba, & colloquia eorum, quorum ſermo ut cancer ſerpit: nulla cum talibus commercia, nulla convivia, nulla colloquia miſceantur* (*m*). Quod ſi verùm eſt de vitandâ perſonâ eorum, qui prava loquuntur, neſcimus videre cur, & non idem de eorum ſcriptis, improbo ſermone contaminatis, non ſit dicendum: dùm

(e) *Deuteronom. cap. 13. n. 11.*
(f) *2 Timoth cap. 1 n. 16. 2. Joannis c. 10.*
(g) *Card. Baron. an. 44. n. 8. 9.*
(h) *Euſeb. Hiſtor. l. 4. cap. 13.*
(i) *S. Athanaſ. in vit. S. Antonii.*
(l) *S. Leo ſerm. 5. de Jejun X menſis.*
(m) *S Cyprian. lib. 1. epiſt. 3.*

non

non minùs inficiunt perverſa ſcripta, quàm *corrumpant bonos mores colloquia mala* (a).

3. Sanè nulla Gens, nulla Natio tàm deſes ſuit, quæ ſicùt homines corruptos de medio ſui tollendos eſſe cenſuit (b); ità & libros pernicioſos de ſuis finibus non ſategerit extirpare. *Decet* quippè *Regalis apicis curam*, inquit Theodoricus Gothorum Rex, *generalitatis cuſtodire concordiam, quoniàm ad laudem Regnantis trahitur, ſi ab omnibus pax ametur. Quid eſt enim quod nos meliùs prædicet, quàm quietus populus, concors Senatus, totaque res publica morum noſtrorum honeſtate veſtita* (c)? Hęc autèm communis pax, generalis concordia, quietus populus, quemadmodùm ſtare non poſſunt, ſi per Urbes, & Loca obambulent nebulones, perverſa dogmata, & degeneres opiniones audientium auribus intimantes; ità & nec valent conſiſtere, ſi ſuſurronibus ſit permiſſum, ea, quæ verbis non poſſunt, diſſeminare ſcripturis, & novos ſenſus, novaque dicteria, vel contrà religionem, & veritatem, vel contrà bonos mores effundere, vel contrà honorem Principum divulgare; præſertìm cum generalitèr plus ſit periculi ex falsâ doctrinâ, ſcriptis infusâ, quàm ex eâ verbis volantibus dictitatâ. Oratio enim in libris ſcripta, cum vi emphaſis naturalis, artificia ſcriptitantis admittit: Nèc citò prætervolat cum loquentis ſonitu, ſed indeleta ſemper conſiſtit, & ideò validiùs inficit mentem ejus, cujus intuitui ſe ſubſternit. Ità in faſtis Eccleſię legitur Hieronymum Vviclephum in Angliâ, ubi voce tantùm crocitavit, pauciſſimos depravaſſe, qui totam Boemiam contaminavit, ubi ſcriptis ſuis perverſiſſimis peroravit (d). Dubitari ergò non poteſt, quin libri, qui vel de religione malè ſentiunt, vel veritati detrahant, aut morum honeſtati præjudicant, aut de honore Principum impudentèr loquuntur, ſint uſui publico ſubtrahendi; hos enim eſſe prorsùs eliminandos ipſe docet Ariſtoteles in Politicis (e): & Plato de legibus (f): & Cicero de naturâ Deorum (g): Libri nàmque talia continentes tabifici ſunt, peſtilentes, ad corruptionem infundendam idonei, & veneno ſimiles, ut eos vocat Ulpianus in legibus (h).

4. Hoc autèm, quod theoricè verum eſt, practicè conſpiciemus à cunctis Nationibus, quarum aliqualitèr notabile nomen fuit, ad effectum paſſim perductum, ſi earum memorias recurremus. *Apud Hebræos* Joachim Rex Juda volumen ſibi miſſum à Jeremiâ per Baruch Scribam ſuum, quod malum, & perverſa cenſuit continere, flammis aduſſit (i). Ezechias, paritèr Rex Juda, librum Salomonis, de vi, & proprietate animantium, plantarum, lapidum, herbarum, metallorum &c. ex profeſſo tractantem; tamquàm quem metuebat, ne anſam præberet Judęis, ad Idololatriam facilitèr defluendi, è medio ſuſtulit, ac fecit flammis exuri (l): Herodes Rex libros Genealogiarum Hębraicorum uti noxios, ac uſui publico periculoſos incendio conflagrandos eſſe decrevit (m). *Apud Syrios* Antiochus Rex, Epiphanes appellatus erroneâ credulitate laborans, quod Sacri Codices Hebręorum prava continerent, eos pœnali edicto diſperſit (n). *Apud Lacedęmonios* ſcripta Archilochi, publico Magiſtratus decreto fuerunt Civibus interdicta, & in totâ Spartanorum dominatione prohibita (o). *Apud Athenienſes* Plato libros poetarum, de Diis parùm religioſè ſentientes, cenſuit abolendos (p): Communibuſque votis gerentium inibi Magiſtratum Protagoras Abderites eorum Urbe proſcriptus eſt, & libri, quos hic procuderat, uti minùs religioſi, fuerunt in medio foro peruſti (q). *Apud Romanos* pluriès Magiſtratibus commiſſum eſſe, ut libros noxios quærerent, & eorum retentores mulctis, ac pœnis corporalibus deterrerent, refert Livius (r). Numę libris inventis, de jure Pontificio, ac diſciplinâ Sapientiæ tractantes, qui religionem Romanam aliqualitèr impetere videbantur, Quintus Petilius Prætor Urbanus, ex Senatus Conſulto eos fecit à Victimariis, publicè concremari (s). Marcus Æmilius, auditâ varietate librorum, qui in Urbe fuerant introducti, & qui novas precationes, atque ritus continebant, ex Senatus Conſulto per præconem mandavit intrà diem ſibi deferri, ac ne quis illis externis ritibus uteretur, pœnis ſeveriſſimis interdixit (t).

(a) 1. *Corinth. c. 15. num 33.*
(b) *Leg. congruit ff. de off. Præſid.*
(c) *Caſſiodor. l. 1. ep. ad Celian. & Agapit.*
(d) *Cocleus in Hiſtor. Huſſitarum.*
(e) *Ariſtot. Polit. l. 7. cap ult.*
(f) *Plato libr. 7. de Legibus.*
(g) *Cicero de natur. Deorum libr. 1.*
(h) *Leg. cæteræ ff. familiæ herciſcundæ.*
(i) *Bodinus lib. 2. Dęmonomaniæ c. 2.*
(l) *Joſeph. Antiqu. Judaic. l. 10. c. 8.*
(m) *Euſeb. hiſt. lib. 1. cap. 17.*
(n) *Rieiul. de jur. perſon l. 1. c. 21. n. 2.*
(o) *Valerius Max. lib. 6 c. 13.*
(p) *Plato l. 7. de Legibus.*
(q) *Cicero de natura Deor. l. 1. Lactant Firmianus lib. de Irâ Dei.*
(r) *Titus Livius l. 29*
(s) *Valerius Max. l. 1. c. 1. Livius dec. 4 l. 10.*
(t) *Livius decad. 3. lib. 5.*

5 De

5. De Auguſto refert Svetonius, quod quidquid fatidicorum librorum, græci, & latini ſermonis, in Romanâ ditione comperit latitare, undiquè conquiſivit, & grandi incenſo rogo, combuſſit (*a*). De Caligulâ paritèr narrat, quod quorundam librorum ſibi diſplicentium, Auctores adegit, partim ſpongiâ, partim linguâ delere (*b*). Et de Diocletiano id memoriæ prodit Euſebius, ac Nicephorus, quod ſacra volumina Chriſtianorum, quæ falſis ſcatere cenſebat, mandavit publicè concremari (*c*). Undè ortum habuit crimen Traditionis ſacrorum voluminum, in manus perſecutorum; ob quod illi, qui ea tradebant, Traditores vocati ſunt (*d*), de quibus actum eſt in Concilio Cirtenſi (*e*): Et illorum etiam faciunt mentionem Optatus Milevitanus (*f*), Arnobius (*g*), Auguſtinus, & alii. Stilico Imperatoris Honorii Socer, ac totius Imperii Occidentalis Rector, & Gubernator, libros Sibyllinos, quià noxios reputatos, vel meliùs ut eorum abolitione ſeditionem in Cæſarem concitaret, exuri fecit (*h*): quâ de rè Claudianus; *Nec tantùm Geticis graſſatus proditor armis, antè Sibyllinæ fata cremavit opis* (*i*). Demùm generalitèr de libris noxiis, vel pro talibus habitis, ut è medio tollantur, & extirpentur, adſunt antiqua reſponſa Ulpiani (*l*), & Pauli Juris conſultorum (*m*). Etiàm Philippus Melancton perfidus hæreticus exclamabat, multum intereſſe cavere, ne libri cum impiis dogmatibus divulgentur (*n*). Etiàm Joannes Calvinus iniquiſſimus hęreſiarcha magnis fremitibus ejulabat, ne malorum librorum permitteretur impreſſio (*o*). Quid plura! Rem attentavit Martinus Lutherus, itidem procaciſſimus hæreſiarcha, adeò impudentem, ac temerariam, ut eam auſum eſſe mentem; egiſſe, fidem excedat hominum. Audito enim, quod ejus ſcripta, & Lovanienſes, & Colonienſes Theologi condemnaverant, Romæque Leo PP. X. tamquàm hæreſes continentia fecerat per manus Carnificis uſtulari; ipſe in foro Vvitembergæ magnâ Scholarium, & aliorum hominum comitante catervâ, Codices Juris Pontificii, Leoniſque ipſius Bullam, ſive Decretum, ſua ſcripta condemnans, impudentiſſimè concremavit, garriendo interim, ac circumſtantibus audientibus repetendo: *quià tù conturbaſti Sanctum Domini, ideò tè conturbet ignis æternus* (*p*). Quo facto libellum edidit, rationem ſuę temeritatis reddentem, ac probantem, ex vetuſto more, ſingulis ſæculis obſervato, libros malos, & pernicioſos (quale ipſe rebatur Jus Pontificium, ac Leonis Papæ Decretum) eſſe abolendos, prohibendos, ac flammis deſolantibus incendendos, ejuſque rei teſtimonium in Apoſtolorum Actis extare (*q*).

6. Hanc autèm facultatem, quâ Principes, & Magiſtratus Laici, ac Pagani potiti ſunt, & quam vel ipſi Hæretici uſurpant, nullum credimus futurum adeò inſanum, vel impudentem, ut Dei Eccleſiæ deneget; cui ſi non majora, uti omne jus exigit; ſaltèm æqualia Ethnicis debet tribuere privilegia. De fide eſſe cenſet Suarez, quod in Eccleſiâ ſemper fuerit, & ſit poteſtas inhibendi libros malè de Religione tractantes, ac morum honeſtatem, decoremque ſacrę diſciplinæ ſuis dicacitatibus infamantes (*r*). Et quidèm jure merito, quippè ſine illorum interdictione, Fides Catholica ſartatecta conſiſtere, ac decor Chriſtianæ profeſſionis non poteſt incolumis permanere. Porrò cur Eccleſia deterioris eſſe debet conditionis nùnc, cum Chriſti Crux in fronte Regum fixa eſt, ut ait eloquentiſſimus Auguſtinus (*s*), quàm fuerit, quando eam Pagani Cęſares, ac Principes Ethnici conculcabant (*t*)? Sanè uſque ab initio Eccleſiæ fuit mos libros noxios abigendi: Nàm legimus D. Pacromium ſuis Monachis quandòque denuntiaſſe: *Volentes Deum eſſe vobis propitium, accipite omnes libros Origenis, & proiicite in flumen* (*u*). Ab eodem quoque initio, teſte Tertulliano, ad Eccleſiam pertinuit definire, qui libri hagiographi, & qui apocryphi eſſent (*x*). Et unicuique Epiſcopo in ſuâ Diœceſi licitum ſemper fuit lectionem librorum interdicere (*y*), quorum ſermonem proſpicit ſuo Ovili probabilitèr nociturum (*z*). Et ità Joannis Vviclephi libros, impia continentes, Sbinco Epiſcopus Pragenſis damnavit, ex eiſque ducenta, & ampliùs exemplaria tegumentis pretioſis, & bullis aureis exornata, hìnc indè circumcar-

(a) *Svetonius in Auguſto.*

(b) *Svetonius in Caligula.*

(c) *Euſeb hiſt. l. 8. c. 2 Niceph. l. 7. c. 3.*

(d) *Martyrolog. Rom. die 2. Januarii, & ibi Baron. in notis.*

(e) Concil. Cirtenſe *ann. 303.*

(f) Optat. *l. 1. contr. Parmenion.*

(g) *Arnob. l. 4. adverſ. gentes.*

(h) *Ludov. Vives. in S. Auguſt. de Civit. lib. 18. c. 23.*

(i) *Rutil. Claudian. ap. Vives. loc. cit.*

(l) *L. 4. § tantundè ff famil. berciſcund.*

(m) *Paul l. 5. recept. ſentent. tit. 23. ad leg. Cornel. de Sicar.*

(n) *Jacob. Gretſer. de prohibit. librorum.*

(o) *Riſpoſta all' Hiſtor dell' Inquiſit. di Fr. Paolo f. 235.*

(p) *Floremund. Remund. hiſt. hæreſ. Sæcul 16. l. 1.*

(q) *Sleidanus libr. 2.*

(r) *Suarez de Triplici Virtute diſp. 20. ſect. 2 num. 4.*

(s) *S. Auguſtin. in Pſalm 54.*

(t) *Thomas del Bene de Immunit. c. 1. dub. 15. num 12.*

(u) *Vit. S. Pachomii apud Lipoman die 14. Maii tom. 6.*

(x) *Tertull de pudicit. cap. 10.*

(y) *Theoph. Raynaud. de libr. bon. & mal. partit. 3. Eroten 2. n. 466. Gerſon tract. 1. de exam. doctrin p. 2. conſid. 1. 2. 3.*

(z) *Vide Jo. Fileſac. de Sacr. Epiſcoporum auctor lib 1. c. 7. Azor. inſt. mor. p. 1. l. 8. c. 16. Barboſ de off. & poteſtat. Epiſc. p. 3. alleg. 90*

cumcarpta, fecit uno tempore concremari (*a*). Longèque anteà Euſebius Epiſcopus Doryleī impia Neſtorii dogmata, hinc indè ex ejus libris collecta, necnon ea, quæ Paulus Samoſatenus effutierat, uni chartulæ inſcripta, ac publico loco affixa, damnavit (*b*). Rè verâ cum Epiſcopi ſit populum ſuum paſcere verbo, & exemplo, & ut ait Apoſtolus: *amplecti eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos, qui contradicunt, arguere* (*c*); profectò ad eum ſpectat Ovili ſuo paſcua contaminata ſuggerere, ut ab ejus pabulo ſe contineat (*d*). Undè benè Auguſtinus: *noſtrum eſt conſiderare, quibus vel hominibus, vel libris credendum ad colendum rectè Deum, quæ certa ſalus eſt* (*e*). Et de cunctis generalitèr Epiſcopis hæc ait Fileſacus: *Librorum improbatæ lectionis, & qui ſævum aliquod dogma contineant, ut loquuntur Imperatores, damnandorum jus ad Epiſcopos ſemper ſpectaſſe quis ignorat? Unius Juſtiniani teſtimonium, vel pervicacioribus ſufficere arbitror: is in edicto ad populum Conſtantinopolitanum de libris hæreticorum ſic loquitur. In Eccleſiâ à ſanctis Patribus plurima inquiſitio facta eſt in libros hæreticorum, utpotè plenos impietate: hoc autèm tunc faciebant Catholicæ Eccleſiæ Doctores, nè ſimpliciores legentes impia ſcripta, à rectâ fide declinarent* (*f*). Nàm etſi interdùm in aliquibus horum librorum aliquid eſſe boni contingat; præveniendum nihilominùs eſt periculum, & eorum lectio inhibenda eſt, nè incautorum aures demulceant, & cor corrumpant; pluſque noceant inſipientibus, quàm ſapientibus in rè aliquâ valeant deſervire, uti ajebat Sulpicius (*g*).

7. Affuit Eccleſia Dei clamoribus Sanctorum Epiſcoporum, adversùs prava volumina detonantium, ne fidelium ſtudio paterent: notumque eſt Eruditis adagium S. Gregorii Nazianzeni, dicentis hujuſmodi ſcripta eſſe diſperdenda, velut aſpidum ova, quæ non niſi nata ſunt ad aſpides procreandos (*h*). Et S. Iſidorus aſſerebat, meliùs eſſe eorum perverſa dogmata ignorare, quàm per experientiam illorum lectionis, in aliquem laqueum erroris incurrere (*i*). Nèc ſerò, nèc novitèr, ſed uſquè à primis Sæculis Chriſtianæ Religionis incæpit hæc in Eccleſiâ Dei diſciplina, ut à ſacris Paſtoribus abolerentur ſcripta nefaria, fidei puritati non conſona. Et ità fuiſſe ab Apoſtolis individuâ interdictione prohibitum, ne Fideles, Gentilium Codices lectitarent, ſcribit Clemens in Conſtitutionibus Apoſtolicis (*l*). Clariùſque hâc de rè habetur in Actis Apoſtolorum: *Multi autèm ex eis, qui fuerant curioſo ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coràm omnibus, & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium* (*m*). Teſtis eſt Divus Athanaſius, quod novitèr ad Chriſtianam fidem converſi, impiæ vanitatis Codices incendio conſumebant (*n*). Et ità fecit S. Cyprianus, anteà Magus, qui libros magicos ſtatìm, acceptâ fide, peruſſit, uti refert S. Gregorius Nazianzenus (*o*). Hæreticorum nullus ad fidem admittebatur, niſi Codices, à sè hæreticè ſcriptos, Eccleſiæ conſignaret, igni tradendos (*p*). Et quod Codices, prava dogmata continentes, prò addictis igni haberentur, indicat D. Auguſtinus, ſic de Mago quodam à sè ad pietatem tracto, proloquens: *Perierat iſte: nùnc quæſitus, inventus, adductus eſt: portat ſecum Codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem miſſis, ipſe in refrigerium tranſeat* (*q*). Gratioſiſſimum factum Sancti Ephrem Syri refert S. Gregorius Nyſſenus, nempè quod avidus diſperdendi volumen, ab impio Apollinari compoſitum, Concubinam ejus adivit, voluminis cuſtodem, & ut illud ad breve tempus ſibi commodaret, obtinuit. Tùnc Ephrem ſingulas libri paginas hinc indè glutine delibutas, in unum aptavit, & clauſit, retulitque Concubinæ, quæ factum non advertit. Mox provocato ad diſputandum Apollinari, cum hic ad Codicem ſuum recurreret, illum ità ſimùl conſolidatum invenit, ut aperiri non poſſet: qui sè deluſum, & librum abolitum invenit (*r*). Præſertìm verò à Patribus in Conciliis, vel Generalibus, vel Nationalibus, vel Provincialibus, congregatis, hæc habita eſt ſollicitudo, ut libri, falſa dogmata continentes, proſcriberentur, abolerentur, incende-

(a) *Æneas Sylv. hiſtor. Bozm. c. 33.*

(b) *Fileſacus loc. cit. fol. 14.*

(c) *Ad Titum c. 1. num. 9.*

(d) *Card. Albitius de Inconſt. in fide c. 30. num. 159.*

(e) *S. Auguſt. lib. unic. de ver. relig. c. 25. 20. 1.*

(f) *Jo. Fileſac. de Sacr. Epiſcopor. auctor. cap. 1. § 7.*

(g) *Sulpic. in Dialog. 1. § 1. Barboſ. de offic. Epiſc. Alleg. 90. num. 1.*

(h) *S. Gregor. Nazianz. orat. 2. de fide.*

(i) *S. Iſidorus in reg. cap. 8.*

(l) *Clem. Alex. l. 1. Conſt. Apoſt. c. 7.*

(m) *Actor. cap. 19. num. 19.*

(n) *S. Athanaſ. de Incarn. Verbi.*

(o) *S. Gregor. Nazianz. orat. 13.*

(p) *Socrates hiſtor. lib. 1. cap. 24.*

(q) *S. Auguſt. in Pſalm. 61.*

(r) *S. Gregor. Nyſſen. ſerm. de S. Ephrem.*

rentur. Sacris enim Synodis ineſſe poteſtatem pravæ lectionis volumina interdicendi, non eſt in dubium revocandum (*a*). Deeſt tempus omnia ſigillatim Concilia percurrendi; aliqua tamèn adnotabimus, quæ intentum, de quo agimus, comprobabunt.

8. Concilium Nicœnum I. igni adjudicaſſe libros peſtilentiſſimos Arrii auctor eſt Nicephorus (*b*). Concilium Epheſinum damnaſſe Codices impii Neſtorii, memorat Liberatus (*c*). Eutychetis volumen cenſurâ damnationis pupugit Concilium Chalcedonenſe (*d*). Idem Concilium libellos Manichæorum fecit exuri (*e*). Concilium Toletanum III. libellum, ab Arrianis pridèm editum anathematiſmo percuſſit (*f*). Plura Concilia Epiſcoporum in Ægypto habita, Tomos Origenis, nè legerentur, ſeveriſſimè interdixerunt (*g*). Concilium Conſtantinopolis impii Severi ſcripta flammis addixit (*h*). Concilium Carthaginenſe IV. Gentilium, & Hæreticorum libros legi prohibuit (*i*). Concilium Conſtantinopolitanum ſecundum Generale V. tria Capitula, ſive ſcripta Theodori Mopſueſteni, Theodoreti Cyrenſis, & Ibæ Edeſſeni ſolemnitèr condemnavit (*l*). Deindè adversùs Origenis Adamantis dogmata anathema pronuntiavit (*m*). Concilium in Cypro habitum operâ S. Epiphanii, ejuſdem Origenis libros ſolemnitèr interdixit (*n*). Concilium Trullanum Conſtantinopolitano III. adjectum, apochryphas Martyrum hiſtorias igne mandat abſumi (*o*). Concilium Bracarenſe I. adversùs Codices Priſcillianiſtarum hanc edixit ſanctionem: *ſi quis Scripturas, quas Priſcillianus ſecundùm ſuum depravavit errorem, vel tractatus Dictinii (quos ipſe Dictinius antequàm converteretur, ſcripſit ſub nomine Patriarcharum, & Apoſtolorum, & ſuo errori conſona confinxit) legit, & impia eorum figmenta ſequitur, aùt defendit; anathema ſit* (*p*). Concilium Toletanum XII. hæc intèr cætera definivit, *ne Judæi libros legere audeant, quos Chriſtiana fides repudiat* (*q*). Concilium Nicœnum II. hoc Decretum emiſit: *Puerilia omnia ludibria, quæ adversùs ſanctas Imagines edita ſunt, oportet dari Epiſcopo Conſtantinopolitano, ut cum reliquis hæreticis libris reponantur. Si quis autèm hæc celare inventus fuerit, ſi ſit Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, deponatur. Si autèm Laicus, aut Monachus ſegregetur* (*r*).

9. Concilium Vercellenſe ſcripta Joannis Scoti Erigenæ, Monachi Benedictini Malmesburienſis, damnavit, etſi judicio Eccleſiæ ſè in omnibus ſubmiſiſſet (*s*). De quo S. Lanfrancus poſteà Epiſcopus Cantuarienſis ità eſt Berengarium hæreticum allocutus: *Declarata eſt Synodus Vercellenſis &c. ad quam vocatus non veniſti: Ego verò præcepto, & precibus præfati Pontificis uſquè ad ipſam Synodum ſecum remanſi, in quâ in audientiâ omnium, qui de diverſis hujus mundi partibus illùc convenerant, Joannis Scoti liber de Euchariſtiâ lectus eſt, ac damnatus* (*t*). Concilium Romanum anno 1059. ejuſdem Joannis Scoti libros, per manus Berengarii in ignem conjectos, fecit aduri: de quo idem S. Lanfrancus ad ipſum Berengarium: *Tù quoquè inclinato corpore, ſed non humiliato corde, ignem accendiſti, libroſque perverſi dogmatis in medio ſancti Concilii in ignem conjeciſti* (*u*). De quodam Concilio Pariſienſi narrat Rigordus, quod libellos quoſdam, nupèr è Græciâ in Galliam transvectos, & Ariſtoteli appropriatos, quià Almarici hæretici deliria confovebant, damnavit: *quoniàm*, inquit, *non ſolùm prædictæ hæreſi Almarici ſententiis ſubtilibus occaſionem præbebant, imò & aliis nondùm inventis præbere poterant, juſſi ſunt omnes comburi, & ſub pœnâ excommunicationis cantum eſt in eodem Concilio, ne quis eos de cæterò ſcribere, legere præſumeret, vel quocumque modo habere* (*x*). Concilium Conſtantienſe libros Vviclephi exuri mandavit (*y*): Et nè pluribus immoremur, Concilium Tridentinum ultimum generale, Synopſim librorum interdictæ lectionis conſcribi fecit, ac eis decem regulas anteponi, normam hujuſmodi materiæ daturas (*z*). Silemus graviſſimam cenſuram inuſtam à Concilio Romano, ſeu à Gelaſio Papâ I. & ſeptuaginta Epiſcopis cum eo Synodalitèr adunatis, numeroſo voluminum elencho, doctrinas apo-

(a) *Albitius de Inconſtantia in fide c.30, num.156.*
(b) *Nicephor. Hiſt. lib.8 c.18.*
(c) *Liberat. Breviar. cap.10.*
(d) *Conc. Chalced. Act.1.*
(e) *Platin. in Vita S. Leonis.*
(f) *Conc. Tolet. III. ann 859.*
(g) *Sulpitius in Dialog. 1. c.3.*
(h) *Card Baronius ann.536. n.106.*
(i) *Concil. Carthagin. IV. c.16.*
(l) *Concil. Conſtantinopol II. c.12.13. & 14.*
(m) *Nicephor. hiſt. lib.17. c.27.*
(n) *Socrat. hiſt. lib.6. cap 9.*
(o) *Concil. Trullan. cap 63.*
(p) *Concil. Bracarenſ I. ann.563. c.17.*
(q) *Conc. Tolet. XII. ann.681. c.9.*
(r) *Conc. Nicœn. II. cap.9.*
(s) *Fulgoſius lib.1. cap 1.*
(t) *S. Lanfranc in Comment. adverſ. Berengar.*
(u) *Idem S. Lanfranc. loc. cit. c.2.*
(x) *Rigord. hiſt Philip. Auguſt ann.1209.*
(y) *Conc Conſtantienſ. ſeſ.8. & 15.*
(z) *Concil. Trident. in fine.*

apocryphas, & reſpectivè falſas, ac noxias continentium (*a*), ut ſunt Evangelia Barnabæ, Bartholomæi, ac Thaddæi (*b*), Liber Paſtoris (*c*), Alter Nepotis (*d*), Revelatio Thomæ (*e*), Tranſitus Mariæ (*f*), Teſtamentum Jacob (*g*), Pœnitentia Origenis (*h*), Sortes Apoſtolorum (*i*), Contradictio Salomonis (*l*), & alii ſimilis farinæ Codices, quos omnes Concilium damnat, ac reprobat. Alia Concilia idem agentia paulò inferiùs intuebimur (*m*).

10. Illud verò notabile eſt, quod poſtquàm fides Chriſtiana per univerſum Orbem eſt effuſiùs dilatata, ſublatiſque perſecutoribus, eſt quiete ubilibet ſolidata, libros prava dogmata continentes, Eccleſia velut ex officio fidelium lectioni ſuſtulit: eique morem gerentes Principes, & Monarchæ terreni ſunt veluti famulati, ſupplicia, & mulctas temporales prævaricatoribus intimantes, ut pœnis Sæculi comprimerent, quos nec Dei timor, nec Eccleſiaſtica cenſura corrigeret (*n*). Sic primò Patres Concilii Nicæni I. decretum damnationis Codicum impii Arrii ediderunt, deindè Magnus Conſtantinus Edictum, de illorum exterminio promulgavit, & libros etiàm impii Porphyrii prorsùs fecit abſumi (*o*). *Oportuit*, inquit Fileſacus, *libros iſtos à ſacris Eccleſiæ Doctoribus, & Paſtoribus diſquiri, atquè expendi, tùm ob pravam doctrinam rejici, & damnari, deindè ab Imperatore edicto publico flammis ultricibus publicè addici, aut ſaltèm eorum lectionem interdici* (*p*). Sic etiam primò Patres Concilii Epheſini Neſtorii ſcripta damnarunt, & deindè Imperator propriâ ſanctione, illos prohibuit retineri: quâ de rè Liberatus: *Neſtorii Sectatores videntes libros illius blaſphemos non poſſe proferri in publicum, eo quod Synodo Epheſinâ anathematizante fuerunt condemnati, & Imperiali lege prohibitum fuerit, ne quis eos legere auderet, aùt defendere &c.* (*q*). Sic pariter damnatis à Concilio Chalcedonenſi, ſcriptis Eutychetis, Imperatores Valentinianus,& Marcianus eâdem hâc Cæſareâ Conſtitutione pulſarunt: *Nulli contrà venerabilem Chalcedonenſem Synodum liceat aliquid vel dictare, vel ſcribere, vel edere, atque emittere, vel ſcripta ſuper eâdem rè proferre. Nemo hujuſmodi habere libros, & ſacrilega ſcriptorum audeat monumenta ſervare &c. omnes verò hujuſmodi chartæ, ac libri, qui funeſtum Eutychetis, & Apollinaris complexi fuerint dogma, incendio concrementur* (*r*). Sic Carolus Magnus adversùs epiſtolam, ab Adalberto Hæretico confictam, uti è Cœlo in terras delapſam, & ab Epiſcoporum cœtu damnatam, decrevit: *Itèm & pſeudographa, & dubiæ narrationes, vel omninò, quæ contrà fidem Catholicam ſunt, ut epiſtola peſſima, & fallaciſſima, quam tranſacto anno dicebant aliqui errantes, & in errorem alios mittentes, quod de Cœlo cecidiſſet, nec credantur, nec legantur, ſed comburantur* (*s*). Similis nempè fuerat hæc nænia alteri, quam confinxerant Helcheſaitæ, de libro quodam ſuæ fidei, quem autumabant Cœlo dilapſum, uti refert Euſebius (*t*). Quę dum agebant Principes, *non è vero, che nella primitiva Chieſa i libri degl' Heretici foſſero eſaminati, e dichiarati per tali da Concilii, mà non prohibiti da loro, anzi dal Prencipe, percioche il divieto naſceva principalmente dai Padri dè Concilii, e dai Sommi Pontefici, & il Prencipe ſecolare in eſecutione di eſſo promulgava le ſue leggi &c. Egl' Imperatori coadiuavano eo i loro Editti il divieto Eccleſiaſtico, e cercavano d'atterrire con l'acerbità delle pene temporali li traſgreſſori* (*u*).

11. Igitùr ad Eccleſiam propriiſſimè ſpectat libros, & ſcripta depravatæ lectionis improbare, cenſurâ damnationis percutere, de medio fidelium tollere, illos abolere, vel aboleri facere, hocque officium Epiſcoporum eſt (*x*). De quo præfatus Fileſacus ait: *ſat ſit totius Eccleſiæ conſenſu ratum illud, & firmum exiſtere, Epiſcopos eſſe legitimos judices, & arbitros earum rerum, quæ Fidem, Doctrinamque Catholicam, Chriſtianam ſpectent* (*y*). Et ità Epiſcoporum officium hoc eſt, ut nullo modo illud ſibi valeant laici Principes arrogare: Non enim illorum eſt definire, quæ ſit ſana doctrina, quodnam ſit pabulum ſalutare, quippè quibus à Deo non eſt datum, Ovile Chriſti paſcere, ſed paſci: Non paſtoris officio fungi, ſed ovis. Nàm *omnibus Epiſcopis ſuis* (inquiebat Carolus Calvus Imperator) *Ec-*

(a) *Concil. Roman. ann. 494.*
(b) *Baron. ann. 44. num 41. & ann. 51. num 51.*
(c) *Bellarm de Verb. Dei l. 1. c. 20. Medina de rect. fid. in Deum l. 6. cap 17.*
(d) *Covar. l. 4. var. cap. 17. n 4 Poſſev. appar V. Nepos.*
(e) *Baron ann. 44. num 58 Covar loc. cit.*
(f) *S August ſer. 35. de Sanctis. Barboſ. in cap 1. diſt 15.*
(g) *Poſſevin. appar. V. Jacob Covar loc cit.*
(h) *S Epiphan. Hæreſ 64. Baron. an. 213. num 118.*
(i) *Burchard lib. 3. cap. 223. Baron. an. 44. num. 49.*
(l) *Bellarm. de Scrip. Eccleſ Verb. Salomon. Sixt. Senenſ. Bibliot. lib. 2. V. Salomon.*
(m) *Vid. infr. in hoc capit n 14 & 15.*
(n) *Vid. Azorium inſt. mor. p 1. l 8. c. 16 qu 9. De Lugo de virtute fidei diſp. 21 ſect 2. n. 24 Fileſac. de Sacr. Epiſcopor. auctor. c. 1. § 7. fol. 16.*
(o) *Socrat. hiſt. lib. 1. cap. 6.*
(p) *Joan. Fileſac. loc. cit f. 14.*
(q) *Liberat Breviar. cap. 10.*
(r) *Leg. quicumq. §. nulli, & § omnes, C. de hæret. Evagr. l. 2. c. 2. Socrat. l. 1. c. 6.*
(s) *Capitular. Carol. M l. 1. c. 78.*
(t) *Euſeb. hiſt. lib. 3. cap. 37.*
(u) *Riſpoſt. all' Hiſtoria dell' inquiſ. di Fr. Paolo f. 227.*
(x) *Albitius de Inconſt. in fid. cap. 30. à num. 158 ad 185.*
(y) *Joannes Fileſacus de Sacr. Epiſcopor. auctor. c. 1. § 7. f. 18.*

Digitized by Google

cleſiam ſuam Chriſtus Deus noſter concluſit, cui & nos in omnibus venerabilitèr ſubdi oportet (a). Quamquàm Principibus non ſit inhibitum libros ſeditioſos, quietis publicæ turbativos, bono Reipublicæ adverſos, ac perſonæ ipſius Principis injurioſos, è ſuâ ditione repellere, quandò, & quantum honeſtæ politiæ ratio depoſcit: hâc enim de rè diſertè in Civili jure diſponitur (b). *Quandò hæreſis*, ait Riciullus, *non eſt adhùc detecta &c. aut Princeps ſecularis vult damnare libros, tamquàm continentes doctrinam contrà publicum Reipublicæ bonum, veluti quià Status ſecreta produnt, vel ſeditionis præcepta continent, & in tali etiam caſu poteſt Princeps tales libros ab ejus Republicâ eliminare, non ſecùs ac improbos, & ſeditioſos homines repellere &c. quod tempeſtate noſtrâ à laicis Principibus non ſemèl factum vidimus. Aut vult illos damnare tamquàm continentes hæreſes, ab Eccleſiâ adhùc non damnatas, & hoc facere nullatenùs poterit, propterèà quod eſſet proferre judicium de Hæreſi, quod eſt merè Eccleſiaſticum, cap. ut inquiſitionis §. prohibentes de hæret. in 6.* (c). Itàque citrà res ad Religionis lineam pertinentes, in reliquis poteſt Princeps libros maledicos, obſcœnos, bonis moribus, & regulis boni regiminis adverſantes, propriâ auctoritate inhibere: Tamèn *s'egli per intereſſe di Stato, ò per altra tale cagione vorrà ſtendere i ſuoi divieti ai libri approvati da Santa Chieſa, accommodati al mantenimento dei buoni coſtumi, al ſeminare virtuoſe operazioni, & à propagare, conſervare la vera Religione, e diſciplina Eccleſiaſtica, egl'è certo, che trapaſſando i termini della ſua poteſtà, non valeranno quelle prohibitioni &c. Hebbe autorità Diocleziano di vietare i libri dell'arte Chimica &c. mà non l'hebbe già di prohibire quelli della Criſtiana Religione &c. Teodoſio Imperatore dannò i libri di Neſtorio, e di Porfirio &c. e l'opere di Teodoreto &c. Hebbe ben facoltà di prohibire i primi, mà non già le ſeconde. Fù perciò ad iſtanza del Concilio Calcedonenſe, revocato quel divieto, e laſciato correre l'Opere di Teodoreto, da lui ſcritte contro Eutiche, come contenenti ſana dottrina dalla Chieſa approvata &c. Potrà vietare ne' ſuoi Stati il Trattato del Principe di Nicolò Macchiavello, mà non già il Trattato de Regimine Principis, ſcritto da S. Tomaſo &c.* (d). Nec etiàm Epiſcopus damnare poteſt librum propter propoſitiones in eo contentas, non damnatas ab Eccleſiâ, quià ſic videretur velle condere articulum fidei, quod non poteſt ab uno Præſule fieri, ſed debet à Summo Pontifice definiri (e). Si tamèn propoſitiones eſſent periculoſæ, quas Epiſcopus cerneret non cohærere cum definitionibus Eccleſiæ, vel accedere ad errores ab illâ damnatos, poſſet lectionem libri eos continentis Epiſcopus inhibere, ſaltèm donec à Sede Apoſtolicâ res ultimatè definiretur (f). Quo vero ad libros morum honeſtatem, vel diſciplinam Eccleſiaſticam inficientes, aut alitèr prohibitione dignos; latiorem habet Epiſcopus eoſdem interdicendi poteſtatem, etiam ſi in alienâ Diœceſi fuiſſent cum ſolitis approbationibus publicati (g).

12. Sanè cum facultas damnandi libros, vel contrà fidem, & veritatem, vel contrà bonos mores, prava dogmata continentes, aliâve de causâ dignos cenſurâ ſit in Eccleſiâ, multò magis eſt apud Caput fidei, & Doctorem Eccleſiæ, Romanum nimirùm Pontificem, Chriſti Vicarium, & Petri Succeſſorem, quippè nulli individuè Chriſtus officium paſcendi ſuum ſpirituale Ovile commiſit, niſi Petro, ter id illi inculcando: *paſce Oves meas, paſce Agnos meos* (h). Nulli indefectibilitatem ſuæ fidei, nulli munus confirmandi fratres ſuos, niſi Petro Chriſtus addixit (i). Ad Petrum ergò, ejuſque Succeſſores, pertinet principalitèr, mala, à bonis paſcuis, quo agat ovile Chriſti, ſecernere: deficientem intèr inproba dogmata puritatem fidei cuſtodire, & ne devient in delectu doctrinæ ſalutaris, fratres ſuos confirmare: quod in idem reſonat, ac effari, proprium eſſe officium Summi Pontificis *ſeparare pretioſum* à vili (l) in genere doctrinæ: bonos libros à nefariis dividere: utiles Eccleſiæ proponere, & pravos abſcindere ne legantur; ſicque in Chriſtiano populo realitèr adimplere, quod figuralitèr ab Eccleſiæ Paſtore faciendum Propheta myſticè præſignavit: *in paſcuis uberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſrael*

(a) *Carolus Calv. ep. ad Adon. Viennenſ. ap. Sirmond. tom. 3. Conc. Gall. f. 377.*

(b) *Leg. cætera ff. famil. hereiſcũd Lunic. C. de famoſ. libel. l. lex Cornelia §. ſi quis librum ff. de injur. l. ob carnem ff. de Teſtib.*

(c) *Anton. Riciull. lus de jure perſon. l. 5. cap. 22 n. 2.*

(d) *Riſpoſta all'Hiſtor. dell'Inquiſitione di Fr. Paolo f. 228.*

(e) *Card. Albit. de inconſt. in fide cap. 30. num. 160.*

(f) *Theophil. Raynaudus de bon. & mal. libr. partit. 3. Erotem. 2. num. 469.*

(g) *Albitius loc. cit. num. 164. & ſeq.*

(h) *Joannis c. 21. num. 15. 16. 17.*

(i) *Lucæ c. 22. n. 32.*

(l) *Jeremiæ cap. 15. num. 19.*

Iſrael erunt paſcua earum: ibi requieſcent in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur ſupèr Montes Iſrael (*a*). Rursùs ſi hæc facultas ineſt Epiſcopis reſpectu ſuarum plebium, uti ſuprà probavimus; Eccur non inerit Summo Pontifici reſpectu totius Eccleſiæ? Summo Pontifici, de quo S. Bernardus: *Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti, uni unus: Nec modo Ovium, ſed & Paſtorem, tu unus omnium Paſtor* (*b*). Cernimus quod Monarchæ non ſemèl ad Sedem Apoſtolicam habuerunt recurſum, ut libros eis noxios prohiberet. Sic enim ut Boterus malè de Gallicâ natione in ſuis relationibus loquens, interdicto vetitæ lectionis Romæ afficeretur, Galli egerunt: Et idipſum fecerunt Hiſpani de relationibus Antonii Perez. Alii quoquè ſimilitèr quoàd alios libros ſe geſſerunt, recognoſcentes in Summo Pontifice poteſtatem hanc, à Deo cælitùs acquiſitam (*c*).

13. Demùm non poſſunt hujus facultatis eſſe compotes Epiſcopi in Conciliis, vel Provincialibus, vel Nationalibus, vel Generalibus congregati, quin eminentiùs eam poſſideat Summus Pontifex, cujus eſt auctoritatem ſacris Synodis impertiri, & *cujus*, inquit D. Thomas, *auctoritate ſolâ Synodus congregari poteſt* (nempè generalis Synodus. Nationalis enim, & Provincialis, ab Archiepiſcopis, & Primatibus congregantur, ſed dependentèr à poteſtate, illis per Pontificem, ſeù per Canones, à Summo Pontifice approbatos, conceſsâ) *cujus*, inquam, *auctoritate ſolâ Synodus congregari poteſt, & à quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum à Synodo appellatur* (*d*). Profectò libros omnes, antequàm publicam lucem aſpicarent, voluit Plato priùs ritè examinari, atque diſcuti, ne fortè quid continerent, quod religioni, aut bonis moribus repugnaret (*e*). Utinàm hoc ad praxim attentè redigeretur: non enim tot falſa, tot obſcœna, tot à puritate fidei devia, artem typographicam profanaſſent, eluſâ, vel contemptâ Ordinariorum advertentiâ, quorum eſt licentiam pro librorum impreſſionibus impertiri (*f*). Olim omnium librorum examen Summi Pontificis auctoritate fiebat, ut obſervat Cardinalis Baronius (*g*). Hocque profitetur S. Anſelmus Cantuarienſis in libro de Incarnatione Verbi (*h*). Hoc Goffredus Viterbienſis (*i*), & alii. *In uſu fuit*, inquit Bail, *ut qui libros conſcriptos vulgaturi erant, recognoſcendos, ac probandos à Summo Pontifice procurarent. Teſtis eſt D. Auguſtinus in exordio lib. 1. contr. duas Epiſtolas Manichæorum. S. Anſelmus lib. de Incarnatione Verbi Cap. 1. Martinus Papa conqueritur, quod quidam Joannes, Natione Scotus, tranſtuliſſet in latinum opera D. Dionyſii Areopagitę de Divinis Nominibus, & Cæleſtibus Ordinibus, abſque eo quod juxtà morem Eccleſiæ, ad ſè miſſum prius fuiſſet illud ſcriptum, & ſuo judicio approbatum* (*l*). Alexander Papa III. gratias agit Magiſtro Hugoni de libro ſibi miſſo (*m*): Plura exempla librorum per Auctores ad Summum Pontificem tranſmiſſorum, ponit Cardinalis Albitius dicens; *ſic opera ſua Eulogius Patriarcha Alexandrinus ad Gregorium Magnum: ſic D. Anſelmus ad Urbanum ſecundum libros de Incarnatione: ſic Anaſtaſius Bibliothecarius ad Nicolaum vitam ab eo conſcriptam S. Joannis Eleemoſynarii, & tùnc fuiſſe morem Eccleſiæ teſtatur Marinus Papa in epiſtolâ ad Carolum Calvum* (*n*). Et alibi ait: *Lo Spondano nell'Epitome dice, che l'uſo di ſottoporre alla cenſura del Sommo Pontefice l'opere di qualſivoglia ſcienza, fù antichiſſimo nella Chieſa Orientale, & Occidentale tratto da ciò, che fece S. Paolo, il quale ſottopoſe all'approvazione di Pietro il Vangelo, ch'egli ſe ſcrivere* (*o*).

14. Sed quià hujuſmodi mos, mittendi libros Pontifici ventilandos, jàm ab aulâ receſſit, & ob immenſum librorum, qui in dies emergunt, numerum, difficultèr etiam ſervari poſſet; plena reſtat eidem Pontifici poteſtas libros noxios cenſurandi, & quos vel fidei, vel veritati, & morum puritati, Eccleſiæ juriſdictioni, & honori Principum, comperit obviare, ille tamquàm ex officio, vel prohibet, vel ſuſpendit, vel corrigi mandat, prout, habito ſuper his cum doctis, & egregiis Cardinalibus, Prælatis, ac Theologis, doctiſque viris tractatu, in Domino comperit

(a) *Ezechiel. c. 34. num. 14.*

(b) *S. Bernard. de Conſid. l. 2.*

(c) *Riſpoſt. all'Hiſtor. dell'Inquiſ. di Fr. Paol. fol. 216.*

(d) *Thomaſ. de potent. qu. 10. art. 4. ad 13.*

(e) *Plato de Republ. lib. 7.*

(f) *Leo X. conſtit. 12 §. 2 Concil. Lateran. V. ſeſ. 10.*

(g) *Card. Baron. an. 490. n. 41.*

(h) *S. Anſelm. de Incarn Verb. c. 1.*

(i) *Goffr. Viterb. in ſuo Pantheon. in princ.*

(l) *Ludov. Bail to. 1. ſum Conc. in Conc. Later. III in fin.*

(m) *Alexand. III ep. 49. ap. Binium to. 7 p. 2 Conc. f. 635.*

(n) *Albit. de inconſt. in fide cap. 30. n. 155.*

(o) *Riſpoſt. all'Hiſtor. di Fr. Paolo f. 219.*

perit

perit expedire. Nèc hanc facultatem ſibi nudius tertiùs arripuit, vel à paucis annis, vel à non multis ſibi ſæculis uſurpavit; ſed eam ſemper habuit, eam à ſuâ dignitate obtinet indivulſam: & pretèr rationes nupèr allegatas, quibus eam illi competere demonſtravimus, en alia ratio ponderis non minoris; nempè praxis, quâ per remotiora Eccleſiæ ſæcula conſueverunt Summi Pontifices ſcripta, & libros noxios abolere. Et quamvis in jure Canonico hæc librorum prohibitio formalitèr non legatur, niſi obiter in cap. Sacroſancta diſt. 16. uti notat Suarez (*a*); tamèn ipſa praxis prò lege eſt, pretèr Canonem Bullæ Cœnæ, & leges Imperiales, ipſos libros vetantes (*b*). Itàque *Gelaſius* Papa I. indicem librorum improborum, ſedulò ſupèr eis ſtudio facto, conſcivit, & in Synodo Romanâ 70. Antiſtitum publicavit, ut ſuperiùs innuimus, recenſens ſigillatim volumina, & opuſcula, quæ vocat apocrypha: tùm in decreti fine ſubjungens: *non ſolum repudiata, verùm etiam ab omni Romanâ Eccleſiâ eliminata, atque cum ſuis Auctoribus, Auctorumque ſequacibus, ſub anathematis indiſſolubili vinculo, in æternum confitemur eſſe damnata* (*c*). Neque hic Gelaſii catalogus primus eſt, qui fuerit in Eccleſiâ, continens ſeriem librorum apocryphorum, quippè alium fuiſſe præcedentem ſatis innuit D. Auguſtinus, dùm loquitur: *In his autem apocryphis, etſi invenitur aliqua veritas, tamènproptèr multa falſa, nulla eſt canonica auctoritas &c., ſicùt multa ſub nominibus, & aliorum Prophetarum, & recentiora ſub nominibus Apoſtolorum, ab hæreticis proferuntur, quæ omnia ſub nomine apocryphorum ab auctoritate Canonicâ diligenti examinatione remota ſunt* (*d*).

15. Certè antè Gelaſii tempora *Anaſtaſius* Papa I. librum Feriarchon Origenis, ejuſque tranſlationem, per Ruffinum factam, cenſura prohibitionis affecit, & ut è commercio Fidelium, Deique Eccleſiæ eſſet in perpetuum eliminatus, edixit(*e*). Sanctus quoque *Leo* Magnus Manichæorum, Romæ deliteſcentium ſcripta detexit, & cum ſuis Auctoribus damnata, in foro fecit igne conſumi (*f*). Succeſſivè poſteà *Symachus*, paritèr Papa, ipſis Manichæis Urbe depulſis, eorum Codices antè fores Baſilicæ Conſtantinianæ fecit incendio publicè concremari (*g*). *Hormiſda* itidem Papa ipſorummet Manichæorum denuò pullulantium opuſcula, diris execrata, magno incenſo rogo fecit exuri (*h*). *Vigilio* Summo Pontifici librum Theodori Mopſueſteni examinandum, & cenſurâ condignâ afficiendum Juſtinianus Imperator è Conſtantinopoli delegavit (*i*). Ad Sedem enim Apoſtolicam nulli dubium, quin *ſpecialitèr ſpectet tollere ſcandala de Regno Dei, & ſurgentes ſuccidere ſpinas*, inquiebat D. Bernardus (*l*). *Hadrianus* Papa II. librum impii Photii adversùs Nicolaum Papam, maledica continentem, in Synodo ad examen vocatum, cenſurâ perculit damnationis: plurium pedibus proteri fecit, ac igne tandèm devorante diſperdi (*m*). *Joannes* Papa IX. Acta in Conciliabulo Romano contrà Formoſum in Synodo Ravennati fecit aduri (*n*). Et hanc eſſe praxim ait in Eccleſiâ Dei jugitèr cuſtoditam, dicens: *igne crementur, ſicut de latrocinali Ariminenſi Synodo, & Epheſinâ ſecundâ ſcriptum continetur, & de his, quæ contrà Sanctiſſimum Papam Leonem ab hæreticis acta ſunt, & ſecundum quod tempore D. Hadriani junioris Papæ Synodali conventu illa, quæ contrà D. Nicolaum beatiſſimum Papam Conſtantinopoli nequiret, acta fuerant, igne cremata in Sanctâ Romanâ Eccleſiâ conſtat fuiſſe* (*o*). *Nicolaum* Papam II. ſuprà vidimus feciſſe libros Joannis Scoti per manus Berengarii antè ſe jàm tertio palinodiam recantantis, proiici in ignem (*p*). *Alexander* Papa IV. libros Gulielmi de Sancto Amore, edicto promulgato, abolevit, & in ignem conjectos, totâ cernente Romanâ Curiâ, flammis abſumpſit (*q*). *Leo* Papa X. ſcripta ſacrilegi Lutheri ſpeciali conſtitutione damnavit, ac in ardenti pyrâ projectos, in favillas fecit abire (*r*). Pragmaticam quoquè Sanctionem abolevit, & damnavit in Concilio Lateranenſi V. & ejus exemplaria retineri quoàd eccleſiaſticos ſub pœnâ ſuſpenſionis, & privationis omnium beneficiorum prohibuit, & quoàd laicos ſub pœnâ criminis leſæ majeſtatis, anathematis, & infamiæ (*s*). Ex hac praxi toties, & tàm validè repetitâ patet, quanta ſemper

(a) *Suarez de fid. diſp. 20. ſect. 2. n. 8.*
(b) *Bull. Cœn. cap. 1. l. damnamus. l. quicùq. C. de Hæret. l. Mathematicos. C. de Epiſc. audient.*
(c) *Gelaſ. PP. I. in Conc. Rom. an. 494.*
(d) *S. Auguſt. de Civit. Dei l. 15. c. 23.*
(e) *Card. Baron. an. 402. n. 16.*
(f) *S. Proſp. in Chronic. Baron. an. 443. n. 1*
(g) *Platina in Symacho.*
(h) *Platina in Hormiſda.*
(i) *Card. Baron. ann. 553. n. 28.*
(l) *S. Bernard. ep. 188.*
(m) *Anaſtaſ. Biblioth. in Hadrian. I. Baron. an. 868. n. 36. 37. 38.*
(n) *Sigebert. Gemblacenſis an. 903.*
(o) *Vid. ſupr. tom. 1. Sæcul. 9. c. 26. n. 2.*
(p) *S. Lanfrancus in Commentar. contr. Berengar. cap. 1.*
(q) *Platina in Alexandro IV.*
(r) *Stumphan Helvetic. Chronic.*
(s) *Vide ſupr. tom. 2. Sæcul. 14. c. 1. n. 31.*

per fuerit Romani Pontificis auctoritas in cenſurandis, vetandis, & juxtà rerum
opportunitatem, diſperdendis libris, prava dogmata continentibus: talemque
obſervantiam, & honorem Sedi Apoſtolicæ, hujuſmodi poteſtatem exercenti,
Eccleſia detulit, ut Concilium Turonenſe II. hæc ſibi gloriæ dederit pronuntiare:
*Et quorum Auctorum valere poſſit prædicatio, niſi quos Sedes Apoſtolica ſemper, aùt
intromiſit, aùt apocryphos fecit, & Patres noſtri hoc ſemper cuſtodierunt, quod eorum
præcepit auctoritas* (a). Non ergò quid novum eſt, non eſt res ampliùs non audita,
quod Sedes Apoſtolica libros, prava dogmata continentes, cenſurâ damnationis affi-
ciat: hoc enim ei licuit, ſemperque licebit: hoc uſque ab initio fecit, ſemperque fa-
cere non deſiſtet, quoties opus erit: nec negandum eſt ei, ut faciat quod non ſemel,
& bis, ſed eſt millies executa, numquid enim debemus jura Sedi Apoſtolicæ immi-
nuere ſcribebat ad quoſdam S. Gregorius VII., *idque nobis in ſolius veſtri negotiis
non debebis licere, quod in negotiis omnium Prædeceſſores noſtri ſine omni contra-
dictione, & licitum, & legitimum tenuere* (b)?

(a) *Concil. Turon. II. an. 567. c. 20.*

(b) *S. Greg. Papa VII. l. 6. epiſt. 2.*

16. Sed præſtat audire eloquentiſſimum D. Leonem in epiſtolâ ad Turibium
Aſturicenſem, ità de libris Priſcillianiſtarum, & de tractatu Dicticinii, eloquen-
tiſſimè perorantem, *multos corruptiſſimos eorum codices, qui canonici titulantur,
invenimus. Quomodò enim decipere ſimplices poſſent, niſi venenata pocula quodam
melle prælinirent, ne uſquequàque ſentirentur inſuavia, quæ eſſent futura mortifera?
Curandum ergò eſt, & Sacerdotali diligentiâ maximè providendum, ut falſati codi-
ces, & à ſincerâ veritate diſcordes, in nullo uſu lectionis habeantur. Apocryphæ
autèm ſcripturæ, quæ ſub nominibus Apoſtolorum, multarum habent ſeminarium
falſitatum, non ſolùm interdicendæ, ſed etiàm penitùs auferendæ ſunt, atquè ignibus
concremandæ. Quamvis enim ſint in illis quædam, quæ videntur ſpeciem habere pie-
tatis; nunquàm tamen vacua ſunt venenis: & per fabularum illecebras, hoc laten-
tèr operantur, ut mirabilium narratione ſeductos, laqueis cujuſcumque erroris in-
volvant. Undè ſi quis Epiſcoporum vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit,
vel ſub canonicorum nomine eos codices in Eccleſiâ permiſerit legi, qui Priſcilliani
adulterinâ ſunt emendatione corrupti; hæreticum ſe noverit judicandum, quoniàm
qui alium ab errore non revocat, ſe ipſum errare demonſtrat.* Et infrà: *Dicticinii
tractatus, quos ſecundum Priſcilliani dogma conſcripſit, à multis cum veneratione
leguntur; cum ſi aliquid memoriæ Dicticinii tribuendum putant, reparationem ejus
magis debeant amare, quàm lapſum. Non ergò Dicticinium, ſed Priſcillianum le-
gunt, & illud probant, quod errans docuit, non quod correctus elegit. Sed nemo
hoc impunè præſumat, nec intèr Catholicos cenſeatur quiſquis utitur ſcripturis, non
ſolummodò ab Eccleſiâ Catholicâ, ſed etiàm à ſuo Auctore damnatis* (c). Vides uſquè
ab antiquioribus Eccleſiæ ſæculis interdictam à Romano Pontifice librorum depra-
vatorum lectionem, eique obtemperantes præcipuos Orbis Epiſcopos cum eorum
Eccleſiis particularibus. Vides non haberi pro Catholicis, qui ſcripta damnata le-
gunt: Ipſoſque Antiſtites ſe quodammodò ſuſpicione hæreſis irretire, ſi damnatos
codices non ſatagunt abolere: hæcque omnia quis facit? Papa. Quis determinat?
Papa. Quis ità vult ſuccedere? Papa.

(c) *S. Leo epiſt. 93. c. 15. & 16.*

17. Nèc ſolummodò libros, falſa, in materiâ fidei, continentes, ſed etiàm alios
detrahentes libertati Eccleſiæ, vel inhoneſtos, ſeditioſos, maledicos honori Princi-
pum inſultantes, uno verbo, libros omnes contrà bonos mores prohibendos eſſe
à Pontifice, atquè uſui hominum abſtrahendos, ac à totâ Eccleſiâ eliminandos,
certò certius eſt; quià ex ipſis idem eſt periculi, ſervatâ proportione, quod ex li-
bris, falſa dogmata ſuggerentibus. Undè Iſidorus: *prohibetur Chriſtianus fig-
menta legere poetarum, quià per oblectamenta inanium fabularum, mentem exci-
tant ad incentiva libidinum. Non enim ſolùm thura offerendo, Dæmonibus immo-
latur, ſed etiàm eorum dicta libentiùs capiendo* (d). Et quod hic memorat D. Iſi-
dorus de libris poeticis, atquè inhoneſtis, locum generalitèr habet in omnibus Co-
dicibus, quieto Reipublicæ Statui, ac bonis moribus adverſantibus, quià utrobique
eſt

(d) *S. Iſidor. l. 3. ſent. de ſum. bono c. 13.*

Digitized by Google

eſt par ratio. Ideò videmus Ethnicos nedùm volumina è ſuis Urbibus abſcidiſſe, quæ religionis eorum principiis obſiſtebant; ſed etiàm quæ Civium, Magiſtratuum, bonorum demùm morum honeſtati communitèr detrahebant. Ità Lacedęmones tractatum Archilochi, non impium, ſed impudicum è Spartanę Reipublicæ finibus ejecerunt (*a*): Ariſtoteles in politic. libros contrà bonos mores abolendos eſſe docuit, & Hermogenis, & Nicanoris codicillos execratus eſt, eo quod mores hominum corruptiſſimos, carmine, oculis hominum expreſſiſſent (*b*). Alexander Ariſtobuli poema aſſentatorium, & vaniloquum, in Hydaſpem flumen abjecit, tandèm Auctori minitatus, ſi tale quid inpoſterùm edidiſſet (*c*). Romani ſcripta T. Labieni maledica, & mordacia, quibus Cives univerſalitèr lacerabat, undè, prò Labieno, Rabienus communitèr vocabatur, adhùc eo vivente, fecerunt prunis ardentibus uſtulari (*d*). Iidem Cremutii Cordi libellos, quibus Senatum, Populumque Romanum Scommatibus lancinabat, fecerunt publicè concremari: Undè Cremutius ſe ipſum, ne probro ſupereſſet, occidit (*e*). Attila Hunnorum Rex Marulli Calabri cantilenas, mendaciis, adulationibus, & dicteriis incongruis ſcatentes, publicè fecit exuri (*f*).

18. Alia exempla Ethnicorum poſſent hìc prolixiùs aggregari, ſi otium ſupereſſet. Sat ſint relata: & uti certiſſimum habeatur, ritè, ac rectè à Chriſtiano populo eliminari codices bonis moribus adverſantes, nec niſi malè ſentire, qui rationabili hujuſmodi non deferunt poteſtati, & qui praxim hanc improbant, per cuncta Eccleſiæ Sæcula continuatam, atque uti quid quodammodò de fide cenſitam à magno Divo Leone, dicente: *nèc intèr Catholicos cenſeatur quiſquis utitur Scripturis, non ſolummodò ab Eccleſiâ Catholicâ, ſed etiàm à ſuo Auctore damnatis* (*g*). Tales profectò digni ſunt, ut eorum Scripta cenſuram contrahant, quam blaterant, non ritè ab Eccleſiâ fuiſſe aliorum libris inuſtam: quemadmodùm Marcellum Ancyranum damnatum fuiſſe refert Socrates, eo quod ſolia quædam igni tradere recuſavit (*h*). Et Joannis Reuclini volumen, quo negabat libros Hebræorum noxios, & infeſtos, eſſe abolendos, Colonię Agrippinæ damnatum fuit, atque igne in foro peruſtum (*i*). Sanè ſi libelli, in privatam hominis injuriam conſcripti, ſupprimuntur, damnantur, cremantur, & eorum Auctores juxtà jura pœnis graviſſimis afficiuntur (*l*). Quantò magis ſupprimi, aboleri, eliminari debent Scripta perverſa, quæ libertati Eccleſiæ detrahunt, quæ Principis honorem pulſant, quę ſeditiones excitant, quæ honeſtatem deturpant, quæ demùm mores vellicant Chriſtianos? *Quæ vel umbras præſeferunt obſcœnitatis abs tè ſcribi, nequè ab aliis ſcripta legi jubeo: quid enim ſis aliud, quàm is, cujus lectione delectaris*, inquit Scaliger; Subdens: *genus Epigrammatis, in quo fœditas ineſt, hoc non ſolùm à Republicâ Platonis, ſed toto Orbe terrarum, & ipſum, & ejus Auctores exutare jubeo* (*m*). Quo, ad libros maledicos, ſeditioſos, Principum nomini detrahentes, vel aliàs bonis moribus obſiſtentes, congruè applicato; Mirum eſt Scaligerum de indice librorum prohibitorum hæc auſum fuiſſe effutire, *Expurgatorios indices habere Marannorum eſt* (*n*): quaſi nihil puritate fidei conferat, nihil morum honeſtati opituletur, nihil Principum gloriæ, populorum quieti, modeſto Reipublicæ Statui, nihil proficiat libros noxios percellere, & in Elenchum eorum nomina recenſere, ut quo faciliùs innoteſcunt, eò libentiùs devitentur.

19. Rem exigui momenti non eſſe hanc, nec parum Eccleſiæ ſalutarem, ſed valdè utilem cenſuerunt Patres Concilii Tridentini, dùm mandarunt fieri compilationem præfati Elenchi, & ſucceſſivè ſanxerunt: *Sacroſanta Synodus in ſecundâ Seſſione ſub Sanctiſſimo Domino Noſtro Pio IV. celebrata, delectis quibuſdam Patribus, commiſit, ut de variis cenſuris, ac libris, vel ſuſpectis, vel pernicioſis, quid facto opus eſſet, conſiderarent, atque ad ipſam Sanctam Synodum referrent: audiens nùnc huic operi ab eis extremam manum impoſitam eſſe, nec tamèn, ob librorum varietatem, & multitudinem diſtinctè, & commodè poſſit à Sanctâ Synodo dijudicari;* præ-

(a) *Valer. Max. lib. 6. cap. 3.*

(b) *Ariſtot. Polit. lib. 7. c. ult.*

(c) *Girald. Dialog. 3. de hiſt. poetic.*

(d) *Titus Livius dec. 4. l. 10.*

(e) *Dio Caſſius l. 57.*

(f) *Nicol. Olaus in Vit. Attilæ c. 15.*

(g) *S. Leo epiſt. 93. cap. 16.*

(h) *Socrat. hiſt. lib. 1. cap. 6.*

(i) *Sleidanus lib. 2.*

(l) *Leg. ob carmen. ff. de teſt. l. unic. C. de fam. libel. l. ex Cornel. l. ſi quis librũ ff. injuriarum.*

(m) *Scaliger l. 3. poet. cap. 126.*

(n) *Bail. ſum. Conc. to. 2. in Conc. Rom. an. 494. §. laborem.*

præcipit, ut quidquid ab illis præſtitum eſt, Sanctiſſimo Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio, atquè auctoritate terminetur, & evulgetur (a): Quo & ſignificatur neceſſitas conſcribendi librorum indicem, perniciosa dogmata continentium, & auctoritas Eccleſiæ in Concilio congregatæ eoſdem libros noxios prohibendi; & ſuprema poteſtas Papæ decernendi ex ſe, ac ſine ſubordinatione ad Concilium, quinam codices depravatam lecturam contineant, & conſequentèr ſint fidelium uſui ſubducendi. Rem paritèr exigui momenti non eſſe hanc, nec parum Eccleſiæ ſalutarem, ſed valdè utilem cenſuerunt omnes Theologi, qui communi ſenſu fatentur, libros à Romanâ Eccleſiâ damnatos, ſive tamquàm ſanæ fidei, ſive uti probis moribus obſiſtentes, legi non poſſe ſine reatu lethalis culpę (b). Quod certè non auderent effari, ſi deeſſet Summo Pontifici facultas cenſurandi libros, & noxios reprobandi, ac ne legantur à fidelibus, prohibendi: quâ de rè ſtat Bulla Pii Papæ IV. ſancientis, *qui hæreticorum libros, vel cujuſvis Auctoris ſcripta, propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, damnata, atquè prohibita legerit, habueritve, ipſo jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob cauſam in eum, tamquàm de hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat: præter alias pœnas ſuper hoc ab Apoſtolicâ Sede, ſacriſque canonibus conſtitutas. Qui autèm libros aliâ de causâ prohibitos legerit, habueritve, præter peccati mortalis reatum, Epiſcoporum arbitrio ſeverè ſe noverit puniendum* (c).

(a) *Conc. Trid. ſeſ. 25 in contin. ſeſſion. c. 3.*

(b) *Card. de Lugo de virt. fidei diſp. 21. ſect. 2. § 4 num 108 Homobon. de Bonis p. 2 tr. 12 qu 15 ſ. 3. Bonac. to. 1 diſp. 2. de excom qu 5. punt. 4.*

(c) *Pius Pap Bull. ant. indic. libr. prohib. in Conc. Trid.*

20. At inquiunt Contradictores, Romana Curia ſtatim prohibet omnes libros, qui ſuis votis non favent, aliquidve, tametſi verum, adverſùs illam pronuntiant. Brevis eſt hæc propoſitio, ſed multam continens malitiam: quaſi Romæ ſine delectu cenſurentur volumina, & non error, ſed obtentus erroris ſit cauſa eorum prohibitionis: modòque libri propter Auctores, modò Auctores propter libros notentur, & hi in odium eorum: talitèr ac ſi captioſè diſpungerentur libri pernicioſi ab utilibus, nempè prout politica ratio ſuggerit, non prout providentia theologalis expoſcit. Falſa locutio, inſubſiſtens opinio, inſulſa ſuggeſtio, quæ ignavos fortè aliquos circumveniet ac incautos, ſed nec perſpicaces vincet, nec benè rerum peritos eludet (d). Sedes Apoſtolica in prohibendo libros utramque clavem adhibet, nempè clavem *Poteſtatis*, quæ ſub ſe claudit, quidquid juriſdictio Vicarialis Chriſti ad Eccleſiæ regimen comprehendit: Et clavem *Scientię*, quæ ſub ſe continet nedùm res, ad materiam fidei pertinentes, ſed etiàm naturales, civiles, politicas, & morales, quæ ordinem dicunt ad finem ſpiritualem (e). Duplici autèm titulo ad libros inhibendos procedit: *primò per modum medicinæ, ut bono fidelium conſulatur, avertendo ſcilicèt ab eis venenum, quod ex horum librorum lectione haurire poſſent &c. Secundò per modum pœnæ, quâ Auctor hæreticus, ſive aliàs profanus juſtiſſimè plectitur, ut qui in doctrinæ abuſu deliquit, in eâdem doctrinâ puniatur, ablatâ ei poteſtate ullo modo docendi. Ideò Gregorius IX. in cap. Firmitèr de Hæretic. ſtatuit, damnato Hæretico, ejus quoquè libros cenſeri damnatos* (f). Hæc dùm ponit ad effectum, ipſa Sedes valdè ponderatè procedit, nec prohibet libros, niſi primariò, ab Hæreticis editos, hæreſim continentes, vel de religione tractantes; de quibus in Bullâ Cœnæ (g). Et quidèm libros hæreſi contaminatos pluſquàm juſtè interdicit, ob rationes hùcuſque adductas. Hæreſi autèm carentes, ſed ab Hæreticis compoſitos, & de religione tractantes, juſtiſſimè quoque prohibet ob rationes dictas, & alias mox referendas, adnotando, quod horum lectionem aliquandò admitti ad confuſionem Auctoris, ut ait Leonardus Pennafiel, exemplificans *hodiè legi, ad majorem Auctoris confuſionem, librum de Sacramentis, quem prò defenſione fidei Catholicæ Henricus VIII. Angliç Rex compoſuit, cujus Autographum originale in Vaticanâ Bibliothecâ cuſtoditur. Sic & legitur liber, quem prò Eccleſiâ edidit Sixtus Senenſis, poſtquàm depoſuit hęreſim, ſeù Hebraicam ſuperſtitionem* (h). Prætèr quem caſum confuſionis Auctoris, libros ab Hæretico editos, nedùm ſi hæreſes contineant, ſed etiàm ſi eiſdem careant; interdicto lectionis vetitæ ſubiici bonum eſt (i), ex triplici capite.

(d) *Vide Charlaſ. de libert. Eccleſ. Gallic. lib. 7. c. 10. & 18.*

(e) *Riſpoſt. all' Hiſtor. dell' Inquiſ. di Fr. Paol. f. 229 237. 240.*

(f) *Card. Albit. de Inconſt. in f. 1. c. 30. n. 1. 9*

(g) *Bulla in Cœna Domini c. 1.*

(h) *Leonard. Pennafiel de virtut fid. diſp. 16. ſect 2. n. 19*

(i) *Suarez de Cenſur. diſ. 21. ſect. 2 § 1. n. 10. Card. de Lugo de virtute fidei diſp. 21. ſect. 2. § 1.*

21. Primò ad execrationem memoriæ Auctoris, ad ejus mortificationem, & nè remaneant facinoroſæ perverſitatis ejus veſtigia (*a*). Secundò proptèr ſuſpicionem, quod in eiſdem libris latitet corrupta doctrina Auctoris: hoc enim eſt proprium Hæreticorum, inquit S. Leo, quod *ſermo eorum ſerpit, ut cancer, humilitèr irrepunt, blandè capiunt, mollitèr ligant, latentèr occidunt* (*b*). Undè eorum Scripta, quantumvis obviè non diſcernantur falſo dogmate deturpata; metuenda ſunt tamèn: ſemperque timendum, ne *venenum ſub melle lateat*, quemadmodùm de dictione Hypoſtaſis clamitabat D. Hieronymus ad Damaſum (*c*). Et ne in illis, non ſecus ac in equo Trojano, tecta doloſitas delitéſcat, ità eſt cum Poetâ meticuloſè loquendum: *Aut hoc incluſi ligno occultantur Achivi: aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros &c. Aut aliquis latet error. Equo ne credite Teucri: quidquid id eſt, timeo Danaos, & dona ferentes* (*d*). Tertiò demùm cuncta Hæreticorum Scripta, de religione tractantia vetantur, proptèr alias cauſas, & fines, quos congerit Tamburinus, dicens, quod finis præfatæ prohibitionis *eſt etiàm Hæreticorum contemptus, ex eorum exterminatione librorum enaſcens: eſt evitatio quantum fieri poteſt communicationis cum ipſis, etiàm in eorum ſcriptis: eſt, ut ipſi, cum videant ſuas lucubrationes de rebus ſacris, à fidelibus non eſſe legendas, à ſcriptione deſiſtant: eſt, ut debita ſacrorum Inquiſitorum, Conciliorum, Pontificum, tàm ſeveris decretis reverentia, & obedientia in rè ſummi momenti ſervetur &c.* (*e*). Itàque libri Hæreticorum de religione tractantes, etſi non contineant hæreſes, reprobati ſunt, & damnati, uti paſſim docent tàm Theologi (*f*), quàm Canoniſtæ (*g*). Et ut cunctis innoteſcat, quàm congruè hujuſmodi praxis conveniat cum veteri Eccleſiæ diſciplinâ, recogitet Lector, quæ Severus Sulpitius refert de contentionibus, in Ægypto habitis ob Scripta Origenis, quæ à pluribus Conciliis interdicta ſunt, ne legerentur: & obſiſtentibus quibuſdam, eò quòd in illis libris plurima continerentur inculpabilia, & ſi quid improbi adeſſet, fuiſſet ab Hæreticis fraudulentèr inſertum; *adverſum hæc*, ait Severus, *Epiſcopi obſtinatiùs renitentes, prò poteſtate cogebant, recta etiàm univerſa cum pravis, & cum ipſo Auctore damnare* (*h*).

22. Pretèr libros autèm Hæreticorum, Sedes Apoſtolica prohibet alios, qui diverſimodè bonis moribus adverſantur, uti maledicos, ſeditioſos, inhoneſtos, Eccleſiaſticæ auctoritatis, vel dignitatis impugnativos: quietis publicæ, honoriſque Principum offenſivos, magicos, divinatorios &c., omneſque aliòs, qui fideles à verâ pietate avertere, mores eorum depravare, & tranquillum Reipublicæ Statum perturbare apti ſunt: in quo quanta ſit Summi Pontificis auctoritas, jàm ſuprà ſatis eſt dictum: iterùmque nùnc dicamus cum Auctore libri de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ: *Apoſtolicum eſt oraculum, quod corrumpunt bonos mores colloquia mala. Corinth. 15. num. 33., cujus veritatem etſi Spiritus Sancti auctoritas indubitatam non faceret, infelix nimìs experientia comprobaret. Eſt enim ſermo malus, flatus peſtilens, qui homines innumeros inficit, ac pleroſque interficit, non ſolùm ſimplices, & incautos, ſed etiàm ſibi præſidentes. Tùnc autèm perìculoſior eſt corrupta doctrina, cùm ex libris hauritur* (*i*). Et ità Avitus Presbyter Hiſpanus, legens libros principiorum Origeni, tametſi unà confutationem S. Hieronymi percurreret, antidoto rejecto, venenum ſolùm retinuit (*l*). Sequitur Auctor: *qui enim ad legendum accedit, diſcipuli affectum, atque docilitatem affert: ac ſæpè Auctorem ſcriptis diſſerentem, ceù magiſtrum habet, quem vivâ voce loquentem audire dedignaretur. Prætereà difficile eſt, ut liber cum voluptate legatur* (*quemadmodùm ferè ſemper legitur: quis enim invitus lectionem proſequitur*) *quin ei fides habeatur, præſertìm ſicùt ſoles, error ſub verborum lenocinio, aut compoſitionis artificio latens propinetur*. Et ità de S. Petro Martyre, fidei Inquiſitore, ac ſtrenuo defenſore, legitur, quod ex crebro cum Hæreticis tractatu, eorumque ſcriptorum aſſiduâ ſcrutatione, aliquandò ſibi ab ſe trahi videbatur, & ad propenſiones contrà fidem tentari (*m*).

23 Qua-

(a) *Riciull. de jure perſon. l. 5. c. 23. n. 1. Barb. ſ. de off. Epiſc. alleg. 90. n. 3.*

(b) *S. Leo ſerm 5 de jejun decim. menſis*

(c) *S. Hieron. ep. 57 ad Damaſ.*

(d) *Virgil Æneidum l. 2 ſ. 138.*

(e) *Tamburin. de præcept. Decalogi l. 2.*

(f) *Card de Lugo de vir fidei diſp. 21. ſect 2 § 1. n. 49. Azorius inſt. mor. p. 1. l 8. c. 16. q. 14 Pennafiel to. 3 tract. de virt. fid. diſp. 26 ſect. 2 num. 29.*

(g) *DD. in cap. fraternitatis de Hæretic. Riciull. de jur. perſ. l. 5 c. 23 nu. 1. Farinac. de hæreſ. q. 81. nu. 22. 26. 27 Dandin. de ſuſp. c. 6 ſect. 1. n. 22.*

(h) *Sever Sulpit. Dialog 1 c. 2*

(i) *Anton. Charlaſ. de libert. Eccl. Gall. l. 7 c. 18 n. 4.*

(l) *Vid. Baron. ann. 414 num. 10. Pio Roſſi Convit moral. V. libri proibiti.*

(m) *Albitius de Inconſt. in fid c. 30. n. 400*

23. Quarè idem Auctor concludit: *Sapientiſſimum igitur Paſtorum, ac præcipuè ſupremi conſilium eſt, ut fideles ſibi ſubditos à legendis pernicioſis libris avertant, ipſoſque libros exterminent &c. An enim deeſt Summo Pontifici auctoritas ad damnandos, ac prohibendos malos libros? An ejus judicia in fidei, ac morum quæſtionibus, ad omnes, & ſingulas pertinebunt Eccleſias, eiſque omnes Chriſtiani parere tenebuntur, & impunè contemni poterunt ejus decreta, libros, quos ipſe judicavit hereſim continere, aut doctrinam, ad fidei, vel proborum morum corruptionem inducentem, à fidelium manibus amoventia? Sanè quantumvis anguſtis limitibus coerceas Supremi Paſtoris poteſtatem, non video quâ ratione quis diffiteri queat, ipſum jus habere impediendi, quo minùs fides, ac mores Chriſtianorum in diſcrimen per doctrinam, ad minus periculoſam, adducantur* (a). Sed ſepoſitâ quæſtione poteſtatis Pontificis in damnatione librorum; Si Contradictores, ac qui cum illis iſtâ in rè ſentiunt, effutiendo pronuntiant, Papam, ſeù Romanam Curiam libros illos omnes prohibere, qui ſuis votis non favent, qui aliquid, tametſi verum, adversùs illam pronuntiant, obloquendo de modo; nempè quod inexaminati libri, à Pontifice non lecti, ſed à ſolâ Indicis Congregatione percurſi, juſtâ damnationis causâ non concurrente, damnantur, unicâ hâc attentâ ratione, quod libri non Aulę Romanæ placeant, non ejus auctoritati ſolidandæ ſubſerviant: Quod Pontificiam poteſtatem, vel ipsâ ratione ſulti audeant vellicare. Proh quantâ audaciâ, quam inpunitâ temeritate hoc effantur! Ergòne credendum eſt, tantum negotium, quantum eſt Scripta hominum condemnare (quod paulò minùs eſſe videtur, quàm eorum vitam capitis diminutione percutere) indiſcuſsè, perfunctoriè, præcipitantèr, & ſolo odio agente, compleri? Hæc cogitant qui mala faciunt: qui nugas prò veritate vendunt: qui methodum ignorant, quo in libris cenſurandis, Papa, ejuſque Romana Sedes procedit.

(a) *Charlaſ. de libert. Eccleſ. Gall. l. 7. c. 18. n. 4. & 7.*

24. Quod Pontifex cunctos ex ſe libros prohibendos, excurrat, non audemus aſſerere, ne videamur de illo tàm demiſsè ſentire, ut negotiis majoris momenti depoſitis, huic unico animum accommodet, propriis oculis legendi libros, quos cogitat cenſurâ prohibitionis eſſe mulctandos. Ætas ejus non ſufficeret tot libris ſedulò volutandis; totuſque Pontificatus ejus in libris ventilandis terreretur, ſi ex ſe ipſo vellet eos diſcutere. Quomodò ergò ſe gerit? Se gerit eo modo, quo Reges faciunt, & Principes, qui libros interdùm prohibent bono regimini eorum Status adverſos: hi enim volumina ex ſe ipſis non legunt, ſed à ſuis Conſiliariis, viris gravibus, & eruditis perpendi faciunt, eoſque jubent, periodos minùs congruentes excerpere, quæ damnanda videatur in partem notare, & his ſummatim lectis, auditoque prudentum judicio, ſuper qualitate, & pravitate librorum, & præjudicio, quod eorum regimini habiles ſunt inferre; ipſos tandèm libros condemnant. Ità ſe gerit Pontifex, hoc ſolo diſcrimine, quod Principes illi tùnc deputant Conſultores, & Cenſores librorum, (ſi eos fixos, & determinatos non habent) cum alicujus politicè interdicendi occurrit emergens: Papa verò Congregationem Cardinalium, & Prælatorum ad hoc ſpecialitèr deputatam habet, Indicis librorum prohibitorum appellatam, qui pietate, doctrinâ, juſtitiâ, & prudentiâ præcellunt, & flos quodammodò Cleri totius Orbis poſſunt congruè nuncupari. Hi adhibitis Theologis, Juris conſultis, aliiſque Juris prudentibus, & doctrinâ excellentibus viris libros evolvere, propoſitiones cenſurâ dignas excerpere, illaſque qualificare, contenta demùm in Codice ſeriò examinari faciunt, & ipſi Congregationi referre, quæ habito verbo cum ipſo Summo Pontifice, judicium damnationis, vel ſuſpenſionis de illis dat, quale in Domino comperit expedire. Hanc Congregationem jàm 130. circitèr abhinc annis erexit magnus Sixtus V. relativè ad illam, quam pridèm anteà deputaverant Patres Concilii Tridentini, ut libros noxios ab utilibus ſecerneret, ac volumina pernicioſa à proficuis ſepararet, uti paulò ſuprà commemoravimus.

populo cuſtodiendi, cuncta complente: nec omiſsâ ſedulitate ſervandi honorem, ac ſcripta illius, qui librum edidit, ſi ullo modo, ſi aliquo in ſenſu obvio, & naturali, ſervari poteſt: eâ tandèm adhibitâ curâ, quam in hujuſmodi rè complendà, prævalere optavit Cardinalis de Lugo, ità de hoc negotio perorans: *Immeritò ſæpè Auctores* conqueruntur, quod *nec citati, nec auditi condemnentur: hoc enim neceſſarium eſſet, quandò cauſa ageretur contrà Auctores, ut reos: ſecus verò eſt, quandò agitur ſolùm de bono Subditorum procurando, licèt indè indirectè Auctoris nota aliqua ſubſequatur. Nàm Paterfamilias punire non poteſt filium alienum, nec eum corripere: poteſt tamèn proprios filios ab ejus conſuetudine ſeparare, eamque illis prohibere, ne fortè ſcelerati ſodalis improbis moribus inficiantur. Fateor tamèn, quià conſequentèr Auctoris Nomen ex libri prohibitione gravitèr læditur, diligentiam maximam adhibendam, ut quod deeſt defenſionis propriæ, dùm Auctor non auditur, ſuppleatur diligenti examine, & ſi fieri poteſt, aſſignato quaſi procuratore aliquo Auctoris abſentis, qui bonâ fide adducat, quæ in defenſionem Auctoris allegari poſſent, quandò ſcilicèt Auctor Catholicus eſt, & bonæ alioquin exiſtimationis: quo caſu non videtur prætermittendum (quandò error non eſt omninò manifeſtus) ut ab Auctore anteà exigatur, ut declaret ſenſum ſuæ doctrinæ: qui ſenſiis ſi Catholicus appareat, poterit Judicum juſſu, ſi neceſſe fuerit, addi in ipſo libro, nempè Auctorem non niſi in tali ſenſu, doctrinam illam tradidiſſe, atquè ità eam explicaſſe. Quo pacto res tota faciliùs tranſigitur, & cum leviori Auctoris præjudicio obtinetur meliùs finis, qui deſideratur, dùm conſtat Auctorem ipſum Judicum, & Cenſorum ſententię conſentire. Alitèr cùm Hæreticis Eccleſiæ hoſtibus agendum eſt, quorum verba, etiam dubia, in deteriorem ſenſum juxtà eorum mentem interpretanda ſunt: Subdolè enim verbis ambiguis utuntur, ut ſeſè ſimplicioribus mentibus inſinuent: Alitèr verò cum Catholicis, quandò ii tales ſunt, ut ſperari poſſit ab ipſis, vel ſpontanea correctio, vel talis interpretatio, quâ appoſitâ periculum totum doctrinæ parum tutæ præcaveatur* (a).

28. Retunditur ex his procacia illorum omnium, qui audientes cenſuram eorum Scriptionibus inuſtam, nec in propriam audaciam culpam refundentes, uti deberent, ſed in Sedem Apoſtolicam, noxia pabula Chriſtianis Ovibus ſubtrahentem, ipſorumque delirantium ægritudini medentem; *tamquàm multa febre phrenetici inſanientes in medicum, qui venit curare eos, excogitant conſilium perdendi eum* (b), ſi poſſent: ſin minùs ejus auctoritati detrahunt, & multimodè adversùs illum impudentèr ogganniunt. Quoàd Contradictores, recogitent ipſi, quot, & qualibus turpiloquiis, invectivis, ſcommatibus, Romanum Pontificem, ejuſque poteſtatem, ac regimen lancinarunt; & dijudicent, an eorum Scripta ſimplex interdictæ lectionis præjudicium mereantur; an potius gravioris adhùc ultionis digni ſint improperio? Auſi ſunt Papam ſimplicis Epiſcopi Romani titulo deſignare, & Lavelli Præſuli coæquare. Impugnarunt in eo titulum Epiſcopi Univerſalis, & Plenitudinem Apoſtolicæ poteſtatis. Detraxerunt eidem facultatem leges mutandi, ac novos cudendi, & Canones temperandi. Carpſerunt Regulas Cancellariæ, ac Exactiones Apoſtolicæ Datariæ. Impetierunt impoſitionem Penſionum, & Spolia Clericorum Cameræ Pontificiæ applicata. In Tribunal Fabricæ D. Petri invecti ſunt. Regnum Neapolis eſſe feudum Romanæ Sedis irriſerunt. Concilium Baſileenſe, illi adverſum, præconiis; Lateranenſe verò V. ipſimet favens, contumeliis affecerunt. Hæcque omnia pratèr conatum principalem, cui operam dederunt, ſpoliandi Eccleſiam libertate conferendi beneficia etiam Clericis extraneis, & immunitate, quâ illius Beneficiarii merè ſimplices gaudent ab onere reſidentiæ. Profectò mitiùs egit cum eis Apoſtolica Sedes, ſi ſolummodò ipſorum Scriptionibus cenſuram vetitæ lectionis appoſuit. Nàm ſi aliquam tot rerum particulam contrà ſęcularem Principem protuliſſent; certè vel dediſſent colla bipenni, vel saltèm carceris, exilii, aut alterius publicæ ignomi-

niæ

(a) *Card. de Lugo de Virtut. Fidei diſp. 21 ſect. 2. n. 27.*

(b) *S. Auguſtin. in Pſalm. 63 ad verſ. 2.*

niæ detrimentum experti eſſent. Benè igitur, lenitèr, moderatè sè gerit Romanus Pontifex, cùm ad prohibitionem librorum, juſtitiâ ſic poſcente, procedit. Nunquid enim ſoli Papæ non licet, quod paſſim à cunctis Principibus factitatur? Pudeat talia ſentientes, talia ſcribentes, talia impugnantes, & omninò peroptantes impunè ſcripta ſua falſitatibus, & calumniis infercire, potiùs quàm calamum temperare, & ad recti, ac æqui ſemitam cuncta, quæ ſcripturiunt, revocare: digni de quibus, cum talia ſcriberent, aſſeratur: *plus perditi homines cogitabant quomodò nocerent, ut perderent, quàm quomodò ſibi conſulerent, ne perirent* (*a*). Cœterum Contradictores, memores ſint Summum Pontificatum, Eccleſiaſticam libertatem, ſacram juriſdictionem, Eccleſiam Dei demùm, fundatam eſſe ſupèr petram immobilem (*b*), ſupèr lapidem angularem, qui facit utraque unum (*c*), cui nullum unquàm eorum dicta inferent præjudicium, quippè adversùs quam uſquè modo non potuerunt, nec unquàm poterunt ipſius portæ Inferi prævalere (*d*), quinimò, & quo magis impetitur, eò magis invaleſcit, agitata ſolidatur, obtenebrata rutilat, parvipenſa triumphat: Hoc etenim Eccleſiæ proprium eſt, inquit D. Hilarius, ut *tùnc vineat cum læditur, tùnc intelligat cum arguitur, tùnc obtineat cum deſeritur, dùm perſequitur floret, dùm opprimitur creſcit, dùm contemnitur proficit, tùnc ſtat cum ſuperari videtur* (*e*).

(a) *S. Auguſt. tract. 49 in Joannem.*

(b) *Matth. cap. 16. num 18.*

(c) *Epheſ. cap. 2. num 14. 20.*

(d) *Matth. cap. 16. num. 18.*

(e) *S. Hilarius de Trinitate lib. 4.*

Finis Tertii Tomi
De Libertate Eccleſiæ.

AKT 131614 0

Digitized by Google

Google

3